

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
8
18 — N
32
ROMA




NAZIONALE
BIBLIOTECA

FRATRIS

DIDACI DE TAPIA SEGOBIENSIS, ORDINIS EREMITARVM DIVI AVGVSTINI,

in tertiam partem Diui Thomæ, libri duo: vnus de Incarnatione Christi Domini, alter de admirabili Eucharistiæ Sacramento.

Adiectus etiam est in fine tractatus de Ritu Missæ.

AD PRAESTANTISSIMVM ARCHIEPISCOPVM CAESAR AVGVSTANVM.





CVM PRIVILEGIO.

SALMANTICAE,
Ex officina Michaelis Serrani de Vargas,
M. D. LXXXIX.

EL REY.

POR quanto por parte de vos fray Diego de Tapia de la orden de Sant Augustin nos fue fecha relacion, diziendo que nos auiades compuesto un libro intitulado, el mysterio de la Encarnacion de nuestro Señor Iesu Christo, y otro del Sanctissimo sacramento de la Eucharistia en que auiades puesto mucho cuydado y trabajo, y por ser obra util y prouechosa nos pedistes, y supplicastes nos mandassemos dar licencia para lo poder imprimir con priuilegio, para que por el tiempo que fuessemos seruido uos y no otra persona alguna lo pudiesse imprimir y uender en estos nuestros reynos, o como la nuestra merced fuesse, lo qual uisto por los del nuestro consejo, y como por su mandado se hizieron en el dicho libro las diligencias que la pregmatica por nos ultimamente fecha sobre la impression de los dichos libros dispone fue acordado que deuiamos de mandar dar esta nuestra cedula en la dicha razon, y yo tuue lo por bien por la qual nos damos licencia y facultad para que por tiempo de diez años primeros siguientes que corran y se quentẽ desde el dia de la data della podays imprimir y uender en estos nuestros reynos el dicho libro que de suso se haze mencion por el original que en el nuestro consejo se uio, que uan rubricadas las hojas y firmado al fin dellas de Lucas de Camargo nuestro escriuano de camara de los que residen en el nuestro consejo, y con que antes que se uẽda lo traygays ante ellos juntamente con el original para que se uea si la dicha impression esta conforme a el, o traygays fe en publica forma en como por corrector nombrado por nuestro mandado se uio y corrigio la dicha impression por el original, y quedã ansi mesmo impressas las erratas por el apũtadas para cada un libro de los que ansi fueren impressos, y se os tasse el precio que por cada uolumen ueys de lleuar, y mandamos que durante el dicho tiẽpo persona alguna sin nuestra licencia le pueda imprimir sopena que el que lo imprimiere, o uendiere aya perdido y pierda todos y qualesquier moldes y aparejos que del tuuiere, y libros que uendiere en estos nuestros reynos, e incurra en pena de cinquenta mil marauedis por cada uez que lo contrario hiziere la qual dicha pena sea la tercia parte para nuestra camara, y otra tercia parte para el denunciador, y otra tercia parte para el juez que lo sentenciare, y mandamos a los del nuestro cõsejo presidente y oydores de las nuestras audiencias alcaldes alguaziles de nuestra casa y corte y chanzillerias, y a todos los corregidores assistente gouernadores alcaldes mayores y ordinarios, y otros juezes y justicias qualesquier, de todas las ciudades uillas y lugares de los nuestros reynos y señorios ansi a los que agora son como los que seran de aqui adelante que guarden y cumplan esta nuestra cedula, y merced que ansi uos hazemos y contra el tenor y forma della y de lo en ella contenido no uayan, ni passen ni consientan yr ni passar en manera alguna sopena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra camara. Dada en S. Lorenço a ueynte y seys dias del mes de Septiembre, de. 1587. Años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor.
Iuan Vazquez.

Errata.

Pag. 10. col. 1. lin. 91. & 47. primũ. leg. preterea. p. 10. c. 2. ll. 28. & 39. q. le. cõtra. p. 33. c. 2. ll. 34. vero. le. verõ si. p. 31. c. 2. ll. 23. dicas. le. dicat. & ll. 38. primũ. le. preterea. & ll. 44. est. le. &. p. 38. c. 1. ll. 18. appellet l. appellat. p. 40. c. 2. ll. 26. Vnde le. vide. p. 50. c. 2. ll. 9. Verbo secundo. Quia. leg. Verbo. Secundo quia. p. 61. c. 2. ll. 32. factum. leg. factum est. p. 64. c. 2. ll. 10. ex. leg. est. p. 66. c. 2. ll. 44. nisi. leg. si. p. 67. c. 2. ll. 3. enim satis. leg. enim sententiam excitatis satis. ll. 22. ergo. 11. le. ergo &. p. 69. c. 2. ll. 14. iustissimus. le. iusti simus. 2. ll. 20. antecedeoter. le. antecedentia. p. 72. c. 1. ll. 28. est. leg. &. p. 76. c. 1. ll. 44. patres. leg. praesenti. p. 77. c. 2. ll. 3. primo. leg. conclusio. p. 90. c. 2. ll. 37. personae leg. persona. p. 91. c. 2. ll. 10. personae. le. persona. c. 2. ll. 7. prefectum. le. perfectum. ll. 20. subsistentia. le. subsistentiam. p. 92. c. 1. ll. 26 personalibus. leg. persona siue. p. 98. c. 1. ll. 47. etiam. leg. etiam haec. p. 103. c. 2. ll. 25. origine. le. Origene. p. 107. c. 1. ll. 97. esse. leg. essentiae. p. 120. c. 1. ll. 9. cpoprehensor, leg. cõprehẽsor. p. 225. c. 2. ll. 28. fines. leg. finis. p. 238. c. 2. ll. 20. vehenter leg. vehementer. p. 148. c. 1. ll. pen. cognosceret. leg. cognoscere. c. 2. ll. pen. tis, ed. le. ti, sed. p. 252. c. 1. ll. 9. babere. le habere. p. 162. c. 2. ll. 21. fide. leg. fides. p. 169. c. 2. ll. 46. quia. leg. quin. p. 179. c. 2. ll. 11. Ratio. leg. Respondeo. p. 181. c. 1. ll. 42. rationi leg. rationa. p. 195. c. 1. ll. 2. vtrunque. le. vnumquodque. p. 103. c. 2. ll. 12. quaestiones. le. quaestionum. p. 107. c. 9. ll. 31. quam esse. leg. quam esse creaturã. p. 220. c. 2. ll. 30. habẽtis l. habẽtes. p. 213. c. 2. ll. 19. erã. le. erat. p. 113. c. 1. ll. 11. Lucae. le. Luci. p. 228. c. 1. ll. 24. rationales l. rationalis. p. 130. c. 1. ll. 46. qua. le. quã. p. 231. c. 1. ll. 2. atio. le. actio. p. 232. c. 2. ll. 4. beatitudine. le. beatitudinẽ. p. 234. c. 1. ll. 10. estecasim. le. catasim. p. 241. c. 2. ll. 26. secunda. le. secunda. p. 245. c. 2. ll. 26. altem. le. saltem. p. 247. c. 1. ll. 2. propositio. le. praepositio. p. 153. c. 1. ll. 27. neget. le. negabit. p. 237. c. 2. ll. 42. quantitate. le. consequenti. p. 260. c. 1. ll. 25. ad. le. sed. p. 261. ll. 28. erudiendum. le. eruendum. p. 267. c. 1. ll. 16. quidem. le. quid. p. 282. etic. quoniam. leg. quoniam. p. 283. c. 1. ll. 47. intrepidi. le. increpiti. p. 285. c. 1. ll. 9. locada le. iolada. p. 286. c. 1. ll. 32. aut. le. at. p. 190. c. 1. ll. vlt. destitutione. le. destructionẽ. p. 296. c. 1. ll. 24. hoc. le. haec. p. 302. c. 1. ll. 25. & ies. le. & habẽtius. ll. 37. si. le. sic. ?. p. 316. c. 2. ll. 11. Pauli. le. Paulus. p. 338. c. 2. ll. 18. Qua. le. Quae. p. 334. c. 2. ll. 33. imaginationis. le. imaginis. p. 347. ll. 36. adorari. le. adorationi. p. 350. c. 2. ll. 33. si le sic. p. 357. c. 2. ll. 12. quae se porticibus. le. quae in porticibus. p. 376. c. 2. ll. vlt. immaculatus leg immolatus. p. 379. c. 2. ll. 3. si. le. sic. p. 386. c. 2. ll. 29. ille. le. illis. p. 405. c. 2. ll. 17. Hic. le. Hoc. p. 416. c. 1. ll. 44. quinia. le. quoniam. p. 440. c. 2. ll. 32. antecedens. le. accidens. p. 443. c. 1. ll. 26. aliud fit in aliud. le. in aliud fit aliud. c. 2. ll. 37. consubstantiationis le. consubstantialis. p. 465. c. 1. ll. 35. neq; le. vsque. p. 468. c. 2. ll. 2. alia. le. ex alia p. 478. c. 1. ll. 27. subiectio. le. subiecto. c. 2. ll. 21. subiectio. subiecto. p. 480. c. 2. ll. 30. Diui. le. Dioo p. 484. c. 2. ll. consecratio. le. consecrato. p. 4[illegible]6. c. 2. ll. 14. vina le. vias. p. 493. c. 1. ll. 47. & ad. le. & veri ad. p. 506. c. 2. ll. 15. tantum. le tamen. p. 508. c. 1. ll. 34. indigne le lo digne. p. 321. c. 1. ll. 19. & vis leg. vis &. p. 530. c. 2. ll. 22. videbatur. le. videbat. p. 335. c. 2. ll. 46. dispositionem le. dispositionum. p. 538. c. 2. ll. 4. initio. initio. p. 546. c. 2. ll. 20. Magdalena. le. Magdalenae. p. 588. c. 2. ll. vlt. figoificationem. le. significatione. p. 502. ll. 9. si. le. sicut. p. 593. c. 2. ll. 25. hostia. le. hostiam. p. 601. c. 2. ll. 39. Deum. le. Deum non. p. 620. c. 1. ll. 42. defunctorum. le. defunctorum.

Con estas erratas està correcto este libro conforme a su original, en fe de lo qual lo firme en Salamanca oy 24 dias del mes de Abril. Año de. 1589.

Corrector por el Rey N. S.

Manuel Correa de Montenegro.

PRAESTANTISSIMO D.D.

ANDREAE DE CABRERA ARCHIEPISCO-
po Cæsaraugustano, Frater Didacus de
Tapia. Salut.



OGITANTI mihi, cui nam in Hispania vniuersa, primitias laborum meorum dedicarem, semper se mihi, illustrissime Praesul, tua dignitas, tua humanitas offerebat. Nam praeter illa magna, quae per te ipsum meruisti quando tamen ego ad me oculos conuerto, inuenio multis esse tibi, vt inseruiam rationibus deuinctum. Quid enim magis dignum, & aequum esse potest, quam si eminentissimo praesuli subditus, praestantissimo, & illustrissimo eius conciuis, in florentissima Compluti Academia Doctori Theologo Theologus, humanissimo Domino is, qui saepe eam expertus est humanitatem, se suaque commendet, ac referat. Accipe ergo libros hos testes meae in te gratitudinis, quos si laetis oculis, animoque susceperis maximus hoc tuo facto, ad tua in me beneficia cumulus accesserit. Vale.




GO Magister Frater Petrus de Rojas Prouincialis prouinciæ Castellæ, ordinis Eremitarum Diui Augustini, sciens fratrem Didacum de Tapia Theologiæ professorem eiusdem ordinis, & voti, duos libros scripsisse, vnum de Incarnatione Christi Domini, alterum de ineffabili Eucharistiæ Sacramento, & sperans eos pijs, & studiosis maximè vtiles fore, non modo licentiam, quam ille à me postulauit, do, sed etiam in virtute salutaris obedientiæ præcipio, vt Typis mandentur, & excudantur. Dat.

Frater Petrus de
Rojas prouincialis.

A D


Esta tassado a quatro marauedis el pliego, en papel.

Ad Lectorem.



SCRIPTVM est, Vir, cum quo est Deus, ait, Ignorantissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum, & non noui scientiam sanctorum. Vt ergo mecum sit Dominus dicam, verissimeque fatebor, ignorantissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum, & non noui scientiam Sanctorum. Quocirca siqua in his libris meis, pie lector, aduerteris, quæ tibi rectè ac iure displiceant, ego ipse legor, ego conspicior, mea illa sunt, meæ tenebræ, & cæcitas comprehenduntur. Quòd si me dum in hac vita maneo cum charitate & veritate, ignorantiæ meæ, falsitatis, vel etiam erroris admonueris, vberrimum profecto scriptorum meorum fructum reportabo, nec vero victus ac superatus esse videbor: sed multo clarior & illustrior effectus veritate patefacta. Siqua verò rectè ac iure probaueris, & vera esse videris, in eis omnibus ille amandus, ille prædicandus est, apud quem est fons vitæ, & in cuius lumine videbimus lumen. Nec nostra esse vllo modo putes, nisi quia data sunt: eoque te conuertas licet, vnde tibi etiam datum est, vt illa probares. Nemo enim quod legit, aut in codice ipso, aut in eo, qui scripsit verum esse cernit, sed in radio, ac participatione eius, quæ supra nos est incommutabilis veritatis. Prou. c. 30.

C



IN NOMINE DOMINI.

QVAESTIO PRIMA, DE PRAEDESTINATIONE CHRISTI.

Quoniam inter mysteria Christi summum mysterium, & prima ac longè praestantissima causa caeterorum omnium, est eiusdem Christi filij Dei praedestinatio, postulat ordo doctrinae, vt primùm omnium de ea disputemus, & ab ipso principio, augustoque fonte initium sumamus.

ARTICVLVS. I.

Quòd conueniens fuerit Christũ praedestinari.

DONET Pater luminum, vt tàm altè disputationis nostrae initio sumpto aliquid dicamus. Et quãuis Deũ fieri homi-
1. Corint. 1. ne, Iudaeis fuerit scandalũ, Gẽtibus autem apparuerit stultitia, nos tamẽ fidelibus declaremus & ostendamus, quàm luceat in hoc opere, eũ sapientia Dei, tùm etiã bonitas immẽsa. Igitur ad rẽ veniamus. Cũ ptoprĩu sit Dei ac summi boni se cõmunicare, & effũdere, priùs ipse, nostro modo intelligẽdi, mẽte cõcepit, ac edidit mũdũ intelligibilẽ, hoc est, spirituales creaturas, quę ipsi proximę sunt, & omniũ maximè ad ipsum accedũt: deinde vero ne videretur ea solũ quę propinqua sunt, & ipsi cognata, efficere posse, decreuit facere & creare lõgè remota, hoc est, creaturas corporales, & mũdũ istum visibilem. Tertio loco vidẽs spirituale creaturã, & corporalẽ lõgissimè inter se se distare, voluit suã sapiẽtiã & potẽtiã ostẽdere, cõiungẽdo in vnũ te, & ea perparua, illa quae tãtũ inter se se distabãt, hoc est, mundũ spirituale & corporalẽ, & fecit hominem constantem corpore, & mente: ob quã causam homo μικρόκοσμος dicitur à Graecis, latinè minor mundus nuncupatur, & Plato, Miraculum mundi solebat appellare. Vltimo vero loco, quo- Plato.
niam summa tei perfectio in eo consistit vt effectus iungatur causae, & finis principio, ideircò Deus omnia perficiens, omnia cõplens, suam potentiam manifestans, & summè bonitatem effundens, vniuersum quem creauerat mundũ, corporalem, scilicet, & spiritualem decreuit ad se se trahere, sibiq; coniungere, atq; suscipere in homine, suscipiens humanitatem. Nihil ergo conuenientius esse potuit quàm quòd decerneret Deus & praedestinaret, quod verbum fieret homo. Ita olim summus ille Theologus Naziãzenus disserebat Oratione secunda in Pascha, aut saltem ex ijs quae ille dicebat colligi possunt, quae paruitas nostra dixit. Se- Greg. Naz.
cunda ratio pro hac veritate est Diui Augustini. 7. de Trinitate. cap. 3. ea sic habet. D. Aug.
Quoniam spiritibus mundis intellectualibus, qui superbia non lapsi sunt, filius Dei in forma Dei, & Deo aequalis, & Deus, praebet exemplum permanendi, vt

se idem exemplum redeundi etiam lapso præberet homini, qui propter immunditiā peccatorū pœnamq; mortalitatis Deum videre non poterat, semetipsum exinaniuit, non mutando diuinitatem suam, sed nostram mutabilitatem assumendo, & formā serui accipiens venit ad nos in hunc mundum, vt exemplum sursum videntibus Deum, exemplum deorsum mirantibus hominem, exemplum sanis ad permanendum, exemplum infirmis ad conualescendum, exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad resurgēdum, in omnibus ipse primatum tenēs: Quia enim homo ad beatitudinem sequi non debebat, nisi Deum, & sentire non poterat Deum; sequendo Deum hominē factū, sequeretur simul & quem sentire poterat, & quem sequi debebat. Hactenus Augustinus. Videtis ergo certè, quàm sit in sua varietate conformis sapiētia sapientiæ, hoc est, Augustinus, Gregorio. Est & alia valde difficilis, & alta ratio, quam latè versat ipse D. August. 4. de Trinit. ca. 18. Quoniam etiam, secundum sapientes huius sæculi, sicut se habet tempus ad æternitatem ita fides ad perspicuitatem veritatis, cùm autem Dominus sit via, veritas & vita; decreuit eius bonitas immensa, vt & per fidē ipsius veniremus ad claritatem veritatis, & per temporalem vitam ad æternitatem. Quarta ratio est: Nam cum homines anxiè quærerent Deum, & partim propensione quadam naturali & desiderio Dei ducti, partim errore decepti, alij cœlum, alij Solem, alij stellas, alij dæmonum spiritus siue bonos siue malos, Deos esse putarent. Deus ignorantiæ nostræ miseratione permotus, corpoream naturā assumens, & visibilis hominibus apparens ait, Ecce ego & coram; quem quæritis, adsum: & hanc etiam tangit D. Augustinus. Quinta ratio est D. Augustin. 13. de Trinitat. ca. 13. Nam cū Diabolus vitio peruersitatis suæ factus sit amator potentiæ, & desertor oppugnatorq; iustitiæ (sic enim & homines eum tantò magis imitantur, quantò magis neglecta, vel etiam perosa iustitia potentiæ student) placuit Deo, vt propter eruendum hominem de Diaboli potestate, non potentia Diabolus, sed iustitia vinceretur atque ita & homines imitantes Christum, iustitia quærerent Diabolum vincere non potentia. Non quod potentia, quasi mali aliquid fugienda sit, sed ordo seruādus est, quò prior est iustitia: quid enim erit potentia sine iustitia, nisi cæca, & fera tyrannis? Sexta ratio etiam est ipsius Augustini; Quia cum nos à Deo distaremus lōgissimè, & Dei bonitas nos vellet adducere ad se, necessarius fuit medius aliquis, qui haberet virtutem infinitam, vt coniungeret ea quæ distabāt in infinitum. Septima ratio est: Quia vnicuiq; rei conueniens est suus actus & operatio, sicut hominis est viuere ratione, & prudentis hominis prudenter agere: propterea autē est boni se se effundere, & cōmunicare: ergo conueniens est summo bono, summo modo se cōmunicare. Hoc autem voluit facere Deus, quando prædestinauit atq; decreuit, quod verbum fieret homo: ergo conueniens fuit ea prædestinatio. Vltimo loco declaratur hæc veritas hac ratione: Tribus modis plusquam genere diuersis, Deus, qui est ipsum summum bonum, intelligi potest, se ipsum cōmunicare creaturæ. Primùm quasi naturaliter cōmunicādo se ipsum: & sic cōmunicauit se vniuerso liberè creādo & cōseruādo mūdū istū. Secūdò supernaturaliter, cōmunicādo seipsum, & sic cōmunicauit se vniuerso, eleuādo intellectuales & rationales substātias in cōsortiū diuinæ naturæ per gratiā, cuius nō solū capaces ab initio suę cōditionis effecit, sed etiā actualiter participes iuxta illud D. Aug. Erat Deus simul in eis, & cōdēs naturam & largiēs gratiā. Est autē inter hos duos modos rata distātia, quòd iuxta primū modum distributæ sunt participationes, imitationes atq; similitudines Dei, ità, vt cōstituerētur illis substantiæ rerum, quas naturas entium dicimus cum suis proprietatibus naturalibus, Deus autem ipse extra, & supra totum vniuersum in sibi soli propria, & excellentissima natura remaneret solus, ac sui ipsius fruitione beatus. Iuxta secundum verò modum, Deus communicauit creaturæ ea, quæ ipsi propria erant; scilicet, esse consortem diuinæ naturæ per gratiam inchoatiuè,

D. August. — D. Aug. — D. Aug. — B. Thom. — Caietanus. — D. Aug.

choatiuè,& per gloriam perfectè, viden-
do Deum ac fruendo ipso: quæ quia non
possunt sic communicari, vt naturalia vel
connaturalia sint creaturæ, ideò superna-
turaliter,& ex superabundantiore gratia
Deus,quòd sibi soli secundum naturalem
ordinem remanserat proprium commu-
ne fecit creaturæ, vt conregnaret cum illo
in eius visione & gloria. Itaque ea Dei cō-
municatio, quæ impossibilis erat secun-
dum ordinem naturæ, concessa est secun-
dum supernaturalem ordinem gratiæ. Tā
excellens autem fuit Dei amor erga crea-
turam, vt non sat ei fuerit communicare se
creaturæ, secundum naturalem ordinem,
creando vniuersum, nec etiam sat fuerit ei-
dem communicare se creaturę secundum
ordinem gratiæ, eleuando ipsam ad cōsor-
2. Petr. 1. tium diuinæ naturæ, sed etiam se se ac suā
bonitatem supra modum omnem effun-
dens, ad id vnum quod reliquum erat, &
inexcogitabile eleuauit creaturam ad per-
sonalitatem, scilicet diuinam: id quod ad
tertium & supremum modum communi-
candi se spectat. Siquidem secundum hūc
tertium modum Deus propriam perso-
nam, secundum suam propriam subsisten-
tiam communicat creaturæ, atque ita sibi
ipsi ac naturæ creatæ communem perso-
nam facit, vt creatura, hoc est, homo re ip-
sa sit verum Dei,& verus Deus. Atq; per
hunc modum Deus traxit ad se,& eleua-
uit in homine totum vniuersum: in eo si-
quidem & corporea,& vegetatiua,& sen-
sitiua,& spiritualis siue intellectualis natu-
ra continetur. Vnde ob summam perfe-
ctionem, quam creaturæ omnes adeptæ
sunt, per incarnationē Christi dicitur Eph.
Ephes. 1. 1. Deus in Christo instaurasse omnia, siue
quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt. Atq;
Isai. 45. Isaias cap. 45. omnes mundi partes inuitat,
vt Christum in lucem proferant, nimirum
quod ab eo summa earum perfectio pro-
uentura esset. Rorate, inquit, cœli desuper,
& nubes pluant iustum, aperiatur terra, &
germinet Saluatorem. Atq; hac eadem de
Ioan. 3. causa Christus Dominus Ioan. 3. ait patrē
æternum non vni, vel alteri creaturæ so-
lum, sed vniuersis filium suum dedisse. In-
quit enim: Sic Deus dilexit mundum, vt
filium suum vnigenitū daret. Det autem
veniam qui ista legit, si in isto articulo ab
obijciendis aliquibus rationibus in contra-
rium abstinuero; tempus enim restat, quo
argumentorum tempestas possit irruere.
Placet tamen aduertere, fuisse quosdam
Theologos, qui dubitarunt, an fuerit hic,
quem commemorauimus, summus mo-
dus, quo Deus cōmunicari potest creatu-
ræ. Et ratio dubitandi fuit; Nā intelligi po-
test non modo vna,& singularis humani-
tas assumpta, sed plures, & non modo na-
tura hominis assumi potuit, sed etiam An-
gelorum,& præterea potuerunt etiam Pa-
ter & Spiritus sanctus, sicut & filius assu-
mere. His adde, quod Dei bonitas est infi-
nita. non ergo dicere possumus, quod se cō-
municauit summo modo. Sed ad has ho-
minum imaginationes dicendum est bre-
uiter, quod Dei quidem bonitas est infinita,
nec exhauriri potest eius potentia: nihilo-
minus tamē summo modo se cōmunica-
uit creaturæ: siquide ipsa capere nō potuit
altiorem diuini esse cōmunicationē. Atq;
illa quidem cōmunicatio, qua humanitas
assumpta est à verbo, æqualis est intensiuè
omnibus, quę intelligi possunt,& interpos-
sibilis fuit maximè conueniens.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Christus prædestinatus sit filius Dei.

SCriptum est de Domino no-
stro Iesu Christo. Rom. 1. Qui Roman. 1.
prædestinatus est filius Dei in
virtute, secundum spiritū san-
ctificationis ex resurrectione mortuorum.
Qui locus occasionē dedit disputandi, qua
ratione Christus dicatur esse prædestinatus
filius Dei. Sunt verò de hac re variæ quidē,
sed inter eas duæ graues & præcipuæ expo-
sitiones: vna Græcorum altera Latinorū.
Græci vocem Apostoli, quā interpres no-
ster vertit prædestinatus est, accipiunt, vt
idem valeat, quod declaratus, hoc sensu:
Ipse, qui factus est ex semine Dauid secun-
dum carnem, quem proinde constat ve-
rum fuisse hominem, declaratus est, osten-
sus,& manifestatus fuisse filius Dei. Primò

quidem per mirabilem illam potentiam, quæ apparuit in operibus eius miraculosis. Et hoc est, quod dicitur in virtute, siue per virtutem atque potentiam: nam, in, pro, per, familiare est euangelicis, & apostolicis literis: atque virtutem pro potentia sumi hoc loco manifestũ est ex Græco. Est enim δυνάμει, & non ἀρετῇ. Secundo demonstratus est esse filius Dei, ex spiritu, per quem dedit sanctificationem. Primo ostensus est esse filius Dei, ex eo quod ex se potuit dare spiritum sanctum, & remittere peccata, non quomodo sacerdotes, sed sua auctoritate, & propria virtute. Et hoc est, quod dicit, secundum spiritum sanctificationis: nam præpositio, secundum, designat rem eam, qua patefacta est Christi Diuinitas. Tertio, & postremò manifestatus est ex eo, quòd cùm more cæterorum hominum mortuus quidem fuerit, non tamen à morte potuerit detineri, sed deuicta potius, & conculcata morte surrexerit virtute sua, ac sese vitæ restituerit. Et hoc est, quod sequitur, ex resurrectione mortuorum, id est, ex eo quod surrexit à mortuis. Ante mortem enim ipsius vix adducebantur, non modo alij homines, verùm etiam ipsi eius discipuli, vt crederent eum esse Deum verum: offendebantur enim cum eum comedentem, bibentem, dormientem, laborantemque viderent. Vnde cùm primùm illud, quod in mari factum est, miraculum conspexissent, dicebant. Quis est hic homo, nam & mare, & venti obediunt ei? Luc. 8. Et propterea etiam Christus dicebat: Habeo multa vobis dicere: sed non potestis portare modo. Postquam verò resurrexit, & ascendit in cœlum, & Spiritus venit in discipulos, cum tot & tanta miracula ederentur eius nomine inuocato, persuassum est hominibus, eum esse & Deum & vnigenitum patris filium. Et hoc est quod dicit Apostolus de Christo. Qui prædestinatus. Primo declaratus est filius Dei in virtute, secũdũ spiritũ sanctificationis, ex resurrectione mortuorũ. Græcorũ ergo interpretatio, vt nullum sit necesse nominare sic habet, quos sequitur Diuus Ambrosius.

Luc. 8. Ioan. 16. D. Ambros.

Latinorum verò expositio est quod Christus quatenus factus ex semine Dauid secundum carnem, prædestinatus est. Primo definitus, & ab æterno decretus fore filius Dei, habens diuinam virtutem secundum quam fons est, & origo omnis sanctitatis, vel sanctificationis: ità vt prędestinatio siue decretum Dei referatur ad personam illam, quæ est filius Dei ratione humanæ naturæ, vel vt subsistens est in natura humana. Quod autem ille homo sit verus Deus in virtute, id est, cũ virtute (habet enim illud in significatione Beth Hebraici) id patefactum est ex resurrectione ipsius à mortuis. Et quidem illa priora benè cohærent, & inter sese, & cum præcedẽtibus. Ista verò vltima ex resurrectione mortuorum, nec commodè iungi possunt cum verbo, prædestinatus, nec cum filio Dei, nec cum his, quæ sequuntur in virtute secundum spiritum sanctificationis: ac propterea, vt constet sententia, subintelligunt fere interpretes Latini particulam, patefactum est, seu, manifestatum; quod nos etiam modo fecimus cùm ea verba interpretaremur.

Et Latini quidẽ ad hũc modũ exponũt. Vtra verò harũ expositionũ probabilior sit, difficile est pronunciare. Aliqui eã præferũt, quæ Græcorũ est, tũ quod nihil in ea salebræ occurrat, tum quod optime quadret instituto B. Pauli, Verũ diligẽtiùs singula perscrutanti, probabilior fortasse videbitur, licet difficilior sit, Latinorum expositio. Nam vox Græca ὁρίζω cuius participio hic vtitur Apostolus, licèt inter cætera significet declarare, & ostendere. Nec tamen ea significatio maximè propria est eius verbi, nec in ea vsquam reperitur in scripturis, sed in illa potius, qua frequentius ab eloquentissimis, & grauissimis authoribus vsurpatur, quæ est definire definare, præfinire, constituere, siue statuere, vel decernere, vt Actorum. 2. Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum interemistis, & rursus cap. 10. Quia ipse constitutus erat à Deo iudex viuorum & mortuorum, & cap. 17. definiens, siue præfiniens statuta tẽpora. Et quẽadmodũ vox simplex, ὁρίζω sic & cõposita προορίζω in hac dũtaxat significatione reperitur in sacris literis, vt Act. 4. Actorum. 2. & 10. & 17 Actor. 4

Facere

Facere quæ manus tua, & consiliũ tuũ decreuerunt fieri. 1. Corinthio. 2. Loquimur Sapientiam Dei in mysterio, quam prædestinauit ante sæcula Deus in gloriam nostram, & ad Romanos. 8. Quos præsciuit, hos & prædestinauit ad Ephesios. 1. Prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei. Et Diuus Dionysius cap. 5. de diuinis nominibus, dicit vocabulum, προορίζειν peculiare esse Scripturæ: ergo eius significatio non, nisi ex vsu scripturæ, petenda est. In qua verò significatione scriptura vtatur ea voce, ex locis iam adductis patet: ac proinde Latinorum expositio eligenda videtur. Nam quamuis eo loco Apostolus non fuerit vsus verbo cõposito, προορίζω sed simplici, ορίζω: tamen, & simplex, & compositum in scriptura accipiuntur in hac significatione, & fortasse Paulus ipse vsurpauit eo loco simplex pro composito, ac proinde interpres optime vertit, qui prædestinatus est filius Dei. Ergo secundum hanc Latinorum expositionem statuo hanc propositionem: Christus Dominus, vt factus ex Dauid secundum carnem, siue vt homo est prædestinatus filius Dei.

1. Cor. 2.
Rom. 8.
D. Dionys.

Pro cuius explicatione præmittendum est, quod possumus considerare æternam Christi personam dupliciter. Vno modo secundum se, & vt Dei verbum est. Atque hac ratione Christus Dominus, non est prædestinatus. Quoniam prædestinatio est eorum, quæ libere fiunt, & in tempore, & proueniunt à gratia Dei, quorum nullum conuenire potest Christo, vt verbum est, & æqualis Patri, atq; oppositum asserere Nestorium sapit, & Arrianum est. Ac propterea Origenes, & alij Græci renuebant concedere, quod Christus sit prædestinatus, considerabãt enim eum ratione Diuinæ naturæ. Potest verò persona filij considerari secundò, prout subsistit in humanitate, siue pro vt Dei æternus filius pro nobis factus est homo. Et hac ratione dicimus, quod Christus est prædestinatus esse filius Dei. Quod probatur primum: Quia prædestinatio propriè accepta est quædam Diuina præordinatio ab æterno existẽs in mente Dei, de his quæ per eius gratiam sunt fienda in tempore, est autẽ hoc in tempore factum à Deo per gratiam vnionis, vt homo esset Deus, & Deus esset homo, nec potest dici, quod Deus ab æterno non præordinauerit hoc se facturum in tempore; quia sequeretur, quod Diuinæ menti, & intellectui aliquid de nouo accederet; & ideò oportet dicere, quod ipsa vnio naturarum in persona Christi cadat sub æterna Dei prædestinatione, ac consequenter Christus vt homo sit prædestinatus.

Origenes.

Secundo argumentor: Nam tres sunt conditiones requisitæ, & sufficientes ad hoc, vt aliquid dicatur esse prædestinatum. Prima, quod prædestinatio tempore præcedat prædestinatum ipsum. Et ratio est, quia prædestinatio est præordinatio eorum, quæ in tempore faciẽda sunt per gratiam.

¶ Secunda conditio est, Quod prædestinatũ ipsum sit futurum, alioqui Decretum illud Dei non esset certum, & efficax.

Tertia conditio est, Quod id ad quod aliquis prædestinatur, conueniat ipsi, factum que sit per gratiam. Istæ verò tres conditiones conueniunt Christo, vt homo est; ergo vt sic debet dici prædestinatus. Declaro minorem, quæ per se tamen satis euidens est: Nam & prædestinatio prius fuit, quam verbum fieret homo, & secundò filius Dei re ipsa factus est homo tempore constituto à Deo & tandem tertio Christus vt homo est filius Dei per gratiam vnionis, restat ergo vt merito dicatur prædestinatus vt homo. Sed tertio loco Sapiẽtiam Diui Augustini hæc omnia comprobantem audiamus. Ea gratia (inquit ille) fit ab initio fidei suæ homo quicunq; Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus, de ipso spiritu, & hic renatus, de quo est ille natus, hęc se Deus esse facturum profectò præsciuit, ipsa est igitur prædestinatio sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maximè claruit; quam negare quis potest rectè intelligentium eloquia veritatis? Nam & ipsum Dominum glorię, in quãtũ homo, factus est Dei filius prædestinatum esse dicimus. Clamat Doctor Gentiũ in capite epistolarum suarum

De prædest. Sancto c. 15.
D. August.

Qui prædestinatus est filius Dei in virtute: prædestinatus est ergo Iesus, vt qui futurus erat secundum carnem filius Dauid, esset tamen in virtute filius Dei, secundum spiritum sanctificationis; quia natus est de Spiritu sancto, & Virgine Maria. Hactenus Augustinus. Et eadem est sententia D Hieronym.in.1. capit.ad Ephes. & eã sequũtur Magister in tertio.d.10.&. D.Thom.3.part.quæstione.24. articulo.1. & secũdo. Et Tertull.lib.aduersus Praxeã paulo ante finem.

Argumenta, quæ aduersus hanc conclusionem obijciuntur, non nituntur probare illam esse falsam. Sunt enim argumenta scholasticorum, qui non modo reuerenter audiunt Apostolum dicentem de Christo: Qui prædestinatus est filius dei in virtute, verum admittunt etiam interpretationem Diui Augustini, quod Christus his verbis dicatur prædestinatus, ac (D.August.) prædefinitus filius Dei vt homo; & non solum declaratus, & manifestatus filius Dei, ex eo quod surrexit à mortuis vt exponunt Græci. Non ergo sunt qui dicant eam propositionẽ esse falsam, sed esse impropriam nec fieri posse vt Christus proprie loquendo dicatur prædestinatus filius Dei, etiam vt homo. Idque probant primùm: Quia non potest dici, quod Christus sit prædestinatus filius Dei, ratione humanæ naturæ; quoniam hæc propositio est falsa. Humana natura est filius Dei. Similiter etiam nec ratione personæ: quia ea persona non habet ex gratia, quod sit filius Dei, sed ex natura; prædestinatio verò solum est eorum, quæ sunt ex gratia: ergo Christus non potest dici prædestinatus filius Dei.

Ad hoc dico, quod solutio constat ex dictis, si recte intelligantur, prædestinatio enim tribuitur personæ Christi, non secundum se vel pro vt subsistit in natura diuina, sed secundum quod subsistit in humana natura. Vnde cùm prædixisset Apostolus, Qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, subiunxit, Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, vt innueret, quod secundum hoc, quod est factus ex semine Dauid secundum carnem, est prædestinatus filius Dei in virtute. Quamuis enim sit naturale illi personæ secundum se consideratæ, quod sit filius Dei in virtute, non tamen est ei naturale secundum humanam naturam, secundum quam hoc sibi conuenit per gratiam vnionis.

Secundò argumentor: Christus non est filius Dei secundum quod homo; ergo non est prædestinatus esse filius Dei, secundum quod homo. Probatur consequentia. Quia cum prædestinatio sit certa, illud est Christus, taleque esse habet, quale est prædestinatum vt haberet.

Ad hoc dico, quod si sensus antecedentis sit, quod non ideò Christus est filius Dei, quia est homo, illud est verum: non enim quia verbum Dei est homo, ideò est filius Dei, sed potiùs quia verbum Dei est filius Dei naturalis, idcirco ille homo resultans ex assumptione humanæ naturæ est filius Dei. Si verò sensus antecedentis sit, quod Christus secundum quod homo non sit filius Dei per gratiam vnionis, negatur antecedens: & hoc est, quod est prædestinatum de Christo quod scilicet, sit filius Dei secundum quod homo per gratiam vnionis.

Tertiò, pro maiori secundi argumenti declaratione argument. Nam id quod conuenit Christo secundum quod homo, conuenit cuilibet homini, eo quod est eiusdem speciei cum alijs hominibus, si ergo Christus secundum quod homo est prædestinatus, esse filius Dei, sequeretur quod cuilibet homini hoc conueniat: hoc autem est falsum, ergo & primum,

Ad hoc dico, quod aliquid potest conuenire alicui homini ratione humanæ naturæ dupliciter. Vno modo sic, quod humana natura sit causa illius, sicut habere intellectum conuenit Petro, eo quod ea proprietas fluit ex principijs naturæ; & hoc modo nec Christo, nec alicui alteri homini conuenit prædestinari ratione humanæ naturæ: & in hoc sensu procedit obiectio. Alio modo dicitur conuenire aliquid alicui indiuiduo ratione humanæ naturæ, in quantum est

est susceptiuum eius proprietatis, vel prædicati, secundum quod homo est, & non ratione alterius naturę, consideratis peculiaribus proprietatibus & circũstãtijs: sicut Petrus est Pictor, vel Musicus, vel Architectus, non certè secundum quod est animal, sed secundum quod est homo. Et sic dicimus Christum esse prædestinatum ratione humanæ naturæ, quia non suscipit hoc prædicatum, quod est prædestinatum esse, secundum quod est Deus, vel verbũ, sed secũdum quod est homo. Et Summulistarum more loquendo dici potest vno verbo, quod maior propositio est vera, si accipiatur pro eo quod conuenit Christo in quantum est homo reduplicatiuè, non autem specificatiuè.

Quartò argum. Quia hæc ratio videtur bene consequens: Christus est filius Dei, & Christus est prædestinatus esse filius Dei: ergo filius Dei est prædestinatus esse filius Dei. ex quo sic conclusio est falsa: ergo aliqua præmissarum non est vera: at maior est vera: ergo minor proprie loquendo falsa est, & non vera.

Ad hoc dico, quod ea argumentatio nihil valet, non ex defectu præmissarum, sed consequentiæ: variatur enim appellatio, vt dicunt, eo quod sensus illius minoris; Christus est prædestinatus filius Dei, est quod Christus secundum quod homo sit prædestinatus filius Dei. In consequenti vero innuitur hic sensus, quod filius Dei, vt filius Dei siue ratione diuinæ naturæ, sit prædestinatus. Et ideò ea arguendi ratio nihil habet consequens, sicut nec ista: Filius Dei factus est hic homo, & hic homo est Deus: ergo filius Dei factus est Deus. Et fundamentalis huius fallaciæ causa consistit in eo, quod quanuis Deus re ipsa coniũgatur cum eo homine, ad hunc sensum, quod Deus verbum est hic homo, & hic homo est Deus benedictus in sæcula, tamen ille homo coniungitur cum Deo vt factus, quia ille vt homo est factus; Deus verò non coniungitur cum illo homine vt factus, nec enim Deus potest esse factus. Ac proinde quotienscunque in consequenti alicuius syllogismi illa prædicata factus, vel prædestinatus, & similia appellauerint supra Deum vel verbum Dei vt sic, nil valebit illa ratio. Et appellabatur hæc deceptio ab antiquis, fallacia accidentis, cum ea quæ in antecedenti alicui conueniunt per modum denominantis, vel accidentis, inferuntur in consequenti conuenire subiecto, vt sic & essentialiter. Atque hinc colligi potest, quæ causa fuerit concedendi has propositiones; Deus est mortuus, Deus est sepultus, &c. quas ecclesia vniuersa concedit, cùm tamen interim negetur ista: Deus est prædestinatus. Consistit autem ratio differentiæ in eo, quod verba, quæ significant apprehensionem animæ, vt prædestino, & similia, applicant suum significatum formale ad significatum formale termini, cui adiunguntur; ac propterea redditur hic sensus, quod Deus in quantum Deus sit prædestinatus, quod est falsum. Ad veritatem autem earum propositionum, Deus est mortuus, sepultus, & similium, sufficit communicatio idiomatum. Ratio verò huius quam assignauimus, differentiæ est, communis modus concipiendi, cum apponuntur ea verba significantia actum animi. Quod si differentis huiusmodi concipiendi causa desideretur, illa certe est; quod quemadmodum quando libidini deditus sequitur aliquod bonum delectabile, tunc quanuis cum ea voluptate sit turpitudo coniuncta, & offensa Dei, nec tamen turpitudinem affectare dicitur, nec Dei offensam, sed voluptatem: eo quod nemo intendens ad malum operatur, & intellectus secreuit tunc rationem boni delectabilis, quod appetitus sequeretur, à ratione turpitudinis, & offensæ, quam si posset effugisset. Pari ratione intelligendum est id etiam in cæteris animi motibus fieri, vt formaliter, & animi, & eorum omnes actus, tendant in id quod apprehendunt vt sic, & consequenter dicatur Deus prædestinare eum, qui vt sic potest esse prædestinationis subiectum. Scio tamen de peccatoribus dici eos, sibi ipsis mala quæsiuisse, & suam ipsorum perniciem adamasse, sed non tam hæc dicuntur proprie, quam cum affectu, & eloquenter. In re autem scholasticâ pote-

poterit quidem admitti ficca,& spinosa locutio; impropriæ vero, & rhetoricæ potius,quam dialecticæ loquendi rationes admitti non debent,quoniam doctrinæ neruum infringunt.

Quintò argum. Quia prædestinatio importat antecessionem quandam: ergo ille qui prędestinatur filius Dei nō semper fuit filius Dei,sed persona Christi semper fuit filius Dei:ergo non potest dici de eo quod prædestinatus sit filius Dei. Respondetur quod Christus potest considerari, & vt Deus verbum,& vt subsistens in humana natura. Quamuis autem vt verbū ab æterno fuerit filius Dei per æternam & naturalem generationem,non tamen semper fuit vt subsistens in humana natura: hoc enim in tempore factum est per gratiam vnionis,qua humana natura nullis suis precedētibus meritis vnita fuit verbo Dei hypostaticè. Hic si dicas decretum etiam esse, quod Deus esset homo, sicut quod homo esset Deus per gratiam vnionis: ergo sicut vt homo est prædestinatus,ità vt Deus,ne gatur consequentia,quoniam prædestinationis gratia non fit Deo,sed homini, homo siquidem est eleuatus ad eam celsitudinem, vt dicatur filius Dei per gratiam vnionis.

Sextò argument.Nam subiectum prædestinationis semper supponitur ad id, ad quod prędestinatur.sed si Christus proprie dicatur prædestinatus filius Dei non antecedit subiectum,nec supponitur,ad id, ad quod prædestinatur:ergo Christus nō potest dici prædestinatus filius Dei, proprie loquendo. Declaro rationis vim:In Petro prædestinato distinguimus subiectum prędestinationis,cùm scilicet,hominem, à fine prædestinationis,à gratia nempe,&gloria,ad quam prædestinatur,in Christo vero nullum potest dari subiectum prædestinationis,sed solum datur finis,& terminus illius:ergo non potest dici prædestinatus filius Dei. Verbi gratia:siue dicas, Deus vt homo,siue ille homo,semper & quocunque modo dicatur, ea persona est filius Dei,& hic erat terminus prædestinationis Christi:ergo non supponitur nec supponi potest subiectum distinctum à termino,& fine huius prædestinationis, quod subiectum dici possit prædestinatum filius Dei: iam enim supponitur esse filius Dei. Hoc argumentum ideò vltimo loco constitui, tū aliquibus quod difficile videatur, vt eos à sententia deiecerit,non videntes,qua ratione ea locutio possit esse propria.

Respondent verò quidam cum Caiet. quod licet non sit prius natura verbum incarnatum,quam verbum incarnatum esse filium Dei per gratiam vnionis,tamē secūdum considerationem abstractiuam intellectus,prius natura est verbum incarnatū quam modus incarnationis,scilicet,per vnionem personalem. Manifestatur autem (inquiunt)talis prioritas ex conuenientia, & differentia inter nos,& hæreticos. Nam verbum incarnatum intelligitur vt cōmune quid apprehensum à nobis, & ab illis: differentia verò est esse speciales vnionis modos,dum illi per modum templi, vel habitus,nos autem per vnionem personalem verbum incarnatum esse dicimus. Quocirca licet secundum rem nullus sit ibi ordo, secundum apprehensionem tamen intellectus (qui natus est non solum cōiuncta diuidere, sed etiam vnum,& idē à se ipso abstrahere) inter verbum vt habens carnem,& seipsum,vt habens carnē personaliter iunctam,ordo est naturæ, sicut inter commune & proprium. Et propterea prædestinatio,quæ est mentis actus potest apprehendere & habere pro subiecto primum illud abstrahes à tali vnione, pro termino verò secundum determinans vnionem personalem: inter quæ duo est sufficiens rationis ordo,& distinctio. Hæc illi. Sed nō videntur animaduertisse,quòd secundum hanc interpretationem,ille,qui est prædestinatus filius Dei,non est Christus. Probatur: Quia subiectum prædestinationis secuudum istos abstrahit ab vnione personali,Christus nō abstrahit ab vnione personali;ergo subiectum illud formaliter non est Christus:nec formaliter dicetur & vere & propriè, quod Christus est prædestinatus filius Dei.

Alij ergo sunt, qui respondeant, quod homo est quidem secundum apprehensionem prior Christo,& apprehensus, vt

sic est subiectum prædestinationis Christi, ex qua resultauit hic terminus, qui est suppositum naturæ humanæ & diuinæ, Christus scilicet, Iesus. Et est hic dicendi modus fortasse probabilior; sed accidere videtur ei idem inconueniens. Nam quæremus, an subiectum formale eius prędestinationis sit is homo Christus Iesus, vt sic, aut alter homo vt sic, aut homo in cōmuni, vt sic: non secundum vel tertium, ergo primum. Alij alias rationes sequuntur, vt qui dicunt quod antecedit Christus vt possibilis quasi inter hominem, vt possibilem, & hominem in actu aliquid differret: nisi quod vnum est in potentia alterum in actu. Et quidem homo possibilis non est subiectum hominis in actu.

Ad argumētū ergo cum dicitur, quod in prædestinatione semper supponitur subiectum prædestinationis distinctum à termino eiusdem, breuiter nego hanc propositionem. Et dico, quod ea habet locum in prædestinatione, quæ est ad gratiam gratum facientem, & gloriam per se primo, non in ea, quæ est Christi filij Dei prædestinatio: in hac enim prædestinatione ad esse substantiale atque diuinum, & subiectū & terminus est idem, nempe Christus, vt homo. Nec verò dico, quod eadem sit ratio subiecti & termini, sed affirmo, quod Christus vt homo specificatiuè exercet in hac prædestinatione rationem subiecti, & rationem termini. Quanuis autem mediocri ingenio atque capaci necessarium non sit aperire vias, & rationes, quibus hanc solutionem tueatur, & eius mens confortetur, vt hæc sententia insideat ipsi, & eam plene comprehendat, placet tamen ad hoc afferre nonnulla. Et primò quidem certum est, quod substantia & natura, & tempore prior est accidēti, nihilque est quod ipsam antecedat: nihil ergo mirum, si in prædestinatione, quæ habet pro termino esse accidentale gratię, & glorię, supponere necesse sit subiectu; in ea vero quę habet pro termino esse substantiale, qualis est prædestinatio Christi nullum omnino subiectū præsupponatur, nec ad prædestinationem, nec ad terminum eius, eo quod, ipsum subiectum sit effectum per prædestinationem, & ex cōsequēti habet, & quod nō præsupponitur ad ipsa sed cōsequitur, & quod est terminus eius. Quod si videns Deum vt sic non præsupponitur ad prædestinationem, quoniā efficitur per ipsam, cur non æquè dicendum erit, quod Christus non præsupponitur ad prædestinationem suam quoniam efficitur per ipsam? Dico ergo, quod quemadmodum eius decreti, quo Deus decreuit Petrum esse, Petrus procul dubio est & subiectum reale & terminus, terminus quidem, vt effectus per illud decretum, subiectum verò, in quantum ipse Petrus est decretus esse, vereque hoc prædicatum illi tribuitur: pari ratione Christus & est terminus & subiectum suæ prædestinationis, terminus quidem, quia hominē esse Deum factum est Dei decreto, subiectum vero, quia Christus ipse secundum quod homo verè dicitur, & denominatur esse prædestinatus filius Dei. Et hæc de argumentis. Profecta verò sunt hæc omnia argumenta ex alia quadam, quæ versatur de hac re sententia, quam citat S. Thom. 3. part. quæst. 24. & tenet Haimon in locum illum epistolæ ad Roman. Qui prædestinatus est filius Dei, & Durand. in 3. dist. 7. quæst. 3. & in eam inclinare videtur Scotus. Dicunt illi, quod hæc propositio, Christus est prædestinatus filius Dei aut hæc etiam, Filius Dei prædestinatus est esse homo, & similes non sunt propriæ. Diceretur autem propriè, quod humana natura prædestinata est vniri filio Dei: atque etiā prædestinatum esse Deum, esse hominem, ità quod natura humana sit quasi subiectum prædestinationis, Deum vero esse hominē sit terminus eiusdē prædestinationis. Hæc ferè illi. De quorum sententia dico primū: Quod natura non proprie dicitur prædestinata, nec is potest esse sensus Apostoli pro prius & primus, sed persona subsistens in natura. Quod probo primum; Quia nō dicimus naturam alicuius prædestinari, sed ipsum suppositum; quoniam prædestinari est dirigi in salutem, quod est propriū suppositi agentis propter finem beatitudinis.

B. Thom. Haimon. Durandus. Scotus.

Secundò probatur. Quia esse filiū Dei, non conuenit humanæ naturæ; hæc enim est falsa, Humana natura est filius Dei: ergo

go cum Apostolus dicit de Christo, Qui prædestinatus est filius Dei, non potest esse sensus, quod humana natura prædestinata sit esse filius Dei. Romano. 1.

Dico secundo, negari non posse naturam humanam prædestinatam esse, vt vniretur filio Dei, quamuis non sit prædestinata, vt sit filius Dei. Probatur euidenter, quia re ipsa natura humana est vnita filio Dei, & eleuata ad esse Diuinum: ergo illud erat iam ab æterno præscitum, decretum prædestinatum, & prędefinitum à Deo.

Dico tertio. Quod in ordine ad beatitudinem dici potest humanitas prædestinata, sed minus propriè, quam anima. Probatur, quia anima habet per se suam subsistēdi rationem, & per seipsam existens, re ipsa recipit beatitudinē modo dum est spoliata corpore, quales sunt animę beatorū, vt docet fides; sed humanitas nunquam per seipsam existit, nec existens recipit beatitudinem, tanquam subiectum quod; ergo nō potest dici prædestinata propriè, & tanquam quod: Sed dicetur prædestinata, vt natura rei siue suppositi prædestinati.

Nec verò miretur quis, si Sancti sæpe dicant naturam esse prædestinatam. Nam si antecedentia, & consequentia videantur inueniemus, quod loquuntur de prædestinatione naturæ, vt vniretur verbo; vel si de prædestinatione naturæ ad ęternam foelicitatem sermo est, vsurpant certe naturā pro ipsis suppositis, qui mos loquendi, & frequens est apud rectè loquētes, & etiam apud Philosophos inualuit. Vnde est illud Aristot. in Physicis: natura agit propter finem, cum tamen ipsum ens naturale sit quod agit propter finem. Aristotel.

Multæ aliæ sunt expositiones elegantes eius loci ad Romanos. 1. ex quibus tamen omnibus certissima mihi videtur ea, quam Latini à Diuo Augustino acceperunt, & nos secuti sumus. Et certe Origenes, quem Diuus Hieronymus sequi solet, perparū aut nihil distat à nobis. Solū enim instat in eo, quòd quia prædestinari propriè est eius, quod non est, & destinari eius quod est, & Christus absolute loquendo est heri, & nudiustertius, & ab æterno, ideo non potest dici propriè prędestinatus, Sed destinatus sicut habetur in Græco. Verba Origenis sunt, Obseruandum est, quia non dicit, Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, sed, qui destinatus est filius Dei in virtute. Et nemo putet nos de hoc sermone curiosiùs, quàm res patitur, perscrutari. Quamuis enim in Latinis codicibus, prædestinatus, soleat inueniri, tamen quod interpretationis veritas habet, destinatus, scriptum est, non prædestinatus: destinatur enim ille, qui est, prędestinatur verò ille, qui nondum est: sicut ij de quibus dicit Apostolus, Quos autem præsciuit, illos & prædestinauit. Præsciri ergo, & prædestinari possunt illi, qui nondum sunt: ille autem qui est, & semper est non prædestinatur, sed destinatur. Hactenus Origenes. Ex quibus verbis constat eum consentire nobiscum, quod Christus vt factus ex mulier, est definitus atque decretus esse filius Dei: sed hæret solùm in verbo, prædestinatus; eo quod prædestinatio inquit est eorum, quæ non sunt, filius autem est coæternus Patri. Et certè in Græco non habetur προορισθέντος, sed ὁρισθέντος, vt ait Origenes. Cuius interpretationem qui sequi volet dicat, quod noster interpres verbum compositum, prædestinatus, vsurpauit pro simplici destinatus, nos vero iam declarauimus qua ratione Christus prædestinatus dici possit ac debeat. B. Augusti. Origenes. D. Hierony. Ad Hebræ. Roman. 8. Origenes.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm Christus principaliùs dicatur prædestinatus ratione vnionis hypostaticæ, quam ratione beatitudinis, sitque peculiaris de ipso ratio?



SOLEMVS Prædestinationis nomē dupliciter vsurpare. Vno modo sine additione, & simpliciter, vt cum dicimus, Petrus est prædesti natus. Alio modo constituendo ipsi terminum aliquem peculiarem, siue determinationem: vt si dicamus prędestinatum fuisse latronem, vt confiteretur Christum in cruce pendentem. Et quoniam commu

nis

nis nostri omnium prædestinationis ratio respicit æternam fœlicitatem, vt terminū (est enim ratio ordinis electorum in vitam æternam) iccirco prædestinatio absolutè accipitur respectu beatitudinis. Atque aliqui auctores, ex quibus est Durandus in. 3. dist. 7. quæst. 3. volunt Christum simpliciter dici prædestinatum, in quantum hominem ratione beatitudinis, non autem absolutè, sed cum determinatione dici eū prædestinatum ratione vnionis hypostaticæ. Oppositum autem & grauius est, & frequentius, vt videtur à sacris doctoribus, & Scriptura vsurpatum, iuxta illud ad Romanos. 1. Qui prædestinatus est filius Dei. Dico ergo quod est peculiaris ratio prædestinationis Christi, vt hominis, & quod ea sumitur per comparationem potius ad vnionem hypostaticam, quæ ipsi propria est, quam in ordine ad visionem Dei, quæ beatis omnibus est communis. Pro cuius rei intelligentia intueri debemus, quod gratia vnionis excellentior & sublimior est, quā gratia beatitudinis, quantò maius est esse Deum, quam frui Deo. Cum ergo prædestinatio sit præparatio gratiæ & beneficiorum Dei, & vnio hypostatica sit summa gratia, summum beneficium, summum bonum eorum omnium, quæ facta sunt, quoniam teste Diuo Augustino, In rebus per tempus ortis nil maius, quàm quod Deus fieret homo, restat vt gratia vnionis sit præcipuus terminus prædestinationis Christi.

Durand.

Roman. 1.

10. de Ciuit. cap. 29. D. August.

Item secundò argumentor. Nam quamuis finis gratiæ, fidei & charitatis nostrę sit æterna fœlicitas, & visio Dei viuentis, ac proinde ea sit terminus prædestinationis nostræ, tamē ea visio nō sequitur ad gratiā vnionis, vt finis simpliciter eius, sed potius secundum eam rationem, qua proprietas sequitur ad substantiam: ergo dicendum est, quod terminus prædestinationis Christi est vnio hypostatica, potius quam visio, quæ cōsequitur. Tertio arg. prædestinatio nostra iccirco sumitur in ordine ad visionē Dei quia ea est summū bonū existēs in hominibus: sed summū bonum existes in Christo vt homine est vnio hypostatica; ergo prædestinatio Christi sumi debet in ordine ad eam. Rationi enim consonum est, vt excellētius & sublimius bonum termini potius rationē habeat, quàm non ita excellens bonum.

Quartò probatur, Quia visio beata animæ Christi magis dicenda est esse propter vnionem hypostaticam (decebat enim tā ta gloria Deum, & hominem) quam vnio propter visionē ergo potior finis est vnio personalis, quam visio: ergo penes eam sumenda est Christi Domini prædestinatio. Quocirca bene Scotus in. 4. distin. 49. quęstione. 4. dicebat, de ratione beatitudinis nō esse, quod sit perfectissimum, & summum bonum, quod est in beato, sed perfectissimum eorum quæ sunt in actu secundo. Et exemplificat in vnione hypostatica, quæ est excellentissimum bonum.

Scotus.

Quintò. Quidnam vis esse primo, & maxime intentum à Deo in decreto atq; prędestinatione Christi, conferre gloriam humanitati, an eam vnire verbo, & efficere vt Deus esset homo? Dices, si rectè sentis, certè secūdum, quoniam est multo maius bonum: ergo ille erit præcipuus terminus prædestinationis Christi: igitur, cū vt dictum est gratia & gloria, & omnia alia bona animæ Christi consequā tur ad vnionē hypostaticam, velut proprietates quædam, nam quod anima Christi euecta sit ad summam gratiam & gloriam, id totū ex vnione hypostatica, quasi resultauit, cōsequens est quod prędestinatio Christi per se primo terminatur ad vnionem hypostaticam, ad alia verò secundario.

Sed contra hæc est argumēt. Quia licet in aliquo prædestinato possit esse maius bonū quā visio: tamē prædestinatio, vt cō stat ex vsu loquendi, non dicitur absolutè, nisi in ordine ad beatitudinem tanquam ad terminum per se primò intentum: ergo nec etiam prædestinatio Christi sumitur per comparationem a vnionem hypostaticam. Ad hoc distinguo consequens: Si enim sermo sit de prædestinatione filiorū adoptiuorum, concedo antecedens, & nego consequentiam. Si verò prædestinatio accipiatur vniuersaliter & absolutè, vt cō prehēdit, & filios adoptiuos, & Christum nego antecedens. Quoniam prædesti-

natio

natio hac ratione dicitur vniuersaliter in ordine ad bonum supernaturale atque gratuitum, & non solum in ordine ad visionem, Deum vero fieri hominem; & bonum fuit gratuitò, & liberaliter cōcessum & tam supernaturale, vt ordinem ipsum supernaturalem transgrediatur gratiæ, & gloriæ.

Secundò argumētor; Prædestinatio simpliciter non habet pro termino filium naturalem, sed adoptiuum; at Christus etiam vt homo non est filius adoptiuus, sed naturalis per gratiam vnionis: ergo prædestinatio simpliciter non potest eum habere pro termino. Maior probatur ex Apostolo Ephesior. 1. dicente: Prædestinauit nos in adoptionem filiorum. Ad hoc dico cum S. Thom. 3. part. quæstio. 24. artic. 1. ad primum, quod Apostolus ibi loquitur de prędestinatione, qua nos prædestinamur, vt simus filij adoptiui; sicut autem Christus singulari modo præ alijs est Dei filius; ita quodam singulari modo est prædestinatus: vnde neganda est maior loquēdo vniuersaliter de prædestinatione.

Ephes. 1.
B. Thom.

ARTICVLVS. IIII.

Quod prædestinatio Christi sit exemplar prædestinationis nostræ.

NON est quæstio, an actus prædestinantis, quo prædestinatus est Christus, sit exemplar eius actus, quo nos sumus prædestinati, certum est enim, quod vno & eodem actu æterno Deus & Christum, & nos prædestinauit; sed quærimus, an effectus & terminus prædestinationis Christi, sit exemplar effectus, & termini prædestinationis nostræ; quod est re ipsa quærere, an Christus eiusque bonum excellens sit exemplar bonorum omnium, quæ Deus contulit electis. De qua re nulla est difficultas; nec verò ego vellem, vt eius intellectus à me peteretur, sed ab ijs, à quibus penetratur, & sentitur, qui spiritu diuinissimo acti dicere possunt cum Apostolo: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus, & illud, Christo confixus sum cruci; & Ego stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto. Sed vt rem hanc doctrinæ necessitate compulsus, scholastico more tractem, declaranda in primis est notio nominis, exemplar; nec enim Latini in ea semper significatione illud vsurpare solent, in qua nos accipimus. Illi ergo aliquando vocare solent exēplar id, quod ex alio transcribitur, quodque Græci dicunt, ἀντίγραφον. Vnde Pollio ad Tulliū, ex literis, inquit, quas Pansæ misi cognosces omnia; nam tibi earum exemplar misi. Et Plinius epistola. 291. Exemplar testamēti, quamuis mendosum misi tibi. At non hoc modo loquūtur Theologi, sed exemplar semper appellant id, ex quo aliud describitur, & cui cōformatur, quodque Græci apellare solent παράδειγμα. Sapienterq; distinguunt rationem imaginis ab exemplari; ità, vt si alicuius rei similitudo se habeat ad eam, cuius similitudo est, sicut ad principium; vocetur imago. Vnde Sapientia genita imago dicitur Dei inuisibilis. Si autem ea similitudo se habet, vt principium eius rei, quæ ipsi similis dicitur, appelletur exemplar. iuxta illud Domini dictum ad Moysen: Fac iuxta exemplar, quod tibi in monte mostratum est. Quia enim similitudo artificiati existens in mēte artificis, est forma & principium artificiati, inde est, quod rectè vocetur exemplar per comparationem ad artificiatum. E conuerso verò quia similitudo rei naturalis in nostro intellectu cōcepta se habet ad obiectum, sicut ad principium, icircò imago quidem, & simulacrum obiecti dici potest, exemplar verò obiecti dici non potest. Et æternum quidem verbum per comparationem ad Deum Patrem imago eius dicitur, per comparationem verò ad res omnes creatas exemplar appellatur. Iam verò veniamus ad rem, & quæramus quid nam boni sit in electis, cuius illustrissimum exemplar, & vt Diui Augustini verbis vtar, clarissimum lumen non sit Christus Iesus Saluator noster. Primò quidem participes facti sumus splendoris, & gratiæ, sed ipse genitus est à patre

Ad Galat. 2.
Ibidem. ca. 5.
Pollio.
Plinius.
Coloss. 1.
Exod. 25.
D. August. De prædest. Sancto. cap. 15.

Hebr. 1. tanquam ſplendor gloriæ illius, cuius irradiamur ſplendidiſſimo lumine, qui eſt Sol iuſtitiæ illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum: & ab eo accepimus gratiam pro gratia, id eſt, omnem
Ioan. 1. gratiam. Habemus etiam ius hæreditatis
Roman. 1. æternæ, iuxta illud, Si filij & hæredes, hæredes quidem Dei cohæredes autem Chriſti. Sed id habemus per eum, per quem habemus acceſſum in gratiam iſtam, in qua
Roman. 5. ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Item verè nos nominamur, & ſumus filij adoptiui, ſed hæc adoptio participatio quædam eſt naturalis filiationis, ad
Roman. 1. quam Chriſtus, vt factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem, prædeſtinatus eſt:
Ioan. 1. ac propterea qui per generationem æternam eſt vnigenitus patris, iuxta illud Ioan
Apocal. 1. nis. 1. Vnigenitus, qui eſt in ſinu patris, ille idem per collationem gratiæ eſt primogenitus in multis fratribus, iuxta illud Apocalypſ. 1. Qui eſt primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ.

Quartò Chriſtus Dominus gratuita voluntate Dei prædeſtinatus eſt, nulliſque ſanctiſsimæ eius humanitatis præcedentibus meritis vnita illa fuit Verbo Dei, vt do
D. August. cet atque teſtatur Sapientia Auguſtini lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. Sed & nos pari modo liberali, & gratuita volũ
Tobiæ 2. tate Dei vocati & prędeſtinati ſumus. Gloriæ tandem ea magnitudo, quam Deus daturus eſt ijs, qui fidem ſuam, & amorem nunquam mutant ab eo participatio quædam eſt immenſæ gloriæ Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ſiue fœlicitatem illam ſempiternam ſpectemus, quæ Deus eſt: ſiue illam, qua ſanctiſsima Chriſti humanitas perfunditur. Iam verò, ſi per virtutes omnes diſcurramus, quæ patientia, quæ humilitas, quæ obedientia, quæ manſuetudo, quæ charitas, quæ iuſtitia electorum, cum iuſtitia Chriſti conferri poteſt? Quæ actio & honeſtatis officium, aut præſtari à nobis poteſt, aut occurrere in vita præſenti, quam ille non exhibuerit. Quis labor, anxietas, & anguſtia tanta aut eſſe aut fingi poteſt, quæ ipſum non preſſerit, & quam ille refugerit, vt nobis virtutis omnis, & tolerãtiæ exempla relinqueret? Atq; vt nihil tam laborioſum, & atrox Dei ſeruis poſſet accidere, cuius præclariſsimũ exemplum non videant, pręceſſiſſe, in eo, qui cùm diues eſſet, pro nobis egenus factus eſt. Ideò cùm vulpes foueas habeant, & volucres cœli nidos, vbi ponant pullos ſuos, ille non habebat vbi caput reclinaret. Atque is, qui fundauit terram in æterno tempore, & repleuit eam bipedibus, & Baruch. 3.
quadrupedibus, qui emittit lumen & vadit, ſtellæ autem dederunt lumen in cuſtodijs ſuis, vocatæ ſunt, & reſpondent, adſumus, & luxerunt ei cum iocunditate qui fecit illas, hic poſteà in terris cum hominibus degens veriſime clamabat; Ego autẽ Psalm. 21.
ſum vermis, & nõ homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis vt ſcilicet, afflictis omnibus, & dedecore affectis ſeipſum exemplum tolerare proponeret. Nec verò tempus eſt modo amplificandi quanta ille perpeſſus fuerit, vt nobis formam daret ſemper benefaciendi etiã inimicis perfidis, & ingratis, hoc eſt ſequendi Deum, Ex Philone.
nam antiquo ſapientum Prouerbio, ſequere Deum, idem eſt, quod benefac. Propter corruptibilem carnem, verbum caro fa- Ex Basilio.
ctum eſt, benefactor vna cum ingratis vixit, ad captiuos & vilia mancipia venit liber, & princeps, ad ſedentes in tenebris Sol è cœlo deſcendit, cruci affixus eſt impaſsibilis, & vita mortem ſubiuit. Nullus 2. Cor. 8.
ergo Sanctorum dubitat Chriſtum Dominum exemplar fuiſſe bonorum omnium, Matth. 8.
ſed dolet iuſtus, & angitur vehementer, Baruc. 3.
quod exemplar illud non quotidie magis Psalm. 21.
ac magis referat, & ei aſsimiletur. Hæc Roman. 8.
enim eſt vocatio noſtra. Nam quos præſciuit Deus & dilexit, eos prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.

ARTICVLVS. V.

Quod Chriſtus Dominus fuerit primus prædeſtinatorum.



Criptum eſt ad Epheſ. cap. 1. Benedictus Deus, & pater Ephes. 1.
Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus

stibus in Christo sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum. Et paulò inferiùs proposuit Deus instaurare omnia in Christo, siue quæ in cœlis, siue quæ in terra sunt, in ipso, in quo etiam nos sorte vocati sumus. Et ead. Eph. cap. 2. cum ostendisset Apostolus nos conuiuificatos, & conresuscitatos, atque eo prouectos à patre per Christum, vt consideamus in cœlestibus, tunc ne ignoraremus omne profectum spiritualem, & omnia gratiarum incrementa ei eo se propriè

Ephes. 2. tribuenda, subdidit. Ergo iam non estis hospites, & aduenę, sed estis ciues filiorum & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ędificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. Quæ & alia similia, cùm spiritus Dei de Christo reuelauerit, intelligere non possum, qua ratione dubitetur an Christus sit prædestinatorum non modo princeps, sed etiam primus. Nam, si est electus, & nos electi per ipsum: ergo ipse intelligitur primò electus. Si est prædestinatus, & nos prædestinati

Ephes. 1. per ipsum, ergo ipse est prædestinatorum primus. Si per ipsum sorte vocati sumus, cum vocatio sit primus effectus prædesti-

Ephes. 2. nationis, ipse supponitur ad omnem effectum prædestinationis nostræ. Et tandem si in ipso crescit omnis ædificatio spiritualis cõstructa, certè ille antecedit: nam fundamentum prius est eo quod super struitur.

Item primò argumentor, quoniam Christus Dominus est causa exemplaris, & finalis nostræ prædestinationis, exemplaris quidem, quia gloria Christi, & eius merita sunt exemplar glorię, ad quam prędestinati sumus, & exemplar meritorũ atque mediorum, per quæ statutũ est à Deo

Roman. 8. vt illam consequeremur, iuxta illud Romanor. 8. Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Et

Roman. 6. Rom. 6. Si enim complantati facti fuerimus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Quibus locis docet Apostolus, quod electi similes futuri sunt vita & gloria vitę & gloriæ Christi, in quo est gratiæ & gloriæ plenitudo.

Est verò causa finalis nostræ prædestinationis, siquidem Deus ab æterno statuit quosdam homines bonos, & beatos efficere eo fine, vt ea reillustraretur magis gloria Christi, & esset caput, & princeps inter multos fratres, quod ità esse constat ex Cõ-

Concil. Trid. cilio Tridentino, Decreto de iustificatione cap. 7. Vbi dicitur, quòd causa finalis nostræ iustificationis est gloria Dei, & Christi. Ex quo sequitur, quod etiam sit causa finalis nostræ prædestinationis: quoniam idem est finis vtriusque. Dicamus ergo quod proculdubio ordine, & præsuppositione rationis Deus, non solum principalius sed etiam prius prædestinauit Christum, quam reliquos homines. Quoniam causa exemplaris, si eius naturam, & rationem spectes, non solum dignitate, sed natura etiam & tempore antecedit exemplatum: atque vt dictum est prædestinatio Christi est causa exemplaris nostræ prædestinationis. Quod etiam patet ex eo, quia causa finalis antecedit intentionis ordine ea, quæ ad finem referuntur. Cùm ergo Christi gloria sit causa finalis nostræ prædestinationis, efficitur proculdubio, vt Deus prius ordine & suppositione intelligatur voluisse Christi gloriam, & de illa statuisse, quam de gloria cuiuscunque nostrum, quorum certè nemo electus est ad vitam, nisi per Christum.

Colligunt autem ex his aliqua digna scitu. Primum est, quod prædestinatio, & reprobatio, quæ re ipsa facta est supponit lapsum generis humani, & infectionem totius humanæ naturæ. Supponit, inquam, illam saltem tanquam terminum, à quo educũtur nonnulli per prædestinationem, & in quo relinquuntur cæteri per reprobationem. Et ratio est, quia quemadmodum iustificatio, quæ de facto reperitur in hominibus est mutatio quædam de esse peccati ad esse gratiæ, in quo differt à iustificatione qua angeli sunt iustificati:ità similiter prædestinatio hominum quæ re ipsa fa-

cta est à Deo, præsupponit peccatum; quia vt dictum est nullus homo efficaciter prę destinatus est, nisi in Christo, & per Christum. Christus autem Dominus prædestinatus est ad delendum peccatũ, & sic tota hominum prædestinatio præsupponit peccatũ humani generis. Quod etiam eadem ratione verum est de reprobatione. Quia, si prædestinatio supponit lapsum, constat quod etiam reprobatio, qua relinquuntur omnes ij qui per prædestinationem non educuntur ab ea corruptionis massa.

Et quidem quanuis quis tueatur eorum sententiam satis probabilem, qui asserunt, venturum Christum, licet Adam nõ peccasset; debet nihilominus id, quod modo diximus in omni opinione concedi, Nam prædestinatio nostra supponit prædestinationem Christi, vt morituri, quia ex morte ac passione ipsius prædestinati sumus; ergo supponit peccatũ, & massam perditionis: ergo & reprobatio supponit peccatũ: nam qui non educuntur per prædestinationem à peccato, illi sunt reprobi.

Secundò colligitur ex dictis id, quod aliqui Theologi, nescio qua persuasione cõmoti omnino inficiantur, videlicet quod detur causa reprobationis, illudque sit peccatũ originale. Nã si Christus est primus prædestinatorum, qui re ipsa & de facto prædestinati sunt, & re ipsa prædestinatus est ad delendum peccatum; ergo & eius prædestinatio, & nostra supponit peccatũ: ergo iam supponitur causa sufficienter demeritoria, ob quam Deus homines reprobet. Probatur consequentia: quia peccatũ est sufficiens causa demeritoria siue meritoria reprobationis. Respondent quidam, quod peccatũ illud præuisum ante reprobationem pertinebat ad ordinem naturæ, reprobatio autem pertinet ad ordine supernaturalem, & ideò illud peccatũ non potest esse causa reprobationis. Et addunt, quod hæc nostra sententia ferè ab omnibus Theologis reprobatur, in quibus omnibus dici non potest quam peccent. Primum, quia sancti, qui præcesserunt D. August. tenebant, vt in plurimum, quod & prædestinationis, & reprobationis detur causa, sed conueniebant omnes in eo quod reprobationis daretur causa: Diuus etiam Augustinus, & qui eum secuti sunt, tenuerunt cum eo, quod datur causa reprobationis. Qui autem dicunt, quod reprobationis non detur causa, nulli inueniũtur præter quosdam scholasticos, qui nec auctoritatibus Sanctorum, nec scripturæ testimonijs ducti, sed suis ipsorum argumentis conuicti, audent de re tanta definire. Primùm, cum dicunt, quod peccatum illud præuisum pertinebat ad ordinem naturæ, ac propterea non potest esse causa reprobationis, tam est responsio insufficiens, vt vix sim adductus eam refellere. Nam si sermo est de illo peccato ex parte termini, à quo cecidimus per peccatum, ille erat supernaturalis vt constat. Si ex parte præcepti, & legis, & Dei, contra quem peccatum est, illa omnia erant supernaturalia. Si autem sermo sit de peccato illo secundũ se, quid attinet illud distinguere ab alijs in eo quod illud spectet ad ordinem naturæ? An verò est aliquod peccatum, quod non per respectum ad aliquem terminum, sed secundum se spectet ad ordinem gratiæ & supernaturalem. Certè nullum: Nam peccatum non est fructus gratiæ, sed deficientis naturæ. Postremò constituto, quod peccata in se ipsis sint ordinis naturalis, quid habet consequens illa ratio, ergo propter ipsa non erit reprobatio, quæ est ordinis supernaturalis. Certè secundum hanc consecutionem iniustè erit quæcunque pœna supernaturaliter constituta, contra quodcunque peccatum, nam illud in se est ordinis naturalis. Sed aliter alij euadere volunt argumentum, dicentes: quod reprobatio accipiatur pro odio, quo Deus prosequitur peccatorẽ, datur causa reprobationis: si verò accipiatur pro permissione labendi in peccatum, non datur causa reprobationis. Quibus respondeo, quod reprobatio accipitur pro decreto derelinquendi aliquos, & permittendi manere in peccato, & puniendi eos propter peccatum; & harum rerum omnium causa sufficienter demeritoria est peccatũ originale. Quod probo euidenter supposita fide: quia Deus re ipsa aliquos propter solum peccatũ originale

D. August.

ginale iustißimè ieijcit à se, & permittit eos manere in peccato, & damnat æterna pœna propter peccatum: ergo peccatum illud est causa sufficieter demeritoria isto rum omnium: quanuis in electis, & in his reprobis, quibus remissum est originale, bonitas Dei non vtatur ea causa ad puniendum. Quod verò addunt, reprobationem accipi pro permißione labendi in peccatum, ipsi finguns. Tum, quia ea nec est definitio rei, nec nominis reprobatio, vt constat. Tum, quia multi permittūtur labi in peccatum, qui non sunt reprobi; ex quorū numero fuit Adam, nam Sapientia eum custodiuit, & eduxit à delicto suo. Postremo, quia puerile est accipere pro definito, & cōstitutoid, de quo est disputatio, nos verò asseueramus cum D. Augustino, & alijs sanctis, quod reprobatio supponit lapsum in peccatum, ergo reprobatio male, & incompacte dicitur permißio labendi in peccatū. Iam enim supponitur esse in peccato homo, qui reprobatur: sed posset dici reprobatio. permißio manendi aliquo tempore, & tandem decedendi in peccato reprobatione denominata ab effectu.

Sapient. 10.

D. August.

Diximus, quod Christus Dominus sit primus prædestinatorum. Obijcitur tamē in contrarium, quod prius Deus intelligitur velle saluare homines, quàm decreuerit illis mittere Redemptorem; sed per illud propositum, & decretum intelliguntur iam homines prædestinati, ergo prius prędestinati sunt sancti Dei homines quam Christus. Pro solutione huius obiectionis, & aliarum, quæ fieri possunt, supponendum est quod de aduentu Christi est duplex opinio. Quidā opinantur, quòd quanuis primus parens non peccasset, verbum fieret homo, & quod id est, quod Deus primum omnium voluit. Alij putant quod si Adam non peccasset verbum non fieret homo. Et quidem secundum priorem illam sententiam nihil efficit Argum. quia nil Deus prius voluit, quam communicare suam bonitatem summo modo vniendo sibi naturam humanam in Christo, per quem voluit vt gloriam assequerentur, quicunque illam erant assecuturi: Et sic Christus fuit primò prædestinatus. Iuxta

Scotus.
D. Thom.

posteriorem verò sententiam dicendum est, quod velle Deum generaliter, & in communi humano generi benefacere, per participationem gloriæ suæ, non est prædestinatio completa, & efficax; quoniam prædestinatio est actus prudentiæ, & sapiētiæ Dei, quo Deus certos quosdam homines per certa quædam media voluit ad seipsum, suamque gloriam deducere, quod ipse fecit propter amorem, & merita præuisa Christi sui, ac propterea ipse est primò prædestinatus; cuius rei latiorem expositionem inueniet, qui legerit sequentem articulum.

Secundo argumen. Quia prædestinatio nostra est finis prædestinationis Christi: ergo prior est nostra prædestinatio, quā prædestinatio Christi: quia filius Dei propter nos homines, & propter nostram salutem descēdit de cœlis, & incarnatus est ex Maria Virgine, & homo factus est. Respondetur quod certè prędestinatio & gloria Christi est finis prædestinationis & gloriæ nostrę quoniam & illud eius bonum est multò excellentius quam nostrum, & nos illi dati sumus. Et hoc est, quod ipse dicebat, Quod dedit mihi pater maius omnibus est. Et alio in loco: Pater serua eos, quos dedisti mihi. Et ad probationem dico, non esse inconueniens, si etiam in eodem genere causæ, primum aliquod & excellens sit aliqua ratione propter secundum, & rursus secundum sit simpliciter propter primum. Verbigratia, subiectum est vtique propter suam operationem, at verò ipsa operatio qualitatesque omnes atque potetiæ subiecti, sunt propter complementum & bonum esse subiecti.

Ioan. 10.
Ioan. 17.

Hic fortassè aliqui sophistæ reclamabunt, asserentes, fieri nulla ratione posse, vt aliqua duo sint sibi inuicem causæ, in eodē genere causæ: & quod sequeretur quod idem esset causa sui ipsius. Nam, si prædestinatio Christi est finis prædestinationis nostræ, & prædestinatio nostra est finis prę destinationis Christi: ergo prædestinatio Christi est finis prædestinationis Christi: atque adiungent statim eam doctrinam esse contra Aristot. Quibus dicimus breuiter, quod ratio ipsa testatur atque declarat,

hanc

hanc doctrinam distinctam, & expositam ea ratione, qua distinximus esse veram. Et ille syllogismus, quem isti formant, nihil efficit. Tum quoniam minor est falsa, nec enim prædestinatio nostra est finis prædestinationis Christi absolute & simpliciter. Tum quoniam ex ijs præmissis solum sequitur, quod Christus in se sit finis sui ipsius, vt refertur ad nos & Saluator noster est, quod est verissimum, quia propter honorem, & gloriã Christi sui dedit ei Deus aliquos in quibus regnaret. Aristoteles verò solum dixit, quod in eodem genere causæ non possunt duo esse sibi inuicem causæ, absolute loquẽdo, & eodem gradu atque ordine, quod est verum.

Aristot.

Tertio loco argumen. Quoniam Adam non habuit gratiam ex meritis Christi: prędestinatus ergo est sine meritis Christi: ergo Christus non est primus prædestinatorum. Ad hoc dicitur, quod si sequamur sententiam illam, quod quanuis Adam non peccasset, Christus venisset, consequenter dicendum est, quod Adam habuit gratiam per Christum, & nihil valet argumentum. Si verò teneamus sententiam oppositam, nihil etiam efficit: nam admisso, quod Adam ante lapsum non habuerit gratiam per Christũ, nõ sequitur quod re ipsa nõ sit prædestinatus per Christum. Et ratio est: quia quanuis aliqui homines habeant gratiam, non tamen intelliguntur, nec vere sunt prædestinati, nisi quando efficaciter ordinãtur in vitam æternam, quod Adam per Christi merita est assecutus. Longè itaque abest argumentum, ab eo vt firmitatem nostræ doctrinæ minuere possit. Sed est complurimis difficile intellectu, quomodo inter se se cohæreat, quod si Adam non peccasset Verbum non fieret homo, & quod nihilominus Adę collata fuerit gratia per Christum. Ac propterea discipuli Sancti Thomæ negant, vt in plurimum, quod Adam habuerit primò iustitiam per Christum. Ego verò vehementer existimo quod Adæ collata est gratia per Christum, & quod ità dicendum sit, quanuis teneamus, quod si Adam non peccasset Christus non venisset. Rem vero declaro in hunc modum. Nullum est inconueniens, si præteritum aliquod dependeat à futuro contingenti præuiso in æternitate Dei. Quod cõprobo ex scriptura. Quãdo Saul peccauit eligens magis sacrificare, quam obedire, vnctus est Dauid à Samuele in regem, si tamen Saul resipuisset, & non adiecisset iterum peccare, & perseuerasset in bono, quod ille vtique facere posset, nunquam, vt credo, Deus eum ac successorem eius vita & regno priuasset: nihilominus tamen decretum de Dauide vngendo & regnaturo dependens ex eo quod Dominus videbat cor Saulis durum semper, atq; rebelle, & esse pòtuit, & fuit firmum atque infallibile. Parique ratione dico, tuẽdo sententiam Sancti Thomæ, quod quanuis Deus secundum ordinem alterius possibilis prædestinationis, quam æterna sua mente & sapientia conceperat, decreuisset dare primo homini gratiam sine ordine ad Christum, sciens tamen & videns infallibiliter, quod erat casurus à gratia, foreque vt indigeret reparatione Christi; decreuit, vt Christus veniret, & per eum daretur primo homini etiam ea iustitia, & status, quem ille ingratissimè erat deserturus. Et certè, si quidem Adam prius quam à prima gratia cecidisset, mulierem conspicatus rupit in ea verba, Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea, quod secundum Apostolum sacramentũ magnum est in Christo, & in Ecclesia, ignoro ego cur ea gratia dari non potuerit per eum, de quo gratus ille homo prophetabat. Siue hoc tamen, siue altero modo, quì magis placeat quis se declaret, ego non renuam, sed libentissimè accipiam. Omnino tamen puto, quod omnis gratia collata hominibus ipsique Adam a prima vsq; ad vltimam debetur Christo Deo vero, & homini propter nos.

Scotus. *B. Thom.* *1. Reg. 13.* *1. Reg. 16.* *Genes. 2.* *Ephes. 5.*

ARTICVLVS. VI.

Quod prædestinatio Christi sit causa prædestinationis nostræ.



DISPVTAMVS modò, vtrùm Christus Dominus, præuisus à Deo fuerit, non solum causa exemplaris, &

finalis, sed etiam causa meritoria nostræ prædestinationis. Quod est quærere, vtrùm Deus quemadmodum prædestinauit nos ad gloriam, quæ esset similis gloriæ, ad quam prædestinabat Christum, & eius participatio quædam, ità etiam nos prædestinauerit, hac causa, quia Christi merita à Deo præuisa, & illi grata hoc impetrarunt ab ipso, vt nos, scilicet, dirigeret, & ordinaret in finem supernaturalem. Vnde cum similes quæstiones mouentur, non est intelligendum, quod sit sermo de ipso prædestinationis actu, qui vnus, & æternus est, quo Christus, & nos prædestinati sumus; imò & quo omnia reguntur, & gubernantur: sed est sermo de prædestinatione, vt terminatur ad tale obiectum. Nam, quemadmodum in rebus vnum est causa alterius, vt homo suarum operationum, ità verè dicere possumus, quod vnum fuit ratio obiectiua ipsi Deo volendi alterum, & quod diuina voluntas terminata est, Verbi gratia, ad hoc, vt vellet Petrum esse liberi arbitrij, quia voluit esse hominem. Vnde quem ordinem habent obiecta inter se se, eundem censentur habere actus diuinæ voluntatis, vel vt rectiùs dicam, vnius & eiusdem actus terminationes diuersæ. Igitur hæc est quæstio, vtrùm Christi prædestinatio eiusque merita, & sublimis dignitas ac virtus excellens fuerit Deo ratio nos prædestinandi, & afficiendi sum mis beneficijs gratiæ & gloriæ.

Sit ergo in hac quæstione grauissima prima conclusio. Deus ab æterno statuit dare nobis, & in tempore dat propter merita Christi omnem gloriam, & gratiam, & dispositiones supernaturales, & vt breuiter dicam, omnia dona spiritualia, quæ hominibus conferuntur.

Oppositum huius conclusionis, quoad dispositiones antecedentes gratiam, tenuit Driedo, libro de Captiuitate, & Redemptione generis humani tractat. 2. capit. 4. Ruardus Taper, tomo. 1. articulo. 6. Conradus, 12. quæstione. 114. articulo. 6. capit. in tertio, distinctio. 18. quæstione vnica, in responsione ad argumentum Scoti contra. 4. conclusionẽ. Ferrara. 4. contra Gentes, capit. 55. contra quos etiam disputabimus infrà quæstione de merito Christi, articulo. 6. quo loco ratio, & complementum doctrinæ postulabit, vt hanc eandem quæstionem quantum in nobis fuerit breuiter, & accurate tractaremus.

Driedo. *Ruardus.* *Conradus.* *Capreolus.* *Ferrara.*

Probatur autem modò nostra conclusio. Primum ex illo Ioann. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Ex quo loco Diuus Augustinus, & Chrysostomus colligunt quod omnia bona spiritualia deriuantur ad nos per Christum; quod ità esse magis liquet, ex verbis quæ sequuntur, & gratiam pro gratia. Est enim Hebraismus, quo significatur à prima vsque ad vltimam gratiam, id est, omnem gratiam ac ciperenos ex plenitudine Christi. Cuius simile est illud Iob. 2. Pellem pro pelle dabit homo pro anima sua. Id enim perinde est ac si dixisset; A primo vsque ad vltimum, & à minimo bono vsque ad maximum, & pretiosissimum permittet homo spoliari se se, vt vitam tueri possit.

Ioan. 1. *D. August.* *Chrysostom.* *Iob. 2.*

Secundo probatur ex eodem cap. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est; quo loco veritas ponitur pro adimpletione promissi. Et ità significat Ioannes, quod Moyses dedit legem quæ illuminaret intellectum; cæterum id quod promiserat Deus veniam se daturum hominibus, & illos ad suam gratiam admissurum, qua lex impletur, id totum per Christum effectum esse. Hocque ipsum significauit Beatus Paulus ad Ephes. 1. cum ait: Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. Et in eodem cap. dicitur de Christo, quod omnia in omnibus adimpleuit. Item probatur ex Concilio Tridentino, decreto de iustificatione, capite. 5. vbi diffinitur iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione: vbi apertè exordium iustitiæ, & prima vocatio tribuitur Christo. Et ratione, potest idem probari. Primò: quia si Deus vo-

Ioan. 1. *Ephes. 1.* *Conci. Trid.*

cat.

cat electos, & non per Christum, ergo ab æterno statuit illos vocare sine ordine ad Christum, qui est filius dilectus, & in quo statuit instaurare omnia, quæ in cœlis & in terris sunt. vt habetur Ephesiorum. 1. *Ephes. 1.* Quod verò quidam respondent, omnia hęc facere Deum per Christum, vt causam aliqua ratione, non tamē vt merentem illa fieri, nullius est momenti; quia Christus omnia illa pertinentia ad nostram salutem meruit quorum est causa. Primùm argumentor, quia sicut per Verbum creauit Deus omnia, ità etiā oportuit, vt per Verbum incarnatum conferret prædestinatis omnia, quæ ad secundam creationem pertinebant. Sed de hac prima cōclusione vi deatur ille locus, quem citaui, de merito Christi.

Secunda conclusio, qua respondetur ad quæstionem propositam: Bonitas Christi, & illius excellens virtus à Deo prædestinata, præuisa & amata, fuit Deo ratio, vt ex hominum genere quosdam eligeret, qui ab eodem Christo mundati, & sanctifi cati essent corpus Christi, & populus acquisitionis eius: hoc autem reipsa est prædestinare, & sic verè propter Christi meri ta prędestinati sumus. Probatur cōcl. primùm ex Paulo Ephesiorum. 1. Sicut elegit nos, inquit Apostolus, in ipso ante mun di constitutionem, vt essemus sancti & in eodem capite: Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christū in ipsum. Quod perinde est ac si diceret, quod prædestinauit nos per merita Christi, vt explicant Diuus Athanasius, Theodor. Chrysost. & D. August. lib. de Prædestinatione sanctorum, & S. Thom. in eum locum. Item D. Hieronym. libr. 1. contra Iouinianum explicans illud, Dilexisti eos, sicut & me dilexisti, dicit: Ideò nos diligit, quia filium diligit; id quod satis explicant illa verba paterna. Hic est filius meus dile ctus, in quo mihi benè complacui. Nam si cut in primo homine Deus omnes homines odio habuit, sic in Christo omnes prædestinatos dilexit. Primum probatur conclusio illa consequentia, qua Diuus Augu stinus vtitur, lib. de Prædestinatione Sanctorum, capite. 15. & de bono perseuerantiæ, capite vltimo, vbi ex eo quod iustificamur sine nostris meritis, colligit quod etiā prędestinamur sine nostris meritis. Et proculdubiò rectè colligit. Nā si ex nobis ipsis daretur meritū iustitiæ nostræ, illud certe ipsum assignari posset meritū prædestinationis nostræ: cū igitur certum sit secundum fidem, quod iustificamur non per nostra merita, sed per merita, & sanguinem agni immaculati Christi Iesu, qui semel se offerendo abstulit peccata nostra, *Hebr. 7* consequens erit, quod etiam prędestinamur per merita Christi. Item, Deus potuit prædestinare homines propter Christi merita, sicut potuit illos reprobare propter peccatum Adæ, quod præuidebat, & hoc facere pertinet ad honorem & gloriā Christi, nec ex eo læditur ratio diuinæ mi sericordiæ aut iustitiæ, imò maximè com mendatur: ergo sine dubio credendus est ita fecisse: maior enim & illustrior est bonitas & gratia Christi, quam malitia & offensa Adæ ingrata, & odiosa. *Roman. 5* Ad hæc: Christus est causa omnium effectuum nostræ prædestinationis: ergo est causa nostræ prædestinationis. Consecutio est legitima. Nam cum quærimus de causa prædestinationis, non disputamus de causa actus ex parte prædestinantis, sed quærimus, Vtrùm vniuersi effectus prædestinationis proueniant hominibus per Christum, vt principio articuli exposuimus. Antecedens verò probo, quoniam Christus est causa meritoria bonorum omnium spiritualium, & beneficiorum, quæ hominibus conferuntur, vocationis, scilicet, iustificationis, & glorificationis: iuxta *Ephes. 1.* illud Ephes. 1. Benedictus Deus; qui bene dixit & nos omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo, siue per Christum: ergo est causa meritoria omnium effectuum prædestinationis nostræ: ergo, & prædestinationis nostræ ipse dicendus est causa meritoria. Et confirmatur; quia prædestinatio est præparatio gratiæ, & gloriæ, vt diffinit Diuus Augustinus, libro *D. August.* de Prædestinatione Sanctorum, capit. 10. & est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunq; liberantur, vt diffinit ipse Augustinus, de bono perse-

D. Athan. *D. Theod.* *D. August.* *D. Hierony.* *Matth. 17.* *D. August.*

perseuerantiæ, capit. 14. Sed Deus statuit & ordinauit ab æterno conferre nobis, & reipsa confert omne beneficium spirituale propter merita Christi sui, vt dictum est: ergo Christus est causa meritoria nostræ prædestinationis. Deinde, certum est quod in scriptura iidem sunt electi, & prædestinati: sed nullus est electus; nisi per Christum: ergo nullus est prædestinatus, nisi per Christum. Probatur minor ex illo Ephes. 1. Elegit nos in ipso. Dicis, per ipsum quidem electi & prædestinati sumus, non tamen tanquam per causam meritoriam. Sed quid refert sine probabilitate aliqua effugere, & tergiuersari? Nũquid Christi dignitas, & virtus excellens hoc nõ merebatur? Certè merebatur. Nec dixit hoc loco Apostolus: Elegit nos propter ipsum, significans ordinem finis, sed ait, in ipso, quod soli efficienti potest adaptari. Christus verò certè meruit nobis, quod effecit in nobis. Vltimò sic colligo: Si prædestinatio Christi, & nostra inter se se conferantur, Christus est primus prædestinatorum vt dictum est: ergo præintelliguntur eius merita ad nostram prædestinationem: ergo ea merita fuere causa nostræ prædestinationis. Probo vltimam consequentiam: Quoniam merita Christi sufficientia erãt, vt nos propter ea Deus prædestinaret. Sed confeci iam pro nostra sententia argumẽtorum satis: nunc quæ opponuntur videamus.

Ephes. 1.

Primo loco arguitur; Quia prædestinationis Christi non datur aliqua causa meritoria, vt docet D. August. lib. de prædestinatione sanctorum, ca. 15. ergo nec omnino datur causa prædestinationis. Ad hoc dico, quod de prædestinatione possũmus loqui dupliciter. Vno modo, vt comprehendit Christum & nos, itá, vt effectus prædestinationis sit totum hoc, gratia, & gloria Christi, & gratia & gloria prædestinatorum. Et prædestinationis sic acceptæ nulla datur causa, præter voluntatem Dei; nam Christi prædestinatio fuit sine vllis meritis, vel suis, vel alienis. Alio modo possumus loqui de prædestinatione, comparando vnam partem alteri, scilicet, Christi Domini gratiam & gloriam, cum gratia & gloria aliorum prædestinatorum, & sic Christi prædestinatio verè est causa nostræ prædestinationis, quia voluntatem diuinam terminatam fuisse ad Christum, fuit Deo ratio, vt terminaretur ad electos. Neganda igitur est ea consequentia: Non datur causa meritoria prædestinationis Christi iuxta Diuum Augustinum: ergo non datur causa prædestinationis nostræ.

D. August.

Secũdo argumentor. Remota causa remouetur effectus; sed remota prædestinatione Christi, non remouetur nostra prędestinatio, quia etiã si filius Dei non incarnaretur erat alius modus possibilis nostræ salutis, vt docet Augustinus lib. 13. de Trinitate, cap. 10. prædestinatio ergo Christi non est causa nostræ prædestinationis. Respondetur quod si Christus non fuisset incarnãdus fortasse Deus prædestinasset homines saluari secundum aliam rationem comprehensam bonitate sapientiæ suæ; sed quia prçordinauit incarnationem Christi simul cum hoc præordinauit, vt esset nostræ salutis causa.

D. August.

Tertio argumentabatur quidam: Nam certè omnes Doctores, tum sacri, tũ scholastici prædestinationem nostram censent in solam Dei voluntatem referendam esse, & quod in hac ratione omnia hominum merita conticescere debent. Respondetur quod ex parte nostra nulla quidem datur causa nec meritum prædestinationis nostræ; si tamen per solam voluntatem Dei excludere velis secundam causam, nempe merita Christi atque ea etiam facias in hac ratione conticescere, id est vehementer falsum, & quod Apostolum pluribus in locis quod D. Augustin. & cæteros patres, & ex scholasticis contra Sanctum Thomam, tertia parte, quæstione. 24. articulo quarto. Sed intelligendum est, quod sicut in remissione peccatorum, in adoptione gratię, & vt omnia concludam, in mysterio redemptionis nostræ, nostra merita conticescunt, imo non conticescunt, quia non sunt; assecuti verò sumus omnia hæc per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, vt omnes scripturæ paginæ testãtur, pari ratione de prædestinatione nostra loqui, & sentire

Ephes. 1. D. August. B. Thom. Roman. 3.

sentire debemus. Et certè vt ego sentio idem est iudicium de eo quod per Christum reconciliati sumus Deo, & redempti, & liberati à peccato, & gratiam accepimus, & de eo quod per ipsum prædestinati sumus, ac proinde sicut primum non potest negari, ità nec secundum.

Quartò loco est argumentum: Nam datur aliquis effectus prędestinationis nostræ, quem Christus nõ meruit: ergo Christus non est causa meritoria nostræ prædestinationis. Consequentia patet, & probatur antecedens; Nam omnia media necessaria ad nostram salutem sunt effectus prædestinationis nostræ, & medium maximè necessarium fuit Christi incarnatio, & missio in mundum: sed Christus hanc suã incarnationem, & missionem non meruit: ergo datur aliquis effectus prædestinationis nostræ, quem Christus non meruit, & ex consequenti nec meruit ipsam prędestinationem.

Ad hoc facilè responderi posset, quod quemadmodum Deus verissimè dicitur omnia fecisse, quamuis seipsum non fecerit, sed vniuersa alia à se, pari ratione Christus dicitur causa esse nostræ prædestinationis, & vniuersos eius effectus nobis meruisse, licèt, non promeruerit seipsum, ex eo, videlicet, quia promeruit omnes alios effectus præter seipsum. Et videtur sanè docta hæc & expedita responsio, sed latet aliquid difficultatis in ea. Primum, quia Christus meruit vt sua excellentia opera pretium essent redemptionis, & iustificationis nostræ, ac proinde vt essent merita prædestinationis nostræ.

Secundò, quia si cùm dico, Deum fecisse omnia, sub ea voce, omnia, comprehenderem Deum, falsò dicerem, quod Deus fecit omnia: ergo si sub effectu prædestinationis nostræ clauditur incarnatio Christi, & missio in mundum, falsò dicitur quod Christus sit causa meritoria omnium effectuum prædestinationis nostræ, si non fuit causa suæ incarnationis; & ex consequenti cogimur, aut negare, quod incarnatio Christi sit effectus prædestinationis nostræ, aut asserere, quod non omnium effectuũ prædestinationis fuerit ille causa. Negare verò, quod incarnatio Christi sit effectus prædestinationis nostræ, quî conuenit, cùm sit medium? Asserere verò, quod non omnium effectuum prædestinationis fuerit ille causa, nihil est aliud, quàm euertere, quod struxeramus. Vndique ergo sunt angustiæ: ac proinde pressius tractanda res est.

Primò ergo ponendum est, quod prædestinatio Christi absolutè loquẽdo nullo modo est effectus prædestinationis nostræ. Quia, si loquamur de ipso actu diuinæ voluntatis, & intellectus, quo prædestinamur, cum ille sit vnus & idem, quo & Christus, & nos prædestinati sumus, manifestum est quod prędestinatio Christi non potest esse effectus nostræ prædestinationis. Si autem loquamur de illo actu, quatenus terminatur ad tale obiectum, etiam isto modo dici non potest, quod iccircò ille actus terminatur ad prædestinationem, incarnationem, gratiam, & gloriam Christi: quia idem ille diuinus actus terminatur ad hominum gratiam & gloriam, ità, vt hoc secundum fuerit Deo ratio, & causa primi. Hoc inquam, nõ potest dici, quia, si ità esset, sine dubio Deus dilexisset Christum in prædestinatis & non è contrario, contra illud Apostoli: Elegit nos in ipso, &c. *Ephes. 1.* Si autẽ loquamur de ipso obiecto, siue effectu prędestinationis, certissima res est, quod gratia & gloria Christi non est effectus gratiæ & gloriæ nostræ, sed contra potius nostra gratia & gloria est effectus gratiæ, & gloriæ Christi.

Secundo est etiam statuendum, quod incarnatio Christi non potuit esse absolutè loquendo effectus nostræ predestinationis: quod manifestè sequitur ex dictis; nam incarnatio Christi est effectus prædestinationis Christi: sed nostra prædestinatio non fuit ratio nec causa prædestinationis Christi, vt dictum est: ergo nec incarnationis absolutè loquendo.

Ad argumentum his positis respondetur in forma: Christus non meruit omnes effectus prædestinationis nostræ, negatur antecedens. Et ad probationem: quia incarnatio Christi est effectus nostræ prædestinationis, negatur hęc propositio: nam

prius intelligitur decretum de incarnando Christo,& de eius gratia atque gloria, quam de gratia & gloria cuiuscunque alterius hominis in particulari, quoniam in illo,& per illum à patre dilecti,& electi sumus. *Ephes.1.*

Sed obijciet aliquis contra hoc: Nam quamuis ità sit, quod incarnatio Christi, absolute loquendo, non sit effectus prædestinationis nostræ, tamen negari non potest,quin sit medium ordinatum à Deo ad salutem prædestinatorum: ergo Christus non meruit omnia media nostræ salutis,& ex consequenti sequitur, quod non fuit causa meritoria nostræ prædestinationis. Probatur consequentia, quia per prædestinationem statuuntur, & ordinantur omnia media, quibus prædestinati saluandi sunt; qui igitur est causa prædestinationis debet esse causa mediorum:&qui non est causa mediorum,nec est vtique causa prædestinationis,præterquam quod medium ordinatum ad aliquem finem vtiq; est effectus eius finis: effectus inquam in genere causæ finalis, id quod est euidens: nā finis habet pro effectu id quod est propter finem.

Respondetur,quod incarnatio Christi potest considerari dupliciter, vno modo secundum se, alio modo, vt est medium ordinatum à Deo ad salutem prædestinatorum. Et quidem,quod incarnatio Christi sit absolutè id non est effectus prædestinationis nostræ; non enim,quia nos prædestinati sumus,ideò Deus prædestinauit Christum,vt esset homo. Cæterùm quod incarnatio Christi,& eius merita sint media ordinata ad prædestinatorum salutem, id effectum est per nostram prædestinationem, tanquam per finem,non quidem vltimum,& simpliciter,sed secundum quid. Nam Deus prædestinando homines statuit, vt per Christi incarnationem atque merita consequerentur salutem;& sic dico quod Christus Dominus non meruit incarnationem suam absolutè. Cæterùm quod sua incarnatio & merita essent media ordinata ad prædestinatorum salutem, id factum est ex Christi meritis;quod quo modo sit verum,si sequamur eorum sententiam,qui asserunt quod etiam non peccante Adam Verbum sumeret carnem,facile est intelligere. Dicendum enim est secundum hanc sententiam,quod Deus ante præuisionem peccati, primò omnium voluit vnionem Verbi cum humana natura propter suam bonitatem & gloriam illustrandam, atque ex amore rei tam excellentis qualem præuidebat futurum esse illum hominem, motus est ad humanum genus, intellectuales creaturas, & cæteras res constituendas. Deinde cum vidisset hominum genus in Adam peccauisse,& id procuratum esse astutia Dæmonis vt impediretur vnio Verbi cum humana natura, tunc Deus illo eodem amore, quo Christum diligebat permotus, statuit perducere ad exitum incarnationem Verbi, tali modo & ratione, vt per eam incarnationem dæmonis astutiam,& consilia frustraret, & liberaret hominem à peccato. Vnde quod Deus decreuerit verbum incarnari, solius diuinæ voluntatis fuit, quod autem decreuerit incarnari eo fine, vt remedium afferret peccato, & multos filios in gloriam adduceret, in hoc Deus habuit rationem, & respectum ad Christi merita, & virtutem; & ex amore, quo Christum diligebat, motus est non solum ad hoc vt homines saluare vellet, sed etiā ad hoc, vt vellet illos saluare per ipsum Christum, tanquam per medium. Et quidem secundum sententiam istam ità dicendum est. Tamen si quis volet illos sequi,qui dicunt quod si Adam non peccaret verbum non sumeret carnem, dicendum est,quod Deus postea quam præuidit peccatum sola sua misericordia motus, noluit humanum genus penitus interire. In qua voluntate, vt supra tetigimus neminem prædestinauit, sed generali quadā voluntate voluit benefacere generi humano, & dæmonis conatus frustrâre. Et ex hac volūtate generali factum est, vt Deus decerneret vnire sibi humanam naturam, & assumere illam ad vnionem hypostaticam. Quod si consilium Dei hic constitisset,nec quicquam aliud decreuisset de salute cæterorum hominum, isto tamē vno & singulari beneficio vnionis verbi cum hu-

Scotus. *Hebr.2.*

humana natura Deus ſatis eluſiſſet conſi-lia Dæmonis, & conſuluiſſet dignitati, & bono naturæ humanæ, quamuis reliqui omnes homines interirent. Non tamen hic conſtitit diuina bonitas; ſed vltra progreſſa eſt. Et cum poſt decretum de incarnatione verbi contemplaretur merita, & virtutes ſublimes atque excellentes Chriſti ſui, motus eius virtutis amore, noluit ſolum Chriſtum eſſe, ſed decreuit dare illi ſui ſimiles homines in filios atque fratres, quorum ipſe Dominus eſſet caput, & princeps, ac inter illos regnaret, vereque
Hebre. 2. & cum lætitia diceret: Ecce ego & pue-
Iſai. 8. ri mei, quos dedit mihi Dominus. Et quia illi homines ad hoc, vt regnare poſſent, erant à peccato liberandi, & iuſtificandi, iccircò Deus illo eodem amore permotus, quo Chriſtum & eius merita diligebat, voluit, vt omnis iuſtitia, & ſalus illorum hominum in particulari per eundem Chriſtum adminiſtraretur; ità, vt eſſet ipſe Chriſtus non ſolum veniæ impetrator,
1. Cor. 1. ſed etiam pretij collocator, & redemptor, imò ipſum pretium, ipſa ſalus atque redemptio; quoniam & eius merita hoc ſuppetebant, & ea res augebat Chriſti gloriam, & reddebat homines magis addictos, & obligatos illi. Et ita Chriſti merita præcognita, & amata à Deo fuerunt ratio illi, vt certos quoſdam homines vellet perducere ad gloriam per merita, & incarnationem Chriſti, tanquam per medium, & cauſam prædeſtinationis ipſorum. Et ità ex meritis Chriſti factum eſt, non quidem, quod Deus vellet Chriſtum incarnari, ſed quod Chriſti incarnationem, & merita ordinauerit Deus, tanquam medium ad ſalutem eorum, quos prædeſtinauit, non tamen ità quod ſit vltimus eius medij finis gloria noſtra, ſed potius gloria Chriſti & Dei.

Sed reſtat adhuc contra hunc modum dicendi argumentum. Nam ſecundum iſtam ſententiam, quam modo ſupponimus, finis principalis, cuius cauſa verbi incarnatio facta eſt, fuit hominum ſalus, & remedium peccati, ita vt ſublato iſto fine non eſſet futura incarnatio: ergo prius intelligitur iſte finis, quam incarnatio: ergò ſi Chriſtus & mereri potuit, & meruit hunc finem, & mereri certè potuit, & meruit incarnationem ſuam: quod non eſt dicendum.

Reſpondetur quod quemadmodum ſecundum iſtam ſententiam ponimus in Deo ad noſtrum modum intelligendi duas voluntates: vnam generalem, qua poſt peccatum præuiſum ſua miſericordia motus, voluit communi quadam ratione, & generali benefacere generi humano: alteram particularem, qua deinde voluit, & decreuit in particulari benefacere certis quibuſdam hominibus, certo & determinato beneficij genere, ſcilicet, conferendo eis gratiam, & gloriam: & quemadmodum Deus ad vtrunque finem, ſcilicet, & ad benefaciendum aliqua ratione humano generi, & ad benefaciendum in particulari his particularibus, particulari quadam ratione ordinauit incarnationem Chriſti, vt medium; ità ſimiliter poſſumus de ea loqui dupliciter, quatenus medium eſt. Nam, ſi conſideramus incarnationem Verbi, quatenus illa generali voluntate ordinata eſt à Deo ad humanum genus, quod in peccato iacebat, erigendum ratione communi; ſic Chriſtus Dominus ſicut non meruit, vt eſſet ſua incarnatio, ità non meruit, vt eſſet medium, & ordinaretur ad hunc finem, quia hic finis fuit volitus à Deo ſine ordine ad Chriſtum, & niſi ille finis conſequendus eſſet, Chriſti incarnatio non eſſet. At verò conſideremus Chriſti incarnationem quatenus per particularem voluntatem, qua Deus certos homines prædeſtinauit ad gloriam, ordinauit illam, vt medium ad hoc particulare bonum, quod iſtis erat collaturus; ſic inquam dicendum eſt, quod Deus ex Chriſti meritis præuiſis motus eſt, vt vellet Chriſti incarnationem eſſe medium ad finem hunc conſequendum, quia ex Chriſti meritis motus eſt, vt hos certos homines ordinaret ad hunc finem, id eſt, prædeſtinaret. Et ità ad argumentum, cum dicitur in antecedẽti, quod Chriſti incarnatio, ordinata eſt in remedium peccati, ità, vt ſi peccatum non eſſet incarnatio futura non eſſet, diſtinguendum eſt

hoc modo; Ordinata est in remedium peccati, in communi loquendo, hoc est, quacunq; ratione generi humano remedium afferretur, concedo. Et isto modo incarnatio non esset futura simpliciter, nisi ob hanc causam, & finem, qui finis satis consequebatur ex eo quod Deus fiebat homo. Et sic verum est loquendo consequenter ad hanc sententiam, quod Christus sicut non meruit quod sua incarnatio esset, ità non meruit, quod esset propter hunc finem. Cæterùm, si loquamur de remedio peccati hominum, illa ratione particulari, & speciali remedij modo, quo quidam homines per Christum ad gloriã eliguntur, & sanctificãtur in filios eius, & fratres, tunc negandum est, quod Christi incarnatio ità fuerit ordinata ad huiuscemodi remedium adferendum hominibus & eorum peccato, vt hic fuerit eius finis principalis, & quod non esset alia principalior ratio & finis futuræ incarnationis, quã uis iste non fuisset. Non enim principaliter propter istos homines glorificandos decreuit Deus, vt incarnatio Verbi esset, sed propter humanum genus ratione generali, & communi vindicandum à miseria, & ignominia peccati, & propter suam gloriã atque honorem tuendum contra astutiam Diaboli, qui sicut sancti dicunt, inuidia motus conatus est irritum facere consilium Dei, in exaltando & dignificando genere humano. Et hoc vtrunque assequebatur Deus per vnionem verbi cum humana natura, etiam si nullum alium hominem præter Christũ prædestinaret. Et ita vtrunque stat simul: & quod nisi peccatum esset prædestinatio & incarnatio Christi non esset; & quod Christus, quanuis non meruit, quod esset sua incarnatio, meruit tamen, vt esset remedium peccati, non quidem remedium, quacunque ratione illud adhiberetur, Sed meruit, vt esset remediũ peccati per prædestinationem aliquorum hominum in particulari eo modo, quo dictum est.

QVAESTIO

QVAESTIO SECVNDA, DE POSSIBILITATE, NECESSITATE, ET CONVENIENTIA INCARNATIONIS VERBI DEI.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm possibile fuerit verbum Dei incarnari, hominemque fieri?



XTAT circa hunc articulum cuiusdam admiratio in epistola Volusiani ad Augustinum, loquentis in hæc verba. Miror, vtrùm mundi Dominus, & rector intemeratæ fœminæ corpus impleuerit, pertulerit decem mensium longa illa fastidia Mater, & tamen virgo enixa sit solennitate pariendi, & post hæc virginitas putetur intacta, atque intra corpusculum vagientis infantiæ lateat, cui parua putatur vniuersitas, & tandiu à sedibus suis absit ille regnator, atque ad vnum corpusculum totius mundi cura transferatur. Præterquam, quod nec vllis competentibus signis tantæ Maiestatis indicia clarescunt. Quoniam miracula, quæ à Domino facta esse dicuntur, hoc est, leprosorum illa emundatio, ægrotantium sanitates, & reddita vita defunctis, aliaque similia Deo certè parua sunt. Hæc verba occasionem dederunt Diuo Augustino, vt Volusiano respondēs epistola. 3, ea de hac re diceret, quæ ab homine summo ingenio admirabilique sapientia dici potuerūt: nos autem perpauca quædam referemus quæ scholæ accommodata esse videantur. Primùm, inquit, scire te volo, nō hoc Christianam habere doctrinam, quod ità sit Deus infusus carni, qua ex Virgine nasceretur, vt curam gubernandæ vniuersitatis vel deseruerit, vel amiserit, vel ad illud corpusculum, quasi cōtractam materiam collectamque transtulerit. Hominum est iste sensus, nihil nisi corpora valentium cogitare, quorum nullum potest esse vbique totum. Deus autem & vbique est, & totus in quocunque loco, & nullo cōtinetur loco, & nouit ipse venire, non inde recedendo vbi erat. Et quia non mole, sed virtute magnus est, ideircò nullas in angusto sentit angustias. Nec est incredibile, si verbū hominis transiens simul auditur à multis, & à singulis totum, quod verbum Dei permanens simul vbique sit totum. Quod verò attinet ad miracula Domini, quæ Deo parua esse dicebantur, cum & puri homines illa fecerint, ità respondet Augustinus, vt quæratur, quid nam vltra Dei verbū facere debuerit. Nunquid homine assumpto alium mundum facere debuit, vt eum crederemus esse illū, per quem factus est mundus? Atqui si maiorem alium mundum faceret extra hūc, cum non essemus in illo, nihil id ad nos attineret: & æqualis quidem intra hunc fieri non potuit. Si autem fecisset minorem crederemus maiorem esse Patrem, qui fecerat mundum maiorem, quam filium, qui fecit minorem. Quia ergo non oportebat, vt nouum faceret mundum, iccircò noua fecit in mūdo. Homo enim de Virgine procreatus, & à mortuis in æternam vitam propria virtute resuscitatus, & super cœlos exaltatus, potentius fortasse opus est, quàm mundus. Fecit itaque Dominus etiam illa miracula, quæ fecerant Sancti Prophetæ, ne esset absurdum, si ipse non faceret quę per illos fecerat. Sed & proprium aliquid facere debuit, nasci de Virgine, à mortuis resurge-

D. Aug. Hieron. 13.

re, in cœlos ascendere: hoc Deo qui parum putat, quid plus expectet ignoro. Et quidem, si omnia Dominus mirabiliter fecisset, & si, Omnipotens cum sit, hominem non ex materno vtero crearet, sed repente ac subito perfectum & integrum inferret aspectibus, si nullas ex paruulo in iuuẽtam mutaret ætates, si nullos cibos, nullos caperet somnos, nihil molestiæ sentiret, & imperio ac apparatu totum mundum perterrefaceret, non ne periculum erat ne verus homo fuisse non crederetur, & dũ omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit? Hæc & alia complura disserebat loco citato benedictus ille Doctor, populi Dei. Sed, vt res tractetur tam grauiter, ingenia parua non sustinent. Et iccircò pro his, qui Theologiam discere incipiunt breuibus aliquibus præceptionibus, & conclusionibus vtemur more scholæ.

D. August.

Prima Conclusio. Incarnatio est possibilis. Hanc si petat infidelis, vt ipsi probem, orabo Deum, vt eum illuminet. Supposita verò fide, eam probo euidenter hoc enthymemate. Est iuxta illud: Verbũ caro factum est: ergo est possibilis.

Ioan. 1.

Secunda Conclusio. Non potest probari demonstratiuè incarnationem esse possibilem. Hæc est Durandi in tertio, distinct. 1. quæstio. 1. Thomæ de Argentina, ibid. dist. 1. articulo. 1. conclu. 1. Marsi, quæstio. 1. artic. 1. dub. 3. Gabr. dist. 1. quæst. 1. articulo. 2. conclu. 4. Et probatur; Id, quod est supra rationem humanam non potest naturali lumine demonstratiuè probari: Sed incarnatio est huiusmodi: ergo. Minor constat ex Diuo Augustino, in epistol. ad Volusianum, & ex D. Ambros. libro de Verbi incarnatione, & ex glossa, super illud Ioan. 3. Non sum dignus corrigiam calceamenti soluere. Et certè nunquam nec Iudæi, nec Gentiles quibus incarnatio fuit, & stultitia, & scandalum, cõuicti sunt, aut cõuinci potuerunt lumine naturæ, quod incarnatio sit possibilis.

Durandus. Tho. de arg. Mars. Gabri. D. August. D. Ambros.

Tertia Conclusio certissima, nec etiã potest demonstratiuè probari incarnationem nõ esse possibilem. Patet, quia quod non est non scitur, nec demonstratur: sed ipsa incarnatio non est impossibilis: ergo non potest sciri, quod sit impossibilis. Secundò argumentor; Nam nulla ratione potest probari demonstratiuè id, quod est contrarium fidei, Siquidem verum vero non est contrarium, quicquid Olchot incaute dixerit: sed incarnationem esse possibilem est de fide: ergo non potest vlla ratione demonstrari, quod non sit possibilis.

Olchot.

Quarta Conclusio. Rationibus probabilibus, & congruentijs suaderi potest incarnationis possibilitas. Hæc est communis, & declaratur. Nam id fieri nec repugnat ex parte Dei, cuius potentia est infinita, nec ex parte creaturæ, nam ipsa est in potentia vt in ea fiat quicquid Deus voluerit: nulla ergo ex parte repugnat. Hic si mihi dicas hoc pugnare cum ipsa natura, & ratione creaturæ, quia fieri non potest, vt natura nudetur, & absoluatur à proprio supposito, insito in hunc modum, Id quod est prius intelligi potest absolui à posteriori, sed suppositum est posterius quid ad naturam, si quidem addit subsistere per se, & id quod se habet ex additione est posterius, ergo potest natura etiam hæc absolui à proprio supposito.

Secundo argumentor: Nam virtute diuina fieri potest, & re ipsa fit, vt accidens sit absque subiecto: ergo eâdem virtute fieri potuit, vt humanitas esset absque proprio supposito. Probatur consequentia: Quia hoc postulat natura accidentis, vt & sustentetur in substantia, & ad eam terminetur eius dependentia, Sed hoc non obstante accidens absoluitur à subiecto: ergo poterit natura hæc absolui à proprio supposito. Ac certè, si infidelium ingenium esset bene dispositum, satis esse deberet ad asserendam incarnationis possibilitatem, quod in similibus disputationibus. Vtrum Deus aliquid possit, vbi pars negatiua apertissima ratione non demonstratur, omnipotentia Dei est apud viros sapientes qua si in possessione quæstionis, & partis affirmatiuæ. Gentiles enim ipsi si modo nõ desipuerint, fatebuntur cum sapientissimo Augustino concedendum esse multa posse Deum

D. August.

Deum quæ nos intelligere,& inuestigare non possimus.

Plato. Cæterùm cùm teste Platone principia grauia sint & prolixa,nō possumus in hoc primo articulo,atque aliquibus sequentibus,non tot dubia tangere,& controuertere,vt fortasse grauent lectorem. Et in primis quibusdam videtur, quod hoc nomen, Incarnatio,non sit cōuenienter vsurpatum ad filij Dei exinanitionem significandam,cum sit inusitatum apud Latinos & prætereà Diuus Hilarius in præfatione ad Psalmos,& Diuus Isidorus libro quodam ad Florētinam sororem mysterium hoc non incarnationem,sed incorporationem appellauerint. *D. Hilar. D. Isidor.* Respondetur tamen quod scholastici meritò vtuntur eo nomine,& illud retinere debent. Probatur:nam illo vtuntur antiqui,& eloquentes authores Diuus Cyprianus libro.2.aduersus Iudæos Diuus Ambrosius super Psalm. 35. Diuus Hieronymus, & Augustinus sæpè. *D. Cypria. D. Ambro. D. Hierony. D. August.* Etquidem regula à probatis authoribus recepta est,quod nouis existentibus rebus noua debent excogitari vocabula; vnio autem Diuini Verbi cum humana natura facta fuit multo tempore post inuentam linguam Latinam: ergo necesse fuit nouum illud vocabulum excogitâre. Tertio,quia in sacris literis, caro significat hominem, iuxta illud Genes. 6. Omnis caro, id est, omnis homo,corruperat viam suam:ergo hæc vox incarnatio apta est ad significandam vnionem Verbi Dei cum humana natura. *Genes. 6.* Quarto quoniam hæc vox consonat multum ei,quod habetur Ioan.1.Verbum caro factum est, quibus verbis Ioannes explicuit hoc mysteriū. *Ioan. 1.* Quod si quis obijciat,quod hæc vox anima, significat hominem in scriptura sicut caro,vt cōstat Genes. 46. Animæ domus Iacob,&c.ergo hæc vnio potius debuit significari voce deducta ab anima quam à carne, si quidem anima carne præstantior est, efficiet hæc obiectio,vt declaremus,quæ ratio fuerit, quare cùm homo vtroque nomine appelletur in scriptura,nihilominus Diuus Ioannes initio Euangelij intonuerit. *Genes. 46. Ioan. 1.* Verbum caro factum est,& Theologi ipsum secuti hoc mysterium incarnationē vocauerint, potius,quam animationem. Igitur id factum est multas ob causas. Primò, ad declarandum Dei erga nos ingentem amorem; nec enim dedignatus est id assumere nostræ salutis causa,quod infimum in homine, & vilissimum erat.

Secundò, ad ostendendam summam Dei potentiam: siquidem potuit vnire sibi hypostaticè non solum naturam spiritualem,& aliqua ratione sibi cognatam, qualis est anima rationalis, sed & corporalem,qualis est humana caro. Vnde in triduo corpus Christi mansit vnitum Verbo Dei. Et ideò in Symbolo confitemur Deum fuisse sepultum. Tertiò, quia si Ioannes solum dixisset, Verbum anima factum est,posset quis dubitare, vtrū assumpsisset,etiam carnem. At verò cum dicit: Verbum caro factum est, simul affirmat omnes humanæ naturæ partes esse assumptas à Verbo,nam viliorem Deus assumpsit præstantiorem certe non neglexit. *D. August.* Quartò ad ineffabilem Dei bonitatem,& misericordiam voce ipsa, qua Euangelista vtitur exaggerādam,qui factus fuit homo, vt omnes imbecillitates & dolores, quibus natura humana,quia caro est, premitur & subijcitur in hac vita mortali, susciperet, vitamque degeret humilem, & ignominijs plenam. Vnde Matth.20.de seipso dicebat Dominus: Non veni ministrari, sed ministrare,& ad Galat.4.dicitur,quod misit Deus filium suum factum ex muliere,id est,ad imbecillitatem, & miseriam, id enim significat scriptura ea phrasi, Factum ex muliere. *Matth. 4. Galat. 4.*

Secundò, contra possibilitatem Incarnationis est argumentum. Quia quæ maximè,& in infinitum distāt vniri non possunt; sed natura humana & diuina, distant in infinitum: ergo vniri non possunt.

Ad hoc argumentum nego maiorem. Et ratio est: Quia maior est distantia inter corpus & albedinem,quæ differunt genere; quam inter albedinem & nigredinem, vel Leonem,& equum,quæ differunt sola specie;& tamen illa inter se iunguntur, hæc verò coniungi non possunt: igitur distantia secundum perfectionem,& entitatem nō impedit vnionem. Et cùm in proposito,

posito, quanuis sit summa distantia, sit tamen aliqua proportio inter extrema, proportio, scilicet, potentiæ ad actum, quia potest humanitas eleuari ad esse diuinum, cõsequens est vt nihil prohibeat illa inter se se coniungi.

Tertio argumentor. Vnire est agere: ergo vniri est pati: ergo Deus Verbum non potuit vniri humanæ naturæ, nec enim pati potuit.

Ad hoc argumentum distinguo consequens: ergo vniri est pati, alicuius extremi consideratione, scilicet, humanitatis concedo; ex parte vtriusque extremi, negatur: nam & Christus, in quãtum homo factus est à Deo, & tamen suppositum non est factum.

Dico secundò, quod quanuis illæ voces in eo sensu sint à Philosophis acceptæ, vt vnire sit agere, & vniri sit pati: cùm tamen ad diuina transferuntur, qua parte clauserint imperfectionem, non retinent significationem eandem, sed modum significandi. Vnde dico, quod in diuinis vniri nõ est pati, sed potius quemadmodum apud Philosophos generans est efficiens, Deus autem generans filium non propriè efficit filium, pari proportione in præsenti loqui debemus, & dicere, quod quanuis vniri in rebus Physicis, & naturalibus sit aliquid recipere ac pati, verbum tamen vnitum humanitati eamque suscipiens non patitur. Quarto argu. Quia Verbum fieri hominem, incipere ve esse hominem est mutâri: sed Deus mutâri nõ potest: ergo nec fieri homo.

Ad hoc argumentum nego maiorem. Quoniam ad hoc vt Deus modo dicatur esse homo, cùm ab æterno non fuerit homo, sufficit mutatio vnius extremi, scilicet humanæ naturæ; at verò suppositum Verbi Dei, cùm sit huius vnionis terminus, nõ est necesse, quod mutetur, terminus enim sine sui mutatione terminare potest, quia alia terminantur ad ipsum, vt ferè ad sensum videmus. Quintò argumentor: Esse hominem dicitur de Verbo ex tempore, & est prædicatum absolutum: ergo aliquid ponit in Verbo, quod ante non habebat: ergo Verbum est mutatum.

Ad hoc argumentum supposito quod Deus verè est homo, non quod in seipso suscipiat aliquam perfectionem, aut esse actualis existentiæ ab humanitâte, sed potius, quia ipse Deus eam suscipit perficit, continet atque ita eleuat, vt ei diuinitatis consortium largiter tribuat, hoc ergo præmisso dicendum est: quod prædicatum nouum, aut est respectiuum, aut absolutũ. Si respectiuum, non necesse est, vt dicat aliquam mutationem in eo de quo incipit prædicari: si quidem Deus incipit creare, & scibile incipit sciri sine sui mutatione. Si verò illud prædicatum sit absolutum, aut tribuit aliquod esse subiecto, aut non tribuit. Si tribuit, certè subiectũ mutatur: sicut cum esse albi aduenit corpori. Si verò illud prædicatum non tribuit esse subiecto (loquor autem de esse existentiæ, & perfectionis) subiectum non mutatur. Cum igitur prædicatum homo nõ tribuat esse & perfectionem Deo, sed potius illud suscipiat; dici non debet, quod Deus cum factus est homo est mutatus. Sexto argumentor: Ratione vnionis hypostaticè fit idiomatum communicatio, ità vt proprietates Dei de homine dicantur, & èconuerso: dicimus si quidem quod Deus sit mortuus, & sepultus, & etiam quod homo sit Deus: ergo si quidem de homine dicitur, quod incipit esse, & eo ipso quod incipit esse mutatur, dici etiam potest de Verbo Dei quod incipit esse per incarnationem & mutatur.

Ad hoc quidam docti respondisse dicuntur, quod certè ex communicatione Idiomatum fatendum est quod Verbum per incarnationem incipit esse, & mutatur. Sed pro explicatione huius rei aduertendum est, quod de natura diuina, & humana possumus loqui, aut in concreto, aut in abstracto. Si loquamur in abstracto, non est intereas communicatio Idiomatum: humanitas enim Christi nec est, nec dicitur diuinitas: & humanitas quidẽ est creatura, Verbum autem Dei non est creatura, sed Deus benedictus in sæcula. Si autem loquamur de illis naturis in concreto, tunc subdistinguendum est. Quia, aut est sermo de illis prout præintelliguntur ante vnio-

vnionem, aut post vnionem. Si post vnionem, verè fit idiomatum communicatio. Si verò ante vnionem, non fit communicatio idiomatum, dicimus siquidē, Deum fuisse incarnatum, & non dicimus, hominem assumpsisse carnem. Quia ergo siquis diceret Verbum diuinum per incarnationem mutatum esse, non supponeret ex modo significādi atq; loquendi Deum iam factum hominem, iccircò dicendum non est, quod Verbum per incarnationem mutetur, nec verò quod incipiat esse. Atq; vt magis explicem rem istam, aduertendum est secundò, quod de verbo quando carnem assumpsit possumus loqui tripliciter: aut in quantum est causa efficiens humanitatis, eamque vniens sibi ipsi, aut secundò, in quantum est terminus vnionis, sumpta vnione pro illa actione, qua natura humana est assumpta, & vnita Verbo; aut tertiò loqui possumus de Verbo, vt est terminus relationis, quæ reperitur inter res vnitas. His igitur tribus modis potest considerâri Verbum. Et cum nec primo nec secundò, nec tertio modo dici possit Verbum mutatum in incarnatione, consequens est, quod non sit mutatum. Non primo, quia causa efficiens, vt sic, non mouetur, sed mouet præsertim prima. Nec secundò, nam terminus actionis sine sui mutatione potest terminare, sicut coloratum sine sui mutatione terminat visionem, & in vniuersum loquendo obiectum sine sui mutatione terminat actū. Nec tertio modo: nam Verbum non suscipit, nec habet in se realem relationem ad humanitatem, sed rationis. Et Aristoteles ipse quinto Metaphys. text. 20. fatebatur esse quædam relata quæ ideò talia dicuntur, quod alia referantur ad ipsa, non verò quod ipsa reali relatione referantur ad alia. Ex quo genere sunt relationes omnes, quæ Deo per comparationem ad creaturas tribuuntur.

Aristot.

His positis ad argumentum dico, quod aliud est iudicium de hac propositione, Verbum incipit esse, quam credo, nec ipsum, quem aliqui citant, concessisse Victoriam. Quoniam, & si adderemus specificationem, secundum quod homo, non valeret consequentia, Verbum incipit esse, secūdum quod homo: ergo incipit esse, quoniam hoc argumentum re vera; & æquiualenter sumitur ab inferiori ad superius negatiuè, quod nihil valet. Sicut si quis diceret, anteà non erat album: ergo anteà non erat coloratum, vel, incipit esse albū: ergo incipit esse coloratum. Aliud autem iudiciū est de illa propositione, Verbum mutatur. Pro qua dicendum est, quod licèt Deus Verbum, factus homo ambulauerit, & multa passus fuerit, & mortem obierit, ac proinde incarnatione facta ratione humanitatis mutetur, quæ tamen verbo tribuuntur prius tempore, aut natura, aut intellectu, quam homo fuerit, non possunt dicere mutationem, quoniam significaretur ea mutatio conuenire Verbo ratione sui ipsius. Et quoniam incarnatio est prior natura, & intellectu, quam Deum esse hominem, si quidem est via ad illud, iccircò non est concedendum, quod Verbum per incarnationem mutetur. Est & alia quædam ratio in contrarium, quæ certè nō est propria huius loci, sed scholastici eam huc accersiuere, Illa est; Quia quod pertinet ad rationem boni est perfectio; sed se communicare pertinet ad rationem boni: ergo est perfectio: ergo Deo cum se communicauit accreuit aliqua perfectio, quod est impossibile.

Victoria.

Ad hoc argumentum Caietanus, prima part. quæst. 19. art. 2. respondet: quod ea perfectio communicandi se est in Deo perfectio libera, & non est inconueniens, quod Deo aut accreuerit ex tempore aut defuerit aliqua perfectio libera, vt si se Deus nō communicasset. Tertia verò parte quæst. 1. artic. 1. respondet, quod se communicare est perfectio, non tamen in communicante, sed in ea re, cui suam bonitatem communicat. Sed nec prima nec secunda responsio est sufficiens. Nam in primis falsum est, quòd prima parte dixit, scilicet, quod perfectio libera adesse possit Deo ex tempore, atque deesse. Hoc, inquam, est falsum, tum, quia esse liberum non est cōditio diminuens perfectionem, & ex consequēti sequitur quod aliqua perfectio simpliciter possit deesse Deo: tum maximè, quia

Caietanus.

quia sequitur per locum ab intrinseco (vt Logici dicunt) Deum non esse purũ actũ; si quidem est in potentia ad aliquam perfectionem recipiendam, quæcunque illa sit. Nec verò esset infinitè perfectus, quod etiam addidit tertia parte. Non quidem est improbabiliter dictum, sed non videtur verum. Et ratio est: Quoniam actio communicandi se est in Deo; & quicquid est in Deo realiter est perfectio: ergo. &c.

Dico ergo ad argumentum, quod actio, qua se Deus communicat, nihil est aliud, quam sempiterna eius intellectio, atq; volitio, vnicuíq; & simplicissimus eius actus: qui potest considerari dupliciter. Vno modo secundum se, & sic est infinita perfectio, qua Deus nulla ratione carere potest. Secundò etiam potest considerari secundum habitudinem ad tale obiectum, scilicet, ad bonum creaturæ suo tempore producendæ, & hæc habitudo est relatio rationis in Deo, & ex cõsequenti non est perfectio, potestq; nõ inesse ea habitudo actui diuino absolutè loquendo, quoniam libere inest.

Ad argumentum in forma, cùm infers: ergo se communicare est perfectio, distinguo consequens: Ex parte actus diuinæ voluntatis, & intellectus, qui actus est ipse Deus, concedo. Ex parte habitudinis ad creaturas in esse producendas, negatur. Et quoniam communicatio vtrunque complectitur & includit, iccircò potuit absolutè loquendo non esse in Deo communicatio ad creaturas, non tamen defuisset ei aliqua perfectio.

Aduertendum etiam est, quod si sistere vellemus in illa propositione maiori, quod pertinet ad rationem boni, est perfectio, tunc optimè quadrat distinctio Caietani. Dicendum est enim, quòd id, quod pertinet ad rationem boni existens realiter in ipso est perfectio, quod verò pertinet ad rationem boni, quasi fluens ab ipso, & positum in alijs, illud est perfectio illorum, non illius.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm necessarium fuerit ad humanam salutem Verbum Dei incarnari.


QVI Sanctorum Patrum lectioni deditus est, innumerabiles causas, & rationes necessarias inueniet, quas secutus est Deus in ordinãdo & disponendo, quod Verbum carnem assumeret. Nos verò ex D. August. breuia quædam colligemus, vnà cum Beato Thoma, illo vno præmisso, quod necessarium dicitur dupliciter vno modo illud, sine quo finis haberi nullo modo potest, vt cibus ad vitam, alio modo id. quod est commodius, & conuenientius ad finem, quanuis finis posset haberi sine illo, quod appellari solet vtile. Quo supposito respõdeo dicendum, quod Deũ incarnari non fuit necessarium primo modo, Deus enim sapientia, & potestate sua poterat humanam naturam multis alijs modis reparare. Secundò autem modo necessarium fuit Deum incarnari ad humanæ naturæ reparationem. Vnde Augustin. 13. de Trinitate cap. 10. Verum ostendamus, inquit, non alium modum possibilẽ Deo defuisse, cuius potestati æqualiter omnia subiacent, sed sanandæ miseriæ nostræ conuenientiorem alium non fuisse. Id quod liquet in primis. Nam quicquid boni hominibus necessarium erat id totum per incarnationem Dei conuenientissimè, & cumulatissimè habetur. Erat necessaria fides, & ideo nos ipse veritas visibilis erudiuit, & docuit, quid credere deberemus. Erat necessaria spes, & ea generatur & roboratur in nobis dum consideramus quantum nos Deus diligeret, qui pro nobis, & homo fieri & mori dignatus est: possumus ergo introire cum fiducia ad thronum misericordiæ eius. Erat necessaria charitas, & hæc in nobis accenditur, cum attendimus, quod cum inimici essemus Christus ad nos venit, & pro nobis mortuus est, & cũ tam ardenti dilectione præuenerit eius charitas vrget nos vt amemus. Erat nobis in cælum

D. Aug. 5. Metaphy. tex. 6. B. Thom. Arist.

Hebræ. 4.

Roman. 5. 2. Corint. 5.

cœlum aperienda via, & iccirco visibilis apparuit ille, qui dixit, Ego sum via. Et quia hoc iter non conficitur nisi bene operando, necesse erat, vt se præberet exemplum virtutis omnis & sanctitatis, iuxta illud Augustini, Homo sequendus non erat, qui videri poterat, Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur Deus factus est homo. Et quidem si Propheta Baruch hominem admonens, in quo situm esset suum bonum, dicebat: Disce vbi sit intellectus, vbi sapientia, vbi lumen oculorum & pax in Verbo homine facto inuenimus, quod ibi est intellectus, & sapientia, quia est Verbum & sapientia Dei, ibi est lumen multo verius, quam lumen solis huius, ibi pax, quæ exuperat omnem sensum, & quam solus Dei filius homo factus potuit promittere dicens: Pacem meam do vobis, nam mundus pacem nec promittere potest, nec dare quam non habet, denique si quidem in omnibus operibus Dei maximè lucet misericordia & iustitia, conueniens fuit, vt istæ virtutes splenderent maximè in redemptione nostra. Lucet verò maximè Dei misericordia & bontas, eo quod pro nobis de cœlo ad terram descendit, & iustitia, quia pro nobis pati & mori dignatus est, vt nos eriperet à dæmonis potestâte. Vnde, quia ibi est summa iustitia, dicit scriptura: Sion in iudicio redimetur, Isai. 1. Et quia est summa misericordia dicit; In misericordia sempiterna misertus sum tui. Isai. 54. & quia ibi est summa misericordia & iustitia: iccirco scriptura vtrunque coniungens ait. sponsabo te in iustitia, & in iudicio, & in misericordia, & in miserationibus. Quis verò commemorâre sufficiat minimam partem bonorum, quæ ex Dei incarnatione promanarunt, siue honorem Dei & Christi sui, siue hominis dignitatem, siue regni Diaboli destructione spectes? Certè ista volumine integro vix tangi possunt: sed quo quis magis spiritualis fuerit eò plures & admirabiliores effectus in incarnatione Dei contemplabitur.

Cæterum aduersus hæc argum. 1. Nam Diuus Anselmus, lib. Cur Deus homo, docet fieri omnino non posse, vt homo repararetur aliter, quam morte Christi. Vnde explicans illud, Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste, affirmat, quod non potuit calix transferri à Christo, nisi biberet illum, quia impossibile erat, vt mundus aliter seruaretur. Et ratio, quæ eum mouet, est, quia Deus cum sit infinitè bonus, non potest contraire suæ iustitiæ; esset vero cōtra iustitiam Dei, quod peccata hominum impunita manerent, ergo non potuit homo reparari, nisi Christo pro ipso satisfaciente.

Respondetur, quod Diuus Anselmus, dum mysterium incarnationis extollere, & modum reparandæ humanæ naturæ amplificare nititur, longius æquo processisse videtur. Existimauit enim, quod cum potentia Dei semper cum eius iustitia, & sapientia coniuncta sit, non potuit Deus homini peccatum condonare, sine satisfactione exhibita per Christum, quia id esset omnino contra iustitiam. Hæc tamen sententia non videtur vera: sed dicendum est cū D. August. quod Deus multis alijs modis potuit reparâre genus humanum salua sua iustitia, atque sapientia. Quod declaro primum, quia si Deus reparasset genus humanum, homine ipso pro suo delicto pœnam sustinente, nihil fecisset alienum à sua iustitia: quoniam licet homo non posit perfectè satisfacere pro suo, vel aliorum peccato, non tamen est contra æquitatem diuinæ iustitiæ, vt homine pro suo delicto pœnam sustinente Deus illam acceptet.

Secundo id declaro, quia sine præiudicio diuinæ iustitiæ fieri potuit, vt Deus gratis & sine vlla satisfactione peccatum homini condonaret. Quod probo: Nā par & æqualis ratio est quod quis det alteri quod suum est, & quod remittat id quod est sibi debitum: sed quilibet potest absque præiudicio iustitiæ dare alteri gratis quod suum est: ergo & potest, & pœnam, & culpam, contra se commissam remittere.

Tertio id declaro, Quia cum Deus quādo remittit culpam infundat gratiam, nihil tunc maneret in homine inordinatum & pœna dignum, præsertim cum homo iam

Ioan. 14. D. August. Baruch. 3. Philip. 4. Ioan. 14. Isai. 1. Isai. 54. Osee. 2. D. Ansel. Matth. 26. D. August.

iam in gratia posset per bona opera atque afflictiones Deo satisfacere. Et ad Beatum Anselmum ex his liquet responsio: non enim rectè colligitur; nec verò pecata tūc manerent impunita, sed non manerent. Et quando Doctores dicunt, quod nisi Christus moreretur homo non redimeretur, id est intelligendum supposita lege. Est verò tenendum indubiè, & firmissimè credendum, quod modus incarnationis Dei fuit omnium conuenientissimus; quod non dico solum propter authoritatem P. Augustini, sed quia tanti mysterij maiestas, & Dei bonitas hoc postulant, & euincunt.

Secundo argumentor: Quia misericordia est maxima omnium virtutum: conuenientius ergo fuisset, vt Deus reparasset genus humanum misericordia sola gratis cō donando delicta, quàm iustitia exigendo incarnationem, & mortem acerbam filij sui. Vnde Petrus Abailardus & sequaces, referente Diuo Bernardo, asserebāt, quod Deus sola misericordia reparauit genus humanum, quoniam ità facere fuit conuenientissimum, & ex cōsequēti quod Christus non venit ad genus humanum redimendum, sed ad docendum homines verbo & exemplo; quod ipsum Pelagiani asserebant, quoniam negabant peccatum originale. Et quidem in humanis magis laudari solet, qui gratis offensam remittit, quàm qui aliquam satisfactionem exigit. Deo autem tribuere debemus quod optimum, & honorificentissimum est.

Epist. 109. D. Bern.

Ad hoc argumentum dicendum est, quod secundum fidem Catholicam, Deus factus homo, non solum docuit homines viam virtutis, sed etiam & à peccato & à Dæmonis potestate liberauit, vt cōstat ex illo: Vocabis nomē eius, Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum, & illud: Venit filius hominis dare animam suam in redemptionem pro multis, & Lucæ. 20. Hic est calix noui testamēti in meo sanguine, qui pro vobis fundetur. & illud Pauli. In fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, & iterum Roma. 8. Qui proprio filio suo nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & Ioan. 12. Nunc princeps huius mundi eijcietur foras, & alia multa.

Conc. Trid. Matth. 1. Matth. 20. Luc. 20. Galat. 2. Roma. 8. Ioan. 12.

Ad rationes vero allatas respōdeo, quod tanto aliqua actio perfectior est, quantò magis explicat vim, & perfectionem operantis: ergo illa actio est magis Deo conueniens quæ magis explicat Dei perfectione & bonitatem immensam; sed in incarnatione Verbi magis declaratur Dei bonitas, & perfectio, quàm in gratuita solùm condonatione peccatorum: ergo Verbi incarnatio fuit conuenientissimum medium ad reparationem hominis. Declaratur minor: Nam in incarnatione resplendet in primis summopere Dei misericordia; nā qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo cū illo non omnia nobis donauit? Quæ verò maior misericordia esse aut fingi potest, quàm quod homini æternis supplicijs deputato, & nihil habenti quo se redimeret, dicat Pater æternus; Accipe vnigenitum meum & da pro te, & dicat filius, Accipe me, & da pro te? Sūma verò iustitia splendet in eo, quod Deo, cui homo debitor erat pretium multo maius omni debito solutū est. Dico verò pretium solutum esse Deo; quia, vt doctè Gregor. Theologus docet oratione. 2. in Pascha, satisfactio facienda erat, factaque est Deo, non Diabolo. Sublatum enim est Diabolo per incarnationem & mortem Christi, non quod habuit proprium, sed quod rapuerat alienum. Auferens enim Christus de magna domo eius, quæ perierant non furtum fecit, sed furtū recepit, vt ait Augustinus in sententijs. Splendet primum in hoc opere summa Dei potestas, sapientia, charitas, magnificētia, cæteræque omnes virtutes: est ergo vehementer falsum conuenientius fuisse, vt homo per solam misericordiam repararetur, quam per eum modum in quem est summa misericordia, & summa iustitia, & immensæ aliæ atque innumeræ Dei virtutes conuenerunt, & se inuicem complexæ sunt. Ad eam verò congruentiam, quam illi ex humanis afferebant dico, quod etiam inter homines is iudex maximè laudaretur, qui & satisfaceret iustitiæ, & reum à crimine & supplicio liberaret.

Roman. 1. Nazian. D. August. Psalm. 84.

Hoc

Hoc verò facere non est hominis infirmi, & ignorantis, sed Dei sapiẽtis, & potentis. Re autem ipsa is iudex laudatur in humanis, qui non gratis condonat delictum, sed qui excogitata aliqua satisfaciendi ratione minus molesta ei, qui deliquit, simul & satisfacit iustitiæ, & ratione etiam habet misericordiæ. Et hæc de hoc articulo, in quo solẽt scholastici latisimè disputare de satisfactione Christi, & de satisfactione puri hominis. Eis verò, qui nouerunt quid sit aptè & concinnè differere, atq; vnũquodq; suo loco dicere, nihil accidere potest grauius, & minus ferendum, quã aliena misce re proprijs, & ordinẽ doctrinæ peruertere. Hæc ergo reijciamus intractatũ de merito Christi, quæst. 21. artic. 9.

ARTICVLVS. III.

Vtrum si Adam non peccasset Verbum sumeret carnem.



EXTANT de hoc duæ celebres & probabiles sententiæ. Prima est Alexãdri de Halens. 3. p. q. 2. mem. 13. Scoti in. 3. d. 7. q. 3. & dis. 11. q. 1. Ambrosij Catherini libro de prædestinatione Christi. Iacobi Naclanti in caput. 1. epist. ad Ephes. Claudij Archiepiscopi Taurinensis, lib. de prouid. tract. 1. artic. 5. & Petri de Tarantasia, qui Papa factus appellatus est, Innocẽtius tertius, cuius verba refert Dionysius Carthus. in. 3. dis. 1. quæst. 2. In quam etiam partem inclinat ipse Dionysius, eam que tenuit Ioannes de Sacrobusto, 1. p. sui operis sermo. 4. Qui omnes docuerunt, quod licèt Adam non peccasset, Deus fieret homo. Sed contrariam sententiam tenet S. Tho. & Thomistæ, & Marsilius in 3. q. 1. art. 3. & D. etiam Bonauentura magis ad hanc partem inclinat, in. 3. dis. 1. Nec verò desunt qui ita inter vtrunq; fluctuent, vt illud sine assertione lectori relinquant: ex quibus fuit S. Tho. in. 3. d. 1. q. 1. artic. 3. & Maioris dist. 1. q. 2. & Gabriel. distinct. 2. dubio. 3.

Alexand. de Hales. Scotus. Amb. Cath. Claudus. Innocen. Dion. char. Ioã. de Sac. B. Thom. Marsi. D. Bonauen. B. Thom. Maior. Gabriel.

Ego in similibus quęstionibus illud Philonis sapiẽtisimi viri vehementer laudo. *lib. de calog.* Qui cum quæsiuisset, quid causæ esset cur Deus legem in solitudine dedisset, eiusque rei plures reddidisset causas valde rationi consentaneas & congruentes, illud tãdem adiecit quo nihil dici potuit aut grauius, aut verius. Hæ, inquit, causę afferri possunt verisimiles; nã veræ soli Deo notæ sunt. *Philo.* Pari ratione, & multo etiam maiori in proposito nostro, quærenti, an nisi Adam peccasset Deus futurus esset homo, verisimilia ego in vtramq; partem afferre curabo, veritatem autem, hominum arbitror scire neminem nisi ei ille reuelauerit, qui, cùm esset ęternus Deus, pro nobis peccatoribus factus est homo.

Principiò ergo quædam præmittam, quę certa sunt apud omnes, & indubitata. Secundò loco exponam sententiam Alexandri, & Scoti. Tertiò eam, quã sequitur D. Tho. Postremò vni & alteri breuiter respondebo. Pono ergo in primis, quod filius Dei non solum ob expianda peccata suscepit carnem, sed etiam propter alias causas. *Conci. Trid.* Quarum vna est vt erudiret homines vita & doctrina. Vnde Ioann. 14. ipse dicebat: Ego sum via, veritas, & vita, & ca. 18. Ego in hoc natus sum & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. *Ioan. 14. Ioa.*

Secũda est, vt ferret leges in ecclesia seruandas. Vnde Matth. 17. pater cœlestis dicebat. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite. Et in scripturis sæpè, maximè apud Paulum, lex spiritus vitæ, & lex gratiæ, & lex fidei dicitur esse lex Christi, iuxta illud ad Galat. 5. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Venit ergo Christus, vt legislator; & propterea dicitur ab apostolo, minister noui testamenti, non litera qualis fuit Moyses, sed spiritu. Et in Concilio Tridentino, sesione. 6. canon. 21. habentur hæc verba: Siquis dixerit Christum venisse hominibus, vt redemptorem tantum, cui fidamus, & non vt legislatorem, cui obediamus, anathema sit. Vnde, & Propheta dixerat: Legem eius insulæ expectabunt. *Matth. 17. Galat. 5. Hebræ. 9. Conc. Trid. Isai. 42*

Tertia, vt homines ad iustitiam, & gloriam transferret, iuxta illud: Factus *1. Cor. 1.*

est

est nobis iustitia: & per ipsum habemus accessum ad Patrem. Quarta, vt gloriam Dei illustraret. Vnde Lucæ. 2. nato Domino Angeli cecinerunt: Gloria in excelsis Deo, & ipse Dñs dicebat ad Patrem: Ego te clarificaui. Et deniq; venit propter plures alias causas, quæ comprehẽsionem rationis excedũt. Secũdo ponẽdũ est, quod nullo hominũ existente peccato, Deus nõ venisset in carne mortali, nec mortẽ subiret; hoc enim factũ est dũtaxat ad expiãda peccata; & hæc duo sunt certa & indubitata. Est verò quæstio in eo, vtrùm peccato non existente Deus assumeret carnem, nõ quidem morti obnoxiam, sed impassibilẽ, & immortalem, de quo sunt duæ illæ sententiæ, quas adduxi. Vt ergo ab Alexãdro, & Scoto eiusq; partis fauoribus incipiamus, eorum sententia est, quod Deus ante præuisionem peccati primò omniũ voluit vnionem Verbi cum humana natura propter suam bonitatem, & gloriam illustrandam, atq; ex amore rei tam excellentis, qualem prçuidebat, futurum esse illum hominem, motus est ad humanum genus intellectuales creaturas, & cæteras res constituendas, hominesq; & Angelos glorificandos. Deinde cum vidisset hominum genus in Adam peccauisse, atq; id procuratum esse astutia dæmonis, vt impediretur vnio Verbi cum humana natura, tunc, inquam, Deus illo eodem amore, quo Christum diligebat permotus, statuit perducere ad exitum incarnationẽ Verbi, tali modo & ratione, vt per eam Dæmonis astutiã & consilia frustraret, & liberaret homines à peccato. Vnde quod Deus decreuerit Verbum incarnari, solius diuinæ voluntatis fuit. Quod autem decreuerit vt incarnaret eo fine, vt per vitam ærumnosam & mortem acerbam remedium afferret peccato, multosque peccatores ad statum, & gloriam filiorum Dei traduceret, hoc supponit notitiam peccati primi parentis. Et quidem hæc est huius sententiæ summa, iuxta quam nonnullas statuam cõclusiones, si illud præmisero, quòd Deus ab æterno vnico actu, & simplici cognouit omnia, quæ possunt cognosci, & vno ac simplici actu voluit fieri omnia, quæ in tẽpore futura erant; vnde nõ est in Deo prius & posterius quoad cognitionem, nec pluralitas cognitionũ. Sed tamen; quia quædam res ex natura sua sunt alijs priores, & ad eas prçsupponuntur, ità, vt sine illis nec esse, nec cognosci possint, icircò necesse est dicere, quòd secundum nostrum modum intelligendi, Deus aliqua cognoscit prius alijs, non quidem tempore, sed ordine, & præsuppositione rationis. Et quoniã Deus ordinatè vult quæcunque vult, & vnum vult esse propter alterum, vt herbam propter animal, & animal propter hominem, ideò licèt omnia velit vnico actu, tamen nostro modo intelligẽdi vult prius vnum, quam alterum vt finem, quam media, non quidem tempore sed ordine, & præsuppositione rationis: qui ordo rationis sumitur & oritur ex ordine, quem res habent inter se se.

Romã. 5. Lucæ. 2. Ioan. 17. Alexan. de Alex. Scotus.

His positis prima conclusio: Rebus omnibus cognitis à Deo per simplicem intelligentiam, id, quod primum omnium voluit & decreuit Deus, & ex quo cætera omnia fuerunt volita, fuit suam gloriam manifestâre, communicando suam bonitatẽ, & perfectionem. Probatur primo, ex illo Prouerb. 16. Omnia propter semetipsum operatus est Altissimus, & ex illo Apoc. 1. & 22. Ego sum Alpha & O mega, principiũ & finis. Secũdo probatur ratione: Nã Deus re ipsa est primum principium & vltimus finis rerum omnium: ergo res omnes ordinatæ & relatæ sunt à Deo in seipsum; aliòqui non essent benè ordinatæ. Nec verò Deus potest habere pro vltimo fine suorũ operum aliquid aliud à se: quoniã aliquid aliud à Deo esset præstantius ipso, quo nihil dici aut fingi potest absurdius. Hæc ita que propositio prorsus est certa. Prouerb. 16. Apocal. 1.

Secunda conclusio. Deus ad hanc gloriæ suæ manifestationem potissimum medium, quod elegit, & quod primo producere voluit, fuit Christus. Probatur hæc cõclusio. Primò ex Apostolo ad Colos. c. 1. vbi dicit de Christo, quod in ipso habemus Redemptionem, & remissionem peccatorum, qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Quoniam in ipso condita sunt vniuersa, in Coloss. 1.

cœlis,

cœlis & in terra visibilia, & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis. Ex quo loco sic argumentor: Apostolus hic loquitur de Christo vt Christus est, id est, vt habens naturam humanam vnitam hypostaticè, hac enim ratione est Redemptor, & caput corporis ecclesiæ, & primogenitus ex mortuis, & primogenitus omnis creaturæ: at verò Christus, vt habens naturam humanam, nō potest dici primogenitus, eo quod sit ante omnem creaturam productus: ergo dicitur primogenitus, quia fuit primò volitus. Rursus; Si post lapsum Adę cognitum, gratiamq; hominibus & Angelis collatam, mundumq; proinde cōstitutum, si, inquam, post decretū de his faciendis, decretū est de Christo, vt docet cōtraria sententia quomodo dicit Apostolus, quod in Christo condita sunt vniuersa, visibilia, & inuisibilia, id est, propter Christum? Certè videtur, quod ipse sit finis cōditionis rerū omniū, primusq; Dei effectus. Ratione verò argumētor: Nā Christus est maius bonum, quàm creaturarū vniuersitas, finisq; earū: ergo est primò, & maximè volitus.

Tertio arg. Bonū suapte natura est diffusiuū sui: ergo summū bonū est summo modo diffusiuum sui: ergo Deus, qui summe bonus est principio voluit se maximè cōmunicare, & diffundere, quod quidē per solam vnionem hypostaticam factū est: ergo eam Deus primò voluit.

Quarto: Finis vltimus, propter quem Deus voluit, vt essent creaturæ, est manifestatio gloriæ suæ, & propter eundem finē voluit, vt esset Christus, sed per hoc quod est Christus magis manifestatur gloria Dei, quàm per hoc, quod sint vniuersæ alię creaturæ: ergo id, quod primo & maximè Deus voluit, fuit, vt esset Christus. Declaratur consequentia: nam qui vult consequi aliquem finem, si rem sapiēter ordinat medium illud præcipuè eligit, per quod existimat se optimè posse consequi, quod intendit.

Postremò argu. Quia gratia collata est Angelis propter Christū: vt aliqui docent etiam ex antiquis, ea verò gratia nō habuit vllam dependentiā à peccato Adæ, & fuit collata prius; quam esset peccatum: ergo sine ordine ad peccatum erat decretum de Christo.

Tertia conclusio. Quāuis peccatū non esset, filius Dei assumeret carnē. Hæc conclusio, atq; præcedens ità inter se continentur, vt vna colligatur ex alia, & earum probationes ferè sint eędē, & se inuicē iuuēt. Nā, si quod primò voluit Deus fuit Christus, & propter ipsum decreuit cōdere vniuersum, & homines atq; Angelos beatificare, sequitur manifestè, quod licèt homo in gratia & iustitia, perseuerasset, peccatūque non fuisset, Deus fieret homo. Assumptū verò huius cōditionalis probo: Nā in sacris literis Christus dicitur per excellentiā, fructus terræ, iuxta illud Psal. 66. Terra dedit fructū suū, metaphora sumpta ab arboribus, quia quemadmodū in arboribus fructus, & germē est præstātissima pars illorum, & cuius causa reliquę sunt constitutæ, ità Christus germē est & fructus vniuersi, id est, id, cuius producēdi gratia tota mūdi machina est cōstituta. Et ideò inter alias causas tempus Messiæ appellatur in sacris literis plenitudo temporis, quia tunc vnaquæq; res plenè perfecta est, quando cōsequitur suum finem nato verò Christo peruentum est ad id, cuius causa sæcula sunt constituta. Quam sententiam confirmant Hebræi. Nam, vt refert Burgensis in scrutinio, & Galatinus li. 1. de arcanis catholicæ fidei. ca. 2. & 3 dicūt quidam ex ipsis, quod Deus amore filij Phares, siue Messiæ permotus condidit vniuersum. Idq; roborant testimonio Hierem. ca. 33. Nisi pactū meū esset noctes diesq; & leges cœlo non posuissem. Verum est tamen, quod ego hoc testimonium nec in editione vulgata, nec apud 70. inuenio.

Psalm. 66.

Burgens. Galatinus.

Hierem. 33.

Secundo argu. Nam, si Christus fuit propter delendum peccatum, alioqui non futurus, cum peccatum non fuerit intentum à Deo, sequitur, quod occasione sumpta ex peccato voluit Deus Christū venire; hoc autem videtur inçōueniens, quod scilicet,

res omnium prestantissima occasionaliter tantū fieret, quanto enim agens perfectius est tanto magis intendit ea, quæ præstantiora sunt. Tertio arg. Natura humana per incarnationem Verbi diuini valde eleuata, & dignificata est: sed si homo nunquā peccasset, multò dignior & aptior esset, vt à Deo magnis afficeretur honoribus, quā postquam per peccatum infecta est: ergo quanuis peccatum non fuisset non destitisset Deus naturam humanam eleuare per incarnationem. Quod confirmari posset ex illo Rom. 5. Si cùm inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortē filij eius, multò magis reconciliati salui erimus. Igitur, si pro peccatoribus Deus nasci voluit, & mori, pro innocentum certè gloria, & nihil peccantium, & carnem assumere, & nasci dignatus fuisset. Quarto non male argumentantur B. Bonauētura, & alij; Quia nō minor difficultas est in merendo vitam æternam, quam in satisfaciendo pro peccatis, sed Christus venit, vt satisfaceremus pro peccatis: ergo venisset, vt mereremur gloriam.

Roman. 5.

D. Bonauēt.

Quinto argumen. Deus in vniuersarum rerum conditione hoc perpetuo seruat, vt in vnoquoque genere aliquod vnum collocauerit, quod sit metrum reliquorum, & in quo tanquam in fontali principio contineatur omnis eius generis perfectio, atq; inde ad reliqua deriuetur, sicut in genere calidorum posuit ignem, in lucidorum ordine solem: ergo siue homo peccasset, siue secus, constitutus esset à Deo in genere supernaturalium bonorum vnus aliquis, qui huiusmodi bona haberet, tanquam caput, & princeps, à quo tanquam à fonte illa dimanarent in eos, qui eorū participes erant: ille verò princeps non esset nisi Christus. Vltimo argu. Nam cùm aliquis aliquid facere decernit propter plures fines, quanuis vnus eorū cesset, si tamen non cessent alij potiores, non desistit ille à consilio cœpto, at verò incarnatio decreta est ad plures fines, scilicet, ad illustrandā Dei gloriam, & maiestatem, ad bonum ipsius Christi, ad perficiendum vniuersum, ad Deificādam humanam naturam; ad cōferendam ei gratiam & gloriam, ad alia plura bona super captum hominis vniuerso prouenientia, & tandem etiam ad satisfaciendum pro peccatis, igitur credibile non est de sapientia Dei, quod si vnus hic finis satisfaciendi cessasset, cæteris atq; potioribus manentibus à cōsilio cœpto destitisset. Et hęc quidem istorum doctorum sententia est.

In explicanda verò secunda illa aliorum sententia magna est difficultas; propterea, quòd non bene inter se cohærere videtur hæc duo, & quod Christus prædestinatus sit ex notitia & occasione peccati, & quod sit primus prædestinatorum; quod tamen vtrunque fatentur, & necesse est fateantur qui tenent hanc sententiam. Adferam ergo duas rationes, secundum quas tueri possimus hanc sententiam, probabiles, vt opinor. Prima est, quod loquendo de notitia visionis, præuisio peccati fuit posterior, quam prædestinatio Christi, sed loquendo de notitia simplicis intelligentiæ, prius Deus præcognouit peccatum, quàm prædestinaret Christum, & sic Deus sumpta occasione per peccatum, quod prænoscebat scientia simplicis intelligentiæ, ordinauit vt Verbum fieret homo ad delendum peccatum. Hic dicēdi modus quibusdam doctis placere nō solet, mihi autē est valde probabilis, & qui viā aperiat ad intelligendum, qua ratione prima gratia ante lapsum potuit Adæ conferri per Christum, quod fortasse est verum.

Et si obijciat quis: Nā per scientiā simplicis intelligētiæ solum cognoscuntur res vt possibiles, respōdeo, quod etiā cognoscuntur certo & infallibiliter, vt futuræ, si hæc, aut illa conditio poneretur, de quo dubitare non potest, qui sacras scripturas legerit. Nā hoc Dñs ipse affirmauit Matth. 11. cum dixit Veh tibi Bethsaida, veh tibi Chorozain, quia si in Tyro & Sidone facta fuissent, quæ facta sunt in te, iam olim incinere, & cilicio pœnitentiam egissent. Sciebat ergo Dominus illos acturos pœnitentiam, si signa illa vidissent: quod tamen non sciuit scientia visionis, quia non vidit.

Matth. 11.

Item cùm de puero apud sapientem dicitur, Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animā illius, certe sciebat Dominus quid euentu rum

Sapien. 4.

rum esset: pluraque alia loca inueniemus similia si voluerimus bene considerare.

1. Reg. 23 Quale est illud Dauidis. 1. Reg. 23. si tradent me viri Ceilæ? Et dixit Dominus: tradent. Stat ergo, vt & certò hæc sciantur à Deo, & non per sciētiam visionis, quia nūquam viri Ceilæ Dauidem tradiderunt. Et hæc de primo loquendi modo.

Sed, si magis placet, dici etiam potest pro hac sententia, quod Deus cum vniuersum cōdere donaq; naturæ atq; gratię cōmunicare decreuisset, præuidissetq; labem peccati, sola sua misericordia motus noluit humanum genus penitus interire, sed ipsi potius benefacere & frustrare Dæmonis conatus. Atq; ex hac generali volūtate factum est, vt Deus decerneret vnire sibi humanam naturam, & assumere illā ad vnionem hypostaticam. Quod si consiliū Dei hic constitisset, nec quicquam aliud decreuisset de salute cæterorum hominum; isto tamen vno singulari atque diuino beneficio vnionis Verbi cum humana natura, Deus satis elusisset consilia dæmonis, & consuluisset dignitati & bono generis humani, quamuis reliqui omnes homines interirent. Haud tamen hic constitit diuina bonitas, sed vltra progressa est. Et cū post decretum de incarnatione Verbi vidisset virtutes sublimes, atque excellentes Christi sui, motus eius virtutis amore noluit solum Christum esse, sed decreuit dare illi sui similes homines in filios atque fratres, quorum ipse filius esset caput & princeps, ac inter illos regnaret, vereque, & cum lætitia diceret: Ecce ego & pueri mei, quos

Hebr. 2. Isai. 8. dedit mihi Dominus. Et quia illi homines ad hoc, vt cum Christo regnare possent, erant à peccato liberandi, & iustificandi idcircò Deus eodem illo amore motus, quo Christum, & eius merita diligebat, voluit vt omnis iustitia, & salus istorum hominū in particulari, per eundem Christum administraretur, ità, vt esset ipse Christus non solum veniæ impetrator, sed etiam pretij collocator, & redemptor, imo ipsum pretium atque redemptio: quonia & eius merita hoc merebātur, & ea res augebat Christi gloriam, & reddebat homines magis ad dictos, & obligatos illi. Ex quibus duo efficiuntur. Primū, quod ex præuisione peccati decretum est de Christo, & alioqui venturus non esset. Secundò, quod Christus Dominus est prædestinatorum primus. Atque his duobus modis posset hęc secunda sententia declarāri, & defendi. Mihi verò omnino necesse est ad primum dicendi modum ex parte recurrere. Nā, si Deus antè decretū de Christo præuidit gratiam Adę labemque peccati, vtique prima gratia nō est data ipsi ex meritis Christi: nam per scientiā visionis non videtur, nisi quod fit in tempore eo modo, quo fit. Ego vero existimo, quod prima gratia collata est Adæ per Christum. Fundamentum verò huius sententiæ vnicum quidem est, sed graui, & sapiente viro ac modesto dignū, illud est, quod sacræ literæ cum de Aduentu Dei loquuntur illud semper tribuunt remedio peccati, & dicunt, quod venit saluum facere quod perierat. Et prætereà hæc est sententia Augustini, in Psalm. 36. D. August. ibi, Apud Dominum gressus hominis dirigentur. Quo loco sic habet: Si tu ô homo, non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo. Et Leo Papa in sermone quodam dicit, quod si homo in gratia perman S. Leo. sisset, nec creator fieret creatura, nec æternum temporale. Et idem docuit Diuus D. Ambros. Ambrosius lib. de Dominicæ incarnationis sacramento, cap. 6. Et istæ quidem sententiæ sic habent: vtra autem vera sit, iudicet is, qui nouerit profunda Dei; ego verò propter scripturæ testimonia, & Patrum quos adduxi authoritatem, adducor magis in secundam. Superest autem, vt quarto loco vtriusque partis fundamentis breuissime respondeamus.

Ad fundamentum igitur, quod iecimus pro secunda sententia, communis aliorum responsio est, quod sacra scriptura, & patres loquuntur ex suppositione peccati & legis atque decreti de auferēdo peccato. Et propterea dicunt, quod propter peccatores venit, & natus & passus est. Itaq; est illis sermo de aduentu in carne mortali, & passibili; qui aduentus non esset si peccatū non fuisset. Sed aduertēdum est, quod aliud est hoc modo interpretari scripturæ loca asserentia, quod Christus venit peccatores saluos

uos facere, & similia, quod probabile videtur; Aliud verò est ea ratione & modo interpretari aliqua testimonia Patrum, vt illud Augustini dicẽtis: Si tu ô homo nõ dimitteres Deũ, nõ fieret pro te Deus homo. Hoc enim est improbabile quia nullis clarioribus, & aptioribus verbis potuit exprimi ista sententia. Aliud siquidem est dicere, Christus venit peccatores saluos facere, quod esset verum, quanuis, si non esset peccatum, venisset, ob alios fines, & aliud est dicere, Deus nõ fieret homo, si homo nõ peccaret; hoc enim est manifestissimè negare primam illam sententiam. Vnde, si Deus futurus erat homo quanuis homo non peccasset, ea propositio esset absolutè falsa. Quocirca, si ego non tenerẽ hanc Augustini sententiam aliter responderem ei, vel obijciẽdo alios Patres, si haberem, vel dicendo, quod non ex professo rem tractabat, vel alia simili ratione.

D. August.

Veniamus autem ad primam sentẽtiã, & eius principalia capita breuiter examinemus. Ad testimonium Apostoli ad Colos. 1. respondeo, quod in eo loco Apostolus nunc loquitur de Christo, vt Deus est, vt quando dicit, quod in eo condita sunt vniuersa, nunc vt homo est, vt quando appellet primogenitum ex mortuis, vnumque cõmendat ex altero. Nec hoc est inconueniens, sed vsitatũ in scriptura adeò, vt solat scriptura, stylo continenti, & vna eâdemq; periodo, & de Salomone loqui, & de Christo.

Coloss. 1.

Ad secundum dico, quod Deus ad extrà non agit necessario, sed liberè. Vnde nõ sequitur, si aliquid sit maius bonum, quod sit magis & prius volitum, nisi fuerit de illo decretum. Negabit autem B. Tho. & qui sequuntur hanc sententiam, fuisse decretũ de Christo in illo priori rationis. Et hæc etiam pro tertio.

Ad quartum dico, quod non est nostrum præscribere Deo media, quæ ipse adhibuisset ad manifestationem gloriæ suæ nõ existente peccato, sed potius de eis confidenter asserere, esset hominis minus modesti, & inconsiderati.

Ad postremam rationem dico, quod ex notitia peccati & redẽptoris, futuri decreuit Deus, vt omnis iustitia & gloria administraretur per Christum, iuxta ea, quæ diximus cum sententiam S. Th. & nostram declararemus. Et ex his liquet solutio ad primũ argumentũ pro tertia conclusione posita in fauorẽ illius primæ sententiæ.

Ad secundũ dico non esse inconueniens quod Deus, qui non permitteret esse mala nisi ex eis eliceret bona, ex magno & vniuersali malo eliciat magnum, & vniuersale bonum.

Ad tertium dico, quod summum bonũ & vera beatitas est Deo frui, quod haberẽt homines si non peccassent. An verò vltra hoc Deus fieret homo, nos nescimus; & etiã, vtrùm secundum sapientiam Dei id esset conueniens, nõ existente peccato, ignoramus. Et ex his respondetur ad quartũ.

Ad quintum dico, quod quemadmodũ iuxta sententiam eorum, qui dicunt, quod Angeli non acceperunt gratiam per Christum, non est in eo ordine vnus aliquis, à quo tanquam à fonte & mẽsura cæterorũ gratia deriuetur, præter ipsum Deũ, ità esset dicendum si Adam non peccasset.

Ad postremum dico, quod Deus facit quidem illa omnia, & multa alia per Christum, sed nullum eorum, quæ in argumẽto numerantũr facienda, decreuit per Christum nisi ex suppositione peccati. Hic si arguas, quod si Deus ob finẽ delendi peccatum decreuit, vt Verbum fieret homo, cur hoc non decreuisset ob alios potiores fines, quanuis Adam non peccasset?

Respondeo, quod quãuis illi fines essent potiores secundũ se, id est continerent aliquod maius bonum, non tamen essent potiores in petẽdo tale remediũ. Vidit enim sapientia Dei, quod huic malo occurrendum erat per tantũ & tale bonum, quanuis solis bonis existentibus non esset addẽdum hoc bonum.

Dico secundo, quod sapientiæ, & bonitatis Dei fuit ex magno malo elicere magnum bonum, vt eius bonitas mirè splenderet, siquidem, vbi abundauit iniquitas superabundauit & gratia. Itaque eo ipso, quod dare gratiam & gloriam est maius bonum, quam delere peccatum resplendet magis Dei bonitas, qui venit delere

Roman. 5.

lere peccatum, alioqui non venturus.

Postremo dico ad argumentum quod hac in parte, & nos & aduersarij conuenimus. Quemadmodum enim nos ignoramus, an fuerint aliquæ rationes & causæ, ob quas Deus veniret, etiam non existente peccato; putamus autem non fuisse, ita & illi egregiè fatebuntur, se id etiam ipsum ignorare, opinari verò quod tales causæ, & rationes fuerint. Quis autem hominũ nouit profunda Dei. Quanuis autem hoc pariter ignoremus, illud tamen æqualiter scimus, quod per incarnationem Verbi non solum humana natura, sed totum vniuersum eleuatum est, nam Deus Optimus Maximus non est pars vniuersi, sed extra & supra vniuersum, cum autem misericordia motus factus est homo, factus etiam est pars & ciuis vniuersi. Nec verò solum humana natura, sed naturales etiam eius defectus ignominiæ atque flagella, quæ suscepit Deus, illa omnia sunt eleuata, & cooperatoria effecta salutis æternæ, illudq; rursus eleemosynis & misericordiæ operibus additum est sublime certè & excellẽs vt Deo ipsi exhibita verè dici possint, cum scriptũ sit: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Roman. 11 Math. 25.

Omisi verò tertiam quorũdam sententiã asserentium ex vna parte, quod Christus est primo rerũ omniũ volitus & prædestinatus, & ex alia, quod nõ veniret peccato non existente, quia prædestinatus est dependenter à peccato, vt illi remediũ afferret, & nemo sapiens vult finem, nisi per media. Dico verò me illam omisisse, quod videretur conflata ex partibus repugnantibus. Primo, quia peccatũ nõ est mediũ necessariũ nec requisitũ ad esse Christi, quantũ est ex ordine rerũ, sicut media requirũtur ad finem & merita ad gloriam.

Secundo & maximè, quia nemo sapiens intendens duos fines, vnum altissimũ, & summi pretij, alterũ comparatione primi multò inferiorem, desistit à primò, quãuis secũdus nõ succedat: sed esse Christi in immensum excedit illũ alterũ finẽ, vt remedium afferretur nostro peccato. Ergo, si Christus est primò volitus ordine, & præsuppositione rationis, nunquã Deus ab eo destitisset etiam nõ existente peccato: præsertim cum illa non sint cõnexa, vt liquet.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm principalius Christi incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale, quam actuale.



AD hoc dicendũ est quod Christus venit ad delendũ peccatũ iuxta illud Hebr. 9. Nũc autẽ semel in cõsummatione sæculorum ad destructionẽ peccati per hostiã suã apparuit, & Rom. 6. Christus pro peccatis nostris mortuus est. Et consequenter quantò peccatũ aliquod grauius & maius fuerit, tantò principalius Christus venit ad illud delendũ. Dicitur verò vnum alio maius dupliciter; intẽsiuè, & extensiuè. Si autem peccatum originale, & actuale inter se conferantur, & cõparentur, inueniemus quod originale quidem extensiuè maius est: actuale verò grauius intensiuè: & hac sola cõparatione facta præponderat ex parte actualis, ratio & causa delendi. Si vero consideremus; quod peccatũ originale ex natura & qualitate sua inficit genus humanũ, actuale vero est propriũ personę cõmittẽtis: secundũ hanc cõsiderationem grauius est originale peccatũ: quia malum commune peius est, quàm malũ particulare: sicut è conuerso bonũ gẽtis diuinius, & eminentius est, quam bonũ vnius. Vnde rectè Aristoteles dicebat, quod etiã si idem bonũ sit vni homini & ciuitati, bonum tamẽ ciuitatis & gẽtis acquirere & cõseruare maius quid & perfectius ac diuinius esse videtur. Ex his autẽ effici videtur, quod absolute loquẽdo principalius venerit Christus ad tollendum peccatũ originale, quia per se est cõmune: & ita video, placuisse doctis. Sed, vt hæc quæ diximus magis declarentur, sciendum est, quod Pelagiani, vt refert Driedo de captiuitate & redẽptione generis humani. ca. 2. negabant id, quod in hoc articulo primum asseruimus, nimirum venisse Deum ad liberandum hominem à peccato: eandemque sententiam tenuit Bassus quidam tempore Hebr. 9. Roman. 6. 1. Ethic. c. 2. Driedo.

D.Bern. Apostolorum. Et posteà Petrus Abailardus, vt refert D. Bernar. epist. 190. ad Innoc. Hæc tamen sententia est hæretica, & contra illud: Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Et certum est, quod baptismus delet peccata, & delet virtute Christi: ergo venit Christus, vt deleret peccata. Habemusque contra hanc hæresim, doctrinã illorum quatuor Conciliorum, quos D. Gregor. venerabatur, vt quatuor Euangelia. Cæterum cùm in hæreticorum pectore variæ atque pugnantes furiæ versentur, alij dixerunt per oppositum, Christum ità venisse ad delenda peccata, vt reipsa & efficaciter redimeret omnia omnium hominum peccata. Et alij dicebant quod saltem peccata fidelium essent reipsa remittẽda, immemores illius sententiæ: Si opera quis non habeat, nunquid fides poterit saluare eum? & illius Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus non habet hæreditatem in regno Christi, & illius Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum: quia esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c. Vnde August. 21. de Ciuitate. capit. 17. 18. & 19.

Matth. 1. D. Gregor. Iacobi. 2. Ephes. 5. Matth. 25.

Sed cùm reipsa quidam non adhæreant Christo, & consequenter non assequantur remissionem peccati, quia, vt dici solet: Actus actiuorum sunt in patiente disposito, & non in his quæ vim agentis non suscipiunt: cùm igitur hæc ita sint dubitari solet, an prima huiusce rei ratio petenda sit à Dei voluntate, qua voluit illos deserere, vel ab hominum defectu, qui Christo nõ adhærent. In qua difficultate, quæ grauis, & purè Theologa est, vellem certè sobriè modestèque sentire: præsertim cum viri docti longe aliter loqui videantur. Dico ergo breuiter, quod aliquem Christo Domino adhærere, reꝗ; ipsa consequi remissionem peccatorum, id certè in diuinam electionem & voluntatem, sicut in primã causam, referendum est: Quod verò multi alij non consequantur salutem, quæ in Christo est, nec ipsi adhæreant, id non debemus referre ad Dei voluntatem, sed ad hominum defectum. Et horum quidem primum certum est, & indubitatum apud rectè sentientes. Secundum verò probo: Quia Deo non adhærere est malum: ergo quod homines Christo non adhæreant nõ est à Deo. Item, quia Deus neminem derelinquit, nisi ab eo derelinquatur.

Tertio Deus præcipit hominibus, vt adhæreant Christo suo, & damnat si non adhæreant: ergo, aut culpa sua non adhærẽt, aut sine culpa. Si sine culpa, iniustè damnat eos. Si per culpã: ergo id non est à Deo. Et quidem, si non adhærere culpa est, quo modo illius prima causa erit Deus, nec verò secunda, nec tertia: quia Deus non est causa mali? Dico igitur, quod Christus Dominus sufficienter satisfecit pro peccatis totius mundi: in his verò, qui actu ipsi iungũtur Dei, & Christi donum agnosco: in his verò qui ipsi non adhærent consi dero iustitiam iudicis derelinquentis, & debitum peccatoris.

Sed obijciet aliquis; Deus præuiso peccato voluit, vt Christus veniret, quò remediũ afferret hominibus: in eo ergo, qui sine aliqua culpa sua præter originalem, decessit ab hac vita, quam causam inueniemus, ob quam Christo non adhæsit, nisi Dei voluntatem. Respondeo, quod causa, ob quam is discessit è vita, antequam posset adhærere Christo, fuit iusta Dei voluntas eum derelinquens, sed propter peccatũ cuius Deus causa non fuit. Nec verò tenebatur Deus, nec debebat occurrere ordini naturę, ne quis infans moreretur antequam ipsi posset per proprium actum adhærere: sed iustè eum derelinquit, ac priuat vita propter peccatũ, per quod intrauit mors, vt ait B. Paulus.

At verò circa alias doctrinę partes, quas in articulo posuimus, quæri solet, vtrũ, si solũ peccatum originale, aut solum actuale esset in mundo, filius Dei veniret morti, & passioni obnoxius pro illo delendo. In hoc dico primò, quod si tantum esset peccatũ originale in hominibus, credendum esset, quod Christus Dominus venisset, vt sua morte illud deleret, probatur: Quia per peccatum originale clauditur regnũ coelorum, veniret ergo Dominus illud aperire pro magnitudine amoris sui erga homines.

Dico

Dico secundo, quod si tantum esset peccatum actuale mortale, adeo tamen extensum per orbem terrarum, sicut modo est, crediderim, quod Christus veniret, vt pro hominibus moreretur; quoniã huiusmodi peccatum est maius intensiuè, quam originale, & est adeò extensum, vt graue & miserandum sit id considerâre: ergo si veniret Deus pro solo originali expiando, veniret, & pro actuali isto delendo.

Dico tertio, quod si tantum esset vnum peccatum mortale, concionatores dicere, & prædicare solet, quod Deus veniret pro illo delendo moriturus. Ego tamen hoc non credo, etiam si essent pauca quædam peccata mortalia. Nec tamen rem diffinio, nec fui Dei consiliarius: sed credo quod non veniret. Tum, quia fortè pauci illi homines peccatores essent reprobi, & restabant innumeri alij homines, in quibus regnaret. Tum, quia pluribus alijs modis Deus illis peccatoribus subuenire posset si vellet: & si eos derelinqueret non parum id faceret ad ostendendam iustitiam Dei, & bonorum gloriam amplificandam. Nec verò Dei sapientiæ & dignitati conforme esse videretur, si suam maiestatem morti subijceret, nisi pro ingenti causa.

Vltimò dico, quod si tantum essent peccata venialia, credo quod nõ veniret Christus mortem pro ipsis subiturus. Et hoc est certum, quia per peccata venialia non amittitur gratia Dei, nec clauditur regnũ cœlorum: & postquã Christus venit mortemque passus est, finit hęc peccata esse in suis amicis, & valdè familiaribus.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm conueniens fuerit Deum incarnari à principio mundi.



RESPONDEO dicendũ, quod cùm Christus venturus esset ad delendum peccatum, non fuit conueniens, quod veniret ante peccatum, non enim datur, & affertur medicina, nisi infirmis. Vnde ipse Dominus dicebat Matth. 9. Non est opus valentibus medico, sed male habentibus: non enim veni vocare iustos, sed peccatores. *Matth. 9.* At verò nec statim post peccatum cõueniens fuit Deum incarnari. Primò quidem ratione generali: quia si primò illo tẽpore venisset pateretur calumniam eius si des: putaretur enim fabula, & fictio antiquorum: nunc verò cum post longum ordinem populi, & oraculum ac Prophetarum ipsum significantium, & expectantiũ ac prædicentium venerit fit euidenter credibile. Et iccirco Apostolus Roma. 1. & 1. Corinth. 15. solet repetere Christum promissum esse, & natum, & mortuũ, & etiã resurrexisse secundum scripturas. *Roman. 1.* *1. Corint. 15*

Secunda ratio sumitur ex eo, quod cùm Christus sit fons & principium gratię, iuxta illud: Gratia & veritas per Iesum Christum facta est, & quo aliqua sunt propinquiora suo fonti & principio, magis de ipso participent, fit, vt cum Christus venerit post longum mundi decursum & quasi in media eius ætate, & qui illum antecesserunt, & qui sequuntur abundanter de illo participant, qui quasi medius existit. Quæ ratio non haberet locum, si veniret in initio mundi. *Ioan. 1.* *D. August.*

Tertio propter conditionem, siue qualitatem humani peccati, quod ex superbia prouenerat: vnde eo modo erat homo liberandus, vt humiliatus recognosceret, se indigere liberatore. Vnde super illud ad Galat. 3. Ordinata per Angelos in manu mediatoris, dicit Glos. Magno Dei consilio factum est, vt post hominis occasum non illico Dei filius mitteretur: reliquit enim prius Deus hominem in libertate arbitrij in lege naturali, vt sic vires naturæ suæ cognosceret. Vbi cùm deficeret, legem accepit, qua data inualuit morbus, non legis, sed naturæ vitio; vt ità cognita sua infirmitate clamaret ad medicum, & gratiæ quæreret auxilium, dicens: Sana animam meã, quia peccaui tibi. *Galat. 3.* *Glossa.* *Psalm. 40.*

Quarto hoc factum est, vt seruaretur debitus ordo promotionis in bonum, secundum quem proceditur ab imperfecto, ad perfectum, iuxta illud Apost. 1. Cor. 15. Nõ prius quod spirituale est, sed quod animale deinde quod spirituale; primus homo *1. Cor. 15.*

de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.

Quinto propter dignitatem Verbi incarnati. Nam quantò maior iudex veniebat tantò præconum series longior præcedere debebat, vt ait Gloss. super illud Gal. 4. Vbi venit plenitudo temporis. Aliasque congruentias poterit quicunque doctus, & excogitare & inuenire. Nec verò hac in parte hæsitare debemus, quod videamus Prophetas anxiè petentes rumpi cœlum, & descendere Dominum, quasi conueniens esset quod venisset ante tempus præfixum: nam Prophetæ illis vocibus solum explicabant sua desideria, & necessitatem Aduentus Dei in terras, non autem, quod id fieri deberet ante tempus lege, & sapiētia Dei constitutum. Sicut etiam modò homines spirituales ignorantes, quo tempore venturum sit regnum Dei, dicunt tamen quotidie in spiritu; Adueniat regnum tuum: quia iustorum hominum atque sanctorum est talia petere, & desiderāte, Dei autem tempora, & momenta diffinire.

August. tract. 31. in Ioā

Isai. 64.

Matth. 6.
Actor. 17.

Sed aduersus hęc potest opponi primū, quia Christus venit in mundum peccatores saluos facere. Sed plures salui facti fuissent, si à principio humani generis Deus incarnatus fuisset; plurimi enim ignorantes Deum in suo peccato perierunt in diuersis sæculis, & regionibus. ergo conuenientius fuisset, quod à principio humani generis Deus incarnatus fuisset. Ad hoc, quicquid sit de consequentia, nego secundam propositionem: quin potius, si ità fuisset multis antea sæculis, & regionibus, fides tanti mysterij perijsset & fabula ac somnium putaretur.

1. Timot. 1.

Secundo argumentor: Quia natura sumit initium à perfectis, non enim ab imperfectis, sed à perfectis incipiens natura in hæc effecta, & postrema dilabitur, vt ait Boetius: sed opera gratiæ, & naturæ hac in parte sunt conformia: ergo opus gratiæ à principio debuit esse perfectum, quod fieret per incarnationem.

Boetius.

Respondetur, quod certè perfectum, & tempore & natura prius est, quàm imperfectum: vnde enim imperfectum, & esse & perfectionem acciperet nisi ab alio atq; perfecto? At verò in progressu, quo vnum & idem procedit ab imperfecto ad perfectum, quem ordinem vocant generationis imperfectum est prius tempore, & consequenter imperfectionem quidem naturæ humanæ, duratione, & natura præcedit æterna Dei perfectio, sed sequitur ipsam consummata perfectio eius in vnione ad Deum.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm incarnatio differri debuerit vsque ad finem mundi.



QVICVNQVE fideles sumus rectè nouimus, quod quę à Deo facta sunt, sapienter, & ordinatè & proprio tempore facta sunt; & cum ipse non distulerit aduentum Christi vsque ad finem mundi, consequens est, quod non debuit differri. Si quis verò aliquam eius rei congruentiam quærat, illa est, quod cum Christus venerit peccatores saluos facere, non debuit differre suum Aduentum vsque ad finem mundi, quia pauci saluarentur, prætereà, cùm sit causa efficiens & fons boni debuit eo tempore venire, quo multi subsequentes, & multi antecedentes participarent gratia illius, vnde incarnatio differri non debuit vsque ad finem mundi. Quanuis autem secundum computationem ætatum venisse dicatur in sexta ætâte, facta verò collectione, & cōputatione totius cursus, & durationis mundi, non est hominis prudentis nec edocti mysteria fidei, confidenter asserere, quo tēpore venerit Christus: quia ea computatione facta colligetur, quo tempore mundus finiendus sit, futuraque dies iudicij: quod nullus hominū scire potest.

Roman. 13.

1. Tim. 1.

Sed aduersus hæc argu. quia tempora Messiæ dicuntur in scriptura. Dies nouissimi. iuxta illud Isai. 2. Erit in nouissimis diebus præparatus mons, &c. ergo re ipsa incarnatio Christi dilatata est vsque ad finem mundi: ergo ita fieri debuit. Respondetur, quod dies nouissimi in scriptura dicuntur

Isai. 2.

cuntur tempora Christi, eo quod tunc lex expirauerit, finemque habuerit legale sacerdotium, & successerit lex vltima & sacerdotium post quod non erit aliud sacerdotium. Et hoc constat ex Genes.49. Vbi, cùm Iacob dixisset ad filios; Congregamini, vt annunciem quæ ventura sunt in nouissimis diebus, subiunxit ad Iudam; Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittēdus est. Dicuntur ergo illi dies nouissimi, quia tūc venturus erat primus & nouissimus, & cui non succedet alius: non verò, quod statim futurus esset dies iudicij post eius aduentum, vt olim putabant Thessalonicenses. Et quidem post Christi aduentum mille, & quingenti, & octuaginta quatuor anni fluxerunt. Et prætereà quando considero, quod lex & notitia Dei hisce temporibus delata sit ad Indos, & gentes incognitas, vehementer existimo, quod quemadmodum sol iste corporalis, atque visibilis luce sua lustrat vniuersa & circuit vtrunque hemisphærium; ità sol iustitię Christus, priusquam orbem iudicaturus aduenlat, luce sua illuminabit orbem vtrunq;: & ad omnes gētes atq; nationes, quæ sub cœlo sunt eius notitia perueniet; quia omnes peccauerunt, & pro omnibus venit, & omnes iudicabit. Vnde si rectè consideremus in Oriente nascens, & discurrens per meridiem tādē in Hesperias partes ac Septētrionales gratia Christi, & notitia perueniet: ab his verò partibus extremis, in nouū aliū orbem cœpit transmeare. Orbe autē peragrato, quādiu posteà mūdus sit duraturus, dicat ille, cui Deus reuelauerit. Nō reuelabit autem. ¶ Sed libet in hoc articulo de aduētu Christi aduersus Iudæos pauca dicere. Pernegant Hebræi venisse Messiam: nos verò ex libris scripturarum, quos ipsi, vt nostri notarij seruant, euidenter probamus oppositum. Quam veritatem sic declaro. Inter Prophetas, qui locuti sunt de aduentu Messiæ, designando tempus huiusmodi aduentus, primus fuit Patriarcha Iacob Genes.49. quo loco dixit hæc verba: Non auferetur sceptrū de Iuda, nec dux de fœmore eius donec veniat, qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentiū: sed sceptrū de Iuda à magnis tēporibus est translatū, nec est dux de fœmore eius: ergo venit Messias. Sed quidam Rabbini, per eum, qui mittendus erat nolūt intelligere Messiam, sed vel Saulē, vel Roboam, vel Nabuchdonosorē, cui fuerunt gentes cōgregatæ ob imperij magnitudinem, vt habetur Hierem.25. Nos ad hoc somniū atq; figmētū dicimus, quod post istorū tēpora manifestū est fuisse Reges, & duces de tribu Iuda: ergo non intelligitur de eis ille locus. Et prætereà quærimus à Rabbinis, qua fronte negent hunc locum intelligi de Messia, cum translatio Chaldaica, facta per Aquelon, quæ apud eos habet authoritatem textus, & nullus ei audet contradicere, legat: Non auferetur habens potestatem de domo Iuda, nec scriba de filijs filiorū Israel eius vsque in sæcula, donec veniat Messias, cuius est regnū. Sed nō immoremur: nā qui habētur docti apud ipsos, nobiscū exponunt hūc locū, vt Rabbi Moyses Gerundensis, & magnus apud eos Rabbi Cahadias in sua trāslatione Arabica, quæ legitur in partibus Africæ & Rabbi Camhi in libro suo qui dicitur Sarasyn. Sed veniamus ad aliud testimoniū. Daniel, qui fuit de vltimis prophetarū veteris testamēti, & de Aduentu Christi tractauit, sic habet in ca.9. suæ prophetię: Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populū tuum, & super vrbē sanctā tuam; vt cōsummetur præuaricatio & finē accipiat peccatū, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorū. In quo testimonio duo suppono, quia cōcessa sunt nō modo à doctoribus catholicis, sed etiā ab Antiquis Thalmudistis atq; Rabbinis. Vnū est, quod hīc est sermo de Aduentu Messiæ. Et aliud, quod istæ hebdomades sunt annorū: quia in scriptura non habetur expressa mentio hebdomadū, nisi vel dierū vt Leuit.23. vel annorum vt Leuit.25. Tertium verò probo, quod etiā secundū Thalmudistas, hoc tēpus est transactū multis retrò annis. Nā in libro Thalmuth, qui dicitur, Abodazara, cap.1. habetur, quod septuaginta hebdomades Danielis incipiunt à destructione primi tēpli, & terminātur in destructione tem-

Genes.49. Roman.3. Gen.49. Hierem.25. Moys.Ger. Cahadias. Rabbi Cāh. Danie.9. Alij dicisse sunt decisae. Leuit.23. Leuit.25.

tẽpli secũdi; inter quas duas destructiones fluxerunt quadringenti nonaginta anni, qui faciunt septuaginta hebdomadas annorum. Quorum annorum primi septuaginta fluxerunt durante destructione templi, quæ facta fuit per Nabuchdonosor: quadringenti verò & viginti anni fluxerunt à principio reædificationis templi secundi, vsque ad destructionẽ eius per Romanos. Et idem habetur in libro Cedar Holan, id est, de ordine mundi. Constat ergo, quod secundum ea, quæ in Talmuth habentur, quæ apud Iudæos habẽtur velut apud nos diffinitiones totius ecclesiæ, multis anteà sæculis finitæ sunt hebdomades Danielis. Et tertio loco id comprobo: quia omnia tẽpora, quæ ipsi Rabbini antiqui assignauerunt Aduentus Domini, iam in præteritũ transierunt. Et ne hac in parte lectori grauis sim & molestus, dico breuiter, quod de numero Thalmudistarum fuere quidam, qui vocati sunt Thanai, quorum authoritas apud Iudæos est maxima post Prophetas. Et ex his tres præcipui scilicet

Rabbi Iote. Rabbi Iote, & Rabbi Aaquiba, & alius qui *Rabbi Aaquiba.* dicebatur de domo Eliæ, assignauerunt iuxta traditiones quasdam & authoritates tempus Messiæ, & illa omnia tempora ab eis assignata transierunt. Et Paulus Burgẽ*In scrutinio dist. 3. p. 1.* sis, qui probe istorum libros euoluit, & secreta calluit, latè probat, quod omnia tempora assignata per Rabbi Cahadras, & Rab*Paul. Burg.* bi Moysen Egyptium in epist. ad Iudæos Africanos, & Rabbi Leui, & Rabbi Moysen Gerundensem, & Salomonem, & denique per omnes, qui docti habebantur, iã transiuerunt. Adeò vt quidam ex maioribus eorum, videns se hac in parte vndique cõclusum dixerit in libro Cahuedrin, quod omnes termini assignati pro Aduẽtu Messiæ iã transiuerunt in præteritum, & quod non pendebat redemptio, nisi in ipsa pœnitentia. At verò has sententias non retuli, nisi aduersus Iudæos, qui fidem adhibent suis Magistris. Nos autem vltimo loco redeamus ad scripturam, vnde digressi sumus.

Oseæ tertio dicitur de Iudæis: Dies multos, *Oseæ. 3.* expectabis me: non fornicaberis, & non eris viro: sed & ego expectabo te, quia dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine Principe. Quod non fuit in captiuitate Babylonica, in qua & reges habuerunt, & principes quantum ad honorificentiã. Et sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephot: carẽt enim templo secundum Mosaycam legem regulato, & veste sacerdotali, & sine Teraphim, quod est pertinens ad ritum idololatriæ, & ordinatum ad futura cognoscenda. Quod ideo dicitur, quia Iudæi sine Idolis sunt, & sine Deo, & nec fornicãtur, nec habent virum. Vtinam ergo Deus auferat velamen de cordibus eorum, vt videant, quam apertè scriptura diuina miserum eorum statum prædixerit. Sed accidit eis quod dixerat Esaias. c. 29. Erit vobis vi*Esai. 29.* sio omnium, sicut verba libri signati, quẽ cum dederint scienti literas dicent; Lege istum, & respondebit: Non possum, signatus est enim, quod pertinet ad eorum Rabbinos. Et sequitur pro illiteratis: Dabitur liber nescienti literas, diceturque lege, & respondebit, nescio literas.

QVAESTIO

QVAESTIO TERTIA, DE VNIONE EX PARTE PERSONAE ASSVMENTIS.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm. Vnio Verbi incarnati sit facta in natura.



TENET catholica fides, quod in Christo est natura diuina vera, & perfecta, & natura humana vera,& perfecta,& quod iungũtur istæ duæ naturæ in vna persona Verbi Dei,itaque vnus Christus est Deus, & homo nõ confusione naturarum, sed vnitate personæ,nec cõuersione diuinitatis in naturam humanam,sed assumptione humanitatis in Deum. Tenetq́ue vtraq; natura in Christo fine defectu suam rationem formalem & proprietatem. Et sicut formam serui, Dei forma non adimit,ita formam Dei serui forma non minuit. Hæc est fides huius articuli,quod scilicet hæc vnio non est facta in natura. D.Athan.

Sed sciendum est,quod tempore Martiani Imperatoris, & Leonis primi extitit quidam hæreticus nomine Eutyches, Abbas cuiusdam monasterij Constantinopolitani,qui quemadmodum Nestorius per ignorantiam distinctionis naturæ & personæ putauit, quod in Christo sicut erant duæ naturæ essent duæ personæ, ità ipse per eandem ignorantiam ex vnitate personæ inferre volebat vnitatem naturæ. Huius autem sententia variè explicatur: conueniunt tamen omnes declarationes in eo quod in Christo esset tantum vna natura. Quidã dicunt eum tenuisse,quod in Christo ex diuina natura & humana,tertia quædam natura conflata sit, & resultauerit. Eutyches. Gelas. Pa. li.deduabus. naturis cõtra Eutych.

Alij, quod ante incarnationem quidem diuersæ naturæ erant diuina, & humana: per incarnationem vero humana in diuinam versa est. Alij, ex quibus est Theodoretus,maluerunt eius nobis verba scripta relinquere. Dicebat ille, Deum Verbum, nihil humanum ex Virgine sumpsisse,sed ipsum immutabiliter conuersum, & carnem factum solum per Virginem traiecisse,cruciq; affixã,& appẽsam esse que circũscribi nõ potest vnigeniti diuinitatẽ, eamque sepulchro mandatam resurrexisse. Et fortasse cùm error sibi ipsi inconstans & varius sit,modo ille vnam rationem dicendi modo aliam sequebatur ; vel ità hæc tria interpretabatur,vt in vnam sententiam conuenirent,quod fieri posset meo iudicio. Quicquid autem de hoc sit,hæc sententia secundum omnem sui interpretationem est hæretica,& destruit fundamentũ religionis Christianæ. Nam, vt à tertia insania incipiamus,si Christus nihil humanum sumpsit ex Virgine,quomodo scriptum est: Misit Deus filium suum,factum ex muliere? Et quomodo esset mater Iesu,à qua nihil accepit filius? Et, si Verbũ caro factum est, quanuis immutabiliter, qua conuenientia dicere potuit hic hæreticus,quod diuinitas est crucifixa,& appensa,& sepulta & resurrexit? Deinde, si diuinitas cruci affixa est,& sepulta & resurrexit,qua consequentia Apostolus ex resurrectione Christi nostram futuram esse cõfirmat? Nec enim sequitur, si Deus, qua Deus,resurrexit ex mortuis, quod homo etiam resurget. Ait autem Beatus Paulus: Si Christus prædicatur,quod à mortuis resurrexit, quomodo dicunt quidam inter vos,quod nõ est resurrectio mortuorum? Castro.lib.4 de Hæresib. heresi.4. Theod.li 4. Hęretic.fab. in fine. Galat.4. Ioan.2. Ioan.1. 1.Cor.15.

Et subdit: Nunc autem Christus à mortuis resurrexit primitiæ dormientium. Primitiæ verò eandem habent naturam cùm illo, cuius sunt primitiæ. Et addit: Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et, sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: ergo secũdum Apostolum, & Adam, per quem est mors, erat homo, & Christus per quem est resurrectio est homo; & Adam homo peccauit, & Christus, vt homo, resurrexit. Quod si ad primam huius hæresis interpretationem sermonem transferamus, sequitur ex ea, quod Christus Dominus nec sit consubstantialis Patri nec matri: nam nec pater eius nec mater conueniebant cũ ipso in tertia illa natura posita ab Eutyche te. Et prætereà sequitur, eâdem consequẽtia, quod Christus nec Deus sit, nec homo: nam tertia illa natura nec esset natura Dei nec natura hominis: siquidem vnitas addita, vel detracta naturæ variarat speciẽ. Iuxta secundam verò sententiã sequitur, quod Christus nõ sit homo. siquidem natura humana per Eutychetem non mansit in ipso, humana, sed in diuinitatem versa est. Oro autem, & obsecro in Domino quencunque Theologiæ tractatorem, vt quando dogma catholicum fundandum est, vel destruendus error oppositus, non nimis hæreat rationibus Physicis, aut Logicis, quoniam Gentiles viso defectu irridebunt. Necesse verò est, vt incidat aliquis defectus, quia res fidei non possunt ratione monstrari. Apud hæreticos verò nihil efficiet omnino. Sequatur ergo vsum ac regulam conciliorum, & sanctorum Patrum: & ex scriptura atque sanctis probet intentum. Verbi gratia, si contra Eutychetem agendum est, probet in primis, quomodo & sacræ literæ, & sancti Patres, & concilia omnia proclamant; quod Christus, & Deus sit & homo, & quod in Christo sunt duæ naturæ: vna quæ coruscat miraculis, altera, quæ succumbit iniurijs. Et aduersus eum hæreticum adferat concilium Chalcedonense actione. 4. & Ephesinum, ca. 3. & Leonẽ primũ in celebri illa epist. ad Flauianum, & Synodum sextam Constantinopol. act. 11. & Symbolum Athanasij, & concilium Aurelian. 5. cap. 1. & Hispalense, secundum ca. 13. & Toletanũ. 1. 5. & 11. & cap. firmiter. de Summa Trinitate, & fide catholica, aliaque similia, in quibus & veritas catholica comprobata est, & damnata hæresis Eutychetis. Si autem quis plurimum instaret in eo, quod mixtio Eutychetis non inuenitur in natura, diceret facile hæreticus, esto id vellet admittere, quod plura potest facere Deus, quam natura producere, & homines imaginari.

Conc. Chal. Cõc. Ephes. B. Leo. Syn. Const. D. Athan. Cõc. Aurel. Conc. Hisp. Con. Tolet. c. firmiter.

Sed præter ea, quæ diximus aduertendum est in hac disputatione ex D. Damasceno, lib. 3. ca. 11. quod non sicut natura diuina dicitur carni iuncta, ità dicitur passa, aut fatigata: nec è conuerso, sicut humana dicitur Deificata, ità dicitur increata, aut infinita. Et ratio est, quia duæ naturæ in Christo non vniuntur immediatè per seipsas, sed vniuntur in persona: & ideò præter illa prædicata, quæ significant ipsam vnionem, vt quæ ab incarnatione, vel assumptione sumantur, nulla alia prædicata recipiuntur ad alterutrũm, nisi prout dicuntur de persona. Et quoniam natura in rebus creatis non dicitur de persona, nisi in concreto, nec enim Petrus est humanitas, ideò solum de natura diuina in concreto, vel de persona filij dicũtur prædicata, quæ sunt propria humanæ, & è cõtra de humana in concreto, quę sunt diuinę. Dicitur itaque propriè Deus passus, & mortuus, non autem natura diuina: & dicitur homo ille increatus & infinitus, non autem natura humana.

D. Damasc.

At verò aduersus hæc est argumẽtum: Nam in symbolo Athanasij dicitur, quod sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ità Deus & homo vnus est Christus: sed anima rationalis, & caro constituunt vnam naturam: ergo diuinitas, & humanitas in Christo constituunt vnam naturam. Ad hoc dicendum est, quod ex anima & corpore constituitur in vnoquoque nostrum duplex vnitas, naturæ, scilicet, & personæ. Naturæ quidem, inquantum anima vnitur corpori formaliter perficiens ipsum, ita vt ex duobus conficiatur vna natura,

D. Athanas.

tura, ficut ex actu & potentia, quæ in rebus corporeis sunt, materia & forma. Et quantum ad hoc non attenditur similitudo, quoniam natura diuina nullius corporis potest esse forma, aut pars: Vnitas verò personæ constituitur ex corpore & anima, in quantum inde est, & quasi resultat vnus aliquis subsistens in carne & anima, & quantum ad hoc attenditur similitudo Athanasij. Vnde quando dixit is Doctor: Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, &c. accepit vnum hominem personaliter, vt modus loquendi indicat, & non pro natura.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm vnio Verbi incarnati sit facta in persona.



Nestorius. TEMPORE Theodosij Iunioris extitit Nestorius quidam Episcopus Constantinopolitanus; qui videns aliam esse naturam Dei, & longe aliam naturã hominis, dicebat vnionem in Christo non esse factam in natura, nec etiam in persona. Eius verò hæresis sic explicatur: Dicebat Nestorius primò, quod alia erat persona filij Dei, & alia filij hominis: Deus autem habitabat in illo homine, sicut in proprio templo. Et adferebat illud ad Colos. 1. Complacuit habitare in ipso omnem plenitudinem diuinitatis. Secundò dicebat Nestorius, quod ex hac habitatione consecuta est mutua vnio per amorem inter illum hominem, & Verbum Dei. Ex quo hæreticus tertio colligebat, quod quædam nomina, quæ propriè competunt Deo, tribuuntur illi supposito creato Christi vt esse Deum, filium Dei, &c. Vtebaturq; ad hoc hac ratione: Nam hæc nomina etiam dicuntur de illis hominibus, qui per gratiam adhærent Deo iuxta illud Psalm. Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Cæterum quia ille homo Christus erat Deo præ cæteris coniunctus per gratiam atque dilectus, iccircò eum fecit Deus participem amplioris honoris, & dignitatis, ita, vt coleretur cum ipso Deo, peculiariterque Deus cum ipso sua nomina commutaret. Addebatque Nestorius consequenter, quod Virgo Maria non erat dicẽda mater Dei, sed mater Christi. Hæc iste hæreticus. Atque hunc errorem alij ante Nestorium tenuerant: eum enim refert Diuus Ambrosius lib. de Dominicæ incarnationis sacram. c. 6. Fuit autem Ambrosius tempore Theodosij Maioris, & eum etiam tribuit S. Th. Theodoro Mõsuesteno, qui fuit ante Nestorium.

Colos. 1.

Psalm. 81.

D. Ambros.

B. Tho. q. de vnione Verbi incarnati art. 1.

In hoc veritas catholica docet, quod in Christo est vna tantum persona filij Dei, quæ assumpsit naturam humanam: atque ità vnus Christus est Deus & homo, estq; facta vnio naturarum in vna persona Verbi, iuxta illud concilij Ephesini in epist. ad Nestorium: Non in duas personas partitum, aut diuisum, sed vnum & eundem filium vnigenitum Deum Verbum Dominum nostrum Iesum Christum confitemur. Atque hanc fidem docuit Synodus ipsa Ephesina decem & sex canonibus, Chalcedonensis actione. 5. Constantinopolitana secunda, actio. 4. can. 3. D. Athanasius in Symbolo. Et eam hæresim euertunt omnia illa scripturæ testimonia, quæ probãt Christum esse Deum verum. Nec verò secundũ eam potuit verè dicere Dominus: Antequam Abrahã fieret ego sum, & ego & Pater vnum sumus. Nec potuit dicere Baptista: Qui post me venit ante me factus, siue genitus est. Nec potuit dicere Paulus: Decebat eum, per quem omnia, & propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem cõsummari. Nec potuit dicere Iudas in sua canonica: Iesus populum suum de AEgypto saluãs. Fidẽque catholicam explico aduersus Nestorium hac ratione: Rogo aduersarium, an credat, quod Verbum factus sit homo, cæ nemque sumpserit, aut neget. Si negat, contradicit Apostolo dicenti: Verbum caro factum est. Si fatetur, fateatur ergo necesse est, quod in Christo eadem est persona filij Dei, & hominis. Nam si est alia persona sub humanitate, quomodo dicetur Verbum sumpsisse humanitatem, & caro factum, esseque homo, quam secundum hæreticos

Cõ. Ephes.

Cõc. Chalc.
Conc. const.
B. Athan.

Ioan. 8.
Ioan. 10.
Ioan. 1.

Hebr. 2.

Iud. can.

Ioan. 1.

reticos nec assumpsit, nec Verbum caro factum est, nec fuit homo, sed fecit quẽdam hominem sibi gratum amoreque coniunctum? Et certè euidens est, quod nisi albũ & frigidum in idem suppositum coincide rent, nunquam album frigidum esse diceretur. Nec verò vnquam aliquæ naturę de se inuicem in concreto prædicantur, nisi conueniãt supposito. Ob quam rationem natura humana, quæ est in Petro, prædica ri non potest de ea, quæ est in Paulo: igitur si quidem verissimè dicimus, quod filius Dei est homo, vna & eadem persona est subsistens in vtraque natura. Ex quo sequi tur, quod suppositum & natura aliquo mo do differunt in rebus creatis, maximè corporeis. Quod constat: nam fides catholica prædicat filium Dei assumpsisse naturã humanam, & negat assumpsisse suppositũ siue personã: ergo aliqua est inter hæc differentia, quæ verò ratio differentiæ sit, infra tractabimus.

Sed quoniam dicimus vnionem hanc esse factam in persona aduertendum est, quod omne, quod inest alicui personæ, siue pertineat ad naturam, siue secus, vnitur ei in persona. Loquimur autem de inesse propriè dicto, & vt distinguitur contra extrinsecus adiacere, sicut vestis, locus, & tẽpus adiacere dicuntur. Ex quo fit, vt tria propriè dicantur vniri in persona, quia pro priè sunt in illa. Primum essentia ipsa, vt humanitas. Secundum partes, siue essentiales, vt forma & materia, siue integrales vt manus, & reliqua membra. Tertiũ accidentia inhærentia supposito, vt quantitas, & albedo. Non tamen eodem modo hæc dicuntur vnita in persona: nam accidentia ità insunt, vt non pertineant ad integritatem personæ: & iccircò solum dicũ tur vniri in persona. Partes verò, atque na tura, quia pertinent ad integritãtem suppositi, integratur enim Petrus ex suis mẽbris & ad constitutionem eius in esse specifico iccirco hæc non solum in persona, sed etiã secundum personam vniri dicuntur.

Secundo loco, quoniam essentia in diuinis, siue natura, est idem cum persona, & di cimus quod vnio est facta in persona, non in natura, hoc est, declarandum quantum in nobis fuerit. Et dicendum, quod quia na tura diuina habet rationem naturæ, & per sona diuina habet rationem subsistentis in natura, quam differentiã manifestat diuersus modus significandi, & quia sibi vnire atque assumere est subsistentis in natura, suppositum enim est, cui vnitur natura, & cui vniuntur quæcunque alia suscipiuntur ab ipso: iccircò dicimus, quod vnio facta est in persona, & non in natura. Et quidem, vt aliqua natura dicatur addi personæ, sufficit vt persona subsistat in ea. Addi verò aut vniri naturæ nihil dicitur, nisi id spectã ret ad naturam; ex quo addito certè soluere tur species talis naturæ: sicut ex additione vnitatis soluitur præexistens numerus, quia ex binario fit ternarius. Atque vt hęc melius intelligãtur, videor mihi verè hac in parte statuere posse hanc regulam, quod quanuis aliqua duo extrema sola ratione differant, quando tamen prędicatum dicitur de vno extremo ea ratione, qua distinguitur ab altero, si tale prædicatum dicatur de illo altero extremo, efficietur falsa propositio, Verbi gratia, bonum & verum differunt sola ratione; & nihilominus bonum est ratio mouendi voluntatem, atq; ea ratio tribui non potest vero. Simileque exemplũ afferri potest ex materia de Trinitate. Quia enim hoc prædicatum generans conuenit Patri, vt ab essentia distingui tur; iccirco si prædicatum illud essentiæ tribuatur, & dicamus, quod essentia generat, falsa erit propositio, quanuis pater sit essen tia. Quia igitur assumere naturã, vnitamque habere, conuenit personæ reique subsistenti, vt distinguitur, contra naturam, iccircò vnionem hanc catholice dicimus factam esse in persona, non autem in natura, quanuis persona in diuinis sit natura Dei.

Sed aduertit quidam quod ea, quę distin guuntur sola ratione possunt verè ad inuicem prædicari, quia ea distinctio non sufficit falsam efficere similem propositionẽ. Secus autem est quando eis accommodan tur alia prædicata, quæ important & requi runt eam distinctionem. Hæc verò regula quoad primam sui partem est falsa; quia essentia & generare in diuinis distinguun-

tur sola ratione: & tamen hæc est damnata, Essentia generat. Quin potius verum, & bonum & formale obiectum voluntatis distinguuntur sola ratione, & tamen verum non est formale obiectum voluntatis.

Vltimo loco de indiuiduo Deitatis inuento, vt nonnulli scholastici dicunt, à Caietano, breuiter agendum est. Et Caietanus quidem partim defendendus, partim improbandus est. Improbandus in eo, quod putat San Thom. cum dicit vnionem factam esse in persona, accipere personam pro indiuiduo naturæ, siue illud sit communicabile, siue incommunicabile: quod liquet esse falsum intuenti literam. Et quam etiam grauiter Caietanus hunc Deum appellauerit semipersonam, dicere, & referre nolo. Nam quanuis barbara nonnunquam permittenda sint scholasticis, vt se explicent, tamen incauta, & indigna permittenda non sunt. Nec verò sensum improbo Caietani, sed terminum indignum Dei maiestate. Quis enim ferat appellari Deum semipersonam? Cale.

Cæterùm, quod attinet ad ipsam huius disputationis substantiam, & principalem positionem de indiuiduo Deitatis, ego fateor ignorare me cur Caietani sententia aliquos scholasticos offenderit, qua ve ratione ipsi eius aduersarij effugere possint, quin cum illo conueniant, nisi, quod sunt aliqui, qui verba potius, quam rei intelligentiam considerant. Rogo igitur istos, an sit primum fidei principium, quòd in diuinis sunt tres personæ, & vnus Deus? Quòd vbi concesserint, rogo iterum, an vnus ille Deus, & princeps, qui omnem hunc mundum regit, sit vnus numero, vel specie. Si vnus numero, nam nobis vnus est Deus; explica, oro, mihi hanc vnitatem numeralem in ratione Dei. Dices, hic Deus. Tunc sic: Deus is, quem signas & colis, est ne Pater, & Filius, & Spiritus sanctus? Vtique non negabis. Illud igitur est indiuiduum Deitatis subsistens in natura diuina, communeque Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Et non modo hæc doctrina, quoad rei intelligentiam est vera, sed nec terminus ipse modusve loquendi est nouus nec inusitatus. Nam inuenietur apud Scotum in. 1. dis. 4. quæst. 2. & Durandus etiam in. 1. d. 26. quæst. 1. mentionem facit de supposito Deitatis, & non improbat illud nisi acceptum strictè & propriè. Et S. Thom. 1. part. q. 3. ar. 3. dicit, quod abstractis personalitatibus natura diuina posset assumere humanam, & quod esset subsistens & persona non respectiua, sed absoluta. Et. 1. p. q. 39. art. 4. dicit, quod hoc nomen, Deus, nõnunquam accipitur pro ipsa natura diuina, nimirum subsistente, & in cõcreto, vt cum dicimus. Soli Deo honor & gloria. Et apud rerum intelligentes non sunt hac in parte testes necessarij: nam certum est quod in diuinis cuilibet abstracto correspondet suum cõcretum, & quod ibi est hæc Deitas communis Patri, & Filio & Spiritui sancto: ergo est hic Deus communis Patri & Filio, & Spiritui sancto. Et absque dubio, si Deus est communis personis, & Deus est vnus: ergo hic ipse Deus vnus est cõmunis personis. Nec ex positione huius indiuidui Deitatis magis inducitur quaternitas, quã ex positione Dei vnius in tribus hypostasibus. Finem igitur imponam defensioni huius sententiæ, quia negari non potest, nisi ex defectu intellectus. Scotus. Durandus. D.Tho. 1.Timot.1.

Sed aduersus hæc vnam tantum rationẽ obijciam. Illa est, quod persona Verbi Dei assumpsit naturam humanam: sed natura humana est per se subsistens: ergo est persona: ergo Verbum assumpsit personã: ergo nõ est facta vnio in persona, si quidem nõ est ibi vna, sed duæ personæ. Respõdetur, quod ibi est vna tãtũ persona. Pro quo sciendũ, quod aliud est aliquid esse per se subsistẽs, siue substãtiale, id est, nõ esse in subiecto nec esse accidens: hoc enim conuenit & supposito & naturæ substantiali, & partibus eius. Aliud verò est aliquid esse per se subsistẽs, sicut vltimũ terminũ, & cõplementũ substãtiæ, habẽs perfectã rationem totius: hoc enim est proprium solius suppositi, siuè personæ in natura rationali, & hoc modo nõ erat per se subsistens natura humana Christi: nec enim humanitas est suppositum siue persona.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm vnio Verbi incarnati facta sit in supposito, vel hypostasi.



ADVERTENDVM est, hoc loco, quod ratio mouendi, quæstionem hanc, non est in re, sed in existimatione hominum. Quoniam re ipsa idem est dicere, quod est facta vnio in persona & in hypostasi, vel supposito: persona enim est hypostasis, vel suppositum rationalis naturæ. Sed quorundam error propriam vocē ignorantium, & distinguentium inter hypostasim & personam Christi, necessitatem induxit huius disputationis.

Secundo aduertendum est, quod nomē hypostasis, communi & frequenti vsu, accipitur pro supposito rationalis naturæ, siue pro persona. Interdum verò etiam significat essentiam. Et quod cōmuni & frequenti vsu accipiatur pro persona, probare non est necesse: quia quotiescunque concilia antiqua de vna persona Christi verba faciunt Græcè appellant vnam hypostasim. Quod verò interdum vsurpetur pro essentia, constat ex illo Hebr. 1. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura paternæ substantiæ. Quo loco Græcè legitur character hypostaseos. Similitudo autem & æqualitas in diuinis secundum essentiam attenditur. Atq; hinc est, quod Græci Arriani calide atq; pestiferè solebant affirmare, quod in diuinis sunt tres hypostases intelligētes per hypostases, non personam, sed naturā, & essentiam; qua fraudē plurimos induxerunt in errorem. Hebr. 1.

Tertio verò loco declaro, quam sint decepti, qui affirmabāt esse factam vnionem in persona, & nō in hypostasi. Nam, vt ait D. Tho. in hoc articulo persona super hypostasim non addit, nisi determinatam naturam, scilicet, rationalem. Secundū quod Boetius dicit in lib. de duabus naturis: persona est rationalis naturę indiuidua substātia. Et ideò idem est attribuere propriam hypostasim in Christo, & propriam personā. Quod intelligentes sancti patres vtrunque in concilio quinto generali, id est, Cōstantinopolitano secundo damnauerūt dicentes: Si quis introducere conetur in mysterio Christi duas hypostases, seu duas personas, anathema sit. Nec enim adiectionem personæ, vel hypostasis suscepit sancta Trinitas, incarnato vno de sancta Trinitate, Deo Verbo secundo. Quia tantùm hypostasis est, cui tribuūtur operationes, & proprietates naturę, & ea etiā, quę ad naturæ rationem pertinent in concreto. Dicimus enim, quod hic homo ratiocinatur, & est risibilis, & est animal rationale. Et hac ratione hic homo dicitur esse suppositum, quia scilicet, supponitur his, quæ ad hominem pertinent, eorum prædicationem recipiens. Si ergo sit alia hypostasis in Christo præter hypostasim Verbi, sequitur quod de aliquo alio quam de Verbo verificentur ea, quæ sunt hominis, vt esse natum de Virgine, passum, crucifixum, & sepultum. Et hoc etiā damnatum est in prima Synodo Ephesina sub his Verbis: Si quis personis duabus vel subsistentijs, ea, quæ sunt in Euangelicis, & Apostolicis scripturis, partitur voces, aut de Christo à sanctis dictas, aut ab ipso de se, & quasdam quidem velut homini, præter illud ex Deo Verbum specialiter intellecto applicat, quasdam verò velut Deo decibiles soli ex Deo Patre Verbo, anathema sit.

B. Thom. Boetius. Conc. Cōst. Cōc. Ephes.

Tertio quià si detur, quod persona aliquid addat super hypostasim, in quo possit vnio fieri, hoc nihil aliud est, quam proprietas ad dignitatem pertinens, secundum quod à quibusdam dicitur quod persona est hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente. Si ergo facta sit vnio in persona, & non in hypostasi, sequitur, quod non est facta vnio, nisi secundum dignitatem, & proprietatem, quæ re vera nec hypostasis est nec persona. Et hoc est damnatum à Cyrillo approbante Synodo Ephesina, sub his verbis: Si quis in vno Christo diuidit subsistentias post adunationem, sola copulans eas coniunctione, quæ secundum dignitatem quandam, vel autori-

D. Cyrillus Cōc. Ephes.

thoritatem est, vel secundum potentiam, & non magis concursu secundum adunationem naturalem, anathema sit. Sic ergo patet esse hæresim ab ecclesia damnatam dicere, quod in Christo sunt duæ hypostases, vel duo supposita, siue quod vnio sit facta in hypostasi, vel supposito. Hactenus Beat. Thom. catholice & docte, & grauiter.

B.Thom.

Sed aduersus hæc obijcitur primò, quia apud patres inuenitur hic modus loquendi. Vnus Dei filius est aliud propter Verbum, & aliud propter hominem, & quod in eo vnum coruscat miraculis aliud succumbit iniurijs: ergo est ibi vnum & aliud suppositum. Respondetur quod id dicunt patres propter diuersas naturas, quæ in Christo sunt, non propter diuersa supposita. Vnde doctissime Grego. Theologus in epist. ad Dydimum scripsit hæc verba: Aliud & aliud sunt ea, ex quibus Saluator est, non autem alius, & alius. Dico verò aliud & aliud è contrario, quam in Trinitate; ibi enim alius, & alius dicimus vt non subsistentias confundamus, nō autem aliud & aliud.

D.Augus. B.Leo. Nazian.

Secundo argumentor: Quia hypostasis est substantia particularis: sed anima Christi, & corpus & natura ex eis composita est substantia particularis: ergo est hypostasis: ergo in Christo est alia hypostasis ab hypostasi filij Dei. Respōdetur quod quanuis Magister in 3. dist. 5. capit. vltimo, dicat, animam separatam esse hypostasim illud tamen non est verum: quia licet anima per se existat, tamen de ratione hypostasis, vel personæ, est quod sit vltimū cōplementum naturæ completæ, & substantialis, & illa animæ per se existentia non est terminus naturæ completæ. Et similiter corpus & humana natura in Christo, quāuis sint substantiæ quædam particulares, quia tamen veniunt in vnionem cuiusdam completi, scilicet Christi, ideò non possunt dici hypostasis, vel suppositum, sed subsistens illud atque perfectum, ad quod complendum concurrunt illud verè dicitur, & est suppositum.

Magister.

Tertio argumētor: Christus est homo: ergo est persona humana: ergo in eo sunt duæ personæ diuina & humana. Ad hoc nego consequentiam, quia eadem persona Verbi, vt habens Deitate est Deus & persona diuina: & illa eadem, vt sustinens humanitatē est homo, & persona humana.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm persona vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita.



HAEC res est difficilis intellectu. Vt verò clarius possit videri, faciam quatuor. Titulum in primis explicabo quæstionis opinionesq; referam scholasticorum. Secundo veritatem statuam ex patribus. Tertio illam scholastico modo & ratione declarabo. Quarto respōdebo argumētis.

Pro primo sciendum est, quod persona Christi considerata præcisè qua Verbum Dei, vel qua Deus, non est composita, sed simplicissima: nec de hoc est quæstio. Itē si consideretur Christus, vt homo, certū est, quod est compositus ex carne humana, & anima rationali: nec de hoc est quæstio. Sed quærimus vtrum, si quidem post incarnationem persona Verbi subsistit in natura humana, & in natura diuina, efficiat ea naturarum copulatio in vna persona Verbi Dei, vt ea persona in quantum subsistens in eis naturis composita dici debeat. In hac ergo quæstione Alexand. Halensis 3. part. quæst. 6. membr. 2. articulo. 1. Alberius, B. Tho. B. Bonauentura, Scotus, Durand. Gabr. Dionysius, in 3. distinctione. 6. Marsilius, ibi, quæst. 6. art. 3. dub. 5. non volunt admittere, quod persona Christi post incarnationem sit composita. Existimant autem plures ex eis, quod quanuis composita cum alio, id est, cum humanitate dici possit, ea tamen non est propriè compositio, sed ea, quæ est ex alijs, quam in persona Christi non admittunt. Nec verò defuere Theologi, qui ordine conuerso admittunt in persona Christi cōpositionem ex alijs, illam vero quæ est cū alijs reijciant. Et hæc de primo.

Alex. Halens. Albertus. B.Thom. D. Bonau. Scotus. Durand. Gabri. Dionys. Mars.

Secundo loco veritatem statuo hac pro-

positione: Christus est non solum in duabus, sed ex duabus naturis subsistens atque compositus. Hæc fuit doctrina Ecclesiæ
Côc. Ephes. vniuersæ tempore Concilij Ephesini, in quo damnatus est Nestorius, & in quinta & sexta Synodo generali, id est, Constan
Conci. Côst. tinopolitano secundo, & tertio sæpè repetitur Christum esse compositum ex duabus naturis, & esse subsistentiam siue personam compositam. Idemque habetur in
Côc. Chalc. concilio Chalcedonensi, & in Lateranen
Côc. Later. si, sub Martino primo, canone. 6. & can. 8. Dicitur quod Christus est non solum in duabus, sed etiam ex duabus naturis subsi
D. Dionys. stens, atque compositus. Patres etiam ita
D. August. asseruerũt Diuus Dionysius de diuinis no
B. Leo. minibus, cap 2. Augustinus, Leo, Damasc.
D. Damasc. Nazianz. & alij. Et certè magni momenti fuit apud patres & valde necessarium asserere vnum Christum subsistere in duabus, & ex duabus naturis contra Eutychetem, qui ponebat vnam naturam, & contra Nestorium, qui diuidebat personam.

Vnde in ordinatione Episcoporum ab ordinando quærit Ecclesia: Credis Christum in duabus, & ex duabus naturis subsistere? Et respondet ille: Credo. Et hæc pro secundo.

Vt verò tertio loco veritatem comprobem, & declarem scholastico modo, sciendum est in primis, quod quando duæ res vniuntur, vnaquæq; illarum dicitur componi cum altera: & idquod ex vtraq; resultat dicitur componi ex illis. Verbi gratia, quando albedo iungitur corpori, tunc & corpus cum albedine, & albedo cum corpore componi dicitur, & prætereà album quod resultat dicitur componi ex illis. Vnde duplex compositio ponitur à Theologis. Vna quæ dicitur compositio cum alio; vt ea, quæ est corporis cum albedine. Altera, quæ appellatur ex alijs; vt qua album ex corpore, & albedine constituitur.

Secundo loco sciendum est, quod compositio ex alijs non vno modo inuenitur, sed quocunque modo vnum aliquid conficiatur, & resultet ex pluribus manentibus in ipso, componi dicitur ex eis. Verbi gratia. Euidens est quod humanitas componitur atque conficitur ex corpore, & anima rationali, & quod quæcunque alia natura constat ex suis partibus, non tamen hæc sola compositio ex alijs admittenda est. Nam dicere communiter solemus, quod mixtum componitur ex elementis, quanuis elementa in eo non maneant, nisi secundum qualitates iuxta probabiliorem sententiam. Et dicimus quod Petrus constat ex corpore & anima, quanuis suppositum Petri intelligatur esse distinctum à corpore & anima: ita tamen ex eis resultat atque conficitur, vt sine illis nec esse, nec subsistere, nec intelligi possit. Itaque corpus & anima aliter se habent ad naturam humanam, aliter ad suppositum. Natura enim humana quantumuis sumatur præcisè, claudit formaliter corpus, & animam, seu potius est corpus & anima, simul sumpta & composita: suppositum verò humanum distinguitur realiter à corpore & anima, estque subsistens in eis. Conueniunt tamen in hoc, quod nec humanitas nec suppositum humanum esse possunt aut confici & resultare, nisi ex corpore & anima, quanuis aliter, & aliter.

His statutis probatur in primis, quod persona Christi sit composita compositio ne cum alijs: nam & Verbum suscepit humanitatem, & humanitas suscepta est à Verbo: sunt ergo illa duo vnita atque cõposita. Quod verò sit etiam composita ex alijs, probatur: Quia Christus non modo est Deus, sed etiam homo vniuocè nobiscum, vt docet fides: sed Petrus verè est, & dicitur compositus, & constans ex corpore, & anima: ergo & Christus. Et prætereà Petrus dicitur, in, & ex humanitate subsistens, atque compositus, quia est suppositum habens humanitatem: sed Christus est suppositum habens humanitatem & diuinitatem: ergo vt sic est compositus, & subsistens in eis, & ex eis. Certe hęc etiã intra limites philosophiæ negari non possunt, nisi à quibusdã, qui nõ penetrarũt cõpositionẽ ex alijs, nisi eam, qua corpus cõponitur ex materia & forma deberẽt tamẽ nõ in omnibus desiderare & requirere

idem

Magister. B.Thom. idem compositionis genus. Vnde & Magister in 3. dist. 6. & 7. & D. Tho. in hoc articulo concedunt, & defendunt hanc veritatem. Nō tamē existimet aliquis, quod quando concilia atque Doctores asserunt, Christum esse compositum ex duabus naturis, volunt affirmare, quod inter personam Christi, & diuinitatem eius sit aliqua compositio aut differentia, nisi secundum rationem. Et hæc de tertio quod propośui.

Sed vt impleam, quæ quarto loco agendа promisi aduersus ea, quæ dicta sunt argument. primo: Christus non subsistit per humanitatem aut ex illa: ergo non est cōpositus atque subsistens ex duabus naturis. Respondeo, quod Christus, vt Deus non dependet ab humanitate: vndè antequam assumeret eam erat subsistēs Deus: at verò Christus vt persona humana nec esse nec intelligi potest, nisi vt sic subsistat per humanitatem, & ex humanitate, hoc enim est esse personam humanam. Et quidem Christus sicut per diuinitatem est Deus ita per humanitatem homo.

Secundo argumentor. Quia, vt nonnulli dicunt ex scholasticis, quos citauimus, in omni compositione ex alijs necesse est, vt illa habeant naturalem inclinationem ad constituendum vnum: hæc verò naturalis inclinatio non erat in humanitate respectu diuinæ personæ: ergo, &c. Ad hoc nego maiorem: quia sufficit ad eam compositionem inclinatio obedientialis.

Tertio argumentor. Quia omnis compositio claudit imperfectionem: ergo non est tribuenda personæ Christi. Ad hoc dico, quod quanuis ratio aliqua in rebus creatis claudat imperfectionem, ea tamen omnis imperfectio remouetur quando illa ratio transfertur ad diuina, licèt ratio maneat verè & propriè accepta. Verbi gratia. Generatio in creatis claudit imperfectionem, in diuinis autem non claudit, & tamen est ibi verè & propriè generatio. Atque vt in hoc ipso mysterio exemplum adhibeamus; Vnio in rebus creatis maximè substantialis claudit imperfectionem in vtroque extremo; vnio autem Verbi cum humana natura non claudit imperfectionem, & tamen est vnio. Parique ratione dico in proposito, quod persona Verbi post incarnationem sine aliqua sui imperfectione est composita: sed quoniam hæc res est difficilis, insto in hunc modum. ¶ Compositum in vniuersum dependet à componentibus: ergo claudit imperfectionem. Respondetur, quod quando aliquid componitur ex alijs, tanquam ex partibus, dependet quidem ab eis: poterit tamen fieri, vt aliquid componatur ex alijs quæ non sunt partes nec dant esse actuale, sed accipiunt. Et applicando ad propositum, dico quod persona Christi potest conferri, & cum humanitate, & cum diuinitate. Si cum diuinitate conferatur, non est inter ea compositio, aut dependentia propriè dicta, vt constat. Si verò comparetur cum humanitate, etiam est certum, quod persona Christi non dependet ab ea in esse personæ simpliciter. Et si loquamur in esse personæ humanæ, dico, quod etiam vt sic ea persona non dependet ab humanitate, sed potius humana natura dependet ab ea persona vt à sustentante, terminante, & perficiente. Sed arguis: Persona humana in suo intellectu claudit humanitatem, vel ordinem ad humanitatem, est enim persona humana hypostasis habens humanitatem: ergo humanitas vel habet se vt forma, vel vt materia, vel vtroque modo respectu personæ humanæ: ergo persona humana dependet ab ipsa in genere causæ formalis, vel materialis.

Respondetur euincere argumentum euidenter, quod inter personam humanam, & humanitatem est aliquis ordo intrinsecus, & formalis; ille tamen ordo non consistit in eo, quod ea persona, de qua nobis sermo, suscipiat esse ab humanitate, sed in eo quod nequit formaliter intelligi sine humanitate. Loquor autem de esse actuali, & perfectiuo. Quam rem exemplo declaro: Deus, vt actualis artifex, & conditor rerum, non potest intelligi sine rebus;

non tamen is ordo efficit, vt Deus dependeat à rebus, sed quod res dependeant à Deo.

Quarto argumentor: Quia semper compositum est melius quolibet componenti: ergo persona Christi non potest esse composita ex humanitate, & diuinitate. Respondetur: Nego antecedens, & probo esse falsum. Nam, si iste mundus, & princeps ille Deus, qui regit illum, considerentur, vt vnum atque compositum ordine quodam, certum est, quod mundus, & eius dux non est melior solo Principe ac duce. Afferrique posset exemplum in sacramento, & re sacramenti.

Quinto argumentor: Quia Deus non venit in aliorum compositionem: ergo, &c. Respondetur, quod non venit Deus in aliorum compositionem, vt pars, sed per hoc, quod alia iunguntur ipsi & continentur ab eo.

Sexto argumentor: Quia si persona Christi est composita: ergo Deus est compositus. Respondetur, quod hac in parte non est difficultas, nisi de modo loquendi. Scimus enim quod Deus secundum se est simplicissimus, & scimus quod Deus factus est homo, & in quantum homo est compositus. Dicere verò posset quis, quod quando dicimus, Deus est mortuus, omnes intelligimus, quod non est mortuus, nisi vt homo: quando verò audimus, Deus est compositus, videtur significari, quod qua Deus sit compositus: & ideò neganda est ea propositio. Quia si consulamus aures modumque communem concipiendi, videtur nomen, compositus, applicare suum significatum supra Deum. Si autem oppositũ quis asseruerit, ego nõ abnuam.

Septimo argumentor. Quia constare ex his, quæ possunt non esse est imperfectio: sed persona Christi constat, & subsistit ex humanitate: ergo claudit imperfectionem. In hoc attente considerandum est, quod aliud est loqui de personalitate ipsa Christi, etiam vt humana, & aliud loqui de Christo, in quantum est homo. Nam, si sermo sit de Christo, in quantum est homo, sic claudit formaliter humanitatem, & dependet ab ea tanquam à propria forma, & multa dicit humanitas, quę dicunt imperfectionem negatiuè: natura enim hominis & minor est Deo, & minor etiam omnibus angelis. Persona verò Christi dicit suppositum, vt distinctum realiter à natura humana. Et de ea persona loquendo dico, quod constare ex his quæ possunt non esse, ità vt ab eis esse reciperet, est imperfectio. Dici verò, constare ex eis, eo quod illis esse der, & perfectionem, hoc non est imperfectio. Et Verbum, assumens humanitatem non recipit esse, sed confert.

Vltimo argumentor: Quia compositum est suæ partes: sed persona Christi est composita: ergo est suæ partes, ergo Christus est diuinitas, & humanitas. Hac in parte Theologos admonitos esse vellem modestiæ, atque vt semper in asserendo vitare curent temeritatem, quæ certè à sapientia dissidet plurimum. Hæc dixi, quoniam nonnulli eo se solent præcipitare inconsideratius, & confidentius, quo pauciora vident. Et quidem in proposito non desunt qui grauiter Gregorium carpant, quod in primo, distinctione. 28. quæstione. 2. contenderit Christum dici posse duas naturas, cum Concilium Constantiense, sessione. 15. errore. 4. contra Ioannem Hus, eam propositionem reijciat. Cæterùm Gregorium defendere posset in primis Diuus Augustinus dicēs in Enchiridio. quod diuina substantia, & humana vtraque est vnus filius Dei. Et idem Diuus Augustinus, tractat. 78. in Ioannem & Leo Papa, epistol. 9. contra Eutychetem non dissimili vtuntur loquendi modo. Et quidam adferunt sextam Synodum generalem affirmantem quod persona Christi sit duæ naturæ, quanuis ego non inciderim in eum locum. In similibus ergo propositionibus diligenter videnda sunt antecedentia, & consequentia, & quæ sit ratio dictorum, & intentio loquentium, & loquendi modus, qui certè apud authores diuersos diuersus est, & iuxta hæc omnia est iudicandum. Obseruandum igitur est in primis, quod viri graues sæpè abstracta accipiunt pro con-

Gregor.

Cõc. Const.

D. August.

B. Leo.

Conci. Cõst.

D. Greg.

concretis, & è contra. Quod ita est certum, vt non sit necesse probare. Et in proposito nostro, si consulas aliquos patres videbis, quod loquentes contra Eutychetem, atque Nestorium, quorum hic vnitatem personę, ille verò diuersitatem naturarum & pluralitatem negabat, dicere non dubitarunt aduersus eos, quod Christus erat duæ naturæ, hoc est vnus Christus erat verus Deus, & verus homo: quæ sunt duæ naturę in concreto significatæ, non aliter atq; dicere solent Philosophi quod natura agit propter finem, id est, agētia naturalia agunt propter finem. Vel est sensus, quod vnus Christus est duæ naturæ, id est, subsistit, in, & ex duabus naturis. Ioannes verò Hus, quoniam peruerso aliquo sensu, propositionem illam prædicabat, Christus est diuinitas, & humanitas, damnatus est cum propositione sua. Quo vero sensu illam explicauerit, ego ex concilio colligere non potui. Vt autem tenuitas, & paruitas ingenij mei dicat hac in parte, quod sentit, mihi videtur, quod Augustinus, & alij sancti retenta substantia catholicæ veritatis, parum curauerunt de logica formalitate, cuius exacta ratio non permittit, vt abstracta dicantur de suis concretis; nec enim dicimus, quod homo est humanitas, præsertim cum persona Christi non modo non sit humanitas, formaliter loquendo, sed etiam realiter ab illa distinguatur. Illi verò patres, quo se magis explicarent, contra hæreticos, maluerunt dicere: Vnus Christus est duæ naturæ, quam dicere: Vnus Christus subsistit ex duabus naturis. At verò cum labente tempore grauitas illa doctorum, & eloquentia cessauerit, & loco eius successerit proprietas logica, & formalis ratio loquendi, meritò Concilium Constantiense reiecit eam propositionem, Christus est diuinitas, & humanitas, spectans eam rationem formalem loquendi, qua humanitas in abstracto dici non potest de persona Christi. ¶ Dubitari solet hoc loco, vtrùm absolutè, & sine specifica tione Christus dici possit ac debeat compositus. Respondetur, quod quicquid nonnulli dicant, ità dicendus est, quoniam ità loquuntur concilia, vt dictum est. Et Petrus Diaconus libr. de incarnatione Verbi, cap. 4. dicit, quod Christus est compositus adunatione duarum naturarum. Nec verò dubium est, quin apud rerum intelligentes nomine Christi intelligatur subsistens, atque compositus, in, & ex duabus naturis, verusque Deus & homo cui est gloria in sæcula.

Conc. Cōst. D. August. Cōc. Const. Scot. in. 3. d. 6. q. ulti. & Caie. 5. Pet. Diaco.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm facta sit aliqua vnio animæ, & corporis in Christo.

RESPONDEO, fuisse quosdam, qui licèt faterentur, animam & corpus esse assumpta à Verbo, negabant tamen esse vnita inter sese. Quem errorem damnauit ecclesia multis in locis. Ex quibus afferre sufficiat sextam Synodum generalem actione. 11. in epistola Sophronij, & Concilium Ephesinum primum, actione. 13. vbi dicitur quod Verbum diuinum carnem animatam anima rationali sibi copulauit. Et infra. Sancti Patres, ait concilium, non dubitauerunt Sanctam Virginem dicere Theotocon, id est, Deum parientem: non, quia Verbi natura Deitasque in sancta Virgine sumpsit exordium, sed quia ex ea natum sit factum illud corpus animatum anima rationali. Et certè ratione efficacißima conuincitur hæc hæresis, sumpta vna præmissa de fide, & altera euidenti lumine rationis. Nam fide tenemus Christum esse hominem: sed, si anima non informaret corpus non esset homo: ergo ipsum informat, secundum fidem.

Con. Cōst. Cōc. Ephes.

Sed aduersus hæc argument. 1. quia in nobis ex vnione animæ, & corporis causatur persona, vel hypostasis hominis: si ergo anima, & corpus fuerunt in Christo vnita, sequitur quod fuerit ex vnione eorum aliqua hypostasis constituta: non autem hypostasis Verbi Dei, quæ est æterna: ergo in Christo est aliqua alia hypostasis præter hypostasim Verbi Dei.

Ad hoc argument. neganda est consequentia, quia hoc accidit in puris hominibus, eo quod anima & corpus sic in eis cōiunguntur, vt per se existant, sed in Christo vniuntur ad inuicem, vt adiuncta alteri principaliori, quod subsistit in natura ex eis composita, & propter hoc ex vnione animæ, & corporis in Christo non constituitur noua hypostasis, vel persona simpliciter. Teneamus ergo verum loquendi modum & synceram veritatem in hoc mysterio, quod scilicet, ex vnione animæ, & corporis in Christo non constituitur noua persona, sed natura quædam singularis ex anima & corpore composita præexistenti personæ diuinæ ità coniuncta est, vt constituat illam non quidem in esse personæ simpliciter, sed in eo, vt sit humana persona. At verò secundo argumentor, seu potius replico in hunc modum: Nam Christus est homo vniuocè nobiscum: ergo sicut in nobis constituitur persona simpliciter ex vnione animæ & corporis ita debet, &c.

Respondetur, quod ratio vniuoca speciei atque naturæ humanæ non sumitur ex persona, aut ex modo, quo illa constituitur, sed ex principijs essentialibus speciei, & ex specie ipsa, quę eadem est in Christo & in nobis. Et dico prætereà, necessarium quidem esse & intrinsecum, vt habēs corpus & animam rationalem vniuoce nobis cum sit persona humana, sed quod ea persona, simpliciter loquendo, non fuerit antea, aut quod non sit etiam diuina, hoc nō est omnino necessarium, sed inuenitur in puris hominibus, eo quod eorum natura non adiungatur alteri personæ.

Tertio argu. Quia anima coniungitur corpori, vt viuificet ipsum: sed corpus Christi poterat viuificari ab ipso Verbo Dei, quod est fons & principium vitæ: ergo in Christo non fuit vnio animæ & corporis. Respondetur, quod duplex est principium vitæ corporalis. Vnū effectiuum; & hoc modo Verbum Dei est principium omnis vitæ. Alio modo est aliquid principium vitæ formaliter. Cum enim viuere viuentibus sit esse, sicut vnunquodque formaliter est per formam suam: ità corpus viuit per animam, & hoc modo non ponitur corpus viuere per Verbum, quod non potest esse corporis forma. Ex quibus verbis quæ sunt D. Thom. satis constat, quod secundum sententiam eius tam grauis & docti scholastici, sicut corpus Christi formaliter viuit per animam: ita & habet esse siue existentiam humanam per animam. Et nō dico subsistentiam sed existētiam. Aliud enim est personalitas, & aliud actus essendi. Et quidem personalitas est vna in Christo, scilicet, Verbi Dei: actus verò essendi in viuentibus est ipsa vita: nam viuere viuentibus est esse. Et sicut humana vita in Christo formaliter est ab anima: ità, & esse humanitatis. Sed de hoc alio fortasse in loco dicemus.

3. de Anima text. 37.

B. Thom.

Quarto argum. Anima humana vnitur corpori vt motor, secundum Platonem: ergo vnitur in genere causæ efficientis: ergo Deus poterit supplere vicem animæ. Respondetur quod anima potest comparari & ad informationem corporis constitutionemq́; speciei siue compositi: & hac ratione vnitur vt forma. Potest secundo anima comparari ad operationes, siue illæ sint totius compositi, siue animę solius. Et hac ratione anima se habet, vt mouens & efficiens; quod est euidens, quanuis Plato nūquam id dixisset. Habent tamē omnes istæ operationes animales atque vitales adiunctum ordinem quendam formalē ad suū principium effectiuum, ob quem elici non possunt, nisi ab anima: fieri enim non potest, vt ambulatio, locutio, risus sit nisi ab habente animam, principioque viuenti.

Plato.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm natura humana fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter.



DICEBANT Eutyches, & Dioscorus, quod in Christo post vnionem non erat, nisi vna natura, sicut fuit vna persona. Nestorius verò contra pugnabat, asserens, quod in Christo sicut erant duæ naturæ, erant etiam duæ hypo-

hypostases atque personæ. Cæterùm ecclesia catholica tenet medium, ac docet esse vnitas in Christo naturam diuinam, & humanam, secundum hypostasim siue subsistentiam, ac proinde substantialiter: quod his verbis declarauit Concilium Cōstantinopolitanum secūdum can. 4. Cum multis modis vnitas intelligatur, qui iniquitatem Apollinarij, & Eutychetis sequuntur, &c. vnionem secundum confusionem dicunt. Theodori autem, & Nestorij sequaces diuisione gaudentes affectualem vnitatem introducunt: sancta verò Dei ecclesia vtriusque perfidiæ impietatem reijciens, vnionem Verbi Dei ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam. Et hæc pro dogmate catholico. Pro quo sciendum est, quod vt Philosophi dicunt, substantia non accipitur solum pro essentia atque natura, sed potius substantia, quæ propriè, & in primis, & maximè dicitur est quæ nec de subiecto aliquo dicitur, nec in subiecto aliquo est: & talis est hypostasis, suppositum, vel persona. Sciendum est secundo, quod non est idem vniri in persona, & secundum personam. Nam vnum alteri vniri in persona est non habere diuersum subiectum & hypostasim, sicut album & musicum quæ iunguntur in Petro. Vnde Petro vniuntur in persona quęcunque sunt in eo, siue sint eius partes atq; natura, siue accidentia. Vniri autem secundum personam vel hypostasim est ità vniri, vt personalitas ipsa, ac subsistentia resultet ex ea re, quæ taliter vnitur. Et quia, vt dictum est, esse hypostasim siue personam prouenit & fluit, tanquam à fonte, à natura & à partibus eius siue essentialibus, siue etiam integrantibus, quę omnia subsistunt per subsistentiam hypostasis: & quia ab accidentibus nec prouenit nec fluit hypostasis, nec verò accidentia subsistere possunt, nec per se nec per aliud: hinc fit quod non possunt dici vniri secundum hypostasim. Quæ autem secundum hypostasim vniuntur, substantialiter vniuntur, propterea quòd vnita sunt secūdum eam, quæ propriè, & in primis, & maximè substantia dicitur: & quia in Christo humanitas est vnita hypostaticè, siue secundum hypostasim Verbo Dei, iccircò verè dicitur esse vnita substantialiter. Et hæc quidem pro isto articulo sufficere videbatur. Sed quoniam aliqui scholastici, ex quibus est Durandus, in. 3. dis. 6. q. 4. & fuit D. Th. ibi, quæst. 3. art. 2. & D. Bonauentura, dist. 3. quæst. 3. vergere hanc vnionem putant in accidentalem, eique similem esse aliqua ratione: & quia hæc res grauis est, sit pro rei declaratione prima propositio: Natura humana vnita est cum Verbo substantialiter & nō accidētaliter. Hæc constat ex dictis.

Cōc. Const. — Durand. — D. Thom. — D. Bonauet.

Sed probatur præterea primò, quia ad vnionem substantialem duo requiruntur & sufficiunt. Primum est, vt id, quod vnitur, sit substantia, alterum vt tribuat rei, cū qua vnitur denominationem & esse substantiale, & non se habeat, Verbi gratia, vt vestimentum ad corpus, quorum vnio est accidentalis & extrinseca: sed ista duo inueniuntur in hac vnione mirabili: ergo est substantialis. Probatur minor. nam & id quod vnitur est substantia, & per eam Verbum habet esse hominis, quod est esse substantiale.

Secundo argumentor: Quia omnis motus, siue mutatio recipit speciem à termino: sed terminus huius mutationis, siue vnionis humanæ naturæ cūm Verbo est esse substantiale, quia est esse hominis: ergo hæc vnio est substantialis.

Secunda conclusio: Non solum est verum, quod hæc vnio est substantialis, sed etiam ità certum, vt sine errore non possit concedi, quod est accidentalis. Probatur ex Concilio Ephesino primo, can. 2. Si quis inquit concilium, non confitetur carnem secundum substantiam vnitam esse Verbo Dei, anathema sit. Et in eodem concilio dicitur, quod Verbum substantialiter ineffabiliter, & incomprehensibiliter factus est homo: & idem habetur in quinta synodo, can. 4. 5. & 8. & Alexand. tertius in epist. ad Remensem Episcopum, quæ habetur tomo. 2. conciliorum, & refertur in c. cum Christus. de hæreticis. idem definiuisse videtur. Ait enim quod Christus, vt homo, non est ad aliquid, aut aliqualis, sed quid.

Cōc. Ephes. — Alexan. 3.

Tertia conclusio. Hæc vnio humanæ naturæ cum Verbo non assimilatur vnioni accidentali. Probatur: Nam ad vnionem accidentalem maximè pertinere videtur, primum, quod denominatio sit accidentalis, & in hoc, vt constat vnio Verbi cum humana natura non assimilatur ei. Alterū proprium vnioni accidentali est, quod res vnita insit, propriè loquendo, atque inhæreat subiecto: & manifestum est, quod natura humana nō sic inest, siue inhæret Verbo. Tertium, quod ad vnionem accidentalem pertinere videbatur, est, quòd accidēs quādo vnitur aduenit rei existenti in actu, & potest abesse absque eius corruptione, atque hoc quanuis inueniatur proportionaliter in hac vnione humanæ naturæ cū Verbo, non tamen est proprium vnionis accidentalis: nam certum est quod vnio, quæ fiet inter animam & corpus in resurrectione, erit substantialis, & tamen corpus adueniet animæ iam existenti in actu: ergo id non est proprium vnionis accidentalis. Dici tamen potest, quod corpus non aduenit enti per se completo atque perfecto sicut humanitas filio Dei.

Vnde, vt vnicuique sententiæ, quod ei debetur tribuamus, sit quarta propositio. Quandoquidem esse hominem, adesse & abesse potest Verbo manenti, habet hæc coniunctio vmbram aliquam vnionis accidentalis. Accidentalis, inquam, ea ratione, qua id nomen ab accidenti quinto prædicabili logicorum deriuatur: quod etiam non requirit subiectū inhæsionis, sed prædicationis, quale est Verbum. Sufficiens autem ratio huius conclusionis in conclusione ipsa posita est, vt videtis. Sed instant nonnulli hac ratione: Nullum prædicatū, quod pertineat ad quintum prædicabile, facit in creaturis substantialem, & essentialem prædicationem: ergo nec hæc: Verbum est homo, esset eiusmodi. Respondetur, quod cum nunquam in creaturis natura substantialis præexistenti personæ adueniat mirabile est, quod ij quærant exemplum rei singularis. Nonnullum tamen afferre possumus, si esse animæ nostræ fuerimus cōtemplati. Quemadmodum enim vnum & idem esse ante animationem corporis non est corporeum, & animatione facta atque supposita essentialiter & quidditatiuè est corporeum; ita hæc propositio. Hypostasis Verbi Dei est homo, supposita incarnatione Verbi Dei, est æternæ veritatis.

Secundo argum. Quoniam accidenti non potest tribui esse substantiæ: ergo nec creaturæ esse creatoris: ergo Verbum Dei non potest substantialiter esse homo. Respondetur, quod Deus Optimus Max. assumere potest substantialem naturam, atque tribuere suam subsistentiam: quod autem accidens aut sit substantia aut subsistat, vetat natura rerum, & ideò neganda est, consequentia.

Sed aduersus ea, quæ dicta sunt argum. 1. Nam ad Philippens. 2. dicitur de filio Dei, quod est habitu inuentus vt homo: sed habitus accidentaliter aduenit ei, cuius est, ergo humana natura accidentaliter est vnita filio Dei. Respondetur, quod vt docent Diuus Ambrosius, & D. Chrysost. & OEchumenius in eum locum, nomine habitus ibi, quod Græcè est σχῆμα significatur figura forma aut species, ità vt velit Apostolus eo loco, quod Verbum copulata sibi humana natura prætulit veram reipsa atque operibus formam & speciem hominis. Aliam expositionem solent scholastici afferre ex D. August. libr. 83. quæstio. secūdum quam habitus accipitur pro vestimēto, quod formatur secūdum figuram eius, qui induit ipsum, ipse verò induens nō mutatur. Et sic natura humana ineffabiliter sociata est Verbo, & eleuata & Deificata sine Verbi mutatione. Mihi tamen planior & probabilior est prior interpretatio, sed quælibet earum est sufficiens. *Philip. 2.* *D. Ambros.* *D. Chrysost.* *OEchum.* *D. August.*

Secundo argumentor: Quia hæc vnio humanitatis cum Verbo aduenit enti in actu, & potest adesse, & abesse absque subiecti corruptione, & accidit filio Dei, quod sit homo: ergo hæc vnio est accidentaria. Respondetur, quod hæc vnio est naturæ substātialis cū Verbo, & facta secūdum hypostasim, quæ maximè substantia dicitur: ac propterea verè & propriè & absolutè est substātialis. Ad primā verò partem argumenti dico cum B. Thom. quod illud, *D. Thom.*

quod

quod aduenit post esse completum, accidẽtaliter aduenit, nisi trahatur in communionem illius esse completi: sicut in resurrectione corpus aduenict animæ præexistenti, non tamen accidentaliter: quia ad idem esse assumetur, vt scilicet, corpus habeat esse vitale per animam. Verbum autem Dei ab æterno esse completum habuit secundum hypostasim, siue personã; ex tempore autem aduenit ei natura humana, non quasi assumpta ad vnum esse, prout est naturæ, sicut corpus assumitur ad viuere ac esse animæ, sed ad vnum esse prout est hypostasis, id est, ad vnam hypostasim, personam, vel subsistentiam. Quæ placuit ità referre, vt sciant quidam distinguere inter esse actuale, hoc est, existentiam naturæ hominis, & hypostasim, siue subsistentiam illius. Ad secundam verò & tertiam partem argumenti, vt exactè respondeam, existimo aduertendum esse, quod quemadmodum apud logicos hæc propositio: Petrus est albus, est denominatiua, hæc verò, hoc album, vt sic, est album, est essentialis, & quidditatiua: ita aliud est dicere, Verbum Dei est homo, aliud dicere, Christus est homo, filius Virginis, filiusue hominis est homo. Quo posito dico primò, quod hęc propositio Christus est homo, filius hominis est homo, est quidditatiua, & prædicatum non potest abesse absque subiecti corruptione, subiecti, inquam, accepti non qua Verbũ sed accepti, qua Christus, & qua filius hominis. Si enim Christus non esset homo, maneret Christus vt Deus, non tamen maneret, vt Christus, nec vt filius hominis.

Dico secundo, quod si esse hominem referatur ad Christum, qua Verbum est, sic nec humanitas est de essentia Verbi Dei, nec eius propria passio, sed accidit Verbo, quod sit homo, secundum quod accidere dicitur, quod potest & adesse & abesse. Et secundum hanc considerationem habet hæc vnio nonnullam rationem atque vmbram vnionis accidentalis. At verò, si accidens accipiatur, prout diuiditur contra substantiam, iterum dico, quod hæc vnio etiam secundum hanc eandem considerationem est substantialis, quia id quod vnitur est substantia, & vnitur secundum subsistentiam siue hypostasim.

Solent scholastici afferre similitudines varias, quibus explicent hanc vnionem, nec parum inter se digladiantur: alijs dicẽtibus cum Scoto, quod est similis vnioni substantiæ, & accidentis: alijs cum Durando, quod vnioni qua ramus insitus est stipiti: alijs cum Beato Bonauentura, quod vnioni inter vestem & vestitũ: alijs deniquè asserentibus, quod maxima similitudo est vnionis corporis, & animæ. In quo dicendum est, quod profectò omnes illæ aliqua ratione explicant hoc mysterium. Nam, vt de prima loquamur, quam carpit Caietanus hoc loco, sicut substantia adhuc post vnionẽ habet naturam distinctam à natura accidentis, & conseruat ipsum accidens, & aduenit accidens enti cõpleto. ità Verbum diuinum habet aliam naturam distinctam à natura humanitatis, eamquè humanitatem conseruat, atque aduenit humanitas personæ & enti in actu. Pariquè analogia & proportione aptare possemus cæteras similitudines, quæ tamen in multis deficiunt. Atq; cõsilio meo vir Theologus præcipuè vtetur ea, quę sumitur ab anima rationali, & carne: quoniã recepta est ab ecclesia, vt constat ex symbolo Athanasij, & ea vtitur D. August. in epist. ad Volusianum, & contra Felicianum, & cõtra Maximinum, & Leo in epist. ad Flauianum, & Cyrillus in epist. ad Monachos Egyptios, & Diuus Bernardus lib. de consideratione ad Eugenium. Aduertendum verò est, quod cum in creaturis nihil tam simile sit, quod non maiori ex parte sit dissimile, multa deficiunt in hac ipsa qua præcipuè vti debemus, similitudine. Nam primò anima rationalis vnitur corpori, vt forma propriè dicta. Secundo ex anima rationali, & corpore fit vna natura, atque essentia. Tertio anima rationalis, & caro sunt partes hominis propriè dictæ. Quæ omnia in ineffabilem hanc vnionem, de qua nobis sermo, non quadrãt: præterquam quod in vnione Verbi, cum humana natura est communicatio idiomatum inter corpus & animam, non sic:

Scotus. Durand. D. Bonauẽ. Caieta. D. Athanas. D. August. B. Leo. D. Cyrillus D. Bern.

sic:sed stat similitudo in eo; quod sicut ex anima rationali & carne, quæ sunt diuersæ naturæ, fit vnus homo. ità Deus, & homo vnus est Christus. D. Athan.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm vnio naturæ diuinæ & humanæ sit aliquid creatum.



QVAESTIO est eius generis, quam metaphysici possent versare ingeniosè: id quod ipsi faciunt atque etiam moleste & confusè. Si tamen quis rectè consideret credo, quod breuiter & dilucidè poterit illam tractare. Est ergo considerandum, quod vnio accipi potest primùm pro actione, qua vnita est humana natura Verbo: & sic significantius exprimeretur hac voce, vnitio. Secùdo potest accipi pro termino eius actionis, scilicet, pro vnitate illa, siue vno facto per actionem. Tertio pro relatione consequente res ipsas vnitas. Verbi gratia in vnione animæ, & corporis est actio agentis, qua vniuntur, & est vnũ resultans ex ea vnione, scilicet, animal, vel homo, & relatio vnionis consurgens inter animam & corpus vnita. Hoc posito dico primùm, quod si vnio accipiatur pro actione vniente naturam humanam cum diuina in vna persona, ea actio non est quid creatum ex parte actionis vel agentis: est enim actio Dei, siquidem tota Trinitas fecit Verbum esse hominem: & actio Dei est ipse Deus. Si verò accipiatur vnio tertio modo, scilicet, pro relatione, quæ consurgit inter res vnitas, sic dico, quod est aliquid creatum, prout est in humana natura. Quod probo: Quia omnis relatio inter Deum & creaturam est realiter in creatura, licet non sit realiter in Deo: sed quicquid est realiter in creatura, est quid creatũ: ergo hæc vnionis relatio est quid creatum. Prout autem ponitur à nobis esse in Deo, est ens rationis, non reale, ac proinde non est eur vel creatum, vel increatum dici possit, cum esse reale non habeat: Deus enim non refertur realiter ad nos.

Sed tota difficultas est circa secundam acceptionem, an secũdum eam, hæc vnio creatum quid dici debeat. Pro quo præmittendum est primò, quod cum quæritur, vtrum hæc vnio sit aliquid creatum, non accipitur, creatum, secũdum strictam scholasticorum acceptionem pro per se termino eius actionis, quæ est creatio, siue productio totius entis ex nihilo: sed accipitur, creatum, pro omni eo, quod in tẽpore incipit esse, quacunq; id ratione fit. Secundò præmittendum est, quod terminus huius vnitionis, de quo termino, atque vno est nobis sermo, potest accipi dupliciter. Vno modo, formaliter: & sic formalis terminus huius actionis est, Verbum Dei esse hominem. Secundò potest accipi ille terminus secundum id, quod re ipsa est in se: re autem ipsa illud vnum ac terminus terminans hanc actionem est subsistentia, siue persona filij Dei. His positis dico primùm, quod vnio accepta pro termino formali actionis, siue vnitionis, est quid creatum. Probatur: Per actionem totius Trinitatis, proprieque dictam non potest fieri Deus atq; creator: sed vnitio est actio totius Trinitatis: ergo formalis eius terminus non est creator, sed creatum.

Item secundo probo: Quia quoquo nos verterimus negare non possumus, quod terminus formalis huius actionis sit, Deũ esse hominem, ea proprietate, & formalitate, qua his ipsis verbis exprimitur, & declaratur: sed Deum esse hominem vtique factum est, cùm Hebr. 3. scriptũ sit de Christo: Qui fidelis est ei, qui fecit illum, vbi videndus est Diuus Ambrosius, & Nicolaus de Lyra, & hoc concedit D. Aug. lib. de prædestinatione sanctorum, cap. 15. & libro de bono perseuerantiæ. cap. vltimo, & nisi oculos claudere velimus testibus non egemus: nam Verbum esse hominem præterito tempore ante incarnationem non erat, & modo Verbum est homo, qui est Deus benedictus in secula: ergo factum est Deum esse hominem. Hebr. 3. D. Ambros. Nicol. de Lyra. D. August.

Dico secundo, quod si vnum hoc resultans ex vnitione accipiatur secundum id, quod re ipsa est in se, illud est quid increatum. Probatur: Quoniam illud vnum re ipsa

ipsa est subsistētia ipsa ac persona filij Dei: ergo est quid increatum. Et quanuis hæc parum fauete Caietano hoc loco videantur, ex ipso tamen declaro & probo, quæ dixi. Quemadmodum enim si anima rationalis ab æterno fuisset sine corpore, in temporeque corpori iungeretur, tunc esse illud corporis secundum se non incepisset in tempore, quia non esset aliud illud esse corporis, quam esse æternum animæ: cæterum quod illud esse, esset corporis esse, siue corporeum hoc certè in tempore fuisset: pari proportione, subsistentia quidem, & persona filij Dei æterna est; quòd verò ea persona sit etiam persona humana, id est, quod Deus sit homo, hoc in tempore factum est. Ex his sequitur, quod persona Christi nō quidem vt persona Verbi Dei, sed sub hac formalitate, vt humana facta dici potest. Nam licèt tantum ponat aliquid rationis in Verbo, ponit tamē aliquid reale in humanitate, scilicet, quod realiter terminetur ad Verbum, quod à Deo factum est. Nec hoc rectè intelligenti est aliquid aliud, quàm dicere, quod Deus homo factus est, quæ est fides nostra.

Caiet.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm, vnio Verbi incarnati sit idem quòd assumptio.



SVPPONENDVM est in hoc articulo, quod vnio potest accipi dupliciter: vno modo pro relatione: altero modo pro actione. Si primo modo accipiatur vnio, differt ab assumptione tripliciter. Primò, quia vnio est relatio, vt supponimus: assumptio verò est actio, vel passio. Secūdò, quia vnio significatur, vt in facto esse: assumptio verò vt in fieri. Tertiò, quia vnio dicitur indifferenter de vtraque natura: vnde humana natura dicitur vnita diuinæ, & è cōuerso: assumptio autem non dicitur indifferenter, sed determinat vnum extremum, quia diuina natura non dicitur assumpta, sed humana: & humana natura non dicitur assumens, sed Verbum dicitur assumens naturam humanam.

Si tamen vnio accipiatur secundo modo, scilicet, pro actione, differt ab assumptione in hoc, quod vnire significat actionem purè & indiffinitè à quocunque agente fiat, assumere verò dicit ordinem quasi formalem ad principium assumens, ratione cuius ordinis formalis assumere cōuenit soli Verbo, non aliter atque ambulare, & loqui dicūt ordinē ad tale principiū vitale. Et præterea videtur probabile per hoc ista differre: quod vnire propriè est agere: vnde tota trinitas vniuit humanitatē Verbo: assumere verò ex modo quidē significandi est agere, tamē ipsa nō est agere, sed suppositare, aut determinare præcisè. Quòd declaro: Nam humanitatem esse assumptam à Verbo est esse suppositatam in Verbo: ergo Verbum assumere humanitatem est suppositare humanitatem: ergo non claudit actionem re ipsa cum conueniat soli filio. Dicet tamen alius, quod assumere non est suppositare vtcunque, sed suppositare trahendo, & vniendo naturam, ac propterea etiam claudit actionē licèt non purè & merè: & hoc etiam est probabile. Atque de differentia inter vnionem, & assumptionem hæc dicta sint.

Sed aduersus primum illud, quod in articulo diximus, est argumentum: Quia vnire significat actionem: ergo & vnio significat actionem: ergo falsum est dicere, quod significat relationem, Ad hoc Caietanus malè respondet, negando antecedens. Existimat enim, quod vnire assimilare, aliaque eiusmodi significent relationem de formali, quanuis significent eam per modum actionis. Dicendum verò est, quod proprium, & primum verbale nomen huius Verbi, vnire, non est vnio pro relatione, sed vnio, siue vnitio pro actione. Vnde sicut se habent assimilare, & assimilatio, & similitudo: ità se habent vnire & vnitio, vt ita dicamus, & vnio. Et quēadmodum assimilare significat formaliter actionem, connotando, quod ad terminū actionis illius sequatur relatio: ità assimilatio illud ipsum significat. Similitudo verò formaliter significat relationem. Et pari Caiet.

pari

ri omnino proportione de vnire, vnitione, & vnione loquendum est. Sed obijciet aliquis aduersum nos: Nam si primum, & proprium verbale nomē vniendi, est vnio pro actione, siue vnitio: prius ergo ponenda & tractanda erat differentia inter vnionem pro actione, & assumptionem, quam ageretur de vnione pro relatione. Respondetur tamen, quod quia clarior erat differentia inter vnionem pro relatione, & assumptionem, quam inter vnitionem, & assumptionem, iccirco à magis notis incepimus.

Sed principale dubium huius articuli est, quisnam sit terminus assumptionis. Loquimur autē de assumptione, vt claudit actionem vniēdi humanam naturam. Pro quo sciendum, quod de assumptione possumus loqui dupliciter. Vno modo secundum quod hoc nomine significatur: atque hac ratione, quoniam assumere est ad se sumere, sequitur consequenter, quod assumptionis terminus, à quo est humana natura, & terminus ad quem est hypostasis Verbi Dei. Atque in hoc sensu non disputatur quæstio: quoniam hæc res certa est. Altero modo possumus loqui de assumptione, siue vnitione, prout est actio quædam qua aliquid efficitur. Et hoc modo quærimus, vtrùm habeat pro termino aliquid absolutum, vel potius respectiuū. De quo aliqui scholastici, ex quibus sunt Scotus, & Durand. tenuerunt, quod terminus assumptionis est aliquid respectiuum, quamuis suam sententiam explicent diuersimodè. Sed pro huius rei declaratione breuiter nonnulla præmittam. Et pono primum, quod per incarnationem secundum fidem catholicam verè & realiter Deus est homo. Pono secūdo, quod Deū esse hominem est verum esse reale & absolutum, & substantiale. Pono tertio, quod per illam actionem, quam claudit assumptio, siue vnitio, effectum est, non quidem vt esset Deus, nec vt esset humana natura, sed vt esse hominem competeret Deo.

Scot. in. 3. d. 1. q. 1. art. 3. Dur. dist. 5. q. 2.

His statutis, quæ subsecutura sit conclusio certè videtis. Dico ergo, quod terminus assumptionis est esse reale & absolutum, scilicet, Deum esse hominem: Hæc conclusio patet ex dictis. Nam Deum esse hominem est quod propriè per assumptionem atque vnitionem fit: & hoc est esse reale, & absolutum: ergo id, quod fit est esse reale & absolutum, scilicet, Deum esse hominem. Et præterea prob. ex quinta Synodo generali, cap. 4. vbi dicitur: Si quis dixerit secundum relationem vnitionem Dei Verbi ad hominem factam esse, anathema sit. Si autem terminus assumptionis, quam Synodus vnitionem appellat, est relatio, sequitur, quod ea vnitio facta est secundum relationem, quod damnatur in Synodo.

Con. Gene

Tertio argumentor: Nam si ea actio terminata est solum ad esse relatiuum, sequitur ipsam non terminari ad esse substantiale, quod est absolutum: quod si verum esset, sequeretur naturam humanam non esse substantialiter vnitam Verbo, quod est hæreticum.

Quarto, quia vnitio illa est substantialis secundum fidem atque concilia: ergo habet pro termino substantiam. Quin potius quia habet pro termino substantiam, dicta est à concilijs substantialis.

Quinto, quia actio illa ad hoc est ordinata, vt Deus sit homo: iuxta illud Symboli Niceni. Et incarnatus est ex Maria Virgine, & homo factus est: ergo habet pro termino Deum esse hominem, quod certè est esse substantiale. Tandem probo, quia Deum esse hominem factum, quæ est ipsissima fides; & omnes conuenimus in eo, quod id factum est per eam actionē, quam assumptionem vocamus: ergo per eam factum est aliquid substantiale: ergo eius terminus est aliquid substantiale.

Cōc. Nicen.

Si autem quærat quis, quidnam sit illud, Deum esse hominem quod dicimus esse terminum assumptionis, sit ne substātia, an accidens, & vtrùm distinguatur ab humana natura Christi, an nō: respondetur breuiter, quod terminus huius assumptionis siue vnitionis fuit Christus, siue Deus factus homo, siue Verbum Dei esse hominem: & hoc nec est anima Christi nec corpus Christi nec humanitas, sed est esse substantiale in compositione consistens, non quidem materiæ cum forma, sed naturæ humanæ cum supposito diuino Verboq; Dei. Distinctio verò inter hunc terminū, & hu-

& humanitatem est ea, quæ inuenitur inter Deum esse hominem, & humanitatem, siue inter Christum & humanitatem, quæ est distinctio includentis, & inclusi.

Cæterùm aduersus hæc argumẽtor primò, quia per assumptionem non fit humanitas, nec fit Verbum: ergo solum fit aliquid respectiuum. Ad hoc negata consequentia dico cum Arist. 7. Metaphy. quod non fit æs nõ fit sphęra: sed fit sphęra ęnea: & si albedo & Petrus vnirentur, non fieret Petrus nec albedo, sed fieret album; & pari ratione in proposito non fit filius Dei, nec fit per vnitionem humana natura sed filius Dei factus est homo. Hic si instes, quia illud esse hominem nec est entitas incipiens esse in humanitate, quia non est in ea, nec in Verbo: quia in Verbo non potest incipere esse aliqua entitas absoluta: ergo solum fit de nouo relatio: respondetur, quod verè Deus factus est homo, qui antea non erat homo, & ad hoc sufficit, quod entitates præexistentes, aut præintellectæ incipiant nouo quodam modo substantialiter se habere. Dico prætereà breuiter, quod esse hominẽ nec est entitas existens in humanitate, nec est inhærens Verbo Dei, cui nihil inhærere potest: sed est esse hominem, & hoc est factum, & quid substantiale ac absolutum.

Aristot.

Secundo argumentor: Quia si Verbum dimitteret humanitatem, ea humanitas in propria persona subsistens esset homo, & idem homo, qui antea erat: ergo dissipata illa vnione maneret idem esse hominis: ergo illud non fuit productũ per eam actionem. Ad hoc argumentum nego, quod in eo casu maneret idem homo, nec idem esse personale hominis.

Tertio argumentor: Quia si per eam actionem fit aliquid absolutum, illud absolutum si esset necessario esset coniunctum Verbo, non autem apparet posse eiusmodi absolutum dari: ergo. Ad hoc concedo sequelam: nec enim potest esse illud idem nisi in Deo, quia nascitur & resultat ex cõiunctione humanæ naturæ cum Deo. Et hæc de hac quæstione.

Sed quoniam in re adeo graui & ad esse Christi pertinente magna est cautio adhibenda, & ex alia parte semper modestia in asserendo amica sapientiæ fuit; iccircò hac in parte legentem admonitum esse volo, quod si Scotus & qui illum sequuntur dicere voluissent per hanc vnionem, solum esse respectiuum resultasse ac effectum esse, & non esse substantiale, ea sentẽtia nullo modo esset ferenda, sed omnino damnãda. Si tamen dicere velint per eam actionem, primo quidem ordine generationis consurgere respectiuum illud extrinsecus apud ipsos adueniens, tandem autem & vltimo fieri etiam Deum hominem, & aduenire vnionem substantiæ; si hoc inquam modo se explicent manere mihi videtur quæstio intra limites Theologicæ disputationis, vel potius esse extra eos quoniam pertinet ad metaphysicam: à qua tamen metaphysica alienum est valde asserere, quod ad actionem per se primo sequatur relatio, & quod per actionẽ siue vnionem substantialem fiat substantia quidem ex consequenti, relatio autem per se primo. Igitur par est credere, quod illi Theologi hoc modo sint intelligendi: sed nec hoc modo illorum sententia vera esse videtur.

Scotus.

ARTICVLVS. IX.

Vtrùm vnio duarum naturarum in Christo sit maxima vnionum.



IN hac disputatione quidã Theologi tenent, quòd hæc vnio dignitate quidem est maxima: at verò secundum formalem rationem vnionis non est maxima. Alij dicunt, quod formaliter est maxima earum omnium, quæ inueniuntur in rebus creatis. Pro declaratione sciendum est primò, quod in omni vnione duarum aut plurium rerum necesse est, vt vnum efficiatur. Id enim importat nomẽ, vnionis: siquidem vnire, si illud rectè interpreteris, nihil est aliud, quam è pluribus rebus atque diuersis vnum efficere, & vniri est effici vnum.

Scot. in. 3. dist. 6 q. 1. ad 2. Duran. dist. 5. q. 3.

Secundo aduertẽdum est, quod ex pluribus

ribus illis rebus, atque diuersis dupliciter solet vnum existere atq; consurgere. Nã aliquando constituitur ex ipsis rebus, quæ vniri dicuntur, tanquam ex partibus, quẽadmodum ex vnione animæ & corporis fit vna natura humana, quæ tamen vna natura constat tanquam ex partibus ex ipsa anima, & corpore. Aliquando verò illud vnum consurgens per vnionem non constituitur ex ipsis rebus, quæ vniri dicuntur tanquam ex partibus: sed resultat potius ex eis. Verbi gratia, ex materia & forma vnitis resultat vnum suppositũ, siue subsistentia, quę tamẽ non constat ex materia & forma, tanquam ex partibus: sed potius profluit ab illis, tanquam à fonte. Ex quo sequitur esse duplicem vnionem, vnam extremorum inter se se, qua scilicet, extrema se ipsis vniuntur: vt accidit in materia, & forma. Alteram verò extremorum in aliquo alio, per quã, scilicet, extrema vniũtur, non immediatè inter se se, sed in aliquo tertio. Quædam ergo dicuntur se ipsis vniri & efficere vnum, alia in aliquo tertio.

Tertio aduertendum est, quod quoniam proprius terminus & effectus, ad quem tendit vnitio est vnum, & quoniam ex termino sumitur omnis ratio motus, iccircò quanto magis fuerit vnum id, quod fit per vnionem, tanto vnio maior censenda est, siue illa sit extremorum inter se se, siue extremorum in aliquo tertio.

Quarto aduertendum est, quod in hac disputatione variæ fieri possunt comparationes. Nam possumus comparare naturam diuinam & humanam inter se ipsas, & vtranque simul cum subsistentia, siue personalitate Verbi, in qua iunguntur, & singulas seorsum cum eadem subsistentia, in qua vniuntur. Et sanè res ità se habet, quod natura diuina, & humana non iunguntur, aut constituunt vnum se ipsis, tanquam partibus, atque immediatè alias conficerent vnam naturam, quod est hæreticum. Sed natura diuina cum substantia Verbi constituit vnum suppositum diuinum, & natura humana cũ eadem subsistentia constituit illud idem suppositum diuinum in esse suppositi humani: & rursus ambæ illæ naturæ, licèt non constituant vnum, hoc est vnam naturam, tamen ex ipsis resultat, & constituitur, & tanquam profluit vnum, id est, vnum subsistens in vtraque natura, quod est ipsa persona Verbi.

His positis sit prima conclusio: Vnio naturæ diuinæ cum tribus hypostasibus siue personis Patris, & Filij, & Spiritus sancti ex summa & maxima vnionum. Hæc conclusio est certa: quia natura diuina est idem omnino cum persona. Et prætereà, tam natura diuina, quam quælibet diuinarum personarum est adeò simplex & vna nihil vt intelligi possit vel magis vnum, vel simplicius illa.

Secunda conclusio. Natura diuina, & humana, non vniuntur se ipsis, siue inter se se. Probatur: Quia si hoc modo vnirentur constituerent vnam naturam, vt declaratum est, & præterea non vnirentur in persona; quod vtrunque est contra fidem. Si quis verò obijciat, quod natura humana est vnita diuinæ, & vice versa: ergo concedendum est, quod illæ naturæ vniuntur se ipsis, & inter se se: neganda est consequentia. Nam ad hoc, vt illæ naturæ verè dicantur vnitæ, non est necesse, vt se ipsis atque immediatè iungantur, sed sufficit, quod iungantur in Verbo Dei. Aduertendum verò est, quod natura diuina & humana in Christo possunt considerari sub ratione agentis, & instrumenti, & sic vnitæ sunt inter se se: sed hæc non est maxima vnio.

Tertia conclusio. Quanuis illæ duæ naturæ non vniantur se ipsis, tamen vniuntur in tertio subsistente in vtraque natura, quod ex ipsis naturis quasi profluit, & resultat: & illa vnio est maxima earum omnium quæ in creaturis inueniuntur. Hæc sententia videtur esse Beati Bernardi, libro quinto de consideratione ad Eugenium, dicentis: Arcem tenet vnitas Trinitatis, in qua tres personæ sunt vna substantia: secundo loco illa præcellit, in qua è diuerso tres substantiæ sunt vna in Christo persona. Et prob. conclusio: Nam ex vnione duarum naturarum in Christo resultat vnum subsistens in vtraque B.Bernar.

que natura, & illud vnum subsistens est magis vnum, quam sit aliqua res creata, quia est persona Verbi vna & simplicissima: ergo ista vnio duarum naturarum in vna persona vincit ac superat omnes alias vniones. Probatur consequentia: Quia vt superius dicebam ea est maior vnio, qua efficitur magis vnum: sed nec vna natura, nec vna persona, quæ resultat in nobis ex coniunctione animæ, & corporis est tam vna & simplex, quam est vnum illud subsistens in natura diuina & humana, quod resultat ex complexu vtriusque: ergo, &c.

Et declaro magis hanc rationem: Quia quando aliqua duo in aliquo tertio iunguntur (quod non accipimus in hac quæstione materialiter prout est res quædam, sed formaliter, prout est id in quod plura conueniunt, & ratione cuius dicuntur vnita) quando hoc, inquam, fit tantò ea magis dicuntur iungi, & vniri, quantò illud tertium, in quo iunguntur est magis vnum, & magis simplex: sic enim proculdubio magis vnitè se habebunt in illo: sed illud tertium, in quo iunguntur natura diuina & humana in Christo, planè est simplicissimum: ergo ea est maxima vnio.

Sed contra hanc conclusionem, argumentor primò: Illa vnio est maior, in qua extrema, quæ copulantur, efficiunt magis vnum: sed ex corpore, & anima, vnitis efficitur magis vnum, quam ex natura diuina, & humana: ergo hæc est maior vnio: Probatur minor: Quia ex corpore & anima, fit vnum in essentia, & in persona, ex natura verò diuina, & humana solum resultat vna persona.

Ad hoc argumentum negatur minor. Non enim ex vnione animæ & corporis efficitur maior vnio, quam hæc: sed efficiuntur plures vnitates, scilicet, vnitas naturæ, & personæ: quæ quidem vnitates nec per se singulæ, nec ambæ simul efficiunt tam vnum, quam est illud vnum subsistens in natura diuina, & humana, quod in Christo Domino ex complexu vtriusque naturæ, redundat.

Secundo argumentor: Ea extrema faciunt magis vnum atque intimius sunt vnita, quæ separari non possunt sine interitu vel alterius vel vtriusque: sed materia, & forma se habent isto modo: nam forma si separetur à materia desinit esse: & materia si denudetur ab omni forma non existit: sed natura diuina & humana, in Christo, quamuis sint in illo vnitæ, possunt separari sine interitu alicuius illarum naturarum: ergo illa vnio non est tanta, quanta est vnio materiæ, & formæ.

Ad hoc argumentum negatur antecedens. Nam quod forma dum separatur à materia desinat esse, id non prouenit ex magna perfectione vnionis, sed ex eo quod forma habet imperfectum esse, & à materia dependens: atque hoc inde constat, quod anima rationalis tam intimè vnitur cum sua materia, atque anima bruti, cæteræque formæ: & tamen anima, quamuis separetur à materia non desinit esse: ergo desinere esse, aut permanere posse, non est certum signum maioris coniunctionis.

Sed instabit aliquis in hunc modum: Forma ipsa rationalis, de qua nobis sermo, separari non potest à materia, sine eo, quod & natura humana, & suppositum intereat: ergo magis, & intimius vnita est materiæ, quam natura diuina & humana iungantur in Christo: siquidem hæc separari possunt sine interitu alicuius rei.

Respondetur, quod qua parte hoc argumentum miscet desitionem humanæ naturæ per animæ separationem, probat pluribus modis, fieri vnum ex anima, & corpore, quam ex coniunctione naturæ diuinæ, & humanæ in Christo, quod iam supra concessum est. Qua verò parte tractat de dissolutione humani suppositi nihil efficit: quia etiam natura humana nō potest separari à

diuina in Christo sine dissolutione humani suppositi, vt humanum est. Nam sine dubio, si illæ naturæ separarentur, iam persona Verbi non amplius esset suppositum humanum, dissolueretur que illud esse hominis, quod per assumptionem resultat.

Tertio argumentor: Quia multa accidentia vniuntur in persona Christi, quæ est maximè vna, & tamen hæc vnio non est maxima: ergo nec illa est maxima, qua vniuntur duæ naturæ in Christo. Ad hoc neganda est consequentia: quia suppositum non resultat aut constituitur ex accidentibus, sed ex natura: igitur accidentia non efficiunt illud vnum, sicut natura, & ex consequenti non est necesse, vt eodē modo vniantur.

Hæc disputare placuit in gratiam sententiæ B. Thom. Modo verò vno verbo dicam, quod sentio. Dico igitur quod ex complexu vtriusque naturæ in Christo id, quod efficitur est maximè vnum. Esse verò maximè vnum posset prouenire, vel ex ratione formali, & modo coniunctionis, vel, quia illud vnum in se erat maximè vnum. Si proueniret ex ratione formali, & modo coniunctionis, esset illa vnitas maxima formaliter: quia vero non prouenit, nisi ex ea re, in qua fit vnio, ideo solum sequitur, quod ipsa persona sit summe vna: & quod sit summa vnio quoad dignitatem, & quod ex parte eius rei, in qua fit vnio sit maxima: non autem quod ratio & species coniunctionis sit maxima. Nam si humanitas Christi non esset in eo secundum rationē coniunctionis, qua est nostra humanitas in nobis, non esset homo vniuoce nobiscum: est enim homo habens humanitatem: ergo si alia ratione haberet humanitatem Christus, alia nos, non esset eodem modo habens humanitatem: ergo non esset eodem modo homo. Concludo igitur, quod nisi hac in parte velit quis considerare vnitatem, & dignitatem suppositi, tribuat ei summam vnitatem: quod tamen pertinet ad rationem formalem coniunctionis humanæ naturæ cum Verbo, ea coniunctio est illius rationis, qua nostra humanitas nostris suppositis iungitur.

ARTICVLVS. X.

Vtrùm, vnio duarum naturarum in Christo sit facta per gratiam.



PRO declaratione huius rei supponendum est, quod gratia, quoad propositum attinet potest accipi tripliciter. Vno modo pro gratuita, & liberali voluntate Dei, qua ipse aliquid facit, habetque aliquid gratum, & acceptū, & hoc modo hęc vnio est facta per gratiam. Secundo modo potest accipi gratia pro gratia vnionis: & cum naturam humanam esse susceptam à Verbo Dei, & vnitam diuinæ, sit summa gratia ipsi collata, consequens est, vt hæc vnio sit facta per gratiam hoc modo acceptam, vel potius sit ipsa gratia: hominem enim esse Deum summa gratia est.

Tertio modo potest accipi gratia pro gratia habituali, & gratum faciente: & secundum hanc acceptionem magna sententiarum varietate controuertitur, an hęc vnio facta fuerit per gratiam. Pro cuius rei intelligentia præmittendum est, quod tripliciter intelligi potest, gratiam habitualem esse necessariam ad vnionem. Primum tam quā medium quoddam & cōmune vinculum Deum cum homine, vel humanitate copulans. Secundo modo potest intelligi, quod fuerit necessaria, sicut dispositio humanitatis, reddens illam aptam ad vnionem præcedensque ordine fiendi vnionem ipsam: quemadmodum calor disponit ad formam ignis, non quia est medius copulat ve formam cum materia: sed quia materia per calorem disponitur & appropriatur ad formam ignis.

Tertio modo potest intelligi, quod fuerit necessaria, sicut quod faciebat ad vnionē, vt decēs atq; congruū, nō aliter atque vigor,

vigor, coloris suauitas, & decor bona quædam qualitas est, & decens dispositio iuuentutis, & pulchritudo facit ad Regiam dignitatem. Vnde Priami forma æstimata est imperio digna. Et secundum hos tres sensus tres existunt sententiæ.

Aureol. Gabriel. Ocham.

Nam Aureolus apud Cap. in.3.dist.5. quæstione.1.&Gabriel,in.3.distinctione.1. quæstione.1.qui etiam citat Ochamum, tenuisse videntur, quod hæc vnio facta fuerit per gratiam, tanquam per commune vinculum.

Alexand.

Alexander verò.3.part.quęstione.7.membr.2.articu.1.& quæstio.12. membr.1.artic.2.tenet hanc vnionem factam fuisse per gratiam habitualem, tanquam per dispositionem præcedentem ordine fiendi, aptamque reddentem humanitatem ad vnionem.

B.Thō. B.Bonau. Dionys. Gregor. Durand. Scotus.

Tribuique solet hęc ipsa sententia Beato Thomæ, in.3.dist. 23.quæst.3.& B.Bonauent.dist.2. quæst.2. articul.2.& Dionysio Carthus. distinct.2. quæst.5. Cæterùm B.Thom.hic & Greg. in.1.distin.28.quęstio.2.ad 17.& Durandus in.3.distin.2.quæst.3. & Scotus in.3. dist.1. quæst.1.artic.2.tenent, quod hæc vnio nō est facta per gratiam nec primò nec secundò modo: sed potius ea gratia consequitur ad vnionem.

His positis, quid mihi dicendum esse videatur explico his propositionibus. Prima propositio: Vnio non est facta per gratiam tanquam per vinculum quo humanitas Verbo iungitur. Probatur primò: Nam, si eo modo illa duo essent vnita sequeretur, quod hæc vnio esset facta accidentaliter. Probatur sequela: quia quę vno medio accidente copulantur accidentaliter copulātur: sed per vos ista duo copulantur media qualitate & habitu gratiæ: ergo copulantur & iunguntur accidentaliter.

Secundo argum. Quia in omni vnione substantiali, siue partium essentialium inter se se, siue essentiæ cum supposito, illa vniuntur sine interuentu alicuius mediæ qualitatis: vnio autem humanitatis cum Verbo substantialis est: ergo.

Secunda propositio. Hæc vnio non est facta mediante gratia, quasi necessaria dispositione præintellecta in genere causæ materialis in humanitate iuxta sententiam Alexandri. Hæc conclusio longè est ab eo, vt sit tam certa, sicut prima. Contra primam enim satis esse deberet, etiam apud metaphysicos, quod accidens non potest esse primus actus suppositi: sed videtur mihi multo probabilior, quam sententia Alexādri. Et probatur primò: Prius est naturam humanam vniri Verbo, quā habere gratiam habitualem: ergo non vnitur mediante gratia. Probatur antecedens: Nam prius est esse substantiale, quam accidentale: & esse personale est substantiæ, esse verò gratiæ est accidentale: ergo prius natura ea humanitas habuit esse personale Verbi, quam fuerit informata gratia. Et explicatur hæc ratio: Quia ea humanitas in eodem instanti naturæ suppositatur à Verbo, quo suppositaretur à sua personalitate si nō esset assumpta: sed prius natura illa humanitas subsisteret propria subsistentia, si illam haberet, quam afficeretur aliquo accidenti: ergo. Et nunc prius natura subsistit ex vnione ad Verbum, quam ornetur gratia: ergo ea vnio non est facta mediante gratia tanquam dispositione præcedenti. Sed ratio, quæ me magis mouet est, quia in physicis videmus, quod materia, quæ est susceptura formam, disponitur ab agente ad eam suscipiendam, & quæcunque dispositiones fiunt eo tendūt, vt forma introducatur in materiā. Quod verò natura iungatur supposito id non fit per dispositiones, sed quando fit substantia, per se primo fit suppositum habens naturam. At verò in præsenti est sermo de vnione naturæ, & suppositi: ergo id non fit medijs dispositionibus præcedentibus. Vnde quæcunque dispositiones ponuntur in aere antequam fiat ignis, illæ eo referuntur, vt forma adueniens possit introduci, non autem vt præcedant in natura ignis geniti per comparationē ad suppositum. Nec verò opinionem hanc Alexandri secutus est B.Thom. aut B. Bonauentu. aut Dionysius locis citatis: sed quid illi dixerint sequentibus explicabo.

Sit ergo tertia propositio: Gratia habitualis fuit dispositio ad vnionem secundum decentiam & congruitatem, non ali-

ter atque decor bona quędam qualitas est & dispositio iuuentutis. Hæc propositio non est contraria dictis, vt quiuis potest intelligere: & est expressa sententia Beat. Thom. de Veritate, quæst. 29. articul. 2. & in 3. distinctione. 13. quæst. 3. articulo. 1. est & Beat. Bonauent. atque Dionysij locis citatis, communis Ricardo, Tarantasię Vdalrico atque alijs apud Dionysium. Et rectè intellecta negari non potest: maximè enim decebat naturam humanam vnitam Verbo habituali gratia alijsque eximijs dotibus ornari & perfici: vt quæ tanto erat, & tam intimè ac vnicè coniuncta viro, qui cum esset Deus, pro nobis homo factus est.

B. Thom. D. Bonauē. Dionys. Ricar.

Sed pro sententia Allexandri Hallensis, & consequenter contra nostram secundã conclusionem est argumentum ex Diuo Augustino libro de prædestinatione sanctorum dicente. Quod illa gratia fit homo iustus, qua ille homo factus est Christus: sed homo fit iustus per gratiam habitualē: ergo, &c. Ad hoc dico breuiter, quod D. Augustinus, ibi gratiam appellat voluntatem Dei gratuitam.

D. August.

Secundo argumentor. Quia natura humana de se nõest idonea, vt copuletur Verbo: ergo necesse est ipsam eleuari ad hanc vnionem per gratiam habitualem. Ad hoc suppositain primis fide sanctissimæ nostræ religionis, quod hæc vnio non fuit ex meritis, & dignitate naturæ, sed ex immensa Dei largitate, & misericordia dico, quod in natura humana est idoneitas ad vnionem secundum potentiam obedientialem: atque hoc sufficit, vt potuerit per Dei voluntatem eleuari ad vnionem. Nec verò ad hoc debuit aut potuit interuenire gratia habitualis, siue aliqua alia qualitas tanquam dispositio præcedens: quoniam vnio substantialis personæ atque naturæ non prærequirit eiusmodi qualitatem.

Tertio argumentor: Nam Deus est in seruis suis secundum esse naturæ, & secundum esse gratię, & est in humanitate Christi per vnionem: sed esse gratiæ supponit esse naturæ: ergo esse vnionis supponit esse gratiæ. Ad hoc probe respondet Durandus negando consequentiam. Nam quanuis esse gratiæ ex natura rei supponat esse naturæ, quoniam accidens supponit substantiam: tamen esse gratiæ habitualis, & vnionis, non sunt eo modo essentialiter subordinata, vt si in aliquo est gratia vnionis debeat in ipso antecedere gratia habitualis: quoniam accidēs non præcedit substantiam.

Durand.

Vltimo argumentor: Quia ad hoc, vt diuina essentia vniatur intellectui beati, ponitur in eo aliqua dispositio: ergo ad hoc vt humanitas vniatur Verbo ponenda est, &c. Ad hoc nego consequentiam, quoniam intellectui vnitur diuinitas secundũ rationem formæ, & in ordine immediato ad operationem, & ratione vtriusque necesse est, vt potentia perficiatur per habitum, vel dispositionem: in proposito verò neutrum istorum contingit.

ARTICVLVS. XI.

Vtrùm, vnionem Verbi incarnati aliqua merita præcesserint.

PRO declaratione huius articuli sciendum est primò fuisse quosdam hæreticos, scilicet, Ebionem, Cherintum, Paulũ Samosatenum, & Fotinum, qui Christum purum fuisse hominem & ex Maria omnem sumpsisse originem dicebant. Diuinitatem verò affingebant ipsi non per naturam, sed per excellentem quandam diuinæ gloriæ participationem, quam per opera meruerat. Atque aduersus hoc dogma aquila Euangelica intonuit: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deũ, & Deus erat Verbum. Estque damnata hæc hæresis in Concilio Niceno, & Ephesino: in quam sufficiat modo hoc afferre, quod secundum eam non est Deus factus homo, sed potius homo Deus factus est participatione quadam: & cõsequenter illud Ioãnis inuenitur esse falsum, Verbum caro factum est, & illud etiam Apostoli, Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. Origenes autem li. 2. Periarchõ cap. 6. asse-

Ioan. 1. Conc. Nic. Cõc. Ephes. Philipus. 2. Origen.

6. asseruit, quod anima Christi per gratiam & charitatem Deum summopere diligens meruit vt hypostaticè vniretur cum Deo. In quo dupliciter lapsus est: tum quia animas in alia vita præexistentes supposuit: tum quia hanc vnionem ex animæ meritis esse dixit.

Omissis ergo sententijs alienis à fide, sit huius articuli cōclusio, quod Christus non meruit suam incarnationem. Constat hęc primum, quia sacræ literę hoc mysterium semper attribuunt dilectioni & largitati

Ioann. 3 Dei, iuxta illud Ioann. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum

Luc. 1. daret. Et Lucæ. 1. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos

D. August. oriens ex alto. Vnde Diuus Augustinus, sine aliqua hæsitatione docet, habetque pro comperto, quod sicut nos non iustificamur ex meritis nostris præcedentibus; ità nec Christus meruit suam incarnationem, siue esse Christum, quod idem est: & quia in Christo nulla fuerunt merita, vt esset, infert, quod nec in nobis sunt vt iustissimus.

Secundo hoc ipsum hac ratione declaro: Nam cum humanitas Christi assumatur ad esse personale Dei, idem est ordo huius humanitatis ad personam filij Dei, qui est humanitatis Petri ad personam Petri: atque iccircò, sicut natura Petri prius natura personatur per Petrum quam operetur: ità prius natura humanitas Christi personatur per Verbum, quam operetur. Ratio vero euidens & necessaria, ob quam prius natura humanitas personatur, quam operetur, est duplex. Prima, quia esse est prius, quam operari, & personari pertinet ad esse. Secunda, quia terminus generationis Petri, aut cuiuscunque suppositi est in primis suppositum ipsum, atque deinde ordine naturæ consequuntur operationes, etiam naturales: quemadmodum igitur, si sol fieret, prius natura fieret suppositum solis, deinde luceret: ità prius natura humanitas Christi personata est per Verbum, quam operetur: & ex consequenti omnis eius operatio subsecuta est vnionem, nec potuit illam mereri.

Sed quanuis hæc sufficienter exposita, & probata esse videantur, dubitabit aliquis, quæ sit ratio, cur Dominus mereri non potuerit incarnationem, non quidem per antecedentia opera, sed per subsequentia, non aliter atque quis accepta arma mereri potest strenuè pugnando. Ad hoc respondent quidam, quod semper meritum antecedit præmium. Et ad illam etiam similitudinem dicunt, fieri non posse, vt quis post acceptam rem illam mereatur per subsequentia opera. Nam, aut res illa confertur propter præteritas virtutes, & sic antecedit meritum. Aut ea lege accepta est, vt si rectè illa vsus fuerit eius dominium habeat: & sic etiam meritum pręcedit dominium.

Quæ tamen solutio mihi non placet. Nam prętérquam, quod videmus gratiam collatam antiquis propter futura merita Christi, & solum antecedenter, quoad acceptationem Dei, peccat etiam hæc respōsio. Nam quanuis res accepta in ratione præmij, subsequatur opera, tamen in ratione rei certè antecedit. Dicere ergo quis posset, potuisse antecedere vnionem secūdum rem ipsa merita, & subsequi in ratione præmij: igitur posset quis secundo dicere, quod Deus, sicut non punit propter ea, quæ quis peccaturus fuisset, nisi mortuus esset, pari ratione nec præmiat ea, quæ quis gesturus est antequam gerat, & ideo non potuit Christus per subsequentia opera mereri incarnationem. Cæterùm hæc respōsio licèt assumat doctrinam Diui Augusti- D. August. ni, veram secundum legem statutam per comparationem ad nos, tamen in ordine ad Christum videtur pati calūniam: quia gratia data est Patribus propter ea, quæ Christus gesturus erat. Et prætereà hæc ratio concludit, quod in ratione præmij non potuit antecedere vnio, non tamen quod non posset antecedere in ratione rei.

Dico ergo tertio, quod licèt res, quę est præmium certè posset meritum antecedere, sed quando ea res ità est prior, & antecedit, vt sit tota causa, & ratio merendi, fieri non potest, vt cadat sub merito, sitque præmium: constat autem quantitatem meritorum Christi sumi ex ratione excellentissimæ, illius vnionis:

ergo quemadmodum, quia gratia est ratio principiumque merendi fieri non potest, vt ipsam mereamur: pari ratione in proposito loqui, & possumus, & debemus.

Controuerti solet in hoc articulo, an Sancti Patres meruerint incarnationem de congruo eam desiderando & petendo. Et ratio dubitandi est: quoniam incarnatio est fons, & principium omnis meriti, siue de condigno, siue de congruo: ergo non cadit sub merito. Dico autem videri mihi, quod Sancti Patres meruerint de cō gruo non modo accelerationem incarnationis, vt quidam asserunt, sed etiam executionem. Huius vero sententiæ duplex ratio est. Prima: Quia aliqui sancti dicere solent, quod patres antiqui suis illis vocibus, Vtinam dirumperes cœlos & descenderes, & Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, & similibus, meruerunt incarnationem. Secunda: Quoniā æquum & decens erat, vt munificentissimus Deus ad amicorum preces clamoresque respiceret, & exaudiret eos. Ad rationem verò in oppositum ità respondere curabo, vt & conclusionem declarem, & ei satisfaciam. Intelligendum ergo est, quod Deus prius nostro modo intelligendi decreuit Verbum Dei carnem assumere, eamque incarnationem exequi, & deducere ad exitum, quam videret gemitus, & lachrymas sanctorum Patrum hoc petentium: omnis si quidem gratia, & virtus illorū ex Christo, tanquam ex fonte manabat. Videns tamen Deus preces, & clamores eorum, quos propter Christum sanctificauerat, & fecerat amicos suos, voluit, vt in exequenda incarnatione Verbi haberetur etiam respectus aliquis ad gemitus & voces iustorum, qui illam anxiè petebant.

Isai 64. *Isaie. 45.*

Ex his habetur in primis solutio argumenti: stat enim, quod gratia omnis & meritum sanctorum Patrum oriatur tanquam ex fonte ex incarnatione Verbi, & quod nihilominus sancti Patres illam meruerint desiderando, & petendo. Habetur secundo declaratio huius sententiæ, quod sancti Patres meruerint de congruo incarnationem. Non enim est intelligendum, quòd nisi ipsi petiuissent, & meruissent incarnationem, non esset futura. Sed cum firmum decretum esset de ipsa exequenda, & propter Christum futurum Deus Patribus fidem & gratiam dedisset, illique peterent incarnationem, cuius fidem habebant voluit Deus simul, & exequi, quod decreuerat, & exaudire etiam eos, qui illud petierant. Simpliciter ergo & absolutè decretum de incarnatione, & de executione illius antecedit gratiam & gemitus sanctorum Patrum, sed tenui quadam ratione subsequitur, in quantum voluit Deus in ea exequenda non modo facere, quod per summam misericordiam facturus erat, sed etiam simul habere respectum ad clamores, & voces iustorum, quas dicimus de congruo, id est, tenui quadam ratione id meruisse pro æquitâte, & largitâte donantis.

Et ex his soluta etiam sunt argumenta, quæ quidam congerunt aduersus hanc sententiam. Quia sequeretur, inquiunt, quod Patres antiqui meruerint primam gratiam, quia meruerunt incarnationem, quæ est fons gratiæ. Et sequeretur etiam, quod meruerint suam prædestinationem, quia meruerunt Christum, qui est causa suæ prædestinationis: sed hæc omnia, vt dixi, soluta sunt, nihilq; valent sequelæ.

Sed sunt alia quædam dubia, quæ breuiter dissoluemus. Primum, Vtrum aliquis sanctorum mereri potuerit de condigno incarnationem Patris, aut Spiritus sancti. Respondetur, quod de lege, hoc nullus Sanctus nec ipse Sanctus sanctorum meruit: Probatur, quia de eo nulla est lex constituta, nullum Dei pactum, nulla gratia ad hoc ordinata: igitur de lege nemo hoc meruit, nec potuit mereri. Quid autem absolutè fieri posset relinquamus, si quide plura, quæ facta sunt, non intelligimus.

Est aliud dubium, an saltem accelerationem incarnationis potuerint mereri Sancti Patres de condigno, & de lege: cuius quæstionis partem affirmatiuam tenere dicuntur ex scholasticis non pauci. *Alexand. Gabr. Scotus. Marf.*

Respon-

Respondetur quod omnia, quæ incarnationem attingunt non possunt cadere sub hominum merito de condigno. Et ratio est, quia meritum hominis iusti non potest se extendere de condigno ad bonum vniuersale totius naturæ, qualis est incarnatio, aut acceleratio incarnationis. Quod dico de lege & secundum ordinem, quem sapientia Dei statuit, & declarauit in rebus à se factis.

Vltimo dubitatur: an beata Virgo meruerit de condigno esse mater Dei. Cuius rei partem affirmatiuã offendet aliquis apud Theologum quendam huius temporis, & eam non quidem tenet omnino, sed dicit esse probabilem Gabriel. in. 3. distin. 4. quæstione vnica, dub. 3. Mihi verò hæc sententia videtur ex illarum numero, de quibus dicebat Diuus Hieronymus, quod eadem ratione, qua dicuntur, possunt refelli, quia non habent fundamentum, nec in sacris literis nec in Patribus. Quãuis enim de Virgine canat Ecclesia, quod meruit portare Dominum, non tamen id ità accipiendum est, vt ex iustitia id meruerit, sed meruisse dicitur, quoniam ex gratia sibi data peruenit ad eum sanctitatis gradum, vt cõgruè esset mater Dei.

Gabri. D. Hiero. B. Thom.

ARTICVLVS. XII.

Vtrùm, gratia vnionis sit homini Christo naturalis.



PRO huius rei explicatione aduertendum est, quod cùm quærimus, vtrùm gratia sit naturalis Christo, id potest intelligi tripliciter. Vno modo, vtrùm sit naturalis Christo, in quantum est Deus. Alio, vtrùm sit naturalis Christo in quantum est homo. Tertiò vtrùm sit naturalis Christo, in quantum est Deus, & homo.

Secundo aduertendum est, quod naturale dicitur dupliciter. Vno modo id, quod est de essentia siue fluit ab illa; vt rationale & risibile in homine. Alio modo id, quod conuenit à natiuitate sicut accidentia propria atque congenita. Rursus posset esse sermo de gratia vnionis, & de gratia habituali. His positis, dico primùm quod si Christus, vt sic, id est, vt Deus & homo, consideretur, vtraque gratia est ipsi naturalis. Probatur primo, de gratia vnionis. Nam id quod est de intellectu rei proprissimè dicitur, & est naturale: sed de intellectu Christi, vt sic est vnio illa duarum naturarum in vno supposito: ergo est ei naturalis. Declaro minorem: Nam sicut homo, vt sic necessario, & essentialiter claudit vnionem animæ, & corporis: ità Christus, vt Deus, & homo, intrinsecè dicit vnionem earum naturarum in vno supposito. Probatur etiam hoc idem de gratia habituali: Nam passiones, quæ fluunt, ex natura dicuntur naturales ob id ipsum, quod fluunt ex natura: sed Christus ex eo, quod est Deus & homo, sequitur quod sit gratus Deo: ergo hæc etiam gratia habitualis est naturalis ei, propriè loquendo. Quod tamen, vt ratio omnino conuincat, illatum volo pro gratia habituali formaliter, id est, in genere gratiæ, non autem in ratione talis qualitatis. Quoniam existimo, eum quidem hominem, qui est Deus benedictus ipse sit, naturaliter & necessariò esse gratum Deo, qualitatem verò gratiæ liberè illi à Deo infundi. Ex quibus efficitur, quod vtraque gratia simpliciter & absolutè dicenda est Christo naturalis: nam est naturalis Christo, vt Deus & homo: sed Christus absolutè & simpliciter claudit vtrunque: ergo, &c.

Dico secundo, quòd si de Christo loquamur, qua homo est specificatiuè, vt logici dicunt, hoc est, de illa humanitate sacratissima in particulari, vtraque gratia est ei naturalis, accepto naturali pro eo, quod à natiuitate & generatione ipsa conuenit. Hoc constat, quoniam eam gratiam habuit à principio suæ conceptionis. Si tamen consideraretur particularis illa humanitas, vt coniuncta est cum natura diuina in vno supposito iam dixi, quod ei homini est gratia omnino naturalis.

Dico tertio, quod si Christus considere-

tur, vt Deus, nec gratia vnionis, nec habitualis est naturalis illi. Nam, si loquamur de gratia vnionis, certum est, quòd diuinitati non est naturale, sed liberum vnire se cum humana natura. Et si de gratia habituali loquamur etiam est certũ, quod non est naturalis diuinæ naturę, nec ei per se ipsam vllo modo inesse potest quia est gratia, per participationem.

Dico vltimo, quod si loquamur de Christo, quà homo est reduplicatiuè, vt aiunt, neutra illarum gratiarum est ei naturalis: Volo dicere, quod homini, vt sic, siue naturæ humanæ, vt humana natura est, non est naturale, aut vniri diuinitati, aut habere gratiam habitualem. Atque hoc etiam sine ratione patet: quia nec gratia est fluens à nostra essentia, nec conueniens à natiuitate nostra, nec debita nobis: sed potius, vt ait Apostolus, eramus natura filij iræ. Et hæc de hac disputatione: ex qua facilè colligi potest, quod gratia Deiparæ Virginis potest dici ei naturalis, vt coæua generationi, vel natiuitati: gratia verò Christi, etiam vt profluens ex vi natiuitatis, & coniunctionis diuinæ & humanæ naturæ in vno supposito: natus si quidem est Christus ex Spiritu sancto, vt naturalis filius Dei & hominis, qui non potest non esse gratus. Ephe. 2.

QVAESTIO

QVAESTIO QVARTA, DE MODO VNIONIS EX PARTE PERSONAE ASSVMENTIS.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm persona diuina conueniat assumere naturam creatam.

B. Thom. RESPONDEO cum Beato Thom. dicendum, quod in Verbo assumptionis duo importantur: videlicet, principiũ actus, & terminus: dicitur enim assumere, quasi ad se sumere. Huius autẽ assumptionis persona est & principium & terminus. Principium quidem, quia personç propriè competit agere: huiusmodi autem sumptio carnis per actionem diuinã facta est. Similiter etiam persona est huius sumptionis terminus: quia vnio facta est in persona non in natura: & sic patet quod proprissimè conuenit personæ assumere naturam. Verum est tamen, quod persona diuina agit ad extra, qua Deus: assumpsit verò naturam humanam factusque est homo filius Dei. Sed sunt in hac disputatione duo dubia. Primum, vtrùm suppositum creatum virtute propria, & naturali possit duas naturas substantiales sustentare. Ad quod respondetur, id fieri non posse per naturalem potentiam. Nam sancti, vt verè summum miraculũ & singulare quid, extollunt incarnationem: non solum, quia Deus homo factus est; sed etiã, quia duæ naturæ integræ atq; perfectæ in vno supposito vnitæ sunt. Si autem cõcursus duarum naturarum fieri posset per naturam, non esset ea res singularis: siquidem inueniretur quid simile. Et prætereà probatur: Nam videmus, quod subsistentia cuiuslibet naturæ creatæ est illi dũtaxat adæquata, quoniam solius illius est actus vltimus: ergo non potest alienam terminare naturam: alijsque rationibus hoc probari posset.

Sed illud in vtranque partem vehementer agitatur; Vtrùm Deo per suam omnipotentiam id efficiente possit creatura aliqua habere naturam alterius vnitam hypostaticè. De quo vtriusque sententiæ rationibus consideratis hoc solum verè dicere possum, quod non comprehendo veritatem. Quoniam autem mihi hac in parte rei intellectus deficit, & sapiens esse nõ possum, vellem saltem prudens in eligendo esse, atque iccircò cum plura Deus facere possit, quàm nos intelligere, & rationes partis negantis lõgè sint ab eo, vt euincant, teneo, quod id ab omnipotente fieri potest. Et probo primum: Quia in re dubia semper Dei omnipotentia est quasi in possessione quæstionis; quod non attendere & verum esse existimare hominis est parum modesti, & inconsiderati, atque ignorantis suam ignorantiam.

Secundo prob. Quia terminare aliam naturam non est perfectio: aliòqui aliqua perfectio esset in filio, quæ non est in Patre: ergo nihil obstat, quod suppositum creatũ terminet duas naturas.

Tertio argumentor: Nam, si opposita sententia vera est, sequitur, quod Angeli lumine naturali intellectus possint intelligere mysterium incarnationis. Et probatur sequela: Nam cognoscunt, quod ea humanitas non subsistit per propriam subsistentiam. ergo cognoscunt, quod subsistit per alienam: & non potest subsistere per alienam creatam: ergo subsistit per increatam. Et declaro vim huius rationis:

Nam, quod verè & formaliter subsistit per subsistentiā formaliter subsistit, & oppositum implicat: sed humanitas Christi subsistebat in aliquo: ergo per subsistentiam formaliter suppositantem subsistebat, idque cognoscebant Angeli.

Quarto argumentor: Nam videmus fieri nonnunquam monstra referentia speciē & figura duas naturas: est enim figura speciei lignum: ergo, quod natura imperfectè & monstrosè facit casu aliquo, posset sapientia, & omnipotentia Dei facere perfectè.

Quinto inde moueor, quia multa, aut scimus aut credimus facta, quæ nisi facta fuissent, putarentur fieri non posse: & certe meo intellectui multò mirabiliora sunt quæ de Sacramento Eucharistiæ confitemur, quam quod Deus naturas Tigridis atque Leonis, vel si mauis etiam gryphidis, & equi (vt prouerbio dicitur) in vnum suppositum iungat.

Sed quæ opponuntur videamus. Sequeretur, inquiunt, ex hac sententia, quod persona creata vna, & eadem terminare posset infinitas naturas, quoniam vbi pluralitas non facit ad differētiā, nec infinitas illā faciet. Itaque videtur istis, quod si vnus punctus potest terminare decem lineas, possit etiam terminare infinitas. & si vnus homo potest habere duas manus, possit etiam habere infinitas manus, & infinitos pedes, & infinita capita, & oculos innumerabiles: & quia hoc pugnat cum rerum natura, & est horridum in conspectu sapientiæ Dei, inferūt quod nec possit habere homo tres manus, vt videatis, quam sint ridicula, quæ homines obijciunt Dei omnipotentiæ. Dico ergo, quod & sequela, & illa eius probatio. Vbi pluralitas non facit differentiam, nec infinitas illam faciet, falsa sunt. Quamuis enim persona Verbi Dei, quod attinet ad eius immensitatem, possit terminare naturas innumerabiles, id tamē non habet locum in persona finita, terminoque tam angusto.

Secundo opponunt: Quia cōcursus ille duarum naturarum cōuenit filio Dei propter eius suppositi infinitâtem: ergo non potest conuenire creato. Ad hoc dico, quod personam Verbi Dei habere naturalem facultatem, vt possit in ea fieri ille cōcursus, conuenit ei propter eius infinitatem: sed fieri posse absolutè, siue secundum potentiam naturalem in terminando, siue obedientialem, id nō conuenit ratione infinitatis: sed tota ratio facti est potentia facientis, nec requiritur vis aut perfectio infinita in supposito suscipiente duas naturas, sed in agente & coniungente illas. Authores huius nostræ sententiæ, si desiderētur, sunt Scotus in. 4. dist. 1. quęst. 4. Ocham ibi, quæst. 1. Gabr. ibi. q. 2. Marsilius, quæst. 2. articulo. 3. *Scotus. Ocham. Gabri. Marsi.*

ARTICVLVS. II.

Vtrùm, diuinæ naturæ conueniat assumere.



SENSVS quæstionis est, vtrùm hæc sit vera: Deus assumpsit humanitatē, Deus factus est homo. In quo dico, quòd quēadmodū, quando Petrus currit, verum est dicere, quod homo currit, quoniam Petrus homo est: pari ratione, & multò potiore, si quidem Verbum Dei per se primo suscepit humanitatem, & est homo, verum est consequenter dicere, quod Deus suscepit humanitatem, & factus est homo: quoniam Verbum Dei Deus est.

Verùm disputâri solet hoc loco aduersus Durandum, an terminare naturam humanam cōueniat primò & per se filio Dei, & secundariò naturæ diuinæ, aut potius vice versa. Pro cuius rei declaratione sciēdum est primò, quod subsistētia vno modo accipitur pro persona: & sic accipiunt concilia: propterea quod hypostasis Græcè rectè vertitur, subsistentia, quia significatur in abstracto. Alio modo accipitur pro actu essendi, siue existentia substantię. Quemadmodum enim proprium esse accidentis est, inesse, & dicitur inhærentia: ità proprium esse substantiæ dicitur existentia siue subsistentia: & hoc modo nomē subsistētię solēt accipere metaphysici. *in. 3. d. 1. q. 2.*

Secun

Secundo ſcire oportet, quod in incarnatione Verbi omnis efficientia & conſeruatio humanitatis coniunctæ Verbo, tribuenda eſt Deo, qua Deus eſt. Deus enim agit ad extra, vt vnus: omne vero quod præciſè pertinet ad ſuppoſitare & terminare naturam per ſe primo eſt tribuẽdum Verbo Dei: quoniam filius Dei deſcendit de cœlis & cõceptus & natus & mortuus eſt pro nobis; vt docet fides, & nec Pater eſt homo, nec Spiritus ſanctus eſt homo, ſed filius Dei factus eſt homo: & quia ipſe eſt homo, iccircò Deus eſt homo, & non è conuerſo.

Cõc. Nicen.

Dico ergo, quod ſuppoſitare & terminare naturam humanam, conuenit per ſe primò, perſonæ filij Dei: & ratio, ob quam ei conuenit eſt ſua perſonalitas ſiue ſubſiſtẽtia, quod idem eſt. De hac verò diſputatione, qua nulla facilior & expeditior eſt, tam fuerunt variæ & diſcrepantes ſententiæ, tot hinc & inde formata, & contorta argumenta, vt pudeat etiam referre. Omnis autem illa tam fera tempeſtas orta eſt ex ignorantia linguæ Græcę. Cum enim graues authores, atque cõcilia docerẽt, quod natura humana terminabatur ad ſubſiſtentiam filij Dei, & ſcholaſtici nomine ſubſiſtentiæ non intelligerent perſonam, ſed actum eſſendi, qui certè eſt aliquid abſolutum; inde fuit, quod in tam varias ſcinderentur opiniones. Scire autem debemus, quod nomine ſubſiſtentię Patres, cum de incarnatione loquuntur, perſonam intelligunt. Et hæc de hoc articulo ſatis ſuperq; eſſe deberent. Sed, vt videatis aliquorum ſcholaſticorum labores, & ſententiarum confuſionem, tangam breuiter quæ aliqui finxerunt, vt reſponderent vni tantum argumento Durandi. Probabat ille, quod terminare primò conueniat naturæ diuinæ, & ſecundariò filio Dei, hac ratione: Nam perſonæ cõuenit terminare humanitatem ratione ſubſiſtentię: & ſubſiſtentia conuenit perſonæ diuinæ ratione naturę: ergo terminare humanitatem conuenit perſonæ diuinæ ratione naturæ. Minorem probat: quia ſubſiſtere eſt actus eſſentiæ, & perſona diuina eſt exiſtens per ſe, ſiue ſubſiſtẽs per ſuam eſſentiam. In quo argumento

Durandus.

Durandus accipit ſubſiſtentiam pro actu eſſendi Dei. Ei ergo vt Caietanus reſpondeat ponit, ſi vobis placet, quatuor exiſtẽtias in diuinis, tres perſonales, & vnam eſſentialem, quo nihil magis alienum à veritate dici potuit ab homine Theologo. Nã ſi exiſtentia filij Dei eſt quid perſonale, & diſtinctum ab exiſtentia Patris, cur nõ bonitas filij Dei, & ſapiẽtia filij Dei, & eſſentia filij Dei perſonale quid erit & diſtinctũ à Patre, ſi quidem exiſtentia, tam eſt abſolutum ſicut eſſentia? Nec enim exiſtentia ſiue actus eſſendi dicitur ad aliud. Dicit ergo Caietanus ad Durandum quod perſonæ conuenit terminare humanitatem ratione ſubſiſtentiæ non eſſentialis, ſed perſonalis; & accipit ſubſiſtẽtiam pro actu eſſendi, ſicut acceperat Durandus. Capreolus in. 3. d. 1. q. 1. dicit quod humanitas dependet à perſona in eſſe exiſtentiæ, atque hoc accipit à perſona ratione eſſentiæ: & ſecundò dependet à perſona in eo quod eſt eſſe ſuppoſitatam, atque hoc accipit à perſona non ratione eſſentiæ, ſed ſui ipſius. Victoriæ atque Soto neutra ſolutio ſufficiens videbatur. Et ipſi dicebant cum Thoma de Argentina in. 3. d. 1. art. 2. quod aſſumere conuenit quidem ratione eſſentiæ, non tamen tanquam, quod, ſed tanquam, quo. Et ſicut non valet eſſentia eſt principium quo Pater generat, ergo eſſentia generat: ità non valet, perſona aſſumit ratione eſſentiæ, ergo eſſentia aſſumit, aut terminat. Quod etiam exemplum eſt Argentinæ loco citato. Rurſus Valuas & alij inſurgũt contra hos, & ipſi tenent cum Caietano, itaque mira eſt ſcholaſticorum varietas in reſpondendo: nos verò facilè dicimus ad maiorem Durandi, quod terminare naturam conuenit perſonæ ratione ſubſiſtentiæ, id eſt, ſuppoſitalitatis, non autem ratione ſubſiſtentiæ, ideſt, actus eſſendi. Et hoc clare docuit B. Thom. 3. part. q. 3. articul. 3. ad primum.

Caiet.

Capreol.

Victoria.
Soto.

Tho. de Argen.

Valuas.

Sed aduerſus noſtram ſententiam eſt argumentum; Quia quanuis Pater generet non tamen generat paternitate, ſed eſſentia: ergo quãuis perſona filij ſuppoſitet humanitatem non ſuppoſitat hypoſtaſi, ſed eſſentia. Ad hoc nego conſequentiam:

quia

quia in generando includitur virtus & potentia Dei Patris & vis omnis atque potentia est essentiæ: in suppositando verò non includitur, nisi ratio terminandi, quæ omnis includitur in personalitate.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm, abstracta personalitate per intellectum natura possit assumere.



CERTVM est, quod si Deum intelligeremus, sicuti est, non possemus aliquid circunscribere à Deo, ità vt aliud remaneret: quoniam quicquid est in Deo est summè vnum, salua distinctione personarum: ergo si vnum tollatur tollitur totum quod est in Deo. Et quidem etiam quælibet personarum tollitur alia sublata, quia distinguũtur solis relationibus, quas oportet esse simul: nos verò non loquimur in titulo articuli de huiusmodi abstractione, secundum realem negationem, sed de illa, quæ dicitur simplicis intelligentiæ, per quam consideramus bonitatem Dei non considerata sapiẽtia, cum tamen bonitas Dei & sapiens sit, & ipsa sapientia. Hoc in primis posito pro declaratione questionis illud etiam addendũ est, quod triplex esse potest sensus quæstionis. Primus, vtrùm abstracta ratione omni personalitatis Deitas posset assumere naturam. Secundus, vtrùm abstractis personalitatibus relatiuis remanente vero Deo subsistente Deus possit assumere naturam. Et non dico sicut Iudæi aut Gentiles intelligunt Deum, quia ipsi ponunt in Deo vnam tantum hypostasim perfectam ac proinde nulla erat in eo sensu difficultas: sed simpliciter intelligendus est hic sensus, vt à nobis est propositus. Tertius sensus est, an abstractis personalitatibus non quidem à natura Dei, sed ab actu assumendi natura solum possit assumere: id est, vtrùm positis personalitatibus cum ipsa natura, possit natura Dei assumere humanitatem, ipsis personis non assumentibus. His positis sine confusione sententiarum & argumentorum multitudine more nostro rem absoluemus.

Loquendo in primo sensu sit conclusio quod abstracta à natura Dei omni ratione personæ illa non potest assumere. Hæc cõclusio offendet aspectu primo, sed si rectè intelligatur est verisima: eiusque intellectus simul & probatio cõsistit in hoc quod vt rectè dicit B. Thom. in. 3. d. 5. q. 2. ar. 3. Si ratio omnis personalitatis circunscribatur à natura diuina ipsa natura nulla ratione remanebit subsistens, & sic nec poterit ei cõuenire assumere nec aliquid agere, aut sustentare, tanquam quod: est ergo conclusio vera. B. Tho.

Pro secundo sensu quæstionis sit conclusio: Quod si per intellectum circunscribantur personæ distinctæ, quas fides ponit eis circunscriptis remanet natura diuina subsistens: & hac ratione natura posset assumere. Et ratio huius fundamentalis est: quoniam cum ibi maneat natura diuina subsistens manet consequenter aliqua ratio suppositi sufficiens ad terminandam dependentiam humanæ naturæ, illamq; sustentandam. Et secundo argumentor, quia circunscriptis per intellectum personis subsistens ille Deus, qui manet est agẽs creans finalizans: hæc enim conueniunt Deo, vt sic, atque vt vni: ergo etiam posset esse assumens.

Sed aduersus hanc conclusionem arg. 1. quia terminare, & sustentare naturam, id solum pertinet ad personam: sed natura diuina subsistens non est persona, quia non est incommunicabilis: ergo non potest terminare & assumere naturam. Ad hoc dico, quod loquendo secundum potentiam absolutam terminare aliquam naturam non solum conuenit personæ propriè dictę, sed etiam conuenire potest naturæ subsistenti per se, quamuis ea non habeat completam & perfectam rationem personæ: nam terminare in Patres est subsistere in aliqua natura, atque ad hoc sufficit vt terminans sit subsistens in se.

Secundo argumentor, quia nec fieri potest nec intelligi, vt natura rationalis reipsa subsistens nec sit persona, nec in persona: at verò, si humanitas iungeretur per se

primò naturæ diuinæ, ſubſiſteretque per eam, certè is homo nec eſſet perſona nec in perſona: ergo non poteſt iungi. Probo minorem: Quia natura diuina ſubſiſtit communicabiliter; ergo non eſt perſona. Reſpondetur quod ea hypotheſi facta, quod natura humana terminetur ad diuinitatem ſubſiſtentem, concedendum eſt, quod ſecundum hoc non eſt per ſe primo in perſona propriè & cõplete dicta: quia diuinitas ſubſiſtens communicabiliter nõ habet completam rationem perſonæ. Sed quoniam eo ipſo quod humanitas terminaretur primario ad naturam, ſecundariò terminaretur ad perſonam, efficitur inde quod humanitas cõſequenter eſſet in ſubſiſtente incommunicabiliter, & in perſona propriè dicta, eſſet autem per ſe primò in ſubſiſtẽte per ſe quod ſufficit ad aſſumptionem; ac fortaſſe ille homo in eo caſu propriſsimè & perfectiſsimè diceretur perſona humana quoniam ad eum, vt ſic, nihil attinebat, quod ſubſiſtentia Dei eſſet in tribus perſonis, quo minus ea humanitas perfectè terminaretur atque ſubſiſteret.

Tertio argumentor. Quia in Deo non ſunt quatuor perſonalitates, ſed tres tantũ, ergo illis abſtractis nulla remanet perſonalitas: ergo non poterit aſſumptio fieri. Dico ad hoc, quod remanet hic Deus ſubſiſtens & ille poterit aſſumere, quia vt ſic exercet rationem quandam perſonæ ſuffi cientem ad aſſumptionem.

Erat tertius ſenſus, an poſitis perſonalitatibus cum ipſa natura, natura Dei poſsit aſſumere humanitatem ipſis perſonis nõ aſſumentibus. Quæ etiam quæſtio ſubdiuiditur. Nam aut eſt ſenſus, ſi fieri poſſet, quod aſſumat natura primariò ipſis perſonis non aſſumentibus primariò, aut nulla ratione aſſumẽtibus. De primo ſenſu quæſtionis Capreolus in 3. d. tenet partẽ negatiuam. Et ratio eius eſt: quia ſi in Deo eſſet vna tantum ac abſoluta perſona, ſicut Iudæi intelligunt, eſſentia non poſſet per ſe primò terminare, ſed perſona: at verò non magis diſtinguitur eſſentia à tribus perſonis, quæ ſunt in Deo, quam tũc diſtinguetur ab illa abſoluta; ergo eſſentia modo non poſſet per ſe primò terminare.

Capreo.

Sit verò in contrarium primò, quod natura humana poteſt aſſumi à diuinitate ſubſiſtente, ità vt primariò, & immediatè terminetur ad ipſam diuinitatem, ſecundariò verò, & quodammodo mediatè ad perſonas contrario modo, atque nunc fit in Chriſto. Atque ad hanc concluſionem aſſerendam non mihi videor egere alijs argumentis præter ea, quæ poſita ſunt. Nam ſicut terminare eſt ſuppoſiti, ità & agere: ſed Deus modo, vt Deus, & vnus agit, & producit ac conſeruat res per ſe primo: ergo vt ſic poſſet etiam per ſe primò terminare. Sed quoniam nonnullos conuincit ratio Capreoli, atque illa quantum credo, decepti ſententiam illam tuentur, iccircò eius inſufficientiam declaro, & argumentor ſecundo in hunc modum. Si Deus eſſet vnica tantum perſona non poſſet intelligi agere, quin illa ageret per ſe primò, & non minus eius eſſentia eſt coniuncta tribus perſonis, quam eſſet illi ſoli: ergo non poteſt intelligi Deus modo agere, quin tres perſonæ, vt ſic per ſe primo agant. Tũc ſic: Hæc concluſio eſt falſa, & illata ex præmiſsis veris & conſtitutis ſub forma rationis Capreoli, vt conſtat: ergo illa eius ratio, & conſequentia nihil valebat. Nego igitur Capreolo conſequentiam. Et ratio eſt, quoniam in eo caſu non eſſet niſi vnica ſubſiſtentia, illaque incommunicabilis, quæ in rationali natura conſtituit perſonam: & cum vnio terminari non poſſet, niſi ad ſubſiſtentiam, neceſſario tunc terminaretur ad perſonam immediatè. Cæterùm modo extat ſubſiſtens communicabile, ad quod poſsit terminari natura abſque eo, quod per ſe primò terminetur ad perſonam: terminatur autem ad eam ex conſequenti.

Sed de ſecundo ſenſu quæſtionis extat ſententia Durandi per extremum oppoſita Capreolo. Dicit ille, quod non modo poteſt per ſe primo terminari ad eſſentiã, verum & ità poteſt per eam terminari, vt non terminetur ad perſonas nec primariò, nec ſecundariò. In quo ſit concluſio, quod humana natura non poſſet ità vniri imme diatè

Durand. in 3. d. 1. q. 4

diatè cum diuinitate subsistente, quin eo ipso mediatè & secundariò vniretur cum personis. Probatur conclusio: Primum ex summa identitate, quæ est inter naturam diuinam & personas, ex qua efficitur, vt non possit subsistens Deus terminare naturam, quam eo ipso non terminent consequenter personæ. Quod declaro: Nam nunc de facto eo ipso, quod humanitas primariò & de facto terminata est ad personam filij, terminari etiam dicimus ad essentiam ratione personæ propter summã earum rerum identitatem: ergo propter eandem causam non potest natura humana ità immediatè terminari ad diuinitatem, quin terminetur ad personas. Item argumentor: Nam quãuis hic Deus sit principium primariò efficiens, atque causans res ad extra, tamen etiam fatemur necessario, quod ipsæ personæ sunt principium efficiens & causa rerum: ergo eadem ratione, &c. Ex quo colligitur quod ea hypostasi facta, quod natura humana immediatè assumeretur à Deo, vt sic, nõ solum Deus diceretur homo, sed etiam consequenter Pater diceretur homo, & Filius, item & Spiritus sanctus: sicut eo ipso quod Deus creat, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus creant.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm, vna persona possit sine alia naturam creatam assumere.

FIDES docet quod re ipsa naturam humanam assumpsit vnigenitus filius Dei, & non pater nec Spiritus sanctus: ac proinde si vna persona sine alia assumpsit humanitatem certè potuit assumere. Sed vt eam conclusionem scholastico more declaremus, repetẽdum est ex dictis, quod in assumptione, & clauditur actio & terminus eius actionis. Et quidem quicquid efficientiæ atque actionis fuit in assumptione id totum diuinitati est tribuendum, communeque est tribus personis, quoniam ex diuina virtute processit: id verò quod pertinet ad rationem termini, ità conuenit personæ filij Dei, quod non alteri. Atque ex his efficitur quod coniungendo vtrunque quod clauditur in assumptione dicendum est simpliciter & absolutè, quod assumere conuenit tantum vni personæ.

Cæterùm Gabriel in tertio, distin. 1. q. 1. existimat, quod sicut est triplex ratio terminandi in Deo (appellat autem subsistentiam rationem terminandi) sit etiam triplex ratio agendi; & docet non posse à nobis intelligi, quod vna persona possit terminare sine alia, quia nimirum eadem est in Deo ratio agendi & terminandi, & vna persona non agit sine alia: ergo nec potest terminare. At verò fide incarnationis supposita certè facilis & sufficiens est ea huius rei declaratio, quam attulimus. Ad Gabrielem autem dico esse vehementer falsum, quod in Deo sit triplex ratio agendi & operandi, illa si quidem est vna essentia ac potentia Dei. Nec ego imaginari possum vnde Gabriel induerit hanc sententiam, nisi ex illa ignorantia, qua quidam scholastici subsistentiam acceperunt pro existentia. Et cum concilia prædicent in diuinis esse tres subsistẽtias, id est, tres hypostases, ipsi putauerunt, quod essent ponendæ tres existentiæ, siue actus essendi. Et quia ratio essendi est ratio agendi, ideo fortasse putauit Gabriel, quod in Deo sit triplex ratio agẽdi. Est verò intolerabile tres existentias, aut tres rationes agendi ponere in Deo: quoniam esse Dei non est magis relatum, quam essentia. Solent hoc loco quidam commemorare plures vniones cum Deo vt gratiæ, & visionis, &c. quas quia non terminat vna persona, inferre volunt, quod nec vnionem hypostaticam possit terminare. Sed est longè differens ratio: quoniam in vnione hypostatica terminus primarius, & per se est persona: in cæteris est aliquid absolutum, & commune personis. Posset etiam opponi secundò, quod vt ait Damascenus libro. 3. fidei, tota diuina natura in vna suarum hypostaseon incarnata est: sed natura est communis: ergo & assumptio. Respondeo verò, quod dicitur tota diuina natura incarnata, non quod omnes tres personę carnem assumpserint, sed

Gabriel.

D. Damas.

ſed quia nihil deeſt de perfectione diuinæ naturæ perſonæ incarnatæ.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm, quælibet perſona diuina potuerit naturam creatam aſſumere.

D. Athan. DOCET fides noſtra, quod in Sanctiſsima Trinitate nihil eſt prius, aut poſterius, nihil maius aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales: atque ita omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus: ſed filius potuit aſſumere & aſſumpſit naturam humanam: ergo, & Pater, & Spiritus ſanctus id ipſum potuerunt.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm, plures perſonæ diuinæ poſsint aſſumere vnam numero naturam.

I quis conſideret, quod tres perſonæ diuinæ ſunt vnus numero Deus, vna eſſentia vnum numero agens, vnum conſeruans, vnum finalizãs, videbit, quod in abſolutis, & in his omnibus, quæ ſunt ad extra nunquam vna perſona neceſſario excludit aliam; ac propterea multò apparet veriſimilior ſententia eorum, qui dicunt, quod tres perſonæ poſſent aſſumere vnam numero naturam: maximè cũ videamus ineffabilem illam coniunctionem & vnitatem, qua tres perſonæ diſtinctæ ſubſiſtunt in vna natura diuina: ergo poſſent ſubſiſtere in vna natura humana. Atque hanc ſententiã tenuerunt Alexand.3.part.quæſt.a.Marſil.in.3. quæſt.2.artic.3. Caietanus cum B. Thom. hoc in loco. Sed oppoſitum multi tenuere, Scotus in.3.diſt.1.quæſt.2. B. Bonauentura, Ricardus de Media villa, & Albertus, & Dionyſius eadem diſtinctione: quorum grauiora argumenta adferemus, eiſque curabimus ſatisfacere. Obijciunt ergo primò, quia ſi tres perſonæ aſſumerent vnam numero naturam, nec eſſet vnio in natura, vt conſtat, nec verò in perſona: quia tres perſonæ nõ coaleſcunt in vnam: ergo, &c.

Alexan. Marſ. Caiet. B.Thom. Scotus. D. Bonauẽ. Ricar. Albert. Dionyſ.

Ad hoc dico primùm cum B. Thom. hic ad ſecundum, quod ea hypotheſi facta, Humana natura eſſet aſſumpta, non in vnitatem ſolius vnius perſonæ, ſed in vnitatem ſingularum perſonarum, ita, ſcilicet, quod ſicut diuina natura habet vnitatem cum ſingulis perſonis, ità natura humana haberet vnitatem cum ſingulis per aſſumptionem. Vel dicito clarius, quod eſſet vnio in perſona, ſed non eſſet tantum vnica vnio ex parte perſonæ ac termini, ſi quidem eſſent tres termini: atque hoc fuit fundamentum B. Bonauenturæ. B.Thom. D.Bonau.

Secundo argumẽtor: Quia natura quæ non vno, ſed pluribus ſuppoſitis terminatur, eſt illimitata, & infinita: ſed natura humana eſt finita: ergo non poteſt, &c. Reſpondetur, quod aliquam eſſentiam nõ terminari ſuapte natura vnico tantum ſuppoſito, arguit infinitatem, vt conſtat in myſterio Trinitatis: at verò ſecundum potentiam obedientialem poteſt natura finita pluribus ſuppoſitis terminari, cũ aliôqui vno contenta eſſet.

Tertio argumentor: Quia quod dependet totaliter ab vno non poteſt dependere ab alio: ſed in hac vnione natura humana totaliter & perfectiſsimè terminatur ab vna perſona diuina: ergo non poteſt terminari ab alia.

Ad hoc argumentum, quod eſt Scoti, Caietanus, vt reſpondeat tripliciter limitat maiorem. Primùm, quod intelligatur ſolum de dependentia cauſati à cauſa. Atque hanc limitationem reticere ipſe potuiſſet: nam Scoti maior ſi vera eſt eandem vim habet in omni dependentia. Et ſicut aliqui ſcholaſtici dicunt, quod nihil poteſt effici à pluribus cauſis totalibus, quoniam id putant implicare cõtradictionem, nimirum quia ſequeretur, quod eſſent totales & non eſſent totales, pari omnino ratione dicere tenentur, quod nihil poteſt totaliter à pluribus totalibus depẽdere. Scotus. Caiet.

dere. Secūdo limitat Caietanus illam maiorem, quod nō habeat locum, nisi in dependentia secundum eandem rationem, & speciem. Atque hoc verè Caietanus dixit, nec negarent contrarij: illud tamen falsò adiecit, quod in casu conclusionis dependentia non esset eiusdem rationis in tribus personis. Hoc, inquam, falsum est, quoniam quanuis alia sit persona Patris à filio, aliaque ratio Patris, qua Pater est, alia filij, tamen ratio & modus terminandi naturam humanam idem omnino esset in personis, nec id potest negari. Tertio limitat, quod debet intelligi de dependentia totali intensiuè, & extensiuè. Licèt autem tunc humana natura totaliter & perfectè terminaretur ad filium intensiuè, nihil obstaret, quominus etiam totaliter, & perfectè terminaretur ad Patrem: sicut ex eo, quod perfectè quis quoad intēsionem terminat similitudinem albi, vt quatuor, nihil obstat, quod alter albus, vt quatuor terminet eandem similitudinem. Atque hoc verè & acutè dixit Caietanus, & ex eo responsum est argumento.

Sed arguitur quarto. Quia natura humana eadem ratione, & tam intimè coniuncta est personalitati Verbi, atque si propriæ personalitati coniuncta fuisset: sed si fuisset coniuncta propriæ personalitati, nō posset ea coniunctione stante assumi ab alia persona: ergo nec coniuncta personæ Verbi potest assumi. De hoc argumento quid alij sentiant ignoro, mihi tamen est difficilius cæteris, atque eiusmodi vt si solum esset, faceret probabilem sententiam B. Bonauent. Scoti, & cæterorum. Dico tamen primò, quod secundum eorum sententiam, qui putant in rebus creatis naturam identificari personæ, neganda est cōsequentia: quia persona creata, & propria ità constituitur per suam naturam, vt natura intrinsecè identificetur ei personæ. Vnde non est intelligibile, quod filius, aut Pater terminent eam naturam absque eo, quòd terminarent personam, quod fieri non potest, nec intelligi. Persona verò diuina non identificatur humanitati, & iccircò nihil obstat, quod tres personæ diuinę possint assumere humanitatem eādem.

B. Bonau. Scotus.

Vel dico secundò, quod hoc est proprium diuinarum personarum, quod cum constituantur, & distinguantur relationibus à nullo absoluto se excludunt: & cum natura assumpta sit aliquid absolutum ex hoc quod assumitur ab vna persona, non excluditur quod assumatur ab alia.

Vltimò argumentor ex S. Thom. hic ad primum: Nam hac hypothesi facta, quod tres personæ assumant eandem naturam numero, sequeretur, quod nec essent vnus homo, quia sunt tres personæ, nec tres homines, quia haberent vnam solum humanitatem. In dissoluendo hoc argumento est controuersia inter authores: nam Caieta. hoc loco, & Duran. in. 3. dist. quæst. 3. & Ricardus dist. 1. art. 1. quæst. 4. dicunt quod data hypothesi tres personæ diuinæ, nec essent tres homines simpliciter, nec vnus simpliciter, sed secundū quid vnus ratione vnius naturæ, & secundum quid tres ratione trium personarum. Marsilius in. 3. quæst. 2. art. 3. & Sotus lib. 2. summularum de appellatione, notab. 7. Et Nominales tenent quod dicerentur simpliciter tres homines. Scotus in. 1. distin. 12. quæst. 1. & in. 3. dist. 1. quæst. 3. & S. Thom. hic, & in. 3. dist. 1. quæst. 2. art. 4. dicūt, quod essent vnus homo simpliciter. Et quanuis re omnes conueniant, quæstioque videatur esse de nomine, placet hæc presius explicare.

B. Tho. Caiet. Durand. Ricar. Mars. Sotus. Scotus. B. Tho.

Sit ergo in hoc prima conclusio, quod hac hypothesi facta necessario concedere debemus, quod tres personę, vel sunt vnus homo simpliciter, vel plures simpliciter. Probatur: Nam vnum & multa diuidunt ens apud metaphysicos: ergo si sit aliquod ens simpliciter erit necessario, aut vnum simpliciter aut multa simpliciter: sed hypothesi facta verè ibi est aliquod ens homo: ergo vel erit vnus simpliciter homo, vel plures simpliciter.

Secunda conclusio: Non est concedendum, quod in eo casu personæ diuinæ essent tres homines simpliciter. Probatur: Nomina substantiua significant formam per modum substantiæ, sed substantia per se habet & esse & vnitatem: ergo formæ vt significatæ tali nomine per se habent

bent vnitatem non aliunde, ſed homo ſignificat formam per modum nominis ſubſtantiui: ergo per ſe habet eſſe, & vnitatem, non aliunde: ergo ſi ea fuerit vna numero forma, dici non poteſt, quod dicerentur tres homines quamuis eſſet in tribus perſonis. Et confirmatur: Quia fides docet, quod eſſentia Dei exiſtẽs in tribus perſonis eſt vnus Deus: qua in parte nulla ratione ſunt ferendi Nominales, qui dicunt, quod ſolum propter hæreticos aſſerimus tres perſonas eſſe vnum Deum, cum ſecundum proprietatem dicendi ſint tres dij. Hoc, inquam, non eſt ferendum, quia ſequitur, quod ſolum propter hæreticos non dicimus, & fatemur tres Deos, quod eſt magis falſum, & ſacrilegum, quam dici poteſt: nobis enim vnus eſt Deus: igitur proportione pari in noſtro caſu dicendum eſſet, quod tres perſonæ non eſſent tres homines. Apoſt.

Tertia concluſio. In caſu, de quo eſt ſermo tres perſonæ diuinæ eſſent vnus homo ſimpliciter. Hæc ſequitur ex prima & ſecunda concluſione redactis ad formam ſyllogiſmi, hoc modo: Tunc vel eſſent vnus homo ſimpliciter, vel plures per primam concluſionem, & non eſſent plures ſimpliciter per ſecundam: ergo eſſent vnus ſimpliciter per tertiam, ſed ex parte terminorum, ſiue hypoſtaſeon, iam ſupponimus, quod eſſent tres.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm vna perſona diuina poſſit aſſumere duas naturas humanas.

RESPONDEO, dicendum, quod ſiue conſideretur perſona diuina ſecundum virtutem, per quam eſt principium vnionis, ſiue ſecundum perſonalitatem, per quam eſt terminus vnionis, vtraque ratione eſt infinita, & immenſa, & propterea poſſet aliam, & aliam naturam aſſumere: alioqui illa perſonalitas finita, & limitata videretur. Eſtq; iſta ſententia cõmunis, & eius ratio conuincens.

Sed aduerſus eam eſt argumentum: Quia ex eo quod Deus factus eſt homo, totus ipſe eſt Deus, & totus ipſe eſt homo: ergo ſi Deus aſſumeret duas humanitates, oporteret, quod anima vnius eſſet vnita animæ ac corpori alterius, & quod etiam duo corpora eſſent ſimul, quod eſt inconueniens.

Ad hoc argumentum, nego conſequentiam. Et ratio eſt: quia filius Dei eſt ſua Deitas, ſed non eſt ſua humanitas: nec enim eſt aſſumpta natura humana, vt ſit ipſa perſona Dei, ſed vt perſona Dei ſubſiſtat in natura humana. Atque ex ſumma vnitate, & identitate, quæ eſt inter perſonam diuinam, & Deitatem effectum eſt, quod diuina natura vniatur vnione perſonali naturæ humanæ ſecundum omnes parteseius. At verò duæ illæ naturæ aſſumptæ diſtinguerentur realiter, & inter ſe ipſas, & à perſona, ac proinde non redundaret monſtrum illud, & inconueniens, quod fingebat obijciens. Et hæc de hoc articulo. Sed circa illud duo dubia tractanda ſunt. Primum, vtrùm in caſu noſtræ diſputationis, quod vna perſona diuina aſſumeret duas humanitates, eſſet vnus homo, vel plures, Sanctus Thom. in tertio, diſtinctione. 1. articulo vltimo. Durand. ibi, quæſtione. 3. circa finem, & Scotus ibi diſtinctione. 1. quæſtione. 3. atque alij docent, quod eſſent dicendi duo homines. Et ratio eorum eſt, quia exiſtimant ad pluralitatem ſubſtantiui, quamuis illud ſignificetur in concreto ſufficere formarum pluralitatem, quamuis ſit idem ſuppoſitum. Sed S. Thom. & Caietan. & Ferra. 4. quæſt. cap. 11. tenent oppoſitum, requiruntque ad pluralitatem ſubſtãtiui pluralitatem formarum, & ſuppoſitorum. Ego verò breuiter dicã, quod ſentio. Dico ergo primum, negari non poſſe, quod in caſu noſtro nec omnino propriè eſſet vnus homo propter duas humanitates, nec omnino propriè eſſent duo, propter vnum ſuppoſitum. B. Thom. Durand. Scotus. B. Thom. Caiet. Ferra.

Dico ſecundò: Quod magis propriè eſſet vnus homo. Et ratio, quæ me mouet eſt, quia non poſſum intelligere, quomodo multiplicetur nomen concretum, claudens,

claudens, nempe suppositum, nisi multiplicetur suppositum: quantūcunq; enim multiplicentur ea quæ sunt in solo Petro, siue artes, siue qualitates, siue vestes, siue etiam animę, certe Petrus vnus erit: at in casu nostræ disputationis esset vnū tantū suppositū: ergo nō essent plures homines. Dico tertio, quod mirabili hac hypothesi facta vocarētur potius duo homines vt dicebat prior sententia. Et ratio, quæ me conuincit est, quod hæc quæstio est de modo loquendi: de illo enim modo tracto. Et mihi certissimum est, quod in casu conclusionis dicerent homines apparuisse suis tēporibus duos homines mirabiles, vnū qui diceretur, verbi gratia Emmanuel, alterum, qui diceretur Iesus: & vnū quidem adesse, verbi gratia, Romę, alterū in Hierusalem. Sed iā video, quid obijcias. Dicis asseruisse me vno temporis momento duo pugnantia, incautum scilicet, hominem & immemorem, ac nō attendentē quid dicat quid ve loquatur: nam si rectè aliquid nominamus, illud verè est, quod nominamus: sed nominamus duos per tertiam assertionē: ergo essent duo cōtra secundā. Respōdeo, docte lector atq; modeste, quod hominū vulgus solet res nominare iuxta ea, quæ videt in rebus creatis & in his quibus est assuefactum: hominum autem oculi nunquam viderunt duas humanitates viuas, & per se existentes distantes, atq; disiunctas loco, tēpore, figura, qualitate, operationibus, corpore & anima, quin essent duo homines, & ità appellaret: ac proinde homines certè dicerent esse duos homines, nec aliter possent de illis loqui aut se se intelligere. Aliquis verò alte sapiens, & cui reuelatum esset mysterium diceret, quod erat vna persona, & fortasse etiam assereret, quod erat vnus homo, potius quam duo, vt nos asseruimus.

Sed illud secūdo loco dubitatur, an esset tunc cōmunicatio idiomatū inter personā prout subsistat vni naturæ humanæ, & eandē, prout subsistat alij naturę. Quidā viri docti tenent partē negatiuā; & eorū ratio est; Quoniā, si inter Deū & hominē modo est cōmunicatio idiomatū, ideo est quia natura diuina est sua persona: at in nostro casu ambæ naturæ humanæ & inter se se realiter, & à persona distinguerētur: ergo nō esset cōmunicatio idiomatum. At verò ego cōiūgo, & fateor vtrunq;, & quod appellarentur duo homines, & quod esset cōmunicatio idiomatū: quia propter vnitatē suppositi, Emmanuel, verbi gratia, esset Iesus, & Iesus esset Emmanuel: ergo quod dicitur de vno posset dici de altero, & ad rationem in oppositū dico, quod cōmunicatio nis idiomatū sufficiens causa est cōuenientia naturarū in vnū suppositū, nec requiritur ipsarum identitas cū persona, cuius signū est quod humanitas Christi non est persona Verbi, & tamen est nihilominus inter hominem & Deū cōmunicatio idiomatū: alioqui hæc esset falsa; Deus est mortuus pro nobis, quia nō est mortuus, nisi vt homo. Aduertendū verò est propter aliquorū importunitatem, quod sicut Dñs in triduo desijt esse homo, & ex cōsequēti illo tempore non poteramus dicere: Hic homo est Deus, quia nō supponebatur homo: pari ratione, si in casu nostræ cōclusionis moreretur, verbi gratia Emmanuel nō posset fieri communicatio dicendo, quod Emmanuel viuit, scilicet, inquantū est Iesus, quia nō supponit Emmanuel, diceretur tamen tūc Iesus mortuus, iuxta doctrinā traditam. Atq; de his plura dicerem, nisi essent sophistarum propria, & molesta bonis ingenijs.

ARTICVLVS. VIII.

Verùm magis conueniens fuerit, quod persona filij assumeret naturam humanam, quàm alia persona diuina.



SEmper in similibus disputationibus, qui omnino nō desipit statuit duo apud se. Primū, quod fuit cōuenientissimū, id quod disposuit Deus. Secundū, quod sunt eius rei plurimæ cōuenientiæ supra hominū captū. Dicat verò hominū imbecillitas quod cū pater nec procedat nec mittatur ab vllo, & persona quę mittēda erat in mūdū datura esset hominibus dona, & spiritū, quo

quo Deum diligerent, & eleuarentur in cœlum, conuenienter filius descendit ad nos vt daret dona, & spiritum suum hominibus, qui & procedit à patre & ab ipso procedit spiritus. Vnde Dominus ipse declarans discipulis ad quid venerit ait: Mittam vobis spiritum Paraclerum à Patre. Et Apostolus ait: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.

Ioan. 15.

Ephes. 4.

Secundò: Siquidem Deus venit in mũdum, vt nos filios Dei faceret factus homo, iuxta illud, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt: conueniens erat, & congruum, vt per eum, qui est filius naturalis, haberent homines esse filios per participationem, & gratiam, iuxta illud, Quos præsciuit & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.

Ioan. 1.

Rom. 8.

Tertiò: Quia sicut apud nos filius dilectus patris familiâs seruos malos & infideles deducit ad Patrem & impetrat ab eo delicti veniam: ita oportebat, vt nos, qui natura eramus filij iræ deduceremur ad Patrem & recõciliaremur per filium. Et hoc est quod ait Apostolus, Rom. 5. Iustificati ergo, ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum in gratiam istam, in qua stamus atque gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Quia enim filius nos peccati reos deduxit ad Patrem ideò dicitur, per quem habemus accessum in gratiam istam.

Ephes. 2.

Rom. 5.

Quartò: Quia decuit, vt sicut per sapiẽtiam conditi sumus, ità etiam per eum qui est sapientia Patris renouaremur: propriũ enim artificis est sua opera restaurare. Scriptum verò est, quod sapientia est omnium artifex. Sapient. 7

Quintò: Quia homo peccauerat appetendo Dei scientiam: congruum ergo fuit, vt sapientia Dei eam causam vt propriam susciperet, & qui contra sapientiam deliquerat repararetur per sapiẽtiã: vbi enim abundauit delictum superabundauit, & gratia. Rom. 5.

Sextò: Propterea nec Pater, nec Spiritus sanctus carnem assumpsit: sed filius tãtùm, vt qui erat in diuinitate Dei filius ipse fieret in homine hominis filius, ne filij nomen ad alterum transiret: qui non esset æterna natiuitate filius: Dei ergo filius factus est hominis filius, natus secũdum veritatem naturæ ex Deo Dei filius, & secundum veritatem naturæ ex homine hominis filius, vt veritas geniti non adoptione, non appellatione, sed in vtraque natiuitate filij nomen nascendo haberet, vt esset verus Deus, & verus homo, vnus filius. Alias verò plures congruentias quicunq; doctus inueniet.

QVAESTIO QVINTA, DE MODO VNIONIS EX PARTE NATVRAE ASSVMPTAE.

ARTICVLVS. I.

An natura humana fuerit magis assumptibilis à Verbo Dei, quam qualibet alia natura.

RESPONDEO, quod assumptibile dicitur, quod potest assumi. Est verò potẽtia triplex. Vna naturalis, qua lapis tẽdit deorsum, & ignis sursum. Alia obedientialis, qua res oẽs ad nutũ obediũt Deo, vt quãdo stetit Sol tẽpore Iosuẽ; & quãdo se se aperuit mare & apparuit cãpus germinãs de profundo nimio, per quem omnis natio transiuit, quæ tegebatur manu Dei. Tertia est obedientialis ipsa, vt stat sub aptitudine, & cõgruitate quadã, quę inuenitur in vna re potius, quam in alia. Hęc verò aptitudo, & cõgruentia, vt asũpta sit inuenitur in humana natura potius quã in alia, ꝓpter eius dignitatẽ simul & necessitatem. Inueniebatur enim dignitas quędã in ea, propterea ꝙ humana natura in quãtũ est rationalis, & intellectualis nata est attingere ipsũ verbũ, cognoscẽdo & amãdo: necessitas aũt inuẽta est, qm̃ indigebat reparatione cũ subiaceret peccato, quod remitti poterat & deleri. Quod verò duplex hæc ratio, & causa in sola humana natura inueniatur, inde liquet quod naturę irrationali deest dignitas, Angelis verò, qui iã sunt in termino fęlicitatis vel miserię deest necessitatis cõgruitas. Et quidẽ nec in natura angelica, nec in irrationali eleuabatur vniuersũ ea ratione, qua in susceptione humanitatis eleuatũ est, in quã & spũs & corpus & superiora & inferiora, & visibilia & inuisibilia cõuenerũt. Si aũt de potẽtia naturali sermo sit, ea nõ est maior, propriè loquendo, in vna natura quã in alia: quia in nulla creatura est potẽtia naturalis ad eã vnionẽ. Et quidem nec potentia obedientialis est maior in vna natura, quã in alia dẽpta illa congruitate, de qua nobis sermo, quia potẽtia obedientialis creaturæ sumitur per cõparationẽ ad potentiã Dei absolutam in ordine, ad quã omnes naturę sunt ęquẽ assumptibiles, sicut ęquẽ subiectæ per omnia. ¶ Sed fusè solet à quibusdã disputari, an potuerit Deus naturã irrationalẽ assumere. Quę quęstio tũ per se offendit, tũ plura admiscetur in ea pijs auribus indigna atq; iccirco perstringam breuiter quæ fuerint hac in parte sententiæ & quid mihi dicẽdũ esse videatur. Enric. quodl. 6. q. 2. & quodl. 13. q. 2. Alex. 3. p. q. 11. & 12. mẽ. 1. art. 2. Picus Miran. q. 4. suę apologię Dionys. Cart. in. 3. d. 2. q. 2. tenent quod natura irrationalis assumi nõ potest, B. Bonau. dicit dedecere id sapiẽtiã Dei quod ego credo esse verisimũ. Quidã existimãt vtrãq; disputationis partẽ esse probabilẽ, ex quibus est Gab. in. 3. d. 2. q. 2. & Ric. d. 2. q. 2. Cõmunis verò sentẽtia, quæ modo circũfertur est, ꝙ de potentia absoluta potest Deus assumere quancũq; naturã creatã: & hæc sentẽtia quę mihi vera videtur posset probari ex corpore Dñi in triduo quod mãsit vnitũ: nã si cadauer potuit esse vnitũ Deo cur nõ alia natura. Nec tñ ex hoc licet colligere, quod natura cũ culpa posset assumere, qm̃ culpa pugnat cũ Deo. Nec rursus, quod dãnari posset, aut pœnã pati pro culpa, propter rationẽ eandem. Posset tamen cruciatus sustinere: siquidẽ re ipsa Dominus innocẽs cùm esset mortem pro nobis peccatoribus, & acerbos dolores passus est. Ad illud autem nostrum fundamentum respondent authores cõtrariæ sentẽtiæ, mansisse quidem in triduo corpus vnitum, non tamen fuisse assumptum, nisi vt partem rationalis naturæ atq; in ordine ad mente. Sciendũ verò est, quod hæc respõsio potest referri, & ad potẽtiã Dei absolutam

Marginal notes: Iosue. 10. — Sapient. 19. — Enricus. — Alexand. — Picus Mirã. — Dion. Cart. — D. Bonau. — Gabriel. — Ricar. — 1. Pet. 3.

solutã,& ad eius sapiẽtiã, quã dedecebat naturã irrationalem assumere. Si ad potentiã Dei absolutam referatur mihi videtur parui momẽti; si ad sapientiã nõ est contẽnenda, quia videtur sufficiẽs: siquidem nũquam sapientia Dei assumpsisset corpus, nisi propter mentem. Cæterùm Albertus Magnus, in.3.d.2.q.2.ar.2.& Vdalricus lib. 5. suæ summæ.c.5.&.6. peculiariter inficiãtur naturã angelicã assumi posse: quoniam in angelis persona identificatur naturæ, & persona assumi nõ potest: ergo nec natura. Sed hæc sententia mihi est multò improbabilior, quã prædicta: vnde & communiter reiecta est ab scholis,& eius fundamẽtũ est insufficiẽs. Nã si in angelis persona distinguitur realiter à natura, vt quidã dicũt probabiliter, falsum est quod docet Albertus. Si autẽ nõ distinguitur realiter nihil valet ea Alberti cõsequẽtia. Nã dicemus, quod sicut simile identificatur albo, & tamen separatur ab albo, ità in proposito dicemus, absolui posse naturam à persona. Et præterea, quod mihi euidẽs argumẽtũ est cõtra Albertũ, nunquã Apostolus charitatẽ Dei inde cõmẽdasset, quod nunquã Angelos apprehendit, sed semẽ Abrahæ apprehendit, si apprehẽdere angelos esset impossibile: hæc ergo sententia defendi non potest, quantum ego iudico.

Sed aduersus ea, quæ diximus, est argu. Nã altius & excellẽtius est Deo vniri personaliter, quã ipsum attingere per operationẽ cognoscẽdo & amãdo: sed natura irrationalis nõ potest eleuari ad hoc secundũ: ergo nec ad primũ. Occasione huius argumẽti disputabo, an vnio hypostatica sit maior atq; perfectior, & excellentius bonum quam visio Dei. Et hãc quæstionẽ paulò premã: tum, quoniã ipsa per se est scitu digna: tũ, quoniã præcipua fundamenta eius disputationis, an possit Deus naturã irrationale assumere, quæ per se offendit, sub honesta hac quæstione tractabo.

Si quis ergo à me quærat quæ sit maior vnio ea, quæ fit per vnionẽ hypostaticã an ea, quæ secũdũ visionẽ, respõdeo breuiter quod ea, quæ fit per vnione hypostaticã. Patet, quia est vnio substãtialis, visio verò nõ itẽ. Quod si quis secũdò quęrat, quę sit maior gratia vnire se hypostaticẽ cũ natura humana, an se præbere vidẽdũ hominibus, dico etiã, quod multò maior gratia est Deum se vnire hypostaticẽ, quã se vidẽdũ præbere. Quod probo: quia si attendas boni magnitudinẽ in rebus per tẽpus ortis nullũ maius, quàm, quod Deus fieret homo, vt in sequẽtibus magis declarabimus, & D. Aug.13. de Tri.c.9.& de prædes. sanc. c.15. docet, quod summa gratia quæ potest excogitari, fuit hominẽ esse Deũ: quod si in gratia, nominis rationẽ velis expendere certẽ vnio hypostatica nõ datur ex meritis, visio verò Dei maxima gratia cùm sit datur tamẽ hominibus ex meritis omnino: ergo maior gratia est vnio, quàm visio. Si verò tandẽ quærat quis, quod sit maius bonũ vnio hypostatica, an visio beatifica, in hoc aliquid est maioris difficultatis: vnde partẽ negatiuã, & quod non sit maius bonũ vnio hypostatica, quàm visio tenet Durandus in.3.d.2.q.1. Dico tamen, quod proculdubiò maius, & excellẽtius bonum est vnio, hypostatica, quã vnio per gratiã, & gloriam. Et ratio est in primis, Quia per vnionẽ hypostaticã cõmunicatur creaturæ ipsum esse personale Dei verẽ & realiter, ità vt persona filij Dei fiat persona naturæ assumptæ: vnio verò per fruitionem nõ tribuit ipsum esse Dei, sed participationẽ quãdã secũdũ similitudinẽ & operationẽ: ergo quãto maius est esse Deũ personaliter, quã participatiuẽ, tãtò maius bonum est vnio hypostatica, quã visio. Itẽ secũdo: Nã iure optimo receptũ est illud: In rebus per tempus ortis nihil maius, quàm quod Deus fieret homo. Si ergo nihil maius, est ne maius bonũ cæteris, an maius malum? Certẽ maius bonũ: ergo &c. Hic si respondeas, esse maius opus, regredieris eodẽ. Nã quæram, est ne maius opus bonum, an malum? Certe bonum.

Tertio: Nam maius est esse filium Dei naturalem quàm adoptiuum. at per vnionem hypostaticã homo est filius Dei naturalis, & per gratiam & gloriã adoptiuus: ergo maius bonum est vnio hypostatica.

Quarto: Nam si maius bonum est visio Dei, quã vnio hypostatica, igitur nõ propterea Christus, inquantum homo est me

Albert. *Vdalric.* *Hebr.2.* *D. August.* *Durand.*

lior angelis & præstantior, quia simul est etiam Deus:sed propterea, quia clarius & limpidius videt Deum:hoc verò ipsis sacris literis contrarium est: nam Apostolus inde commendat dignitatem, & excellentiam Christi super angelos, quod ipse sit Deus. Cum enim loqueretur de illo, qui purgationem peccatorū facit, & sedet ad dexteram maiestatis Dei, quę conueniunt
Hebr.1. Christo vt homini, subiungit de illo, tantò melior angelis effectus, quantò differētius præ illis nomen hęreditauit:cui enim dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? quod de die resurrectionis interpretatur ipse Apostolus
Actor.13. in Actis:& ex cōsequēti loquitur de Christo, vt homo est. Et cum iterum introducit vnigenitum in orbem terræ dicit: Et adorent eū omnes angeli Dei. Et in Apo-
Apoc.5. calyp. c.5. Angeli Dei, & omnis creatura, quæ in cœlo & super terram est, dant honorem & gloriam Agno:igitur procul dubiò Agnus, hoc est, Christus, in quantum mortuus & occisus est pro nobis, multò melior est angelis vidētibus faciem Patris: & nō habet hoc nisi per vnionē hypostaticam:ergo vnio hypostatica est maius, & excellentius bonum, quam visio. Deniq; vnio tenet se ex parte bonorum sicut diuisio malorum:sed est maior vnio: ergo maius bonum.

Sed ea videamus, quæ opponuntur nostræ sententiæ. Primum eorum est: quia vnio personalis siue suppositalis seorsum sumpta cōmunis esse potest rationalibus, & irrationalibus:vnio verò secundū operationem propria est rationalitū. Et rursus vnio personalis conuenit creaturæ rationali secundum id, in quo cōmunicat cū omnibus substātijs, quia conuenit ei secundū quod est natura potens subsistere: vnio verò per operationē cōuenit ipsi creaturæ rationali secūdum quod est consors diuinæ naturæ per adoptionē: maius ergo bonum est vnio per operationē, quàm hypostatica. Ad hæc simul dico, consequentia negata, quod rationes istæ inferunt, quod plus nobilitatis aut perfectionis exigat ex parte creaturæ vnio per operationem, quam hypostatica, quod ego cōcedo. Sed est alienū à nostra disputatione:est enim nobis quæstio de eo, quod possit Deus facere in creatura, nō de eo, ad quod supponitur maior perfectio in creatura. Et dicimus lōgè maius bonum esse id, quod Deus potest facere in natura creata, & re ipsa facit quando vnit illam sibi hypostaticè, longe(inquā) maius, quam id, ad quod ipsa creatura per suā operationem, quantūcunq; eleuatam potest peruenire. ¶ Secundo argu. Quia beatius est cōcipere Deum mente, quàm ventre, vt ait D. Aug. lib. de sancta virginitate:ergo melior est visio, quam vnio. Ad hoc nego cōsequētiā:quoniā in cōceptione corporis Dei nō fit, vt cōcipiēs sit Deus, per vnionē verò hypostaticā fit vt homo sit Deus. Nec ob id Deipara Virgo sancta fuit, quia cinxit corporaliter Deum, sed ob id sancta, quia mente seruiuit humiliter ipsi. Et hoc est quod ait Augustinus: Fœlicior mente quā ventre. ¶ Tertio arguitur: Quia maius est eleuare lapidē ad visionē, quā ad vnionē hypostaticā, si quidē illud implicat, hoc non:ergo, &c. Ad hoc nego antecedēs: quia potius eo ipso, quod aliquid implicat nō est maius, quia nō est; & eadē ratione probaretur, quod maius sit, album esse nō albū, quā Deū esse; quia illud implicat, & hoc est necessariū. ¶ Quarto argu. Quia quod potest in maius, potest in minus: sed creatura irrationalis potest eleuari ad vnionē: ergo posset eleuari ad visionē, si visio, vt nos asserimus, est quid minus. Ad hoc dico, quod maior nō habet locū, nisi inter ea, quæ sunt eiusdē ordinis, & rationis. Nā illi ipsi, qui hæc opponunt, possunt loqui & intelligere, & nō possunt volare quāuis volare sit minus: & homo potest generare hominē, & tamē non potest generare formicam. ¶ Vltimò argu. Quia nil est maius atq; præstātius ipso fine vltimo, & beatitudine:talis est visio:ergo ea nihil est maius. Respōdetur, quod vt probè ait Scotus in. 4. d. 49. q. 1. De ratione beatitudinis non est, quòd sit perfectissimum bonum eorum, quæ sunt in beato: sed perfectissimum in actu secundo. Et exemplificat ille author in vnione hypostatica, quæ est excellentissimum bonum. Et ego quidem existimo, quod siquidem

D. August. Scotus.

quidem visio ordinatur ad bonum beatorũ, qui Deo fideliter seruierũt, absolutè loquẽdo, maius bonũ est beatus, quã visio. Sed vt plenius huius argumenti materia intelligatur, sciendum est, quod vltimus finis hominis est altissima eius operatio, ad quam consequitur delectatio complẽs, & quietans appetitum: satiat autem appetitum, quia est complementum hominis & finis, ad quẽ est ordinatus, & in quo quasi sistit vltima eius perfectio, quæ est operari. Cæterum multò maius & excellentius bonum est beatitudo hominis obiectiua Deusque ipse, quam beatitudo formalis. Et cum per vnionem hypostaticam eleuetur creatura ad ipsum esse Dei, maius certè est bonum quam visio: quod si non satiat appetitum sicut visio, ideò est, quia non applicatur per modum finis & operationis: satiat autem appetitum quoad hoc, quòd scit creatura tũc habere se supremũ bonum, quod excogitari potest. *D. Augu.*

Sed esto, maius bonum sit vnio hypostatica, quàm visio, absolutè loquẽdo, quęret tamẽ aliquis, vtra earum melior sit homini. Ad quod viri quidam docti respondent, homini meliorem esse visionem, sicut indigenti & pauperi melius est ditari, quam philosophari. Quod tamen ego nõ benè intelligo. Nam semper quod honestius est anteponendum est delectabili, & est magis propter se expetẽdum, fatebitur que Sapiẽs malle se vnum diem cum virtute viuere, etiam seuera, & difficili, quam mille cum iocunditate. Est autem vnio hypostatica honorabilius, & maius bonum, quàm iocũditas visionis: prǽterquã quod vnio, vt probauimus, est præstantissimum bonum, & non est præstantissimũ bonum Dei, quia nec est bonum Dei: ergo est præstantissimum bonum creaturæ. Et præterea argumentor: Quia supposito quod aliquod bonum sit de genere honesti, & sit potens cõuenire homini, certè illud erit maius bonum hominis, quod fuerit honestius. Quod verò ex Aristotele illi adducunt, non iuuat. Quia cum proprius actus & perfectio pauperis, vt sic sit ditari, rectè quidem & ingeniosè dixit ille philosophus pauperi melius esse ditari, quàm philosophari, parique proportione dicam quod homini tendenti ad visionem Dei, & ad suum finem optimum est videre Deum, & assequi finem: homini vero vt sic nihil præstantius, & excellentius esse potest aut etiam excogitari, quam esse Deum. *Scotus.* *Aristot.*

Vltimum dubium est, an Deus possit vnire sibi, & terminare naturam accidentis immediatè (nam mediatè certum est quod Christus vt homo habet accidentia.) De hoc sunt variæ sententiæ. Nam Basolis in. 3. distinctione. 2. q. 1. & Victoria, & Sotus defendere solebant partem negatiuam: sed Marsilius in. 3. quæstio. 3. artic. 1. & Gabriel. distinct. 1. quæstio. 2. & Palude, distinctione. 2. quæstione. 1. Almahinus, & alij tenent partem affirmatiuam, quæ sententia mihi probabilior est. Et pro ea aduertendum quod accidentia duo habent: nam & inhærent supposito, & terminantur vltimò, ac sustentantur per ipsum: & quidem actualis inhærentia separabilis est ab accidentibus: poterit igitur Dei omnipotentia vnum ex his ab altero separare, & terminare accidentia, quanuis ea non inhæreant. Sed contra hæc argumentor primo. Quia si Deus hac ratione modo dicta susciperet, & terminaret albedinem, nec posset dici albedo nec albus: ergo non potest terminare accidentia. Respondetur quod non diceretur albedo, vt cõstat; nec diceretur albus, quia album claudit terminationem, & adhæsionem accidentis: cæterùm verè diceretur habens albedinem, non tamen vniuocè cum albo. *Basol.* *Victor.* *Scotus.* *Marsi.* *Gabriel.* *Palud.* *Almahin.*

Secundo argumentor, quia pugnat cùm natura accidentis, vt subsistat, siue per se, siue per aliud: hoc enim est proprium substantiæ: ergo, &c. Respondetur quod aliud est terminare & sustentare accidẽtia, aliud verò tribuere, quod subsistant. Et certè Deus non tribueret accidenti quod subsisteret sed tribueret vt existeret absque subiecto inhæsionis, & terminaret ipsum. In similibus autem quæstionibus ago gratias Deo meo, qui non fecit quæ nos imaginamur, sed quæ decebant eius sapientiam, & bonitatem.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm, filius Dei assumpserit personam.



DOCET fides catholica, quod filius Dei assumpsit naturam humanam, non autem personam. Et ità diffinitum est in quinta Synodo generali in epistol. ad Dioscorum Alexandrinum, & in Concilio Toletano. 11. & D. August. lib. de fide ad Petrum, cap. 2. dicit quod Deus naturam hominis assumpsit non personam. Et quidem si Deus accepisset non modo naturam, sed etiam personam hominis, aut ità accepisset, vt persona hominis statim corrumperetur, aut ità vt maneret. Si vt corrumperetur, ad quid accepit? Si tamen ita credimus accepisse, vt maneat persona hominis, incidemus in hæresim Nestorij olim ab ecclesia damnatam. Et si non est facta vnio in natura, vt dicebat hæreticus Eutychetes, nec verò est facta in persona, consequens certè est, vt nec Deus sit homo, quod est fidem catholicam prorsus euertere. Dicendum ergo est quod filius Dei non assumpsit personam, sed assumpsit naturam ad vnitatem personæ.

5. Syno. gen. Cõc. Tolet. D. August.

In hoc articulo est quæstio scholasticis celebris, quo differat suppositum siue persona, & natura. Qua de re tanta est opinionum varietas, vt quot authores sunt, tot videantur esse sententię. Quapropter mihi hac in re nihil prius occurrit, quàm deploranda hominum cæcitas, & ignorantia. Videre enim est, Theologos quosdam de rebus altissimis confidentissimè diffinientes, suoq; inerti syllogismo certitudinem arrogantes, cùm tamen nihil pręsentius, & magis ante oculos, nihil, vt ita dicam, palpabilius nobis esse videatur, quàm nostra ipsorum persona; & tamen quid sit persona egregiè certè ignoramus.

Sentētiarum ergo multitudinem, quas non pauciores octo enumerat Caietanus, hoc loco ad tria capita reducam. Prima sententia est Enrici de Gandauo, quodlib. 4. quæst. 3. vbi dicit, quod suppositum, & natura nulla ratione differunt, nisi ex modo significandi. Suppositum enim significatur, vt habens naturam, natura verò non item. Et ad hoc reducitur sententia Gabr. in. 3. dist. 1. quæst. 1. & Durandi in. 1. dist. 34. quæst. 1. Et quidem hæc prima sententia falsa videtur. Primùm, quia sequitur non esse maius discrimē inter naturam, & suppositum in humanis, quàm in diuinis, in quibus suppositum & natura differunt ex modo significandi. Secundò, quia in rebus materialibus, quæ per modum ipsis conuenientem significantur à nobis, diuersus modus significandi oritur ex diuerso modo essendi: cùm ergo aliter significetur natura, aliter suppositum, sequitur, quod non sunt omnino idem.

Caiet. Enric. Gabriel. Durand.

Secunda opinio tribui solet Scoto in. 3. dist. 1. quæst. 1. quod scilicet, Persona solū addit naturæ duplicem negationem: illa est dependentiæ actualis, atque aptitudinalis à termino. Itaque hæc humanitas cō stituitur in esse personæ, trahiturque ad illud per hoc, quod est nec terminare, nec terminari posse ad aliquam aliam personam, siue terminum. Et ad hanc reducitur opinio cuiusdam Ioannis de Neapoli, de quo Caietanus hoc loco, atque Ocham in 3. dist. 1. quæst. 1. Dixi verò hanc opinionem tribui Scoto solere, quia non sum certus, quod eam tenuerit, pro quo vide ipsum in. 2. dist. 3. quæst. 2. & 3. Ex qua parte colligi videtur, quod potius tenuerit personam constitui per aliquod positiuum, ad quod sequitur duplex illa negatio, sicut ad esse rationale cōsequitur nec esse brutum, nec posse esse brutum. Sed nihilominus solet hæc sententia eius nomine defendi; & cuiuscunque fuerit videtur esse falsa. Primum, quia cùm nec secunda substantia nec accidens cōstituatur per negationem, falsum erit asserere, quod prima substantia, quæ propriè in primis, & maximè dicitur constituitur per negationem. Et secundo, quia si negatio est ratio formalis suppositi, maximè certè consequens est, suppositum formaliter, esse negatiuum quid & nihil, sicut non videns, & nō agēs. Ex quo sequitur amplius, quod cùm agēs

Scotus. Io. de Neap. Caieta. Ocham.

quod

quod, & primum subiectum substans naturæ, & accidentibus, sit suppositum: vtiq; si suppositum est negatiuum, agens quod & primum subiectum prædicamentorum erit negatiuum. Item tertio, quia negatio fundatur in aliquo positiuo, & suppositū habet negationem illam actualis, & aptitudinalis dependentiæ, natura verò non habet: ergo aliquid positiuum claudit suppositum, quod non claudit natura.

Caiet. Ferra. Tertia est Caietani, & Ferrariensis, & aliorum quorundam sententia, quod suppositum verè claudit aliquid reale, quod non claudit natura. Est verò differētia atque varietas in explicando, quid nam illud sit. Ego autem, vt dicam quid sentio, & clarè ac dilucidè quantùm in me fuerit, rē exponam, præmitto prius, quod cùm quærimus, vtrùm suppositum & natura distinguantur, possumus comparare ipsum suppositum, vel ad naturam in cōmuni sumptam: vt si comparemus Petrum ad humanitatem, vel ad naturam sumptam in singulari: vt si eundem Petrum cum sua humanitate conferamus. Poteſtque moueri quæstio tam de natura & supposito in rebus, quę materiam participant, quàm in his, quæ sunt expertes materiæ, vt Angeli: nam de diuinis modo non disputamus.

Scotus.

Io. de Neap. Caieta. Ocham. Secundo autem loco illud adiungo, quod non controuertitur, vtrùm suppositum & natura, secundum eam perfectam rationem distinguantur realiter, qua Petrus, verbi gratia, distinguitur à Paulo. Nam certum est, quod si suppositum accipiatur integrè & perfectè secundum eam rationēm, qua concipitur & significatur à nobis, claudit naturam, & accidentia indiuiduantia. Sed est quæstio, vtrùm ità distinguantur, sicut includens, & inclusum, aliquidque dicat vnum, quod non dicit alterum: & quid sit illud, quod acceptum secundum suam rationem præcisam, est ratio suppositi, & non est natura.

His positis sit prima conclusio: In omni re creata, siue corporea, siue spirituali, suppositum dicit aliquid reale supra naturam. Probatur primò: Omnis talis natura est assumptibilis à Deo, vt diximus articulo præcedenti, & suppositum non est assumptibile à Deo: ergo aliquid reale dicit suppositum: ratione cuius suppositum, verbi gratia, humanum non potest ità coniungi Deo, vt resultet vna persona.

Et natura, ità cōiūgitur, vt resultet vna persona. Secūdo: Agēs quod, sumptum, vt sic, & formaliter est aliquid reale, & natura, vt sic non est agens quod, sed suppositum: ergo suppositum addit aliquid supra naturā.

Tertio: Secunda substantia dicit aliquid positiuum; nec enim constituitur per negationem: ergo & prima dicit aliquid positiuum & hoc non dicit natura: ergo aliquid dicit suppositum, quod non dicit natura.

Quarto: Omnes fatemur hæc nomina hypostasis, persona, prima substantia, &c. significare aliquid substantiuum, & illud non significat natura: ergo. Item suppositum in omni opinione est terminus & cōplementum naturæ: ergo addit aliquid supra naturam creatam, quoniam ea non est per se ipsam completa & terminata.

Secunda conclusio. Suppositum in rebus materialibus supra naturam in communi habet duo, scilicet, accidentia indiuiduantia & rationem subsistentiæ. Probatur, quoniam humanitas solum includit id, quo homo est homo: cæterum Petrus, vt Petrus, & per se subsistit, & accidentia quædam habet.

Tertia conclusio: In rebus materialibus suppositum addit suprà hanc naturam solum rationem per se subsistentis. Quod hoc addat inde constat, quod non natura, sed suppositum est quod per se subsistit. Quod verò hoc solùm, probatur: Nam, si quid aliud adderet, illa essent accidentia peculiaria, & indiuiduātia: hęc verò etiam habet hæc natura: ergo non addit aliud.

Quarta conclusio. In rebus spiritualibus suppositum addit supra naturam rationē per se subsistentis. Hanc apposui solū propter complementum doctrinæ: probari tamen ea posset ex his, quæ diximus pro cōclusione prima.

Habemus ergo ex his, quod suppositū dicit aliquid reale, quod non dicit natura. Quæ sententia inde verisimilior apparet, quod secundum eam omnia consonant. In primis enim consonat fides, quæ ponit

humanitatem assumptam à Verbo; quæ certè humanitas re etiam ipsa non est Verbum siue suppositum suum. Vnde in Cõcilio Basiliens. actione. 22. damnatus est Episcopi cuiusdam error, qui dicebat naturam humanam in Christo esse personam Verbi. Consonat secundò, quod dici solet, suppositum non posse separari à natura, posse verò naturam separari, & absolui à proprio supposito. Consonat tertiò, quòd suppositum sit aliquid naturæ, si quidem est terminus naturæ: non tamen, formaliter loquendo, est natura, quia nec terminus est terminatum. Consonat quarto, quod persona aut suppositum in eo, quod suppositum, non se habet, vt causa ad naturam, sed vt terminus eiusdem.

Conc.Basil.

Sed contra hanc rationem explicãdi differentiam inter suppositum, & naturam, argumẽtor primo: Nam, si ratio ipsa præcisa suppositi est quid reale distinctum à natura, atque pertinet ad genus substantiale, illud vel erit materia, vel forma vel cõpositum ex materia & forma: at certè ibi sublata natura, nec manet materia, nec forma, nec cõpositum ex vtrisque, hæc enim omnia claudit natura: ergo, &c. Efficiet hoc argumentum, vt si fortè rem intellexi, illam vniuersam explanem: sin minus, ipsa explicatione ingenue fatear me illam non tetigisse. Dico ergo, quod quemadmodum accepta qualibet parte ligni, ibi est forma ligni, & materia, & compositũ ex vtraque, non tamen ea pars signata est subsistens per se, siue suppositum: si tamẽ separetur à toto ligno per separationem fit totum quoddam in actu perfectum, & completum, & per se subsistens, quæ omnia ante non habebat, nisi in potentia: & quidem totalitas hæc, atque complementum & per se subsistentia non est materia, non forma, non natura, non ipse actus essendi; nam hæc omnia erant ante in parte ligni; sed est per se subsistentia, & perfectum quid resultãs ex diuisione, & terminus ac complementum illorum omnium quæ enumerauimus: illa enim omnia sunt & finiuntur in supposito: pari ergo proportione, aut prorsus eãdem dico ad argumentum, quod formalis, & præcisa ratio suppositi, & substantiale quid est: & nõ est materia nec forma, nec natura siue essentia composita ex vtrisque, nec actus essendi, sed est terminus, & complementum istorum omnium, quędamque vltima perfectio, quam suppositalitatem siue per se subsistentiam appellamus. Et quidem appellatione compositi quinto Metaphysicorum intelligenda est non modo essentia composita & secunda substantia, sed etiam prima ipsa substantia, atque suppositum. Vnde non fingimus nouam aliquã substantiam, sed explicamus quid ex proprijs habeat prima substantia supra naturam in abstracto siue in communi siue in particulari sumptam.

Aristot.

Secundo argumentor ex D. Damasceno: Quia quod est inassumptibile est incurabile: ergo non datur entitas inassumptibilis in persona hominis. Et confirmatur: Quia omnis entitas positiua est æquè in potentia obedientiali ad assumptionem: ergo, &c.

D.Damasc.

Ad hoc dico cum sententia communi scholasticorũ, quod sermo est de his, quæ sunt propria naturæ, vt distinguitur contra personam: in his enim quod inassumptibile fuit, incurabile fuit. Et ad confirmationem nego, quod quæcũque entitatis ratio sit in æquali potentia obedientiali ad assumptionem: persona enim positiuũ quid est & inassumptibile est. Quidam autem viri docti respondent, quod ipsa personæ entitas assumptibilis est, personalitas verò assumptibilis non est. Sed mihi magis placet prior solutio. Et ratio est: quia pari proportione dicerent alij, quod personæ quidem, & natura prorsus idem sunt, nec aliquid reale dicit vnum, quod non claudat aliud: sed vt persona non est quid assumptibile, vt natura verò assumptibilis est.

Tertio argumentor: Quia sequeretur, quod humanitas assumpta à Verbo careret illa entitate positiua: quod videtur inconueniens cùm ponatur ea entitas esse vltima & actualissima. Respondetur, quod vt rectè ait Tullius verbo, carere subijcitur hæc vis, potest habere & non habet, desiderat, requirit, indiget. Et cum vnam naturam habere propriam, & alterius perso-

Tullius.

nali

nalitatem non patiatur rerum ordo, & præterea humanitas Chriſti cōiuncta ſit ineffabili perſonæ Verbi Dei, ſecundum eam rationem, qua propriæ iungeretur, ità ſcilicet, vt Verbum Dei ſit verus homo eiuſdem rationis nobiſcum, quod nunquam ſatis creatura mirabitur: cum hæc (inquā) ita ſint falſum eſt dicere quod humanitas Chriſti caret illa entitate. Sed dicendum eſt quod humanitas Chriſti nō habet propriam perſonalitatē, quod eſt veriſsimū, & quod habet perſonam Verbi Dei ſubſiſtitque per eam; quod eſt multò maius, & incomparabiliter dignius. Nec verò ea entitas eſt actualiſsima in ſenſu, quo quidam accipiunt decepti nomine ſubſiſtēnæ, qua ſi perſonalitas ſit actus eſſendi: ſed perſonalitas eſt conſtitutiua primi & vltimi ſubiecti actus eſſendi, quod eſt perſonæ ſiue ſuppoſitum.

Quarto argumentor: Prius poteſt ſeparari à poſteriori; & natura eſt prior ſe ipſa, vt eſt ſub perſonalitate: poſſet ergo de potentia Dei abſoluta exiſtere abſq; vlla perſonalitate. Reſpondetur quod quibuſdam viris doctis, ex quibus eſt Caietanus hic, *Caiet.* certè ità videtur: mihi autem probabilius eſt oppoſitum. Nam ibi tunc ego conſidero eſſe formam, materiam, compoſitum, actum eſſendi accidentia eſſe ſeparatum ſubſtātiæ: illud igitur ens ego appellarem ſuppoſitum. Et conſequenter dico, quod ſi humanitas ſepararetur à Verbo tunc perſonalitas propria ex ipſa ſeparatione haberetur, vt conſtat in diuiſione continui. Et cum dici ſolet, quod nihil de nouo aduenit humanitati, eſt ſermo de his, quæ non ſequuntur ex ipſa ſeparatione.

Quinto argumentor: Quia ſi ſuppoſiti præciſa illa & propria ratio atque ratio naturæ diſtinguūtur realiter: ergo poſſet ſuppoſitum ſeparari à natura: ergo dari poſſet ſuppoſitum nullius naturæ. Ad hoc nego conſequentiam, quia nec eſſe equi poteſt ſeparari ab eſſentia, licèt diſtinguātur: quoniam eſt inter ea aliquis ordo formalis. Et hæc quidem mihi vera videntur. Sed quidam Theologi ferre ſententiam iſtam nō poſſunt, & ipſi dicunt, quod duplex eſt entitas vna entitatiua, alia modalis, id eſt, modus entitatis. Et addunt, quod perſona nō eſt quid entitatiuè, ſed modaliter. Dico tamen breuiter, quod vt opinor, hæc ſententia, ſi vera eſt, nihil differt à prædicta, niſi in modo loquendi: nam & nos non dicimus, quod præciſa illa ſuppoſitalitatis ratio ſit ens quod, cōpletum ac prefectum, ſed quod eſt terminus & complementum entis: vnde nec ponit in numerum cum natura, quia ſuppoſitum & ſua natura non ſunt duæ ſubſtantiæ.

Sed ſolet hoc loco tractari à quibuſdam & quidem prolixè, an ſuppoſitum quidditatiuè claudat exiſtere, alijs dicentibus quod exiſtentia eſt quid extrinſecum ſuppoſito, ex quibus fertur eſſe Capreolus, *Capreo.* alijs dicentibus, quod eſt intrinſecum. Ad quod dico, quod ſuppoſitum vt ſic conſtituitur per ſuppoſitalitatem, ſiue ſubſiſtentia. Et ſuppoſitalitas quidem non eſt exiſtentia, ſed eſt ratio conſtituens ſuppoſitum in eſſe ſuppoſiti, quod ſuppoſitū eſt ſuſceptiuum exiſtentiæ tanquā quod: & hoc eſt de eius ratione, non tamen ipſa exiſtentia. Sed inſtas, quia ſuppoſitum & ſubſiſtens, formaliter loquendo, ſunt idem: ſed ſubſiſtens dicit de formali exiſtentiam per ſe: ergo & ſuppoſitum. Reſpondetur quod ſubſiſtens vno modo accipitur ità, vt dicat de formali ſubſiſtentiam hoc eſt ſuppoſitalitatem, & ſic eſt idem formaliter, quod ſuppoſitum, & non claudit exiſtentiam. Secundo modo ſubſiſtens accipitur ità, vt ſit idem quòd exiſtens, & hac ratione claudit in ſuo conceptu formali exiſtentiam, non tamen in actu exercito, ſed in actu ſignato. Volo dicere, quod exiſtens ſignificat habens exiſtentiam, non tamen eſt de eſſentia alicuius rei creatæ, exiſtentiam illam re ipſa & actu exercito habere: nec hoc dicit exiſtens, ſed ſolum dicit habens exiſtentiam. Et ſubſiſtens hoc modo acceptum ratione differt à ſuppoſito. Et hæc de hoc articulo. Conſiderandum verò eſt hoc loco, quam hallucinentur, & ſibi ipſis aduerſa, & pugnantia dicant ij, qui ſemel opinionem aliquam falſam induerint. Putauerunt enim quidam exiſtentiam eſſe ſuppoſitum, quod valde abſurdum eſt, & manifeſtè

festè falsum: nam suppositum substat, & naturæ, & actui essendi. Et posteà illi ipsi veritate & ratione ducti asseruerũt, quod existentia est quid extrinsecum supposito. Si ergo est quid extrinsecum supposito, quomodo est ipsum suppositũ? nam per eos existentia est subsistentia, & subsistentia est hypostasis, & hypostasis est suppositum. Item, si personalitas est existentia, & propterea Caietanus ponit quodam in loco, si Deo placet, tres existentias in diuinis, quomodo si humanitas existeret per se separata nulla esset ibi personalitas cum sit existentia? Sed hæc omittamus. Et certè Caietanus hoc loco benè vidit id, quod est euidens, scilicet, quod personalius suppositum est subiectum quod, existentuæ, & constituitur per personalitatem.

Caiet.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm, Verbum Dei assumpserit hominem.

HAC in parte non est nobis quæstio de re, sed de modo loquendi. Omnes enim catholici fatemur, quod in Christo est vna persona, & duę naturæ. Atque ita Verbum Dei non suscepit hominem, qui sit alter supposito præter ipsum, sed suscepit naturam humanam: & inde factum est, vt Deus ipse sit homo. Sed de eo, an dicendum sit propriè, Deus suscepit hominem, vel suscepit humanitatem est quæstio. In qua Catherinus libr. de lapsu malorum angelorum complura adfert conciliorum & sanctorum testimonia, quibus patres vtuntur hoc modo loquendi: Deus assumpsit hominem. Scholastici verò communiter dicunt eam locutionem esse impropriam: quia quod assumitur non est terminus assumptionis, sed præintelligitur ipsi: quod autem præintelligitur assumptioni est natura humana, non suppositum humanum: ergo natura humana est assumpta, & non homo, quia homo claudit suppositum. Ego dico, quod cum sancti Patres dogma hoc probè nossent, & quod spectet ad artem modumque loquendi, nos excederent interuallo longissimo, & certũ sit quod eo modo loquebantur, fateri certè debemus, quod erat vera locutio. Quia vel accipiebant hominem pro natura humana, vel erat sensus, quod Deus assumpsit hominem; quoniam assumptione factum est, vt Deus esset homo, non aliter atque dicere solemus, quod lux est actus lucidi, cùm ipsa faciat lucidum. Pro modo verò loquendi scholasticorum dico, quod ille & est verus & vsitatus etiam apud sanctos, & est cautior. Qui enim dicit, Verbũ assumpsit humanitatem, nullam tribuit audienti occasionem existimandi, vtrùm forte in Christo sint duo supposita: quod non ita obseruat qui dicit, quod assumpsit hominem. Et me quidem dum ista considero non parua suspicio tenet, quod cum apud Græcos sæpe vsurpentur concreta pro abstractis, quod est certum, factum inde est, vt antiquissima illa, & fidelissima concilia Græcorum de incarnatione Verbi tractantia dicerent, Deus assumpsit hominem, id est, humanitatem. Latini verò Patres Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, &c. fidem illorum cõciliorum legentes, & recipientes, vt par erat, modum, etiã loquendi introduxerunt, quod Deus assumpsit hominem, qui tamen si proprietatem spectes magis est Græcus, quam Latinus. Fortasse autem ego fallor & aures Latinæ ferunt & verè & propriè dici, quod Deus assumpsit hominem, quia per assumptionem Deus est homo, aut quia accipitur homo pro humana natura. Vnde Felix Papa, vt refertur in Synodo Chalcedonensi, actione. 1. cum ageret de hoc mysterio prudentissimè cauit, ne absolutè diceret: Non est homo à Deo assumptus, sed dixit, Non est homo à Deo assumptus vt alter sit præter illum: quæ est ipsa fides. Eos verò, qui asserunt, tã esse falsam hanc, Deus assumpsit hominem, atque hanc, Deus assumpsit personã hominis omittamus, quoniam ea sententia & falsa est, vt colligitur ex dictis, & in antiquos Patres iniuria, qui dicere nunquam sustinuerunt, Verbum assumpsit hypostasim hominis; dixerunt verò sæpè, Deus assumpsit hominem.

Cather.

D. August.
D. Hier.
D. Ambros.

minem: ergo ea propositio, absolutè loquendo, non est falsa, sed verissima: in cum bit autem nobis probè illam intelligere.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm filius Dei debuerit assumere naturam humanam abstractam ab omnibus indiuiduis.

IN hoc supposita veritate fidei, quod Deus factus est homo quidā particulariter existens, & eius humanitas fuit singularis quædam humanitas, quidam respondent non fuisse congruum, quod Deus assumeret naturam humanam in communi, abstractamque ab omnibus indiuiduis: mihi autē videtur quod nec fuit possibile. Primùm, quia eo ipso, quod ea natura erat in peculiari quadam persona, tepugnabat, eratq; implicatio in adiecto dicere, quod erat etiam natura in cōmuni, & abstracta ab omnibus indiuiduis. Secundo: quia etiam pugnat cum natura verè existente extra suas causas, quod non sit particularis alicuius rei natura. Vnde si Deus assumpsisset naturam, prout in nudo intellectu consideratur, non esset incarnatio, sed fictio, quia nulla omnino est talis natura. Et aduertendum est, quod quāuis Verbum non assumpsit naturam cum supposito, non tamē sequitur, ergo assumpsit naturam abstractā ab indiuiduis: quoniam verè assumpsit indiuiduam quādam peculiaremque humanitatem, & eam suæ personæ coniunxit.

D. August. D. Hier. D. Ambros.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm filius Dei naturam humanam assumere debuerit in omnibus indiuiduis.

PVDET ex parte referre absurda, vel mirabilia, vel vt rectiùs dicam, absurda mirabilia quæ sequuntur ex parte affirmatiua quæstionis. Nam in primis omnes homines vere essemus Deus. Deinde nullus hominum esset redemptus: quia qui Deus est non indiget redemptione. Item nec aliquis esset redemptor: quia si nulli sunt redempti, nullus potest esse redemptor. Ad hęc omnes homines essent impeccabiles & prędestinati, & nullus eorū generationi vacaret, quia illud est indignum Deo: & consequenter mundus statim finiretur, nec esset cur duraret. Hæc igitur ridicula omittamus.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm fuerit conueniens, quod filius Dei assumpserit carnem ex stirpe Adæ.

DE parte affirmatiua quęstionis nullus manet ambigendi locus. Nam cum omnia, quæ Deus facit atque disponit, sapiēter & cōuenēter facta ac disposita sint, & ipse disposuerit ac fecerit, quod Verbū assumeret naturā humanā ex stirpe Adæ, cōsequens est, illud fuisse conuenienter factum. Quod autem ità fuerit à Deo dispositum constat ex cap.3. Lucæ, vbi genealogia Christi reducitur vsque ad Adam. Fuit autem hoc ità dispositum à Deo, & conueniens iudicatum plures ob causas. Primùm ad comprobandam veritatem carnis susceptæ, siue humanitatis assumptæ. Si enim Christus secundum carnem non traxisset originem ab Adam communi omnium hominum parēte, posset quis suspicari, quod non erat homo vniuocè nobiscum, qui non processerat ab eo, à quo omnes homines processeramus. Lucæ.3.

Secundò: Quia, vt sapienter ait D. Augus. libro.13. de Trinitate, capit.18. poterat quidem Deus hominem aliunde suscipere non de genere illius Adæ, qui suo peccato obligauit genus humanum: sed melius iudicauit, vt de ipso, quod victum fuerat, genere assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum. D. August.

micum. Et hoc propter tria. Primò quidem, quia hoc videtur ad iustitiam pertinere, vt ille satisfaciat, qui peccauit:& ideò de natura per peccatum corrupta debuit assumi id, per quod satisfactio erat implenda pro tota natura.

Secundò: Quia hoc etiam pertinet ad maiorem hominis dignitatem, dum ex illo genere victor diaboli nascitur, quod per diabolum fuerat victum.

Tertiò: Quia per hoc etiam Dei potentia magis ostenditur, dum de natura corrupta, & infirma assumpsit id, quod in tantam virtutem, & dignitatem est promotum.

Si autem obijcias, quod decebat, vt Pontifex noster esset segregatus à peccatoribus, vt habetur Hebræ. 7. & magis segregatus esset, si non nasceretur ex stirpe Adæ: ergo non debuit esse ex illa, Respondetur quod decuit, vt esset maximè segregatus à peccatoribus quo ad culpam, quam venerat destruere, sed omnino similis quoad naturam, quam venerat reparare. Hebr. 7.

QVAESTIO

QVAESTIO SEXTA, DE MODO VNIONIS EX PARTE PARTIVM HVMANAE NATVRAE.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Dei filius debuerit assumere verum corpus.

DICEBAT Olim Cerdon, quod Christus carnem veram non habuit: mentiebatur Manichæus carnem phātasticam habuisse: somniabat Valentinus illam traxisse de cœlo: demum fabulabatur Apelles, de solis conflasse elementis. Fides autem catholica, quam & sacræ literæ, & cōcilia, & sancti Patres docuerunt, est, quod Christus Dominus secundum quod homo, est verè filius Dauid, & Abraham, verè filius Virginis, verè de illa natus, verus homo, verè passus, & mortuus pro nobis. Atque hæc doctrina inuenitur in sacris literis vno quoque verbo: in Symbolis omnibus ecclesiæ: in Concilijs Niceno, & Ephesino, & Chalcedonensi, & reliquis: in omnibus sanctis Patribus; & deniq; est primum fidei nostræ fundamentum. Huius autem veritatis, quod Christus habuerit verum corpus, triplicem rationem assignificauimus ex D. Thom. vt meritò facere solemus. Prima est: Nam filius Dei suscipiens nostram naturam, factus est verus homo, & ad verum esse hominis requiritur verum corpus: ergo habuit verum corpus. Secunda: Quia, si non fuit verum corpus eius sed phātasticum: ergo nec veram mortem sustinuit, nec aliquid eorum, quæ Euangelistæ de eo narrant secundum veritatem gessit: sed solum secundum apparētiam quandam. Vnde sequeretur, quod si Christus nō verè illa gessit in corpore, nec verè pro nobis mortuus est, nec nos etiam sumus verè redempti: oportet enim effectum proportionari causæ.

Conc. Nice. *Conc. Ephes.* *Conc. Chal.* *D. Tho.*

Tertia ratio sumitur inde, quod non decebat dignitatem personæ Verbi Dei, vt in eius opere aliqua fictio esset. Vnde Dominus Lucæ vltimo, hunc errorem excludere volens, cùm discipuli conturbati, & conterriti putarent se spiritum videre, & non verum corpus, se illis palpandum præbuit dicens: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. *Luce. vltim.*

Sed opponebant hæretici aduersus hæc illud Apost. ad Philip. 2. In similitudinem hominum factus, & habitu inuētus vt homo. Respondebant autem, & respondent catholici, quod ea similitudo intelligitur per eum modū, quo omnes, qui verè homines sunt, similes esse dicuntur in humana natura, & dicere etiam solemus, quod generans generat sibi simile, non autem intelligitur similitudo phantastica. *Philip. 2.*

Secundò mouebantur: Quia indecens eis videbatur, quod Verbum Dei verusq; Deus susciperet corpus. Sed hæc ratio est eorum hominum, qui vnde summum beneficium recognoscere debuissent, inde sumunt occasionem suæ perditionis: & quia summa misericordia fuit Deum hominē fieri: iccirco illam ferre non possunt; quia tāta est. Oriebatur etiam hic error ex alijs illorum erroribus, & dogmatibus; quod scilicet, creatura corporea mala esset, & à malo Deo facta, quæ figmenta aliena sunt à fide. Quod autem dignitas Dei non sit imminuta per assumptionem carnis sapientissimè tractat Diuus August. in epist. ad Volusianum.

Tertium

Tertium eorum fundamentum erat, quia etiam olim in lege dicitur Dominus apparuisse, non tamen secundum verum corpus: ergo nec modo apparuit. Respondetur, quod aduentus Christi olim figurabatur, & modo impletus est: & quia olim solum figurabatur, ideo non exhibebatur secundum veritatem carnis susceptę, quia vero modo impletus est, iccirco e.t exhibitus secundum veritatem susceptæ humanitatis.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm filius Dei debuerit aßumere corpus terrenum, hoc est carnem, & sanguinem.



QVIDAM hæretici, ex quibus fuere Apollinaris, & Valētinus, offensi, vt dictum est, immensa Dei misericordia, nō crediderut Christum habuisse corpus terrenum, hoc est concretum ex carne, sanguine & humoribus: sed illud putabāt traxisse de cœlo. Fortasse fictorem illum, & parentem fabularum imitantes, qui loquens de Dijs dicebat: Nec cererem absumunt, atri nec pocula vini; Sanguine namq; carent immortalesq; vocantur. Sed hæc hæresis eisdem fundamentis refutatur, quibus superior. Cum enim Christus fuerit verus homo vniuocè nobiscum, & paßibilis, & reipsa multa ac acerba sustinuerit, & fuerit filius Virginis, & Dauidis, & Abrahā quomodo stabit cum ijs, quod corpus de cœlo traxit? nec enim illud esset paßibile neceiusdem rationis cum nostro nec sumptum ex Virgine. Hîc si quærat Apollinaris, quomodo scriptu est, Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cœlestis, quo loco hęreticus vtebatur vt ait Theophylactus, Respondetur, quod quia filius Dei Deus cum esset de cœlo venit in mundum, peccatores saluos facere, & quia non humano semine, sed virtute cœlesti conceptus est, & propter cælestem ac planè diuinam sanctitatem, propterea vocatus est ab Apostolo, homo cælestis. Et insuper, cum Beatus Paulus, ibi sermonem institueret de iudicio finali, & futurum sit vt Dominus veniat, ac appareat de cœlo ad iudicandum, propterea ad hæc alludens dixit, secundus homo, de cælo cælestis. Atque ità interpretatur Theodoretus.

Homerus. *1.cor.15.* *Teophyl.* *Theodor.*

In hoc articulo solet disputari quæstio, vtrùm sanguis Christi fuerit vnitus hypostaticè Verbo, ità, vt subsisteret per subsistentiam Verbi, sicut eius anima, & corpus. Qua de re mirum est, quam omnes varient, & quam nonnulli loquantur improbabiliter, alij autem rigidè, & inconsideratè aliorum sententias carpant, & qualificent. Adeo, vt viro prudenti eligendū potiùs esse videatur tacere, quàm inter eiusmodi homines loqui. Exponam tamē quod sentio, si prius duo præmisero. Primum est, quod secundum proprietatem sermonis, & veritatem rei, aliud est vniri alicui secundum hypostasim, & aliud vniri hypostasi eius. Ea enim vniri dicuntur, secundum hypostasim, quæ subsistūt per subsistentiam suppositi, vt anima & corpus. Illa verò vniuntur in hypostasi, quæ insunt ipsi, quacūque id ratione fit: vt anima, corpus, sanguis, humores, potentiæ, & accidentia omnia. Secundum verò est, quod aliter insunt, atque conueniunt supposito corpus; & anima, aliter sanguis, & humores, aliter accidentia. Corpus enim, & anima sunt de essentia hominis: sanguis autem ac humores sunt fomenta quędam & ornamenta naturæ; accidentia autem inhærent secundum proprium modum.

His positis sit prima conclusio. Sanguis Christi secundum eam rationem est vnitus hypostasi Verbi Dei, secundum quam in nobis proprius sanguis vnitur proprio supposito. In hanc credo, quod conuenient mecum viri docti. Tum, quoniam in his, quæ ad naturam attinent humanā, si synceritatem catholicæ fidei seruare volumus, philosophari debemus secundum vniuocationem, siue rationem eandem, de Christo, & nobis. Tum etiam secundò quoniam is modus, quo sanguis, verbi gratia, Petri vnitur Petro, sufficiens est, vt

is san

is sanguis Petri esse dicatur, & quod eũ fundit Petrus, & quod illa effusio sumit valorem à dignitate personæ fundentis; & denique quæ Christo tribuuntur per habitudinem ad proprium sanguinem, illa proportionaliter alijs hominibus conueniunt. Sed credo, quod immoror in re manifestissima. Nam asserere, quod alia ratione vnitur sanguis Christi ipsi Christo, & alia noster nobis, nullum videtur habere fundamentum, nisi ortum ex illorum ignorantia: qui ea etiam, quæ Deus sapientissimè, & suauissimè disposuit repleta volunt esse miraculis, & particularibus dispensationibus.

Theolo.

Secunda cõclusio: Probabile est sanguinẽ esse partẽ actu animalis, quanuis eius generis, vt in alias partes transmutabilis sit. Hanc ideò statuo: quia non habeo demonstrationem partis oppositæ; & præterea, quia Caiet. hoc loco illã defendit, & B. Th. tacitè ei cõsentire videtur. 3. p. q. 76. ar. 2. ad 2. & alijs etiã Theologis huius ætatis id ipsum placere solet, quibus sua probabilitas debetur. Si tamẽ hæc sentẽtia vera est, illud profectò efficitur, vt sanguis nõ modo in hypostasi, sed etiã secundũ hypostasim vnitus sit, sicut manus & brachia.

Caieta. B. Thom.

Tertia conclusio. Probabilius est, quod sanguis sit pars animalis nõ actu, sed potẽtia. Hanc probo in primis: quia dicitur esse cõmunis cõfessio medicorũ, quibus de his quæ ad suã facultatẽ pertinẽt, credere par est. Probatur secũdo: quia Aristoteles magni semper habitus apud physicos, est huius sentẽtiæ. Nã lib. de iuuentute, & senectute. c. 2. & de somno & vigilia c. 3. & li. 2. de partibus animaliũ. c. 3. ait, sanguinẽ esse alimentũ animalis. Et rursus in secũdo de Anima. c. 4. docet, quod alimentũ habet formã realiter distinctã à forma alin, quã debet amittere, vt formã aliti suscipiat: ergo sanguis nõ est pars aliti. Et lib. etiã secũdo de partibus animaliũ, c. 5. & li. 3. c. 5. docet sanguinẽ esse in venis veluti in vase: ergo nõ est pars animalis, per hunc philosophũ, sicut nec aqua pars vasis. Tertio prob. ratione: Quia actualis pars animalis continua cũ sit ipsi toti, subtrahi nõ potest sine corruptione, aut diminutione, aut dolore: sanguis verò sine dolore fluit, & scinditur seu separatur: ergo non est actu pars: ac certè videtur esse eiusdẽ speciei, quado est in vena, & extra venam. Quarto: Quia dici solet, quod alij tres humores nõ sunt actu partes: ergo nec sanguis. Quinto: Quia si sanguis est actu pars, & certè non spiritualis, sed corporalis; cõsequens ergo est quod in consecratione panis ex vi cõsecrationis, & non concomitanter esset ibi sanguis, quod negant Theologi. Sexto: Quia hæc sententia est valdè cõmunis Theologis, eam tenet Ricardus in. 4. dist. 44. q. 2. Capreo. in. 3. dist. 3. q. 1. & in. 4. dist. 11. q. 2. Durand. in. 4. dist. 44. q. 2. ad. 2. Soto, dist. 10. q. 1. artic. 2. Gabrie. lectione 13. vel. 53. in canonem, Scotus in. 4. distin. 10. q. 4. B. etiam Bonauentura. & B. Thom. infra. q. 31. art. 5. ad primum.

Arist.

Ricar. Capreo. Duran. Soto. Gabriel. Scotus. D. Bonauen. B. Thom.

Quarta conclusio: In omni opinione illũd retinendum, & dicendum est, quod Verbo Dei vnitus est sanguis hypostaticè hoc est, vel in hypostasi, vel secundũ hypostasim. Probatur: quia homo viuus atq; perfectus vnum quid dicitur, nec hoc potest, nisi absurdissimè negari: ergo omnia quæ sunt in illo, vnita sunt ipsi, siquidem conficiunt vnum: ergo vnitus est sanguis Petri Petro, & Christi Christo. Secundo argum. Quia Verbum Dei non solum assumpsit actuales humanæ naturæ partes, sed assumpsit etiam ea omnia, quæ ad veritatem & complementũ, & consistentiam humanæ naturæ pertinent, ex quibus est sanguis, atque alij humores: ergo. Tertio: Quia Verbum diuinũ assumpsisse, & vniuisse sibi sanguinem, determinatum est à Clemente Sexto, & Pio Secundo, contra concionatorem quendam Barchinoniæ, quicùm hoc negasset coactus est reuocare sententiam, referente Syluestro in Rosa aurea tractat. 3. Ex hoc infero incautè locutum fuisse Abulensem paradoxa 2. cap. 43. cum dixit, quod sanguis effusus in passione, aut ante passionem non fuit vnitus Verbo hypostaticè: quod idem sensisse videtur Duran. in. 4. distinctio. 10. q. 1. nu. 19. Dicendum enim est, & castè ac synceré sentiendũ, quod Verbũ assumpsit & vniuit sibi ea omnia, quæ ad veritatem, & com-

Clemẽt. 6. Pius 2. Syluest. Abulen. Durand.

& complementum,& consistentiam humanæ naturæ pertinent, animam, corpus, sanguinem, humores, accidẽtia. Vnde hæc omnia, & siqua sunt alia imperfectione omni,& corruptione sublata, gloriosè resurgens conseruat,& in se se reunet. Illud tamen interim aduertẽdũ est, quod vnũquodq; istorum vniuit sibi Deus, secundum eam rationem, qua vnicuiq; suauissimè,& naturalissimè conuenit vniri.

Sed necesse est, vt ea, quæ dicta sunt, argumentorũ solutione elucidemus. Et primùm cõficio ex his, quæ plures latè,& varìè tractant. Nã alius, inquiunt, sanguis est arterialis in præcipuis venis existens, & sine quo homo viuere non potest, alius nutrimentalis,& nutrimentalẽ istũ nõ videtur sibi vniuisse Verbũ: preterquàm, quod in aliquibus ecclesijs reseruatur sanguis Christi Domini, illeq; euidenter apparet in aliquibus insignijs sanctissimæ crucis: ergo cũ nunquã Verbũ dimiserit, quod assumpsit, nõ videtur assumpsisse sanguinẽ hunc. Ad hæc argumenta,& similia respõdeo, quod qui ea omnia, quæ in aliquo tẽpore,& quacunq; ratione fuerunt partes materiales,& aliqua ratione vnita humanitati Christi retenta putãt, & reassumpta cùm resurrexit non videtur attendisse hominem esse materiæ fluitantis opus, cuius materia sanguis,& humores continua resolutione euaporantur, & variantur semper quãuis imperceptibiliter,& quod vna ex parte deperditur,& consumitur, alia ex parte restauratur. Ac proinde non quæcunque materiæ pars fuit aliquando in Christo sub forma sanguinis, aut alterius humoris, aut sub alia quacunque forma, reassumpta est, nec constat modo Christus Dominus ex tota illa materia, quam quacunque ratione habuerat vnitam in processu vitæ mortalis. Quæ si molestè quis vrgere velit, quid hic dicam de capillis, & vnguibus abscissis, quæ cum partes actu fuerint, esse tamen illa omnia re assumpta credo, quod concedet nemo: nam resultaret in resurrectione monstrosum quid,& deforme.

Dico ergo, quod Christus Dominus resurgens habet ea omnia, quæ ante habebat pertinentia ad veram,& perfectam rationem humanitatis, corpus, animam, sanguinem, capillos, vngues, accidentia. Sed vt sapienter ait Beatus Augustinus, Nouit Dominus ex his, quæ enumerauimus, necessaria,& decentia relinquere, cætera auferre. Et peculiariter ad ea deueniendo, quæ argumento tanguntur, mihi omnino videtur quod quicunque sanguis fuit in Christo erat ei vnitus. Nam præterquam quod totus sanguis existens in corpore humano est, vt opinor, eiusdem speciei, solumque differt secundum qualitates, vt secundum magis depuratum & subtile, aut minus, præter hoc, inquam, argumentor: Nam si Dominus vulnus acciperet, quo funderet pro nobis solum sanguinem nutrimentalem, ea effusio esset infiniti valoris: ergo quicunq; sanguis in Christo fuit erat ei vnitus: quod certè est euidens, nec potest negari, nisi valdè pueriliter. Sanguinem verò illum in ecclesijs reseruatũ fluxisse credo miraculosè ex imagine aliqua Christi percussa: vt de imagine quadam refert Athanasius. Ad illud verò tertium, de sanguine relicto in clauis aut insignijs crucis, cõstat solutio ex dictis: nec enim illud est inconueniens. Vnde & cõmuniter cõceditur, quod nutrimentalis sanguis non fuit reassumptus præcipuè totus. D. August. B. Athan.

Secundo argumentor: Quia si sanguis non est vnitus & in hypostasi, & secundũ hypostasim sicut corpus & anima, non diceretur assumptus, nec per eius effusionẽ Dominus nobis meruisset quæ meruit: verè ergo sanguis est actu pars & vnitus secundum hypostasim.

Respõdetur, quod in hoc argumẽto illi soli aliquam vim esse putant, qui nũquam cõsiderarũt, quod Christus Dñs cùm fatigabatur fame, cũ vexabatur siti, cũ pro nobis magno sudore & labore premebatur, per hæc & similia nobis merebatur,& tamẽ fames, sitis, labor, angustiæ, accidentia sunt: nõ ergo vniebatur hæc secũdũ subsistentiã, ad sensum scholasticorũ; sed ideò erãt infiniti valoris, quia erãt angustię,& fames,& sitis Dei susceptę pro nobis. Idẽ igitur dicã de sanguine fuso pro nobis, vnde ad argumentum negatur sequela maioris.

Tertio

Tertio argumentor: Quia sanguis non est actu pars: ergo est substãtia re ipsa distincta ab animali: ergo habet proprium suppositum; ergo non potuit vniri hypostaticè. Ad hoc, iuxta opinionem Caetani, liquet negandum esse antecedẽs. Iuxta aliorum verò sententiam dico, quod licèt in homine sint quatuor humores, non tamen est dicendum, quod sint ibi quinq; supposita. Quocircà sanguis, licèt non sit actu pars, est tamen de integritate animalis, & depẽdens quodammodo ab ipso; cuius signum est, quod sanguis extra venas statim corrũpitur. Considerandumque est, quod sæpe id, quod in aliquo genere, & secundũ aliquam rationem est plura, secundum aliam est vnum. Vnde licet, præcise loquendo, sanguis vt sic distinctus sit specie à flegmate, & vtrunq; à natura animalis; tamen in genere entis naturalis totiusq; physici, nulli dubium esse potest, quin animal cũ his, quæ ad eius naturam, & consistentiam pertinent, sit vnum tantùm ens. Vnus enim equus vnus equus est. Nec verò illa, quæ enumerauimus sunt in hoc genere entia naturalia per se, sed facientia ad ornatum, & consistentiam entis naturalis. Nec vidit hominum quisquam, sanguinem, bilem, aut flegma, existentia per se, nisi quando expulsa sunt per viam corruptionis. Nec hoc est magis mirabile quam quod coriũ, & caro; & sanguis sunt tria, & differunt specie. Bos tamen verisimè est vnum, habẽs corium, & carnem, & sanguinem.

Caieta. D. Aug. (margin)

Quarto argumentor: Filius Dei dicitur sepultus, quia corpus eius fuit sepultum; & descendisse ad inferos, quia anima descẽdit, cui erat vnitus: ergo dicetur mansisse in cruce, quia sanguis, cui erat vnitus, ibi mansit. Aliquorum solutio est, quod communicatio idiomatum tunc tantum recipitur, quando vnum extremũ de altero prædicatur, vt homo de Deo, Deus de homine in Christo. Falsum autem est, quod Verbum sit sanguis: ac proinde, &c. Hæc verò responsio mihi videtur insufficiens: quia etiam est falsa, Verbum Dei est anima, & tamen Verbum ratione animæ dicitur descẽdisse ad inferos. Dico ergo, quod modus loquendi semper sumitur, & sumi debet ex communi modo loquendi hominũ. Habet autẽ huiusmodi loquendi modus, vt quãdo sepelitur corpus emortuũ Petri, dicamus quod sepelitur Petrus; & quia credimus, quod anima eius est in cœlo dicere solemus, quod Petrus est in cœlo: nõ autem, quia funditur, aut sepelitur sanguis Petri, dicimus, quod fusus est Petrus. Et ratio discriminis est: quia sanguis non est ità præcipua pars, nec ità attingens, atque cõponens naturam hominis, sicut anima, & corpus; & propterea est recepta communicatio idiomatum in vno, & non in altero sicut in nobis fieri solet. Concedunt tamẽ aliqui, quod filius Dei effusus est in terrã, & mansit pendens in cruce, ratione sanguinis vniti, & reassumpti, quod tamen mihi videtur alienum à more loquendi. Et hæc de hoc articulo. In quo cum quorundam hominum ingenijs conflixìmus, qui vel ob debilitatem intellectus rem non intellexerunt, vel vt prouerbio dicitur, nodum in scirpo quæsiuerunt. Re enim vera nihil aut affirmari certiùs aut planius esse potest quàm quod sanguis Christi erat ipsius ab eoq; susceptus, & fundebatur ab ipso, & illa effusio erat pretium, & redemptio nostra, quia erat Dei Redemptoris nostri, siue sanguis sit actu pars hominis, siue secus.

B. Atha. (margin)

ARTICVLVS. III.

Vtrùm filius Dei assumpserit animam.



NON est propositũ meum in hoc opere aduersus hæreticos fuse disputare, sed ea, quæ fidei sunt summarim perstringere. Ac propterea dico breuiter, quod Christum Dominum habuisse, & assumpsisse animam, est fundamentum fidei. Nam fundamentum primum nostræ religionis est, quod filius Dei factus fuerit pro nobis verus homo: verus autem homo veram animam habet: ergo filius Dei assumpsit animam. Præterea opera animæ, siue vegetatiuæ, siue sensitiuæ, siue intellectiuæ, sunt nutriri, crescere, videre, audire, gustare, tangere, fatigari, ambulare, loqui, flere, admirari, interroga-

re,respondere,diligere,ratiocinari, intelligere,docere:hæc autem omnia inueniebātur in Christo,vt constat ex euangelijs:ergo in illo erat anima:alioqui quicquid in illo gestum est,fictio fuit.

D. August. Tertio:Quia vt argumentatur ille semper sapiens Augustinus cōtra Fœlicianū, cur accepta carne animam dispensatio mediatoris omisisset. Nisi fortè,aut innoxiam sciens medicinæ indigentem esse non credidit:aut à se alienam putans redemptionis beneficio non donauit;aut ex toto insanabilem iudicans curare nequiuit: aut vt vilem,& quæ nullis vsibus apta videretur abiecit. Horum duo blasphemiam importat in Deum. Quomodo enim diceretur omnipotens,si curare non potuit desperatam? aut quomodo omnium Deus, si non ipse fecit animam nostram? Duobus autē alijs in vno animæ causa nescitur, in altero meritum non tenetur. An intelligere causam putandus est animæ,qui eam ad accipiendam legem habitu insitæ rationis instructam à peccato voluntariæ transgressionis nititur separare? Aut quomodo eius generositatem nouit,qui ignobilitatis vitio dicit esse despectam prælata carne,quā non inflatu Dei sicut animam, sed de limo terre constat esse plasmatam? Proh dolor, carnem,inquit hæreticus,solam Christus assumpsit,animam non quæsiuit. Hic si originem vtriusque gnarus rerum contemplator attendas,pretiosior est animæ substantia. Si transgresionis culpam propter intelligentiam,peior est carne. Ego autem Christum,& perfectam sapientia dico,& scio, & pijssimum esse non dubito. Quorum primo meliorem, & prudentiæ capacem non despexit; secundò eam, quæ magis fuerat vulnerata suscepit. Nec enim aut sapientiæ conuenit de duobus æquè suis insipientissimam plus amare , aut perfectæ pietati magis indigentem non inuenisse. Hactenus Augustinus. Et hæc eadem veritas diffinita fuit in Cōcilio Ephesino, & Chalcedonensi , & Romano sub Damaso Papa. Ex quibus Ephesinum sic habet: Dicimus,quod carnem animatam anima rationali Verbum sibi copulauerit, Verbumq; substantialiter,& ineffabiliter factus sit homo. Oppositum huius veritatis tutati sunt Arrius, vel saltem eius discipuli,& Apollinaris. Quæ autem opponebāt nullius sunt difficultatis:& iccircò illa decreui relinquere. D. August. Conc. Ephes. Conc. Chal. Conci. Rom.

Sciendum verò est,quod cum Apollinaristæ assererent Dominum nostrum Iesum Christum,in quantum homo fieri pro nobis dignatus est,nō habuisse humanā mētem,viderunt maximè consequens esse, si ità fuisset, vt filius Dei sapientia, & Verbū Patris,per quod facta sunt omnia belluam quandā cum figura humani corporis suscepisset. Ac proinde suo ipsi argumēto cō uicti ab ea insania destiterunt. Non tamen (quæ est obstinatorum hominum infœlicitas) in melius sed in deterius sententiam mutauerunt, affirmantes eum omnino non suscepisse animam, sed solam carnem de quo iam disputauimus. Atq; aduersus vtrunq; vel illud solum Euangelij sufficere debuisset. Proficiebat Iesus ætate,& sapientia coram Deo, & hominibus, quod nisi habuisset animam,& eam rationalem verum esse non potuit. Sed amentiā istam relinquamus. Luc. 2.

QVAESTIO

QVAESTIO SEPTIMA, DE MODO ASSVMPTIONIS, QVANTVM AD ORDINEM.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm filius Dei assumpserit carnem mediante anima.

RESPONDEO dicendũ, quod quanuis Deus sit imme diatè, & intimè in omnibus re bus per essentiam, præsentiã, & potentiam, continens, & conseruans omnia, tamen in ratione causandi non dubium, quin vnum velit facere, & faciat propter aliud: sicut qualitatem, & dispositionem oculorum fecit propter potẽtiam visiuam, & potentiam propter actum videndi, & actum videndi propter commodum, & perfectionem suppositi. Est tamen Deus intimè, & in qualitate ac dispo sitione oculorum, & in potentia videndi, & in actu videndi, & in supposito vidente. Atque in genere causæ efficientis Deus operatur inferiora per superiora, & posteriora per prima, & imperfecta per perfecta, sicut producit arborem per solem, & fructus per arborem, & calorem per ignem, & siccitatem per calorem, est tamen in omnibus illis. Pari ergo proportione dico, quod Deus suscepit corpus ratione animæ rationalis: nec enim corpus exanime, aut bestiale Deus suscepisset. Et animam suscepit, vt naturam humanam susciperet: alioqui nunquam Deus animam suscepisset. Et denique naturam humanam suscepit, vt eam repararet, & emundatam à culpa, ac sanctificatam inferret in cœlestia: & hæc omnia fecit propter suam bonitatem, & gloriam. Et hoc D. August. est, quod Beatus Augustinus, tum alijs locis, tum etiam libro de Agone Christiano dicebat his verbis: Inuisibilis, & incommu tabilis veritas per spiritum animam, & per animam corpus suscipiens toto homine assumpto, ab omnibus eum infirmitatibus nulla sua contaminatione liberauit.

Sed aduersus hæc argumentor primò: Nam perfectior est modus, quo filius Dei vnitur humanæ naturæ, & partibus eius, quàm quo est in omnibus creaturis: sed in creaturis est immediatè per essentiã, præsentiam, & potentiã: ergo filius Dei imme diatè vnitur carni, & non mediãte anima. Ad hoc patet solutio ex dictis. Dicendum enim est, quod Deus est immediatè per essentiam, præsentiã, & potentiã in corpore, & anima, & natura suscepta, sicut in alijs rebus; & habet præter hoc ea natura vt assumpta sit in vnitatẽ suppositi Verbi Dei, quod cætera non habent, & nihilominus suscepta caro est propter animam.

Secũdo: Anima, & caro vnita sunt Verbo Dei in vnitate hypostasis, seu personæ: sed corpus immediatè, & magis propinquè videtur se habere ad hypostasim, quã anima, quia est materia, à qua sumitur principiũ indiuiduationis: ergo nõ est assumpta caro mediãte anima. Respõdetur quod siue caro & anima, vt partes cõstitutiuę, atq; in genere causæ materialis immediatè terminẽtur, & suscipiantur à supposito, siue mediãte natura, de quo modo nõ disputo; certũ tamen est, quod corpus nostrũ, nõ habet, quod sit hominis corpus, nisi per animã informãtẽ, quę est forma, & finis corporis. Ac propterea, sicut in hoc genere causæ prior est anima: ità corpus susceptũ est mediãte anima. Tertio: Remoto medio separãtur ea, quæ per mediũ cõiũguntur:

ſicut ſublata quantitate tollerentur ea accidentia, quæ ſunt in corpore media quantitate: ſed ſeparata per mortem Chriſti anima adhuc manſit eius corpus vnitum diuinitati: ergo non iungebatur mediāte anima. Ad hoc reſpondeo cum B. Tho. quod nihil prohibet aliquid eſſe cauſam alicuius quantum ad aptitudinem & cōgruitatem, quo tamen remoto illud nō tollitur. Quia etſi fieri alicuius dependet ex aliquo, poſtquam tamen eſt in facto eſſe, ab eo non dependet. Sicut, quanuis aliqua ducatur in matrimonium propter pulchritudinem, pulchritudine tamen ceſſante durat matrimonium: & ſimiliter ſeparata anima remanebat vnio Dei ad carnem.

B. Thom.

Hac in parte ſolent ſcholaſtici controuertere duo dubia. Primum, vtrùm fuerit aliquis ordo partium in aſſumptione, ſicut diximus, an potius nullus omnino earum partium ordo eſſe poſsit quoad aſſumptionem, ſicut tenet Durand. in. 3. diſt. 2. quæſtio. 2. Pro cuius rei explicatione ſuppono, quod duplex ordo conſiderari poteſt in partibus, quo ad propoſitum attinet: primus partium in ordine ad ſuum totum: ſecundus partium ipſarum in ordine ad ſe, & ad aſſumptionem. Quo poſito dico primum, quod inter partes, & ſuum totum eſt ordo quidam, & prioritas naturæ. Probatur: Inter veram cauſam ſiue principiū & ſuum principiatum eſt ordo realis, ac prioritas naturæ: ſed forma eſt realis cauſa & principium compoſiti, atque materia ſimiliter: ergo inter partes iſtas, & compoſitum eſt realis ordo, ac proinde potuit Deus ordine naturæ vnum iſtorum aſſumere prius natura, quàm aliud.

Duran.

Dico ſecundo, quod inter has partes ſecundum ſe eſt ordo: nam anima eſt forma & finis corporis, corpus verò non eſt finis animæ; ac proinde potuit Deus aſſumere corpus per animam, & ità fecit. Verum eſt tamen, quod in genere cauſæ ſuſcepriuæ, & materialis, prius eſt corpus, quam anima.

Dico tertio, quod loquendo de partibus in ordine ad aſſumptionem liquet ex dictis, quòd anima fuit corpori medium, quo aſſumeretur.

Secundum dubium eſt, vtrùm partes ipſæ, inter quas eſt hic ordo, quem diximus, aſſumptæ fuerint, vt quod, vel vt quo. De quo ſunt diuerſæ ſcholaſticorum ſententiæ. Quidam enim dicunt, quod partes aſſumptæ ſunt, vt quod: quoniam quando in triduo corpus, & anima diſſoluta ſunt ac ſeparata, manſerunt tamen vnita Verbo Dei: ergo ſunt aſſumpta, vt quod. Alij autem affirmant, hæc eſſe aſſumpta, vt quo: quia quando compoſitum fit non dicitur à philoſophis, quod materia fit aut forma fit, ſed compoſitum: ergo ſimili ratione in incarnatione non debemus dicere, Verbum factum eſt corpus, vel anima, ſed factus eſt homo, aſſumpſitque humanitatem. Et præterea, quia ſi propterea corpus eſt vnitum, vt quod, quia manſit vnitum in triduo, ſequeretur quod vna quælibet ex minutiſsimis partibus corporis Chriſti eſſet vnita, vt quod: quia ſi diſcerperetur manſiſſet vnita: quod idem ſequitur de qualibet parte ſanguinis reaſſumpta, hoc tamen videtur inconueniens: ergo.

Nos autem rationes iſtas intermittentes, vt ſine argumentorum ſtrepitu rem declaremus ſupponimus, quod medium eſt duplex, quod, & quo. Medium, quod, dicitur illud, quod ità eſt medium & ratio, vt aliud fiat, quod enam ipſum in eo genere fieri dicatur. Sicut medius locus eſt id, quo tranſeo ad extremum, & etiam eſt id, quod trāſeo, & homo eſt medium, & cauſa productionis riſibilis, & tamen homo ipſe producitur. Medium autem, quo, dicitur illud, quod ità eſt medium, vt aliquid fiat, quod ipſum non dicitur fieri in illo genere. Sicut quando vxor ducitur media pulchritudine, non propterea ducitur pulchritudo. Hoc poſito mea ſententia eſt, quod quemadmodum locus medius per comparationem ad terminum eſt id, quo tranſeo ac tendo in terminum, ſecundum ſe verò etiam eſt id, quod tranſeo, & in quod tendo, licèt non vltimatè: pari ratione, ſi partes humanitatis comparentur ad humanitatem ſunt media, quibus humanitas aſſumpta eſt: ſi verò ſecundum ſe conſideren-

siderentur etiam ipsæ assumptæ sunt. Quod si cui hæc probabilia videbuntur se cundum ea poterit cõciliare eos, qui Thomistæ, & Scotistæ appellantur. Qui autem primam rationem factam pro secunda sententia soluere nesciuerit considerare debet, quod aliud est fieri, aliud assumi. Vnde quanuis teneamus modum loquendi Philosophorum, quod non fit materia nec forma, sed compositum, dicere tamen possumus, quod corpus & anima, & humanitas sunt assumpta à Verbo Dei, & vnita ipsi. Et possemus assignare discrimen: quia vnicuiq; eo modo conuenit fieri, quo esse & forma nõ est id quod est: ergo non est id quod fit. Ipsa tamen forma verissimè est vnita corpori, tanquam quod est vnitum: quia ad hoc non requiritur, vt sit ens completum atque perfectum. Pari ergo ratione dicam, non producitur corpus, non anima, & tamen corpus, & anima vniuntur, & suscipiuntur. Et præterea quis ferat dicentem, quod anima humana non producitur? Nunquid non creatur per se? Certè creatur. Sed hæc omittamus.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Dei Verbum assumpserit animam mediante spiritu, siue mente.

LIQVET ex dictis, quod sicut Dei Verbum non assumpsisset corpus, nisi animatum, ità non assumpsisset corpus animatum, nisi secundum quod ea anima est rationalis, hoc est capax Dei, & ad eius imaginem creata, quem rationalitatis gradum spiritum siue mentem appellamus in proposito. Ac propterea rectè sequitur, quod sicut Dei Verbum assumpsit corpus mediante anima; ità assumpserit animam mediante spiritu siue mente.

Non tamen sunt assumpta spiritus ac mens, vt quod, sed vt, quo, quia solum sunt gradus animæ.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm anima fuerit prius assumpta à filio Dei, quam caro.

CIENDVM est, quod Origenes imbutus Platonicorum doctrina, docuit omnes animas, & animã etiam Christi fuisse creatas à principio mundi ante corporeã naturã. Et consequenter dixit, quod anima Christi ab initio creaturæ fuit inseparabiliter, & indissolubiliter vnita Verbo Dei. Et quidẽ quod attinet ad animarũ creationẽ, multo tẽpore antequam infundantur corporibus, eandẽ cum Origine sententiã tenuit Ioannes quidã Hierosolymorũ episcopus, referẽte B. Hierony. epist. quadã ad Pammachiũ, & Philiaster Brixiensis libello de hæresibus. Est autem hic error manifestè contra scripturam diuinã sanè intellectã: si quidẽ Genes. 2. dicitur, quod formauit Dominus Deus hominẽ de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculũ vitæ: & factus est homo in animã viuentem. Et nequis existimaret, quod spiraculũ illud vitæ antea erat, quam homini inspiraretur, scriptũ est Zachariæ. 12. dicit Dñs, extendens cœlum & fundans terrã fingens siue formans spiritũ hominis in eo. Quod autem Origenes addidit, nimirũ animã etiã Christi fuisse illo tẽpore ante creatã, quanuis ad suũ errorem esset valde cõsequẽs, supposita tamẽ rei veritate de animarum nostrarum creatione adfert nobis incõmodum peculiare cõtra fidem incarnationis. Quoniã si anima Christi ante creaturam omnem visibilem facta est, non videretur spiritus ille esse eiusdem rationis cum nostris: nam animæ nostræ simul nobiscum incipiunt esse. Est etiam damnatus hic error in sexta Synodo generali, actione. 11. & in capit. firmiter de summa Trinitate, & fide catholica. Dicendum ergo est, quod anima Christi, sicut & nostræ, est creata in corpore proprio, & simul tempore assumpta cum carne.

Lib. 1. & 2. Periarc. per multa capita

Ioã. episcop.

D. Hieron.

Philiaster.

Gen. 2.

Zachar. 12.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Quia prius peruenitur ad medium, quam ad extremum: sed filius Dei assumpsit carnem mediante anima: ergo prius assumpsit animam. Respondetur quod in his, quæ sunt priora ordine rationis vel naturæ non requiritur ordo temporis: anima verò Christi dicitur esse mediũ ad assumptionem corporis ordine rationis, causalitatis, & naturæ. Et quidem etiam in rebus visibilibus clarè videmus, quod sol cum oritur simul illuminat locum medium, & occidentem: non ergo requiritur processus temporis in his, quæ per mediũ veniũt ad extremum.

Ioan. 1. Secundo argumentor: Nam Ioann. 1. dicitur, quod de plenitudine Christi omnes accepimus: non autem possent de eius plenitudine accipere omnes sancti, qui fuerũt ab origine mundi, nisi ipse fuisset ab ipso initio mundi: ergo fuit saltem secundum animam. Respondetur, quod vt Apostolus dicit, & latissimè tractat in epist. ad Romanos, & ad Galat. arbitramur iustificari hominem, non ex lege, nec ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi: est autem fides de futuris, & de præteritis. Vnde quẽadmodum nos iustificamur credentes in eum, qui venit peccatores saluos facere: ità iustificabantur antiqui credentes in eum, qui venturus erat. Et propterea dicitur Dominus Agnus occisus ab origine mundi, quia omnes siue antecedentes, siue subsequentes Christum, non aliter salutem, & iustitiam sunt assecuti, quam per fidem aduentus & mortis Christi.

Rom. 3. Galat. 2. 1. Timot. 1. Apoc. 13.

Caietã. Sed mouet Caietanus hoc loco dubiũ, quòd certè non tangerem, nisi me moueret Lectoris vtilitas, quem admonitum esse vellem de his, quæ vel dubia, vel falsa sunt: & præterea, ne terat tempus imaginando ea, quæ imaginari prorsus inutile & vanum est. Mouet ergo is author dubium an in resurrectione, dum anima redierit ad corpus amittat eam subsistentiam, & semipersonalitatem, quã acquirit in egressu à corpore: an verò illam retineat. Vocat verò Caietanus illam animæ subsistentiam, terminum completum, & inadæquatum. Terminum quidem completum ratione totalitatis, & completionis, quam acquirit anima per separationem; inadæquatum verò, quia per eam subsistentiam natum est & corpus subsistere, cum tamen tunc non subsistat. Et respondet Caietanus, quod anima, quæ est in corpore subsistit subsistentia totius: itaque non est quod subsistit actu, sed quo aliquid subsistit: est tamen quod subsistit aptitudine, id est, habet aptitudinem ad hoc, vt subsistat si separetur. At verò postquam semel fuerit anima à corpore separata, quanuis iterum corpus reformet, eique vniatur retinet nihilominus suam illam subsistentiam, siue vt ipse ait, semipersonalitatem. Et sic habet tunc anima rationem semipersonæ, quam non habuerat, cum primum corpus informauerat: tunc enim erat tantum seminatura: modo verò post regressum ad corpus, & seminatura est, & est etiam id, quod subsistit: corpus verò tunc subsistit per subsistentiam animæ.

Cæterùm hæc nihil minus videntur, quam vera. Idque probo primum: Quia posita subsistentia suppositi in resurrectione secundum eam rationem, qua ante subsistebat, non est ipsi animæ alius subsistendi modus necessarius: ergo non est ponendus. Sed dices, quod ille modus necessario coniunctus est cum anima post separationem. Contrà, nam sequitur, quod si qua anima modo prius voluntate Dei extitisset, & deinde iungeretur corpori, haberet alium subsistẽdi modum à nostris. Et præterea sequitur, quod re ipsa, & de facto Lazarus, & filius viduæ Naim, & cæteri homines, quos Dominus & sancti Dei atque prophetæ suscitarunt habebant alium subsistendi modum à nobis: nos enim subsistimus per subsistentiam corporis, & animæ per se: illi verò subsistebant per subsistentiam solius animæ per se. Et præterea animæ illorum habebant alium subsistendi modum à nostris, quibus rebus nihil magis improbabile, & alienum à ratione dici potest. Ioan. 11. Luc. 7.

Secũdo: Anima cum separatur nihil acquirit aliud, quam modum quendam extra corpus subsistendi, modumque se habendi: at verò cum ad corpus redit non habet

habet eum modum subsistendi, ac se habendi: ergo non retinet eam semipersonalitatem, quæ efficiebatur ex tali subsistendi modo.

Tertio: Sequitur quod non eadem ratione inuenitur subsistentia in homine modo, & post resurrectionem: nam modo resultat subsistentia ex tota natura: tunc verò resultabit ex anima.

Quarto: Quia nihil aliud acquirit anima per separationem, quàm vt sit & non actu pars; sed postquam regressa est ad corpus est actu pars: ergo amittit modum illum essendi per se, quem ante habebat.

Quinto: Quia subsistentia, & suppositalitas sunt idem: si ergo post resurrectionem subsistentia est animæ per se, & non corporis, ergo suppositalitas est animæ, & non corporis: ergo suppositum post resurrectionem non est humanum per se primò, sed est suppositum animæ. At verò figmenta hæc omittamus: nam neque perfecta resurrectio videretur, si non tam perfectè ac eodem modo corpus subsisteret, sicut antea. Subsistebat autem anteà per propriam subsistentiam.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm caro Christi fuerit prius à Verbo assumpta, quàm animæ vnita.

HABET Ecclesiæ sensus, quod vno ac eodem instanti caro Christi composita & organizata est, & animæ vnita, & à Verbo assumpta: quia Verbum non assumpsit per se primo nisi naturam humanam: non est autem humana natura caro sine anima, aut anima sine carne: & iccirco non fuit prius caro Christi à Verbo assumpta, quàm animæ vnita. Et ità docuit sexta Synodus generalis actione. 11. in confessione Sophronij; quæ confessio approbata est actione. 13. eiusdem Concilij. Et glossa super illud Hieremiæ, Nouum fecit Dominus super terram & B. Damascen lib. 3. fidei ca. 2. dicit; quod simul fuit Dei Verbi caro, simul animata caro rationalis, & intellectiua, estque communis sententia Doctorum. Atque hæc est legitima ratio probandi similes conclusiones. Quod dico propter quosdam, qui syllogismis non ità cautè formatis, probare nituntur inspiratã, & cordi ecclesiæ impressam veritatem, quam certè ipsi dum leuia adserunt fundamenta eneruant.

Conc. Cõst. *Hierem. 31.* *B. Damasc.*

Sed pro declaratione huius rei, aduertendum est, quod in formatione, & conceptione corporis Christi, atque etiam aliorum hominum duo motus possunt considerari. Vnus localis, quo decurrit sanguis ad matricem, in qua tanquam in officina effingitur corpus humanum. Et iste motus in nostra conceptione habet temporis successionem, atque etiam in conceptione Christi fuit cum continuo, & tempore. Cum discrimine tamen, nõ solum quoad temporis breuitatem, sed etiã quoad hoc maximè, quòd iste decursus non fit in reliquis mulieribus, sine aliquo voluptatis sensu: at verò beata Virgo nullum eius modi voluptatis, aut delectationis sensum habuit, Spiritu sancto obumbrante ei, hoc est, ipsam defendente ab ardore turpi, & ab æstu libidinis. Alter motus est alterationis, cũ scilicet, sanguis iam delatus ad matricem vi agentis naturalis alteratur, & mutatur quoad vsque transformetur in corpus membris ac organis distinctum. Et in isto motu consistit carnis conceptio. Qui motus cum nos concipimur non est instantaneus, sed habet temporis successionem. At verò in conceptione Christi fuit instantaneus, propterea quòd causa efficiens illius motus erat infinitæ virtutis. Vnde credere debemus, quod corpus Christi nec per minimũ tempus præcessit ipsam animationem, aut vnionem cum Verbo: sed Spiritus sanctus qui est agens infinitæ virtutis vno, & eodem instanti illud compegit, distinxit in membra, disposuit, vt animaretur, viuificauit per animam, ac filio Dei personaliter cõiunxit: idque simul at que sacra Virgo suum consensum expressit illis verbis; Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum. Itaque quod natura per quadraginta aut plures dies operatur id totum diuina virtus vno temporis momento perfecit. *Luc. 1.*

Luc. 1.

Sed aduersus hæc argumentor: Quia causa prima plus influit in causatum, quã secunda,& prius vnitur ei: sed Verbum comparatur ad animam Christi, sicut causa prima,& anima, sicut causa secunda: ergo prius Verbum est vnitum carni, quam anima. Respondeo ex B.Tho. quod Verbum Dei per prius intelligitur vnitum carni, quàm anima per modum communem quo est in cæteris creaturis per essentiam præsentiam,& potentiam. Prius tamen dico non tempore, sed natura: prius enim intelligitur caro, vt quoddam ens, quod à Verbo habet, quàm vt animata, quod habet ab anima. Sed vnione personali prius secundum intellectum, oportet, quod caro vniatur animæ, quàm Verbo: quia ex vnione ad animam habet, quod sit vnibilis Verbo in persona: præsertim cum persona non sit, nisi rationalis naturæ.

B.Tho.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm tota natura sit assumpta mediantibus partibus, quid ve prius assumptum sit, totum, an partes.



HANC quæstionem si leuiter tetigero nemo miretur: quia postquam filius Dei factus est homo, ac nostram naturam assumpsit, quid obsecro ad salutem nostrã profuturum est contentiosè disputare, an ordine executionis prius assumpserit partes vel non? Dicam tamen in primis id, quod est certum. Deinde rem disputabo. Receptum est id, quod D. Augustinus docuit: nimirum, quod Verbum Dei per spiritum animam,& per animam corpus,& sic totum hominem assumpsit. Vnde in assumptione prius consideratur spiritus, deinde anima, tertio corpus.

D. Aug. lib. de Agone Christiano.

Sed hoc intelligitur de medio, quo: in quo sensu non loquuntur scholastici: sed quærunt, vtrùm partes sint prius assumptæ, tãquam quod,& deinde natura vel potius viceversa prius sit assumpta natura,& deinde corpus,& anima. De quo sunt variæ sententiæ. Nam omisso Durando, qui nullum ordinem ponebat inter totum,& partes per comparationem ad assumptionem. B.Tho. existimat, quod ordine agentis,& finis ac intentionis prius sit assumpta natura, quàm partes: ordine verò executionis, atq; ex parte materiæ prius sint assumptæ partes, quàm natura. Non aliter, atq; si simul fieret tota domus, finis quidem & prima, ac principalis intentio agẽtis esset facere domũ; postulat tamẽ rei natura, vt si domus partialiter,& successiue fieret, prius iaciantur fundamenta, deinde erigãtur parietes, tertio tecta ac fastigia imponantur. Scotus verò in.3. d. 2. q. 2. dicit, quod natura est prius assumpta, quàm partes,& ordine intentionis,& ordine executionis. Et quia quanuis inuitii ista tractemus, Scoti sententia verisimilior apparet,& congruentior, iccirco pro eius declaratione suppono, quod illa philosophorum maxima, Quod est primum in intentione, est vltimum in executione,& si quæ sunt similes, non habent locũ in ijs, quæ suapte natura efficiuntur post vnum aliquod primum,& consequuntur ad illud: sed in ijs solum, quæ sunt per se termini factionis. Verbi gratia: Quanuis fundamẽta domus sint priora ordine executionis,& ipsa domus sit prior ordine intentionis, quia & fundamenta per se fiunt,& domus fit, tamen quoniam vires consequuntur ad sanitatem,& risibile consequitur ad hominẽ, iccirco & ordine intentionis,& executionis prior est sanitas, quam vires,& prior est homo, quam risibile. Secundo loco suppono, quod aliud est assumere,& personare, aliud efficere: solus enim filius Dei assumpsit naturam humanam,& tota Trinitas fecit: ergo illa duo non sunt idem. Munus autem assumentis naturam est illam terminare ac personare.

In.3. Durã.

B.Thom.

Scotus.

His positis probatur hæc sententia. Primum: quia Christus Dominus est homo vniuocè nobiscum: ergo secundum vniuocam rationem est vnita eius humanitas suo supposito,& nostra nostro. Probatur consequentia: quia homo dicit humanitatem vnitam supposito: ergo si est vniuocè homo, erit habens humanitatem secundũ eandem rationem habendi. Tunc sic: Nostra

stra natura sic se habet ad suppositum, quod ipsa est primò personabilis secundum ordinem intentionis, & executionis, & partes sunt personabiles ratione ipsius: ergo, & humanitas Christi per se primò assumpta, & personata est secundum vtrunque ordinem, & partes ratione ipsius. Probatur assumptum dupliciter. Primò: Quia in quo ordine, & instanti naturæ partes præcedunt totum, neutra ipsarum nata est esse persona, vt constat: ergo in eo instanti non sunt personabiles: ergo natura personatur per se primò.

Secundo probatur idem antecedens: Quia in vniuersum loquendo, sicut esse est actus esse per se primò: ità, & suppositalitas est actus siue complementum naturæ per se primò: ergo secundum vtrunque ordinē prius supponitatur natura, nec oppositum fieri potest.

Secundo argumentor: Siue res fiat instantaneè siue successiuè, idem est ordo statuēdus naturę: ergo quanuis domus instantaneè fiat, prius natura intelligitur fieri fundamentum, & factum esse fundamentum, quam tota domus. Probatur consequentia: Quia si successiuè fieret domus, prius & fieret, & factum esset fundamentum, quam domus: ergo pari ratione, si ordine executionis prius assumuntur partes, verum erit dicere, quod prius assumuntur in fieri, & in facto esse partium: ergo per se primò assumpta est pars, etiam in facto esse partis: & sicut se habuit Verbum in primo instanti assumptionis, ità se habet modo: ergo modo non habet humanitatem assumptam per se primò: ergo Verbum non est per se primo homo, quod est absurdum.

Caiet. Respondet Caietanus ad hoc, quod non est eadem ratio de Verbo in instanti assumptionis, & modo: quia tunc assumptio erat in fieri, & in facto esse; modo verò est solum in facto esse. Non tamen hac tam obscura ratione fugit argumentum. Quia quanuis domus fieret instantaneè, tamen quemadmodum prius natura ordine executionis fiunt fundamenta, quam erigantur parietes: ità, & prius natura facta sunt fundamenta, quam sint erecti parietes: quia sicut se habet fieri ad fieri: ità factum esse, ad factum esse.

Sed pro sententia contraria argumentor primo: Quia quod est vltimum in resolutione est primum in compositione; sed dissoluta in triduo vnione humanæ naturæ cum Verbo, mansit vnio partium ipsius: ergo prior fuit partium assumptio. Et inuerto argumentum hoc modo: Quod est primum in intentione est vltimum in executione: sed prius fuit in intentione assumere naturam, quam partes: ergo fuit vltimum in executione. Ad hæc, & similia ex dictis responsum est dupliciter. Primo, quod hæc habent locum in his, quorum vnunquodque per se fit, non in his, quorum vnum consequitur ad aliud: sicut siccitas ad calorem. Et prættereà diximus, quod aliud est fieri, aliud assumi, ac personari. Et quidem creatio animæ, ac effectio carnis præcedunt aliquo ordine humanitatem: sed non personātur nec personabiles sunt, nisi per humanitatem.

Secundo argumentor: In morte Christi Verbum mansit vnitum corpori, & animæ: sed tunc ex partibus cum coniunctæ non essent non constabat totum: ergo non assumpsit partes mediante toto. Respondetur, quod sicut corpus mansit vnitum post separationem ab anima, quanuis principio assumptum fuerit per animam: ita etiam partes dissoluto toto manserunt vnitę, quanuis principio fuerint assumptæ, & personatæ per totum. Generaliter enim tenendum est, quod plura requiruntur ad nouam constitutionem rei, quam ad conseruationem.

Tertio argumentor: Quidquid conuenit parti, & toti per prius, conuenit parti saltem in aliquo ordine: sed assumi conuenit partibus, & toti: ergo. Respondeo, quod prima pars antecedentis est in vniuersum falsa in his, quæ concernunt, & requirunt integritatem totius; quæ certè plurima sunt, vt nutriri, augeri, cruciari, esse speciem, & quidditatem, agere, ordinari in prædicamento, &c. Et ex istorum numero

mero eſt perſonari: requirit enim perſona integram naturam rationalem.

Vltimò argumentor: Nam anima Chriſti fuit prius creata, quàm aſſumpta: ergo prius habuit eſſe, quàm aſſumeretur humanitas: creatio enim habet pro termino eſſe. Reſpondetur, quod hac in parte nulla eſt peculiaris difficultas de anima Chriſti; quia ſiue præintelligatur exiſtere ante aſſumptionem, ſiue ſecus, generaliter tamen loquendo verum eſt, quod animæ rationales, quādo creantur in nullo inſtāti tēporis exiſtunt, aut ſubſiſtunt, niſi per exiſtentiam, & ſubſiſtentiam totius. Vnde anima Chriſti in nullo inſtanti creata fuit, in quo non eſſet aſſumpta; & anima cuiuſcunque noſtrum in nullo inſtanti creata eſt, in quo re vera non informet corpus, & compleat ſpeciem, & ſubſiſtat per ſubſiſtentiam totius. Et hoc ipſum eſt, quod poſtulat eius natura, vt ſcilicet anima in quo inſtanti creatur exiſtat per exiſtentiam totius, & ſubſiſtat in ſuppoſito rationalis naturæ. Quæ articulo conſequenti, ſolent tractari, vtrùm natura humana ſit aſſumpta mediante gratia, ſupra, quæſtione.3.articulo.10.diſputata ſunt.

QVAESTIO

QVAESTIO OCTAVA, DE GRATIA CHRISTI, IN ORDINE AD IPSVM.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm in anima Christi fuerit aliqua gratia habitualis.



I QVIDEM quantò receptiuum aliquid propinquius est causæ influenti, tantò magis participar de influentia ipsius, & gratia ac gloria est à Deo præcipuumque in muneribus eius locum tenet, omnino necesse est, vt in anima Christi quæ erat tam intimè coniuncta Deo fuerit summa gratia. Et quemadmodum Sol lumen in aere efficit, non offuscat, ità Sol iustitiæ verbum que Dei, per quod facta sunt omnia, cœleste gratiæ lumen splendidissimè micans in assumptam humanitatem perenniter influebat. Secundò id erat necessarium propter nobilitatem illius animæ, cuius operationes oportebat maximè propinque attingere ad Deum per cognitionem & amorem, ad quod necesse est eleuari humanam naturam per gratiam. Tertio propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanum: Christus enim in quātum homo est mediator Dei & hominum, vt dicitur. 1. Tim. 2. Et ideò oportebat quod haberet gratiam etiam in alios redundantem, secundum illud Ioan. 1. De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.

Ioan. 1.

1. Timot. 2.

Ioan. 1.

Quarto: Quia maximè conueniens, & necessariū erat, vt filius Dei etiam in quātum homo esset summè iustus, & gratus Deo: vnde Deus in scriptura illum per excellētiam appellat, Iustus meus, & seruus meus: esse verò iustum, & gratū habetur per gratiam: ergo necesse est dicere, quod in anima Christi erat gratia habitualis, siue gratum faciens. Vnde scriptum est; Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Sed quanuis certum sit, quod cū anima Christi sit perfectissima in esse spirituali, oportet quod sit aliquid perficies ipsam efficiēter. Et hęc est Deitas aliquid formaliter, & hæc est gratia, & aliquid in ordine ad operationes, & eæ sunt virtutes promanantes à gratia: quāuis ergo hæc ita sint, & Deus illa omnia iuxta sapientiæ leges sapientissimè disposuerit, disputant verò homines quæ imaginantur fieri potuisse per absolutam potentiam Dei. Et primo quærunt, an fieri potuisset animam Christi esse vnitam Verbo, & non habere gratiam illam habitualē? Respōdeo, quod de illo nō est dubitandū: liberè enim tota Trinitas gratiam illā infundit in anima. Quæri solet secūdo, an illa anima potuerit esse grata & accepta iusta, & sancta, absque ea gratia habituali. Respondetur fieri non posse, vt anima sit grata, iusta & sancta, sine gratia, iustitia, & sanctitate. Cæterū posset Deus animā facere gratā, & iustā, absq; illa qualitate, quam gratiā habitualē appellamus. Quod siquis nō crediderit, refert perparū: quia quanuis hominū ingeniū angustum sit, non ideò erit angusta Dei potentia. Tertio dubitatur, an operationes humanitatis Christi sine gratia habituali essent meritoriæ, & satisfactoriæ de iustitia. In quo dico primū, quod si anima Christi esset grata, quanuis id non haberet per qualitatem illam, quæ nobis de lege infunditur, cum grati efficimur, sed alia ratione, eius operationes essent meritoriæ, & satisfactoriæ.

Esai. 51.

Esai. 42.

Ioan. 1.

Hæc

Hæc sequitur ex dictis. Nec verò habet locum solum in humanitate Christi, sed etiam in quocunque alio homine, seruata sui meriti proportione.

Dico secundo, quod si Verbum sumpsisset humanitatem in puris, vt aiunt, naturalibus, & destitutam omni dono gratiæ, atque iustitiæ, nihilominus ille homo ratione gratiæ vnionis nō posset malè agere, nec esse ingratus Deo, sed esset eius legi conformis pro ratione suæ naturæ. Cæterum quia ille homo in quantum homo non erat Deus, & inquantū non erat Deus erat quid creatum, & in quātum quid creatum, erat subiectus legi, & ordinationi sapientiæ Dei, iccirco non mereretur, nec posset velle mereri, nisi quod Deus statuisset, vt mereretur. Credo autem, quod si Deus non dedisset ei virtutes, & operationes supernaturales, nunquam ordinasset eum ad merenda supernaturalia: oportet enim, vt virtus, operatio, & præmium proportionentur. Si autem ipse ordinaret, siue referret suas operationes ad aliquid merēdum, & obtinendum, credo quod mereret, & obtineret: quoniam nihil faceret nisi conforme legi ac voluntati Dei, atque id eius dignitati debebatur. Hæc dixi breuiter, quæ aliqui multum vrgent & latè tractant, propterea quod, si tranquilla, & serena mente considerentur non videntur esse difficilia: & quoniam arbitror, non sine culpa nos cōsumere tempus in his quæstionibus, quibus nos Deus liberauit quando apparuit hominibus plenus gratia, & veritate.

Ioan. 1.

Sed quia diximus secūdo loco fieri posse, vt anima esset grata Deo, iusta, & sancta absque peculiari illa qualitate, quam gratiam habitualem appellamus, obijciūt quidam, quod is sit effectus formalis gratiæ habitualis: ergo non potest effici sine illa, sicut non potest fieri album sine albedine. Ad hoc argumentum cōcedo, quod si quidem sapientia Dei per eam qualitatem nos iustificat formaliter, & efficit sanctos, habet certè illa qualitas ex natura sua hoc efficere: cæterum stat, vt aliquis sit effectus naturalis formæ, & non sit adæquatus, sed excedens sicut albedo quidem facit coloratum, sed nō sola albedo facit coloratum: & lux solis facit lucidum, posset tamen Deus facere lucidum per lucem alterius qualitatis.

Dixi tertio loco, quod si Deus assumpsisset naturam aliquam nudam ac destitutam omni dono gratiæ atque omni virtute, ille homo non mereretur supernaturalia bona, quæ Christus nobis meruit: cuius oppositum quidam docuerūt. Et ratio illorum est, quia illæ eius operationes essent suppositi infinitè grati, & infinitè amici: ergo quicquid faceret ac offerret esset infiniti meriti, & immensi valoris. Respondeo, quod in homine illo, de quo nobis sermo, possumus considerare gratiam vnionis; & secundum hanc cōsiderationem cadauer retentum in triduo erat infinitè gratum: & operationes ignis, si assumeretur natura ignis, essent operationes suppositi infinitè grati. Si verò consideremus gratiam formaliter inhærentem animæ; & elicientem operationes ac informantem, illæ operationes non essent hominis summè, & infinitè grati, illa gratia; imò nec grati supernaturaliter, quia ipse arguens illi abstulit omnem gratiam. Quocirca, quemadmodum si cadauer coniunctum Verbo dilaceraretur, aut si ignis assumptus cōbureret, illæ operationes non essent meritoriæ, quia ignis non est capax meriti: ità si ille homo nudatus omni gratia, & virtute ac operatione supernaturali operaretur, non mereretur bona supernaturalia; quia qui nō habet virtutes, & operationes supernaturales, non est capax meriti, & præmij supernaturalis, secundum leges sapientię Dei. Verum est tamen, quod is homo nunquam ordinaret suas operationes ad merenda supernaturalia, quia non posset prætergredi legem Dei, aut facere aliquid inordinatum. Est verò inordinatum, velle assequi supernaturalia bona sine operatione, ac virtute supernaturali, quam ipse ex suppositione nō habebat. Imo verò nec haberet cognitionem rerum supernaturalium: quia nōnulla gratia est supernaturalia cognoscere, & (vt me ipse corrigam) magna gratia, quamuis non sit gratum faciens hominem. Et in similibus quæstionibus mihi est regula

gula generalis, quod qui ponit aliquod ab surdum mirari non debet si plura sequantur. Est verò dissonum, & alienum à ratione, quod agens ex vna parte non habeat formam agendi, nec actum supernaturalē, & ex alia se extendat ad merenda supernaturalia. Ac proinde non miretur quis, si ea hypothesi facta, & mereretur Christus, quia Christus est, & non mereretur, quia non habet principium merendi supernaturalia. Miremur autem omnes Dei patientiam, qui attendit & tolerat nostras has imaginationes.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm in Christo fuerint virtutes.



DVBITARI non potest, quod in Christo Domino fuerint virtutes puriores, splendidiores, & magis heroicę, quàm ab hominibus intelligi posśint. Nam cùm omnis virtus, sanctitas, & iustitia ab illo nobis proueniat; non dubium, quin in ipso sit in excellentisimo & heroico gradu: sicut motus est in primo mobili, per quod cætera mouentur, & calor in igne, quo cætera calefiunt. Præterea Christus Dominus secundum sacrarum scripturarum fidē fuit summè iustus, & gratus Deo, adeò vt rectisśimè dicatur in scriptura per excellentiam, iustus & sanctus sanctorum; iustitia verò & sanctitas omnibus virtutis, & honestatis partibus continetur: ergo in eo fuerunt eximiæ, & excellentisśimæ virtutes. Et quidem, si absurdum est asserere oculum bene videre sine virtute videndi, aut Tibicinem rectè citharizare sine arte, & facultate citharizandi, quomodo non erit absurdum dicere, aliquem bene, & studiose viuere, sine virtute, qua rectè viuitur: in Christo autem fuerunt excellentisśimæ operationes: ergo excellentisśimæ virtutes. Quia verò sunt plures scholastici, qui omnia reuocant ad quæstionem de potentia Dei absoluta, secūdum quam in Christo potuissent non esse virtutes, & ego scire vellem, Deo donante, quid ipse pro nobis fecerit, & omittere quæstiones tam crebras de eo, quod facere potuerit, respondeo perbreuiter hominibus istis per molestis, quod quanuis Deus possetità cō fortare, & mouere, & eleuare animā Christi, vt sine virtutum habitibus ederet virtutis opera, tamen sicut quia Christus ambulaturus erat dedit illi Deus pedes, quibus ambularet, ità, quia sanctisśimè victurus erat conuenientisśimè, & sapientisśimè dedit illi Deus virtutes, quibus sanctisśimè viueret. Et sanè quanuis Dominus eos, qui virtutis habitus dicuntur, non habuisset, tamen negari non potest, quin qui sanctisśimè vixit, vim & facultatem, & virtutem habuerit sanctisśimè viuendi. Sed nescio, quomodo ego etiam ipse immergor in quæstionem de potentia Dei. Est verò pro maiore huius rei declaratione aduertendum, quod peculiariter in virtutibus, quæ sunt pasśionum moderatrices possunt tria considerari. Primum est interior ipsa, & recta dispositio appetitus humani. & hanc omnino necesse est habeat, qui virtutem habet. Et quo ad hoc omnes virtutes moderatrices pasśionum ponendæ sunt in Christo, ità vt esset optime dispositus ad prosequendum bonum illarum, & refutandum oppositum. Secundum est exercitium actuum: & quantum ad hoc non oportuit, quod Dominus vteretur exteriori, & proprio actu omnis virtutis. Nec enim (vt aliquod exemplum proponamus) vtebatur magnificentia; quia non decuit, vt qui pro nobis egenus factus est, & docuit paupertatem amare, haberet diuitias, quibus magnificos sumptus faceret. Habuit tamen promptum, & expeditum animum rectè vtendi diuitijs, & illas, si opus esset, & status, ac ratio & causa postularet expēdēdi magnificè atq; decorè, in quo consistit magnificentię virtus. Tertium harum virtutum munus est, coercere sensualitatis impetus, & insurgentes ac effrænatos eius motus compescere, atque sedare: & hoc munus exercent virtutes in nobis peccatoribus atque infirmis non autem in Christo Domino, in quo nō erant motus illi rationi aduersi, atq; pugnantes. Sed aduersus hæc opponi posset pri-

Daniel. 9.

2. Cor. 8.

Plato. Plot. Aristot. primùm, quod doctissimi Philosophorũ, vt Plato, Plotinus, Aristoteles, & alij constituerint heroicam quandam, & diuinam virtutem, quæ supra nos est: quemadmodum Priamum Homerus de Hectore loquentem facit, quoniam bonitate ac virtute longè præstabat. Homer. Nanque illum haud esse putares mortali genitore satum, sed genus esse Deorum: igitur in Christo nõ sunt ponẽdæ virtutes, sed aliquid altius virtute. Respondeo quod hęc non sunt cõtra nos. Nam siue heroicæ illæ virtutes, animique purgati sint alterius rationis à nostris, siue (quod ego magis credo) sint eiusdem naturæ, propter excellentiam in suo genere dicuntur heroicæ, atque diuinæ non aliter atque aliqui viri appellari solẽt heroici atque diuini, quia supra modum se inter cæteros extulerunt, cum sint eiusdem naturæ. Siue igitur hoc siue illo modo dicatur consequens est, vt in Christo ponẽdæ sint excellentissimæ virtutes.

Secundo argumentor: Quia temperantia, & continentia versantur circa concupiscentias prauas, quæ in Christo nõ fuerũt ergo non habuit omnes virtutes. Respondetur, quod quantum attinet ad virtutem temperantiæ, & similes iam diximus quid dicendum esse videretur. Pro continentia verò dico, quod accipi solet dupliciter. Vno modo pro temperantia ab omni delectatione actus venerei: & secundum hac acceptionem est idem quod virtus virginitatis, quæ perfectissimo modo fuit in Christo. Secundo modo accipitur pro dispositione eius, qui animi perturbationes, & concupiscentias patitur, & quanuis ab statu virtutis non deijciatur, sed se ipse contineat, non tamen virtutis statum tuetur, atque conseruat, nisi cum difficultate, & pugna, atque conflictu passionum: & secundum hanc significationem non est admittenda in Christo continentia, quia dicit imperfectionem, & non est verè virtus.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm in Christo fuerit fides.



CVM scriptum sit ab Apostolo, Fides est sperãdarum substantia rerum, argumentum non apparentium, & B. Augustinus dicat, Fides est credere quod non vides, & communi etiã sermone non dicamur credere ea, quæ euidenter scimus, consequens est, vt fides intrinsecè sit de non visis; Christus autem ab instanti suæ conceptionis vidit Deum, & mysteria fidei: ergo non habuit fidem. Hebr. 11. D. August. Quando autem video quosdam asserentes, quod fides maneat in beatis, siue quoad habitum, siue etiam quoad actum, vehementer suspicor, quod laborãt, vt aiunt in equiuoco. Durand. Palud. Gerson. Aechius. Erasmus. Nam nos non appellamus fidem, nisi eam, qua ex obedientia Verbi Dei, rebus non visis, assensimus: illi verò fidem necesse est accipiant in alia significatione, si defensuri sunt suam positionem.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Quia fides intrinsecè solum petit, vt ego assentiar ob autoritatẽ dicentis: sed Christus potuit ac debuit assentiri Deo aliqua reuelanti, quãuis ea alioqui sciret: ergo fuit in eo fides. Respondetur, quod argumentum tangit medium, quo alicui fortasse videatur probabiliter defendi posse opposita sententia. Sed vt existimo inde magis nostræ huius veritas ostenditur. Nam qui aliquid euidenter scit, ac nouit quanuis illud ipsum ei dicatur ab homine fidedigno nõ respondet, se illud credere, sed iam scire; si autem non sciret, se illi fidem habiturum, quod ipse dixisset, vnde beati sunt quidem prompti, & parati credere Deo in his, quæ ipse dixerit, non tamen credunt, verbi gratia, quod est quanuis ipse dicat, sed vident, & ea claritas ac euidẽtia rei impedit ne eliciant actum credendi.

Secundo argumentor: Quia ex defectu materiæ, circa quam non potest inferri defectus habitus cum contingat pauperem esse magnificum, & de Christo iam affirmauerimus, quod quanuis in eo fuerit defectus

fectus diuitiarum & magnorum sumptuũ habuit tamen virtutem magnificẽtiæ. igitur similiter dici potest, quod in Christo fuerit fidei habitus, quanuis defuerit materia, circa quam scilicet, veritas Dei siue Deus eiusq; mysteria non visa. Respõdetur, quod quanuis in habitibus materia, circa quam & obiectũ re ipsa soleant coincidere, alia tamen est ratio formalis obiecti, & alia ratio propria materiæ: & ideo si deficiat aliquid sub ratione materiæ, nõ propterea oportet deficere habitũ. Sed si deficiat sub ratione formali obiecti, oportet habitus illius rationem formalẽ deficere. Et si impossibile fuerit obiectũ aliquod formaliter acceptũ habere locũ respectu alicuius subiecti, impossibile etiam erit in illo habitũ locũ habere. In proposito vero longe diuersa ratio est magnificentiæ, & fidei: quia res, quæ sunt materia fidei inueniũtur apud intellectum Christi, vt Trinitas, sed non sub illa ratione formali qua creduntur: quia non inueniuntur, vt non visæ; & iccirco non potuit in Christo esse habitus fidei. Respectu autem magnificentiæ res, quæ sunt materia magnificentiæ, vt diuitiæ defuerunt. Sed ratio formalis magnificentiæ, hoc est, animus promptus atque paratus ad expendendum eas splendidè atque decore, si opus esset, & quando ac quomodo oporteret non deerat in Christo, quia hæc nullam imperfectionem ponunt in eo. Et ex his liquet qua ratione in Christo quanuis habuerit locum virtus magnificentiæ, non tamen fides.

Tertio argumentor: Quia fides est nobilior, quam virtutes morales, sed hæ fuere in Christo: ergo, & illa. Respondetur, quod quanuis fides sit altior virtutibus moralibus, tamen ex essentiali comparatione obiecti ad subiectum importat defectum quendam, qui in Christo esse non potuit: oportet enim, ea quæ creduntur esse nõ visa per cõparationẽ ad credentẽ.

Quarto argumentor: Nam ore ipso Christi dictum est, Qui fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Et de ipso scriptum est: Cœpit Iesus facere, & docere, sed ipse fuit author, & consummator, & magister fidei, vt habetur, Hebræo. 12. & Ioann. 13. ergo habuit virtutem fidei. Respondetur, quod meritum fidei consistit in eo, quòd homo ex obedientia Dei assentit illis, quæ non videt, iuxta illud Roma. 1. Ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius. Obedientiam autem ad Deum plenissimè habuit Christus, secundum illud Philippen. 2. Factus est obediens vsque ad mortem. Et sic nihil ad meritum pertinet docuit, quod ipse excellentius non impleret. Ad ea verò, quæ in hoc articulo dicta sunt, videtur consequẽs esse, quod in Christo Domino nõ fuerit fides acquisita, sciebat enim, quæ ipsi dicebantur.

Matth. 5. Actor. 1. Hebr. 12. Ioan. 13. Rom. 1. Philip. 2.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm in Christo fuerit spes.

PRO huius rei declaratione sciendum est, quod obiectum formale habitus vel virtutis est duplex, quo, & quòd. Quo, est ratio, secundum quam attingitur obiectum. Quod, verò est id, quod per se primò attingitur, & ad quod actus ipse per se primò, & principaliter terminatur. Ista verò duo ita se habent inter se se, vt nec obiectum, quo, sine obiecto, quod, primariò, & per se, nec obiectum, quod, sine propria ratione formali, & obiecto, quo, fundare possint rationẽ talis habitus. Verbi gratia: In charitate obiectũ, quod diligitur primariò, est Deus, & ratio formalis est propter Deum: quicũq; ergo diligeret Deũ, & nõ propter Deũ, vel diligeret propter Deum non tamen diligeret Deũ, is ea hypothesi facta nõ haberet charitatem: oportet enim vt ea duo obiecta formalia se inuicem respiciant, & inter se se cõtineantur, si ponendus habitus est. Spei autem obiectu, quo, siue ratio qua speramus nos beatitudinem assecuturos, est auxilium Dei; obiectum verò, quod, est ipsa beatitudo summumque bonum arduum futurum possibile haberi. Christus autem à principio suæ cõceptionis vidit Deum habuitq; fruitionẽ diuinã, ergo nõ sperabat eam: nã quod videt quis quid sperat? ergo nõ habuit virtutẽ Theologicã spei. Deficiebat enim in eo

Rom. 8.

obiectum formale quod primarium, & per se ac necessario requisitum, tanquam id in ordine ad quod cætera speramus: quemadmodum quicquid per charitatem diligimus, sub Deo diligimus.

Sed aduersus hæc argumētor primo: Quia licet Christus Dn̄s omnia sciret ac proinde respectu nullius posset habere fidem, tamen erant plura, quæ sperabat, vt immortalitas, & gloria corporis, & consummatio sanctorū: ergo cū hęc à Deo speraret erat in eo virtus spei. Et præterea argum. Quia actus aptus natus elici ab aliquo habitu est imperfectus, si ab illo non eliciatur: sed actus, quo Christus plura sperabat à Deo, erat aptus natus elici à virtute spei: ergo eliciebatur ab ea, vel erat imperfectus. Respōdetur ad hæc, & similia argumenta, quod actus sperandi in Christo respectu eorum, quæ in argumento tanguntur, habebat rationem expectationis cuiusdam & desiderij, non tamen propriam rationem spei, saltem virtutis theologicę. Cuius ratio est duplex. Prima quia deficiebat ratio fundamētalis obiecti, quod, scilicet fruitio diuina, vt habenda, ad quam referuntur quæ speramus per virtutem spei. Secunda: quia quanuis Dn̄s acerba multa, & ardua subiturus

Luc. 24. esset, & oportuerit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam; tamen loquēdo ex natura rei habenti gloriam animæ, non est arduū assequi gloriā corporis, & per accidens aduenit ea difficultas. Vnde quando voluit Dn̄s vt ea gloria, se se effunderet in corpus effusa est, vt in articulo transfigurationis: igitur sublata in Christo ratione ardui, & præsertim sublato actu, & obiecto primario virtutis spei, ad secundarium illū actum sperandi siue expectandi, quædam alia erat in Christo sufficientissima dispositio prętervirtutē spei. Quod declaro. Nā Christus, sicut & cæteræ beatorū animæ ardentissimè diligūt Deum; quæ certe est magna ratio firmissimè expectādi ab ipso, quæ eis cōuenientia sunt, & habent ipsum sine timore amittēdi, & sciunt ea bona deberi sibi, Deūq; in remunerādo esse fidelissimum. Quid ergo est cur nō cōfidentissimè sperent, dicēq; potuerit in persona Chri

Psalm. 30. sti: In te Domine speraui non cōfundar in æternum? Et iterū: Saluum me fac Deus, Psalm 68.

quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad animā meā, infixus sum in limo profundi, & non est substantia? Veni in altitudinē maris, & tēpestas demersit me, laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ? Defecerunt oculi mei, dum spero in Deū meum? Est autem actus ille, quo Christus quædam sperabat actus supernaturalis, & Theologicus. Supernaturalis quidem ex parte obiecti, quia gloria corporis, & similia supernaturalia sunt, & ex parte principij, quia illa dispositio excellens, qua hæc Christus sperabat supernaturalis est, & habetur in alijs hominibus per virtutē spei. Et etiā est Theologicus, quia illa non sperantur, nisi à Deo.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm in Christo fuerint dona.



Piritus sancti dona in Christo fuisse Isaias ostēdit dicēs: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & Esa. 11. requiescet super eū spiritus Dn̄i, spiritus sapiētiæ, & intellectus, spiritus cōsilij & fortitudinis, spiritus sciētiæ & pietatis, spiritus timoris Dn̄i. Et ratio huius est: quia dona Spiritus sancti, vel sunt virtutes ipsæ supernaturales infusæ intellectui, & voluntati, quæ quo excellentiores sunt, maiora dona sunt: vel est inspiratio spiritus ad egregia aliqua facta: vel sunt dispositiones quædā differētes specie à virtutibus, & habitibus studiosis, quibus anima est apta nata moueri ab Spiritu sancto. At verò anima Christi perfectissimè mouebatur ab Spiritu sancto: vnde scriptum est, quod Dominus agebatur ab spiritu in desertum: ergo Matth. 4. in eo erant dona Spiritus sancti. Quanuis autem hic locus potius supponat dona esse, & quid sint, quā postulet vt disputetur, placet tamen breuiter aduertere, quæ quidam de hoc sentiunt. Dicunt ergo, quod tripliciter possunt homines moueri ad bonum. Primò per rationem humanā: & ad hoc ponuntur virtutes acquisitæ, scilicet, vt homo promptè & delectabiliter sequatur ratione. Secundò per rationes fidei, & supernaturales: & ad hæc bona sequenda

con-

conferuntur virtutes infusæ. Tertio moueri solēt vi, & instinctu, siue impulsu Spiritus sancti: & vt mens sit hac ratione bene mobilis addūtur dona distincta à virtuti- *Iudicum. 15.* bus. Hocq; instinctu Sāson aggrediebatur solus tot millia hominū; Baptista auulsus est paruulus à matris gremio: Dn̄s ductus est in desertū. Quādo autē sancti sequūtur hunc instinctū aguntur quidē libere ab spiritu, rationes tamē & causas eius motionis ignorāt, nec attingit ad eas regula rationis, vel fidei, quā habent in mēte. Illa vero ignorātia nō potuit in Christo locum habere, qui plene norat rationes, quibus agebatur. Hęc illi: & ego quidē cum essem adolescēs ità docere solebā. Nō tamen mihi parum profecisse videtur, qui successu tēporis circunspectior est & videt, nec certa esse nec valde probabilia quæ vel certa, vel valde probabilia putabat. Atque hæc quæ pro distinctione donorum à virtutibus retulimus, mihi nō probantur. Nam quis obsecro ponet sapientiā ad ignorandū causas atq; rationes, quibus mouetur? Quis datum putet cōsilij donum, nemo, vt cōsultet atq; deliberet, quomodo Deus infundit scientiam, per quā homo nihil scit. Præterea in omni actu, & opere bono mouemur ab Spiritu sancto: ergo vt simus ab ipso bene mobiles nō requirūtur alij habitus pręter dispositiones virtutum. Si dicas, quod requirūtur adhoc, vt moueamur, altissima illa & peculiari motione, qua spiritus sancti instinctu acti operamur nesciētes rationes, & causas eius motionis, reuolueris eodē. Sequitur enim, quod Deus infundit donū sapientiæ ad ea, quæ homo ignoraturus est, & donū cōsilij ad ea, quæ homo nec cōsultat, nec deliberat: quod quā sit improbabile nemo dubitare potest. Ponā igitur quid mihi hac in parte certū, & quid dubiū esse videatur. Certū est, quod omnis bona operatio faciens ad salutē, omnis virtus supernaturalis tā intellectualis, quam moralis, quam theologica, omnes illi habitus & dispositiones, qui dicūtur dona Spiritus sancti, hæc omnia sunt dona Spiritus sancti. Consultò verò præterii virtutes, quę naturales vel acquisitę dicūtur, vt me liberarē ab opinionibus hominū, Meo autē iudicio, omnis vera virtus est donū Spiritus sancti, quia sine eius gratia vera virtus haberi nō potest. Secundò certū est, quod nōnunquā viri sancti ignorāt rationes eorū, quæ agunt, & ad quæ ab Spiritu sancto mouētur. Nō aliter atq; de hominibus valde fortunatis dicunt Philosophi, eos non *Arist. de bona fortuna.* oportere cōsultare rationē in agēdis, quia mouētur à nobiliori principio. Vtrùm verò dona distinguātur à virtutibus infusis intellectualibus, & moralibus, illud est quod ego ignoro. Existimo autē, quod donū sapiētiæ est sapientia infusa, qua homo iudicat de rebus secūdū altissimā causam, atq; rationes. Donū intellectus est lumen quoddā diuinum, quo sanctorum mens intime penetrat, & quasi euidēter videt diuina, iuxta illud: Firmamentum est Dn̄s ti- *Psal. 24.* mētibus eum, & testamentum ipsius, vt manifestetur illis. Id est, hac ratione Deus est firmamētum timētibus eum, & tuetur ac cōseruat illos in omni iustitia, quia eis manifestat, & intima ac profunda ratione videre facit magnalia Dei, & bonorum thesaurum, quæ illis promisit atque reseruat. Donū cōsilij est bona illa cōsultatio, qua quis rectè ac sine errore cōcludit quid facere oporteat secundum leges Dei. Donum fortitudinis est, quo quis quæcunque difficilia aggreditur. Et in primis magna atq; iudicio hominum intolerabilia patitur ob honorem Dei. Donum scientię est, quo quis rectè iudicat de rebus secundum inferiores causas atq; rationes. Donum pietatis est cultus ipse ac religio in Deum. Et tandem timoris donum satis per se declarat in eo consistere, vt homo præ oculis habens Dei maiestatem, ità illam revereatur, & timeat offendere, dicere vt possit cum sanctissimo Iob, Semper enim qua- *Iob. 31.* si tumētes super me fluctus timui Deum. Istæ igitur virtutes ac rectissimæ dispositiones, vt ego arbitror, sunt dona, quibus purificata mens vna cum fide, spe, & charitate cæterisque virtutibus benè mobilis est, agiturque anima ab Spiritu sancto, modo quidē rectè iudicando, & agendo iuxta fidei regulas, modo iuxta rectā rationem, modo vi spiritus, ità acta & correpta, vt cū agēdi causas ignoret rectè tamē agat. Secū-

Rom. 8. dũ quas oẽs rationes bene iustèq; viuendi scriptũ est, Quicũq; spiritu Dei agũtur, hi filij Dei sunt. Atq; ipse Dñs operabatur opera vulgaria ac cõmunia secundũ regulam rationis humanæ. Vnde rarò legitur, actus spiritu, semper autẽ, spiritus Dei operabatur in eo. Et quidẽ, ego ita rẽ hãc intelligo sicut exposui. Cui autẽ ista nõ placẽt quærat doctiores. Sed caueat ne inueniat præsumptores: nã de donis spiritus nemo potest confidenter asserere nisi qui spiritualis est, & cui Deus reuelauerit. Et quia ego me non arbitror comprehendere nec cõprehẽdisse, iccircò fateor meã ignorantiã.

Si tamen obijciat quis, ꝙ à Philosophis nõ ponitur habitus, vel virtus ad sequẽdũ internũ illũ motorẽ certiorẽ, quã sit ratio sed optima quædã & fœlicissima natura, ergo si qua proportio, & analogia hac in parte seruanda est, nõ debent poni iniustis virtutes, & habitus studiosi ad sequẽdum impulsum spiritus, sed optima natura, respõdetur, quod optima & excellẽs, & quantũ status huius vitæ patitur beata natura est, quę omni virtute ornata, & exculta, & gratia ac iustitia Dei prędita est; & hęc nũc vno modo nunc altero operatur cũ agitur spiritu Dei. Qui autẽ de donis spiritus rectè & cordate disserere vult, legat qua ratione antiqui patres illa definiant ac interpretẽtur, & videbit vtrũ nostræ sententiæ an illi aliorum distinctioni faueant.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm in Christo fuerit donũ timoris.

Esai. 11. Criptũ est de Christo Esai. 11. Repleuit eum spiritus timoris Dñi. Vnde nõ est dubiũ, quod in eo fuerit donũ timoris. Sed versatur difficultas in explicãdo qua ratione timor potuerit locũ habere in Christo qui nec seruiebat propter timorem pœnę, nec ignorabat se cadere nõ posse in culpã. Vt verò articulũ hũc declarẽ pono in primis esse plures virtutes vel habitus studiosos, qui quãuis maneãt in patria nõ tamen manẽt secundũ eadẽ officia, quæ exercebãt in via, sed secundũ id quod est purissimũ in virtute & finis illius. Verbi gratia, viri fortis est in hac vita plena malis aggredi magna pericula, & difficilia quæcunq; ac terribilia sustinere, vt se se in virtutis officio cõtineat, atq; cõseruet quod sine anxietate, & difficultate, & aliquo timore nõ fit: actus vero fortitudinis in patria erit sine difficultate aliqua, & labore firmissimè adhærere Deo, & virtuti, qui erat finis ac scopus hominis verè fortis. Secũdò præmittẽdũ est, quod quãtũ ad propositũ attinet, triplex est timor secundũ acceptionẽ doctorũ ecclesiasticorũ. Vnus seruilis, quo timemus offendere ob metũ pœnę, iuxta illud, Oderunt peccare mali formidine pœnæ. Alius filialis, quo timeo offendere atq; peccare ob amorẽ Dei vitęq; studiosæ. in qua acceptione ille ipse dicebat; Oderunt peccare boni virtutis amore. Tertio accipitur pro tremore, quo aliquẽ valde suspicimus & supra modum veneramur, iuxta illud, Adorãt Dominationes, tremũt Potestates. Tertiò ponẽdũ est, quod id, quod est purissimũ, & perfectissimũ in timore filiali finisque illius, est ex admiratione, & amore Dei supra modũ reuereri illius celsitudinẽ & se illi profundè submittere, & ex illa reuerẽtia atq; tremore lõgissimè distare ab eo, vt offendamus oculos maiestatis eius.

His statutis sit prima propositio. In Christo fuit donũ timoris perfectissimũ. Hæc cõstat tũ ex testimonio Esaiæ, tũ etiã quia Christo atq; beatis tribuẽdæ sunt virtutes & bonæ etiã dispositiones, secũdũ id quod fuerit purissimũ, & perfectissimũ in eis: ergo, & timoris donũ tribuẽdũ est ei secũdũ id quod est purissimũ, & finis illius: at vero finis illius est reuereri Dei celsitudinẽ, & se illi subijcere, & lõgissime distare ab offensa Dei, quę perfectissimè inueniũtur in Christo: ergo in eo fuit perfectissimè donum timoris. ¶ Secunda propositio: Timor propriè & strictè loquendo nõ est in Christo nec in beatis. Probatur primò: Nam secundum communem sapientum positionẽ, timor est fuga mali: sed de beatis dicitur, quod fruentur omni bono malorum timore sublato: ergo in eis non est timor. Secundo: Timor secũdum propriam rationem adfert afflictionem, & pœnam: ergo non est in beatis. Tertio: Timere, & esse Esai. 11.

esse securum sunt opposita formaliter: sed Christus & beati sunt summè securi, quod non infligetur eis pœna ob sua peccata, & quod non incident in peccatum: ergo non habent timorem. Quarto: Spes, & concupiscentia sunt de bono, vt mihi aduenturo, alioqui quid sperabo aut quid concupiscam: ergo timor etiam est de malo vt mihi infligendo, alioqui quid timebo. At verò hac ratione non ponitur in Christo nec in beatis: ergo non est in eis timor propriè loquendo. Tertia propositio: In nobis miseris viatoribus donum timoris habet rationem timoris propriè dicti. Probatur: Quia, & timemus pœnam delicti, & timemus incidere in peccata, & vtile nobis est, vt hæc timeamus: & hoc efficit in nobis spiritus Dei dono suo. Vnde enim talem mentem haberemus, nisi dono Dei? Colligitur autem ex dictis, quod donũ timoris prout fuit in Christo atque beatis, vel non est timor secundum propriam rationem timoris, vel non habet eundem actum.

Sed aduersus hæc arg. 1. Quia Christus horrebat mortem atq; cruciatus, & sciebat eos sibi inferri, nõ modo Deo permittente, sed etiam volente ad expianda nostra delicta: ergo in Christo fuit timor propriè dictus. Respondetur, quod hoc argumentum est alienum à proposito: nam nobis nunc solum est sermo de timore, quo quis timet peccare formidine pœnæ, aut omnino timet ne peccet.

Secundo arguitur: Quia quidam dicũt, quod si consideretur Deus, vt potens infligere malũ, quãuis illud non sit illaturus, est obiectum timoris: & sic timent beati. Respõdetur, quod tam hoc, quã alia, quæcunq; ex eo cõsequuntur, sunt valde improbabiliter dicta ob multas rationes. Primo; Quia vt supra dicebamus, qui summè securus est de aliquo non potest illũ timere quanuis ille alioqui puniat alios. Secundò; Quia timor meus nõ potest esse nisi de malo quod ad me pertinet, siue me aliqua ratione pertingit: & hic non est in beatis.

Tertio: Quia posse Deum infligere mala malis, & esse immutabiliter determinatum ad benefaciendũ bonis non est malũ beati aliqua ratione, sed bonũ; & vtrunq; euidentissimè sciunt beati: quid ergo timebit beatus? Quarto: Quia si quis esset timor illius, qui timet aliũ ea ratione, qua potest infligere malũ, potius esset timor pœnæ, quam filialis. Quintò denique: Quia quemadmodum ens per se habet quidem vt possit esse lapis, si tamẽ illud ens per se fuerit etiam homo nõ potest esse lapis ex cõditione siue ratione adiũcta: pari ratione, quanuis aliquis, vt potens infligere malũ; habeat vt possit ab aliquo timeri: si tamen omnino certus, & securus sim quod mihi nullũ malũ potest infligere, implicat, quod timeã illũ: quãdiu certus & securus sum: beati autẽ certissimè sciũt quod Deus illis nõ infliget malũ, nec verò potest infligere secundũ leges suas quæ sunt firmiores cœlo: ergo certe beati omnes fruuntur omni bono malorũ omni timore sublato. Quocirca qui existimãt, qđ reuerẽtia illa & tremor qui ponitur in beatis oritur potius ex eo, quod Deus est potẽs infligere malum quã ex alijs, lõge meo iudicio fallũtur opinione: nõ enim magis oritur ea reuerẽtia, & tremor ex eo quod est potens infligere malũ; quã ex eo, quod est potẽtissimus facere bonũ; nec magis oritur ex iustitia quã ex bonitate, ex maiestate, ex sapientia, ex pulchritudine, ex diuitijs cæterisq; Dei attributis; ex quibus omnibus oritur in beatis incredibilis quædã veneratio, & supra quã dici potest profunda subiectio sub maiestate Dei, quem appellamus tremorem.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm in Christo fuerint gratiæ gratis datæ.


Oni principis est nõ modo virũ esse bonũ, sed etiã præditũ, & cumulatum omnibus dotibus atque virtutibus, quæ ad bonum commune suæ ciuitatis, vel gentis referuntur. Cum ergo Deus Ecclesiæ suæ principem de cœlo miserit bonitatis, & perfectionis immensæ, gratiæ autem gratis datæ faciant ad bonum, & vtilitatem ecclesiæ, vt latè docet Apostolus in epistola prima ad Corinthios: consequens est, quod in Christo fuerint omnes 1. Cor. 12.

gratiæ gratis datæ. Prætereà: Gratiæ gratis datæ sunt bona distributa ecclesiæ ab spiritu Dei ob eius vtilitatem, vt docet Apostolus loco citato: sed Christus est origo, & fons atque Thesaurus immensus, in quo recondita sunt, & à quo nobis proueniunt omnia bona: ergo in eo fuerunt omnes gratiæ gratis datæ.

Item tertio: Gratiæ gratis datæ dantur ad gignendam, & stabiliendam fidem, & ad ædificationem corporis Christi: harum vero rerum omnium præcipuus author fuit Christus: ergo in eo fuerunt gratiæ gratis datæ. Et quidem longè aliter, quam in alijs sanctis. Nam in alijs sanctis fuerunt diuisæ secundum mensuram spiritus, in Christo vero fuerunt omnes simul. Et in Christo fuerunt secundum plenitudinem quia plenam vim, & potestatem habebat ad omnes earum actus perfectè exercendos: in alijs vero sanctis non ita. Rursus in Christo fuerunt per modum habitus, posset enim vti eis pro arbitrio; in cæteris verò erant per modum actus. Quam tertiam differentiam intelligi volo generaliter, & quantum est ex natura gratiæ gratis datæ hominibus. Nam donum linguarum, & si quod est aliud simile, puto quod acceperunt Apostoli per modum habitus, sicut quando Deus infundit sapientiæ donum. *Actor. 2.*

Sed peculiariter circa donum linguarum est dubium, an Dominus illo vsus fuerit, quod quidam affirmant, alij negant. Qui affirmant adferunt nonnulla, quibus ea pars suaderi posšit. Nã & quandiu versatus est cum AEgyptijs, & quãdo perambulabat Samariam, & propinquas alias regiones, exercuisse videtur donum linguarũ. Et Eusebius li. 1. ecclesiasticæ historiæ capit. 13. refert Dominum scripsisse Abgaro Regi epistolam lingua Syra: & Beatus Marcus ea verba quæ Dominus dixit in cruce, Eloi Eloi refert sermone Chaldaico. Dicat tamen in hoc vnusquisque quod sibi placuerit, ego vero non didici aut definire aut affirmare quod ignoro. Videtur autem mihi, quod hæc quæ attulimus non euincant, quia vt Dominus loqueretur inter AEgyptios eorum lingua *Eusebius.* *Marc. 15.*

inter quos enutritus erat, nõ indigebat dono linguarum, & Samaria ac propinquæ illæ regiones eodem ferè idiomate loquebantur, vt credere par est. Syrorum etiam idioma cognatum est Hebręo, adeò, vt tempore Christi lingua ferè Syra loquerentur Iudæi. Quod autem lingua Chaldaica Marcus retulerit ea verba. quid prodest, nam Matthæus illa refert Hebræa, præter quam, quod etiam sunt valde affines illæ linguæ. Et fortasse quamuis Dominus gentilibus, & hominibus diuersarum nationum loqueretur, expediebat, vt vteretur lingua Hebræorum, vt ex quibus ortus, & quibus missus, & quorum minister fuerit ostenderet. Scriptum est enim, Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis. Iterum verò fateor me huius rei veritatem ignorare. *Matth. 27* *Rom. 15.*

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm in Christo fuerit prophetia.



QVANVIS olim fanorum antistites, & interpretes oraculorum, & qui spiritu pythonico, aut furore correpti futura prædicebant, prophetæ appellarentur, modo tamen prophetæ nomen multò honorabilius, & religiosius est: solum enim accipitur pro eo, qui spiritu Dei annunciat ea, quæ remotissima sunt ab hominum sensibus, & naturali facultate sciri non possunt, in quibus præcipuum locum tenere solet prædictio futurorum. Quam ob causam D. Hieronymus, & D. Augustinus meritò dicere solent prophetas appellari, quasi futura prædicẽtes. Respõdeo ergo ad quæstionem dicendum cum B. Th. quod propheta dicitur, quasi dicens, & annuncians ea, quæ remota sunt ab hominum cognitione. Non autem potest aliquis dici propheta ex hoc, quod cognoscit & annũciat ea, quæ sunt alijs procul, cũ quibus ipse nõ est: vt manifestè cõstat, si ponamus exempla secundum locum, & secundum tempus. Nam si quis in Hispania existens, cognosceret, & annunciaret ea, quæ tunc in Flandria, vel Germania agerentur, id esset pro- *D. Hiero.* *D. August.* *B. Thom.*

4.Reg.5. propheticum. Quemadmodum Eliseus dixit ad Giezi. 4.Reg.5. quomodo vir descenderat de curru, & occurrerat ei. Si verò aliquis existens in Flandria ea, quæ sunt ibi annunciaret, non esset propheticum. Et idem apparet secundum tempus:

Esai.44. propheticum enim fuit, quod Esaias prænunciauit, quando cap. 44. prædixit Cyrum Regem Persarum reædificaturum esse templum Dei. Non autem fuit pro-

1.Esdræ.1. pheticum quando Esdras hoc scripsit, cuius tempore factum est. Quando igitur Deus, aut Angeli, vel etiam beati annunciant ea, quæ sunt procul à nostra notitia, hoc non pertinet ad prophetiam, quia non sunt eiusdem status, & conuersationis nobiscum: Christus autem ante passionem erat in eodem statu in quantum non modo erat comprehensor sed etiam viator: & ideo propheticum erat quando ea, quæ erant procul ab aliorum notitia annunciabat. Quocirca ipse se propheram appella-

Matth.13. uit Matthæi.13. dicens: Nullus est propheta sine honore, nisi in patria sua. Et Moyses eodem illum nomine vocat Deutero-

Deuter.18. nomij.18. dicens in persona Dei: Suscitabo illis prophetam de fratribus eorum similem tibi, vt Beatus Augustinus docet,

D.August. & latè tractat cap.15.&.16.&.17.&.18. libri decimisexti contra Faustum.

Sed aduersus hæc argumentor. Primò, quia nec Deus nec beatus aliquis siue angelus ille sit, siue homo, est prophera: Christus autem, & Deus erat, & beatus: ergo

Abulen. non erat propheta, vt argumentatur Abulensis super Numeros, cap.11. quæstio.64. Ad hoc ex dictis liquet responsio. Sed pro maiori declaratione dico, quod propheta debet conuiuere similemque vitam degere cum his, quibus prophetat, & quibus incognita dicit, ac vaticinatur. Et quia Christo Domino verissimè hęc conueniebant icc irco verissimè fuit propheta: nec enim

Luc.24. deceptus est ille discipulus, qui dixit de Christo Iesu, quod fuit vir propheta. Aduertendumque est, quod cum Dominus dicitur fuisse propheta in quantum viator, ea particula, inquantum non sumitur reduplicatiuè, vt aiunt logici: faceret enim hunc sensum, quod omnis viator est propheta: sed sumitur specificatiuè. Nec verò dicit rationem formalem cognitionis requisitæ ad prophetiam, ita vt cognitio prophetica debeat esse cognitio viatoris, qua viator est: quia Dominus manifestans hominibus ea, quæ cognitione beata, vel sciētia infusa sciebat, diceretur propheta: quia illa longissimè aberant ab eorum cognitione, & à facultate naturæ. Illudque interim notandum, quod non valet hæc deductio, Christus ratione cognitionis comprehensiuæ est propheta: ergo in quantum comprehensor est propheta. Dicendum enim est, quod ratione cognitionis comprehensiuæ non in quocunque sed in viatore Christus erat propheta, denotat que viator necessariam conditionem cognoscentis vt dici possit propheta. Hæc vt isto stylo dicerem coegit vsus scholæ.

Secundo argumentor. Quia si Christus fuit propheta: ergo habuit lumen obscurum, & ænigmaticum, tale enim est lumen prophetæ.

Respondetur, quod non modò cognitio obscura, & ænigmatica non est de ratione prophetiæ, sed etiam quò aliquis propheta fuit altior eò clariorem, & limpidiorem notitiam habuit. Vnde Dominus dicebat Numerorum.12. Si quis fuerit inter vos propheta Domini per somnium: aut in visione loquar ad illum: at non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquar ei palam, & non per ænigmata Dominum videt. Hic autem qui tam apertè gloriam Dei videbat, fuit excellentissimus prophera: ergo Christus prophera fuit quanuis apertissimè videret diuina: nec verò obscura cognitio est de ratione prophetiæ. Numer.12.

Tertiò: Sicut fides est eorum, quæ non videntur, & spes eorum, quæ non habemus: ità & prophetia eorum, quæ procul distāt; sed fides, & spes nō ponūtur in Christo: ergo nec ꝓphetia. Respōdeo quod prophetia est de his, quæ procul distāt, non tamen à cognitione videntis, sed à cognitione eorum cū quibus versatur: & ideò non claudit eā imperfectionē quā claudit fides.

Quartò Propheta est minor angelis: sed Christus erat maior angelis: ergo non fuit propheta. Facilè ad hoc logicus diceret, quod variatur appellatio. Respondetur tamen, quod ex rationibus in communi sumptis non sumitur absolutum iudicium de re. Vnde quemadmodum angelus maior est viatore non tamen est maior Christo, qui fuit viator, & cõprehẽsor, & est filius Dei: ità propheta in eo quod propheta minor est angelo, non tamen Christus erat minor angelis, nisi considerata ratione, & quidditate humanæ naturæ, & comparato statu viatoris præciso cum statu beati.

ARTICVLVS. IX.

Vtrùm in Christo fuerit plenitudo gratiæ.

Ioan.1. SCRIPTVM est de Christo: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Quem locũ quia quidam male peruertunt, alij non benè defendunt, solumq; illum adferunt, lucidissimam veritatem offuscant. Quid enim verius, quid magis aut crebrius in sacris literis proclamatum, quam quod Christus fuerit plenus gratia? Certè quotienscunque scriptura dicit, dicit autem sæpissimè, quod Christus est filius dilectionis, filius dile-

Matth.4. Daniel.9. Hebr.7. Ephes.1. Ephes.4. Ioan.3. Ioan.1. ctus, sanctus sanctorum, iustus Dei, Agnus sine macula, iustitia nostra, sanctificatio nostra, redemptio nostra, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior coelis factus, & quod in ipso electi, & dilecti sumus, quod est caput corporis ecclesiæ, ex quo totum corpus compactum, & connexum est, quod nõ dedit illi Deus spiritum ad mensuram, quod per ipsum accepimus gratiam, & gratiam pro gratia, & alia eius generis innumera, quotienscunque inquam, hęc dicit scriptura, quid dicit

Ioan.1. aliud, quam quod erat plenus gratia, & veritate? Si quis autem velit, vt hanc veritatem scholastica ratione declarem, illi ego verbis ac doctrina Beati Thomæ respondebo: dulcissimum enim est frui labore alieno. B.Thom. Qui respondet, quod plenè dicitur haberi quod perfectè, & totaliter habetur: totalitas autem, & perfectio in his quæ nõ mole magna sunt, potest attendi dupliciter. Vno modo, quantum ad quantitatem eius intensiuam; vt si dicam aliquem plenè habere albedinem, si habet eam quantumcunque nata est haberi. Alio modo secundum virtutem: vt si quis dicatur plenè habere vitam, quia habet eam secundũ omnes effectus vel opera vitæ: & sic habet plene vitam homo, nõ autem animal vel planta. Vtroque autem modo Christus habuit gratiæ plenitudinem. Primo quidem, quia habuit eam in summo secundum perfectissimum modum, quo haberi potest. Atque hoc apparet primò ex propinquitate animæ Christi ad causam gratiæ: quantò enim aliquod receptiuum propinquius est causæ influenti, tantò abundãtius recipit. Et ideò anima Christi, quæ propinquius iungitur Deo inter omnes creaturas rationales, maximam recipit influentiam gratiæ eius. Secundò ex comparatione eius ad effectum: sic enim recipiebat anima Christi gratiam, vt ex ea, quodammodo trãsfunderetur in alios: & ideò oportuit, quod haberet maximam gratiã; sicut ignis, qui est causa caloris in omnibus calidis est maximè calidus. Similiter etiam quantum ad virtutem gratiæ plenè habuit gratiam, quia habuit eam ad omnes operationes, & effectus gratiæ. Et hoc ideò, quia conferebatur ei gratia tanquam cuidam vniuersali principio, in genere habẽtium gratiam. Virtus autem primi principij alicuius generis vniuersaliter se extendit ad omnes effectus illius generis; sicut virtus solis, qui est vniuersalis causa generationis se extendit ad omnia quæ generantur. Et sic secunda plenitudo gratiæ attẽditur in Christo, in quantum se extendit eius gratia ad omnes gratiæ effectus, qui sunt virtutes, & dona, & alia eiusmodi.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Quia Caietanus, & Erasmus verba illa Ioan.1. Plenum gratiæ & veritatis, tribuũt non Christo, sed Ioanni Baptistæ: existimant Caiet. Erasmus. Ioan.1.

mant

mãt enim, quod ibi, vidimus gloriam eius, gloriam, quasi vnigeniti à Patre, terminetur oratio, & debeat signari punctus, & postea sequatur. Plenus gratiæ, & veritatis Ioannes, &c. Ratio illorum est, quia plenum est nominatiui casus, & generis masculini; ac propterea incongrue aptari potest præcedentibus. Respondetur, quod quoad nos attinet, parum referret de Baptista dicere plenum fuisse gratiæ, sicut de alijs dicitur in scriptura. Quod vero pertinet ad illos authores, dici nõ potest quam sine fundamento eripiant Christo, & tribuant Baptistæ verba, quæ sancti Patres de Christo intellexerũt. Ne verò aliquem Græcæ linguæ ignarum addubitare faciat authoritas Erasmi, scire profecto debet, quod in originali Græco est multò apertior sensus. Pro quo sciendum, quod quẽadmodum Verbum, λόγος apud Græcos est nominatiui casus, & generis masculini, ità plenum est nominatiui casus, & generis masculini: vnde si loco nominis, Verbi, substituamus nomen aliquod masculinũ, quale est, sermo, liquebit sensus hoc modo, sermo caro factus est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius gloriã qua si vnigeniti à Patre, plenus gratiæ & veritatis, scilicet erat sermo. In quo nulla omnino est difficultas, nisi quod stylus euãgelistæ est humilis, & planus. Demosthenes enim vel Basilius, & alii loqui illud, plenus gratiæ dixissent aut per genitiuum, vt conueniret, cum vnigenito; aut per infinitiuum secundum phrasim Græcam, aut alia ratione. Euangelista verò humili certè stylo, sed planissimo id dixit de Christo.

Secundò argumentor: Quia per gratiam habitualem iustificatur impius, in Christo verò nec fuit nec potuit esse peccatum: ergo non habuit gratiam. Respõdetur, quod ad gratiam operantem per se pertinet facere iustum: sed quod faciat iustum ex impio hoc accidit ei ex parte subiecti, in quo peccatum inuenitur: anima igitur Christi iustificata est per gratiam operantem, in quantum per eam facta est iusta, & sancta à principio suæ conceptionis, non quod ante fuerit peccatrix, aut etiam non iusta.

Tertiò argumentor: Quia Christus habet gratiam habitualem sicut extra genus existens habentium gratiam non aliter atque sol habet virtutem calefaciendi, sicut extra genus existens calidorum: ergo Christus non habuit gratiam verè & formaliter, sicut sol nõ habet calorem verè, & formaliter. Respondetur, quod quàm incautè loquantur qui ista dicunt, satis apparet vel ex hoc ipso argumento. Dicendum vero est, quod si in sole esset calor formaliter esset imperfectio vt existimant plures philosophi. Quod vero in Christo in quantũ est homo sit gratia habitualis formaliter est magna, & altissima eius humanitatis perfectio. Quocirca quemadmodum sol habet virtutem producentem, fouentem, & conseruantem omnia inferiora: ità gratia Christi est vniuersale principium gratiæ omnium nostrum. Et rursus quemadmodum ignis per se est calidus, & est vniuersale principium calidorum, non tamen extra genus existens calidorum formaliter, sed intra: ita Christus, & est habens gratiam & iustitiam formaliter, & est causa gratiæ, ac iustitiæ nostræ. Et ex his duobus integratur vnus integer intellectus modi, quo se habet gratia Christi ad nos. Et quod hæc quæ diximus ita sint, probo: Quia habens gratiam vt existens extra genus habentium gratiam, non habet gratiam eiusdem rationis, nec secundum speciem, nec secundum quantitatem nec secũdum modum habendi: Christus autem habet habitum gratiæ eiusdem rationis nobiscum, quanuis, & quantitas, & modus habendi à se non inueniatur in nobis. Assignant hoc loco aliqui differẽtiam inter gratiam, & dona gratiæ, dicentes: gratiam formaliter non esse in Deo, dona verò esse in Deo.

Sed dicendum est, quod quemadmodum gratia est qualitas: ità dona sunt qualitates. Et quemadmodum, si quis dixerit Patrem in diuinis esse gratissimum filio rectè quidem dicet, sed ea gratia plusquã genere differt à gratiæ qualitate: ità si quis Deum sapientem appellauerit, iustissimè quidem faciet, sed ea sapientia plusquã genere differt à dono sapientiæ.

ARTICVLVS. X.

Vtrùm plenitudo gratiæ sit propria Christi.



IN hoc nulla est difficultas. Si enim loquamur de gratia secundum quod perfectissima est, & in suo fontali principio iam quoad sanctitatē & iustitiam, quā quoad virtutem, & operationem: sic plenitudo gratiæ est propria Christi: sicut si diceremus, quod plenitudo lucis est propria solis, quia in eo est perfectissimè secundum omnem rationem lucis corporalis. Sed quemadmodum alia quæ maximè participant lucem, vt luna, & stellæ, & in inferioribus speculum, & crystallus opposita soli, ità resplendent, vt oculos perstringant, & lucidissima esse dicantur: ità ij, qui inter sanctos, & iustos viros sanctissimi, & integerrimi fuere pleni gratia dicuntur, in ordine suo, & proportione, vt B. Virgo, Ioannes Baptista, Apostoli, & Stephanus. Et non modo illi, qui vltra communem sortem iustorum abundantiorem gratiam, & excellentiorem iustitiam habuerunt, sed etiam iusti omnes, in quantum pertingunt ad mensuram prædestinationis diuinæ, pleni gratia non incongrue dici possunt. Non aliter atque in beatitudine omnes sunt pleni gratia, sicut omnes stellæ cœli sunt splendidissimæ, vnusquisque tamen in ordine suo: nam stella ab stella differt in claritate. 1. Cor. 15.

ARTICVLVS. XI.

Vtrùm Christi gratia sit infinita.



FACILE ad hoc possemus respondere dicentes, quod gratia confertur animæ Christi, sicut cuidam vniuersali principio gratificationis, & bonorum omnium supernaturalium, quæ conferuntur rationali naturæ, secūdum illud Apostoli, Gratificauit nos in dilecto filio suo, & iterum: Ephes. 1. Colos. 1. Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt. Vnde quemadmodum dicere possemus lucem, solis esse infinitam secundum rationem lucis, quia habet quicquid ad rationem lucis pertinere potest, & potens est efficere, & conseruare, & fouere res infinitas, si mundus in infinitum duraret, & in eis rebus inferioribus tantum efficit, tantumq; fouet, quantum diuina sapientia præscripsit, vt lux foueret, ac illustraret inferiora, & præterea à horizonte siue terminis, & limitibus mundi huius non continetur, posset enim vltra se tendere: ità & de gratia Christi dicere possumus ac debemus, quod quia habet quicquid ad rationem gratiæ pertinere potest, & quia conuertit ad Deū & fouet, & conseruat, & illustrat mentes rationales, & si infinitæ essent infinitas illustraret, & quia in eis tantum efficit boni, quantum diuinæ sapientiæ lex statuit, vt efficeret ille, qui est fons gratiæ, & quia quanuis vel mundus esset maior vel plures mundi essent, omnibus illis renouandis, & purificandis Christi gratia sufficeret iccircò dici debet infinita: nec enim est limitata ob causas supradictas. Sed scholastici non ij sumus, quibus ista sufficiant. Nam, & si vix aliqua possumus capere, omnia tamen volumus penetrare, & statim omnipotentiam Dei ad tribunal vocamus humani iudicij. Quod sæpe repeto, quia sæpius me offendit, tum quia per se indignum est, tum quia nec apud philosophos antiquos, qui Dei potentiam nouerunt, nec apud patres, nec apud graues scholasticos, qualis est B. Thomas video B. Thom. subinde vsurpatum. Sed nos cedamus tēpori, lector, etiam inuiti, & disputemus an gratia Christi sit infinita in genere entis, vel in genere qualitatis, vel in genere gratiæ, vtrùm & secundum intensionem, vel secundum extensionem, & quid de lege ordinaria, quid secundum omnipotentiam Dei, quid de gratia vnionis, quid de gratia habitualí dicendum sit. Rem autem distinguemus quibusdam conclusionibus, vt maiorem lucem habeat oratio.

Prima cōclusio: Gratia Christi est summa, quæ dari potest de lege, nec verò dari potest

potest æqualis de lege ordinaria. In hanc conueniant omnes necesse est, constatq; ex illo: De plenitudine eius nos omnes accepimus.

Ioan.

Secunda conclusio: Illa gratia est finita in genere entis. In hanc etiam conueniunt omnes docti: quoniam & est essentiæ finitæ; siquidem ità est qualitas, quod non est substantia, & est accidens, & in subiecto finito. Et prætereà, quia fieri non potest, vt aliquid sit infinitum in genere entis, nisi esset infinitum simpliciter ac secundum omnem rationem, quod de solo Deo superbenedicto dici potest.

Tertia conclusio: Illa gratia in genere qualitatis non est infinita, imò verò nec summa omnium qualitatum siue accidentium. Quod non sit infinita in eo genere constat, quia est sub determinata specie qualitatis: ergo implicat, quod sit in eo genere infinita. Et aliqui dicũt, quod est eiusdem speciei cum nostra, quod credo esse verum: ergo non est infinita. Quod autem non sit summa declaro, quia cum visio, & dilectio Dei sint finis gratiæ, & magis actuales, erunt certè maioris perfectionis, quam gratia habitualis.

Quarta conclusio: Illa gratia est infinita in genere gratiæ. Hæc intelligenda, & probanda est iuxta ea quæ supradiximus in principio articuli.

Quinta conclusio: Illa gratia habitualis non fuit summa, quæ dari potuit per omnipotentiam Dei, ac præter legem. Hæc est sententia Marsil. in. 3. quæstione. 10. Palud. in. 3. distinctione. 13. quæst. 1. Gabrielis, ibi, quæstione vnica, Thomæ de Argentina, ead. distinc. 13. Capreo. ibi, & Ochami. quæstione. 7. Et probatur primo: Quia ea gratia & habitus ex natura sua non terminatur: ergo potest Deus producere maiorem. Probatur antecedens; Quia aut terminatur ratione suæ speciei: & hoc non, quia est participatio diuini esse: aut ex parte agentis, & nec hoc, quia agens est infinitæ virtutis: aut ex subiecto, & nec hoc, quia quanto ea gratia maior fuerit, tantò reddit capacius subiectum ad participãdam Dei bonitatem, & similitudinem: præterquam quod quocunque subiecto dato poterit

Marsil.
Palud.
Gabriel.
Thom. Arg.
Capreo.
Ocham.

aliud perfectius producere Deus. ergo nõ limitatur.

Secundo argumentor: Gloria animæ Christi potest augeri: ergo & gratia. Patet consequentia; quia illa duo sibi correspondent, siquidem gratia vel quidditatiue vel consequenter est acceptatio ad gloriam. Et probatur antecedens, quia posset Deus facere vt anima Christi clarius, & limpidius videat Deum, quam videt modo.

Tertio argumentor: Ponatur alia similis omnino gratia habitualis in humanitate iuncta supposito diuino, quod suppositum vt homo est non videat Deum deìque illi Deus, vt operetũr meritoriè, tunc augeretur ei gratia: ergo posset augeri. Si dicas, quod mereretur aliam gratiam, illa enim supposita non posset augeri, hoc non est responsione dignum, quia nullum habet fundamẽtum, præterquã quod duo etiam accidentia eiusdem rationis non sunt in eodem supposito.

Quarto argumentor: Quia rationi consentaneũ est credere, quod Christus Dominus tantam gloriam habeat, quantam habuisset si suis meritis meruisset illam: & ea gloria non est infinita, & summa creabilis: ergo nec gratia.

Quinto: Quanuis quis diceret, quod qualitates supernaturales, & participationes diuini esse, vt amor, & intellectio, & lumen gloriæ, & gratia ex natura sua habent terminum (quod tamen ipse valde diceret absurde) tamen argumentaremur in hunc modum: Licèt lux solis habeat quicquid pertinet ad naturam lucis, posset tamen Deus aliam splendidiorem producere: ergo pari ratione de gratia habituali Christi loquendum erit. Præterquam, quod qua sapientia obsecro, & quam cordatè dicet quis, quod Deus in productione eiùs habitus exhausit potentiam suam, cum potentia Dei nõ exhauriatur in productione bonorum? Nam si exhauritur omnipotentia non est, igitur gratia habitualis Christi non fuit summa creabilis per omnipotentiam Dei.

Sexta conclusio: Illa gratia fuit summè intensa quę dari potest de lege, non tamen per comparationem ad Dei omnipotentiam.

tiam. Hæc liquet ex dictis. ¶ Septima conclusio: Ea gratia quoad extensionem fuit infinita in quantum non tot communicatur, quin pluribus communicari possit. Hæc etiam constat.

Octaua conclusio: Gratia vnionis in Christo fuit infinita. Probatur & declaratur hæc conclusio: Nam quod ex Dei magnificentia, & gloria humanitati Christi coniunctum & datum est, scilicet, suppositum Verbi Dei, illud est infinitum. At verò contra ea, quæ diximus sunt duo argumenta præcipua. Primum, quia gratia sumit perfectionem à fine, cui commensuratur: sed finis gratiæ Christi erat summa vnio: ergo ea gratia erat summa. Respondetur, quod gratia sumit quidem speciem & essentialem ordinem à fine: sed ad eundem finem possunt referri maior, & minor gratia: quemadmodum in eundem Deum tendunt perfectior, & minus perfecta visio, aut amor: & ad bonum iuuentutis potest ordinari maior vel minor decor, & pulchritudo. Et præterea peccat illa ratio; quia finis intrinsecus, & per se gratiæ habitualis, & faciens ad eius speciem, non est vnio hypostatica: alioqui gratia habitualis Christi, & nostra erunt diuersæ speciei: sed ille finis est beatitudo correspondens, vel effectus formalis gratiæ, scilicet, vt diuinæ efficiamur consortes naturæ, & filij Dei nominemur, & simus. Et proculdubio vterque est finis gratiæ in ordine suo, quibus adiungenda etiam est, quæ interiacet bona operatio, & vita immaculata.

2. Petr. 1.

Secundo argumentor: Nam nullus, etiã per Dei omnipotentiam intelligi potest gratior Deo, quam Christus: ergo nec vlla maior gratia. Hoc argumentum terrefacit quosdam, qui ea, quæ pertinent ad humanitatem Christi etiam comparatione omnipotentiæ Dei efferre volunt; quasi laus Christi indigeret nostra imprudentia, aut desiderarent eius humanitatis dotes exhaurire Dei omnipotentiam, vt ipsæ perfectæ esse possent. Dico verò ad argumentum, quod loquendo de esse grato, vt est formalis effectus gratiæ habitualis, nõ modo est aliquid secundu se intelligibile gratius homine Christo, sed etiam id ab hominibus potest intelligi. Nã in ipso Christo potest intelligi maior gloria, quam ea ad quam est homo Christus acceptatus: atque etiam potest intelligi, quod per eadem sacramenta, & dispositiones maior hominibus gratiæ gradus, & gloriæ daretur ex meritis Christi. Postremque Deus facere in nobis de potentia sua absoluta maiores, & vberiores effectus gratiæ ob amorem Christi sui, quam ij, quos iuxta legem positam facit. Quid enim obsecro ipsum prohiberet? Et si habitum gratiæ æquè intensum poneret in homine viatore qui maiorem multo gratiam bonis operibus mereretur, quis responderet ei? Hæc verò intelligenda sunt de gratia habituali, & de proprio ac per se effectu, & fine illius, vt distinguitur contra gratiam vnionis.

Tertio argumentor: Quia sequeretur, quod homo viator posset pertingere ad gradum gratiæ Christi. Respondetur tamen, quod nulla est sequela: quia lux aeris quantumcunque crescat, nunquam pertinget ad lumen solis.

ARTICVLVS. XII.

Vtrùm gratia Christi potuerit augeri.

RESPONDEO dicendum, quod sicut lux solis est splendidissima in natura, & quantitas atque capacitas cœli est maxima, & sunt sufficientissimæ ad conseruandas, & illustrandas, & continendas res omnes corporales, nihilominus tamen eas res omnes fecit Deus in mensura, & modo suis operationibus, & finibus congruente, & posset splendidiorem lucem, & capaciores cælos creare: ità gratia Christi summa est, nec maior esse potest, nec æqualis de lege. Cæterùm est illi assignata mensura secundum definitionem diuinæ sapientiæ: ac proinde de potentia absoluta Dei posset esse maior. Quod his terminis dico, vt videatis, quod nunquam omnipotentiam Dei liberam

eius

esse finimus, & solutam à nostris disputationibus.

Sed solet aduersus hæc communiter opponi, scriptum esse, quod puer Iesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum, & homines: ergo re ipsa aucta est eius gratia. Et solet etiam communiter responderi, quod in sapientia, & gratia aliquis potest proficere dupliciter. Vno modo secundum ipsos habitus sapientiæ, & gratiæ: & sic Christus in eis non proficiebat. Alio modo secundum effectus, in quantum, scilicet, aliquis sapientiora, & perfectiora opera facit: & sic Christus proficiebat sapientia & gratia congruenter ad ætatem: quia secundum processum ætatis perfectiora opera faciebat, & in his, quæ sunt ad Deum, & in his quæ sunt ad homines, vt se verum hominem demonstraret. *Luc. 2.*

ARTICVLVS. XIII.

Qualiter gratia habitualis Christi se habeat ad vnionem.



CERTVM est, quod gratia vnionis est prior natura, & intellectu, & in genere causæ formalis, & finalis, & quodammodo efficientis gratia habituali Christi. Quod tribus rationibus ostendisse sufficiat. Prima; Quia suppositum eiusque vnio cũ natura est prior, quam habitus & operatio, sicut esse est prius quam operari, & esse substantiale est prius, quàm accidẽtale: at verò gratia vnionis vel est suppositum ipsum Verbi Dei vel vnio humanitatis cum Verbo: ergo est prior natura, & intellectu, quàm gratia habitualis. Secundo: Quia oportuit, vt qui Deus futurus erat & homo, summè gratus esset Deo: oppositum enim esset alienum ab omni ratione: ergo gratia habitualis Christi habet pro fine gratiã vnionis. Tertio: Quia gratia causatur in homine ex præsentia diuinitatis, sicut lumen in aere ex præsentia solis: præsentia autem Dei in Christo intelligitur peculiariter secũdum vnionem humanæ naturæ cum Verbo Dei: ergo gratia habitualis in Christo debet intelligi, vt consequens hanc vnionem, sicut splendor Solem, quod pertinet ratione quadam ad genus causæ efficientis.

Aduertendum verò est pro maiore declaratione huius disputationis, quod gratiæ vnionis solent tribui diuersa. Et ratio est, quia includit duo, scilicet, subsistentiam Verbi Dei terminantem humanitatem, & coniunctionem humanitatis cum subsistentia ipsa siue hypostasi (coniunctionem verò dico non relationem, sed fundamentum eius, nempe, Deum esse hominem) & iccirco ratione prioris illa vnio dicitur infinita simpliciter, & supra omne genus: ratione verò secundi atque eius, quod addit ratio vnionis supra rem, cum qua est vnio, dicitur temporale quid causatum à Trinitate gratis concessum humanæ naturæ, &c.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Quia finis, licèt sit prior in intentione, est tamen vltimus in generatione: ergo prior est gratia habitualis, quæ ordinatur ad gratiam vnionis, quàm ipsa vnio. Respondetur, quod non modo dicitur finis is, qui consequendus est, sed etiam is, qui præexistit, & finalizat, non vt fit sed quia est, atque vt bene fit: non aliter atque homo finis proximus est earum virtutum, & operationum, quibus ipse perficitur: ad hoc enim ordinatæ sunt, vt naturam rationalem perficiant. Nec modo aliqui fines præexistunt, & finalizant, vt bene fint, sed etiam, qui vltimus, & præstantissimus finis est rerum omnium ideo finalizat, quia est. Nec efficit res, & ad se ordinat ac refert, vt perficiatur ipse, sed vt perficiantur illæ: est enim in eo insita summi forma boni liuore carens, ob quam pulchrũ mundum pulcherrimus ipse condidit. Et iccirco Deus septimo die dicitur requieuisse ab vniuersis operibus suis, & eum sanctificasse, ne videretur aliquo opere suo sic delectatus, quasi faciendi eius eguerit, aut beatior futurus esset cũ fecisset. Ipse enim non indiget aliquo bono; nos autem beati sumus bono, quod ipse est. Et iccirco non sancti- *Boetius.* *Genes. 2.*

Aug. de Gen. ad liter. sanctificauit diem quo facienda inchoauit nec diem, quo perfecit, ne fortasse illis faciendis vel factis gaudium eius auctum videretur, sed eum diem sanctificauit, quo ab ipsis operibus in se ipso requieuit.

Secundo argumentor: Dispositio præcedit secundum rationem suam, & intellectum id, ad quod disponit: sed gratia habitualis in Christo est dispositio quædam ad gratiam vnionis: ergo præcedit eam. Respondetur, quod illæ vltimę dispositiones, quæ secundum multorum philosophiam dicuntur præcedere in genere causæ materialis intelliguntur antecedere per comparationem ad formam, quæ recipienda est in materia, non tamen per comparationem ad vnionem suppositi cum natura: hæc enim non fit medijs dispositionibus. Vel dicendum, quod sunt aliquæ proprietates, quæ consequuntur omnino rem in genere causæ efficientis, nec requiruntur ad eius generationem, nec vllo modo præcedunt: sicut intellectus, & voluntas sequitur animam, & habitus principiorum sequitur intellectum, & splendor sequitur solem: & ità gratia habitualis secuta est vnionem. Negari verò non potest, quod istæ sint qualitates, & dispositiones conuenientes rei, sicut decor est bona dispositio iuuentutis, & consequitur ad eam.

QVAESTIO

QVAESTIO NONA, DE GRATIA CHRISTI, SECVNDVM QVOD EST CAPVT ECCLESIAE.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Christus sit caput Ecclesiæ.



SICVT tota Ecclesia dicitur vnum corpus mysticũ per similitudinem ad natura le corpus hominis: ità Christus dicitur caput Ecclesiæ secundum similitudinem humani capitis. In quo potest considerari primo eminentia, & dignitas: est enim caput multò præstantius, & dignius cæteris membris. Vnde qui dignitate cæteros antecellunt capita dici solent, iuxta illud Samuelis ad Saulem: Nonne cum paruulus esses in oculis tuis caput in tribubus Israel factus es? Et secundum hanc rationem Esaias, cap. 52. euidenter loquens de Christo, Ecce, inquit, exaltabitur & eleuabitur, & sublimis erit valde. Exaltabitur, scilicet, plusquã Abraham eleuabitur supra Moysen, & sublimis erit valde, scilicet, supra Angelos, vt inimici ipsi crucis Christi Iudęi interpretantur, testimonium perhibentes veritati, etiam inuiti. Secundò in capite inuenitur ordo: est enim primum omnium membrum in cipiendo à superiori: vnde principia rerum capita dici solent, vt, caput viæ Ezech. 16. Et sicut ex primo ducũtur cętera ità quot quot à principio mundi gratiam, & iustitiam habuerunt illam per Christum eiusque merita sortiti sunt. Et iccirco Christus dicitur agnus occisus ab origine mundi. Tertio consideratur in capite perfectio, secundum quod vigent in eo omnes sensus interiores, & exteriores, secundum illud Esai. 9. Senex, & longæuus ipse est caput. Et hac ratione Christus est caput Ecclesiæ, quia habet plenitudinem omnium gratiarum. Vnde scriptum est Ioan. 1. Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis. Quarto consideratur in capite, quod regit corpus vniuersum, ducitque omnia mem bra. Et sic dicitur de Christo, quod educit oues suas, & cum emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur. Et illud, Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur, & aquilæ; &, Captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Et tandem quãdo Christus ducit in cœlum Ecclesiam immaculatam, & sine ruga patrique præsentat ait per Esai. Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus. Atq; hac ratione Christus in scriptura dicitur Rex Israel, quod scilicet, mentes regat, & in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantesque per ducat, vt ait August. In sermone quodam ante Dominicam Palmarum. Quinto inuenitur in capite, quod propter vim sentiẽdi atque mouẽdi ibi dominantem, influit in membra virtutem, & operationem. Atque hac ratione de Christo dictũ est Ioã. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Et Rom. 1. A quo accepimus gratiã. Et 1. Corinth. 1. Factus est nobis iustitia, & sanctificatio. Ac tandem hæc omnia com plexus est Paulus ad Colos. 1. dicens: Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso.

1. Reg. 15. Esaiæ. 52. Ezech. 16. Apoc. 13. Esai. 9. Ioan. 1. Ioan. 10. Matth. 24 Ephes. 4. Ephes. 5. Esai. 8 Ioan. 12. D. August. Ioan. 1. Rom. 1. 1. Cor. 1. Colos. 1.

Aduerten-

Aduertendum verò est, quod ea quę capiti tribuuntur, dignitas, scilicet, & eminentia, gubernatio, perfectio, influentia & operatio, multò perfectius conueniunt Christo, secundum quod est Deus, quam secūdum quod est homo. Ratio verò capitis non male loquuntur qui dicunt, quod magis proprie conuenit Christo secundum quod est homo, quam secūdum quod est Deus. Et ratio est, quia caput excedit quidem membra ordine, perfectione & virtute: est tamen eiusdem naturæ cum membris, Christus autē vt homo, est eiusdem naturæ nobiscum. Quidam verò sunt, qui hac in parte processerunt longius æquo. Dicunt enim, quod ratio capitis non conuenit Christo secundum quod Deus. Dicendum autem est, quod ratio capitis metaphorica, siue itá accommodate, & propriè atque Christo, siue secus, conuenit tamen Deo, & conuenit excellentius: siquidem videmus, & fideliter audimus Apostolum dicentem: caput vero Christi Deus. 1. Cor. 11

Sed aduersus hæc obijci posset, quod principium vitę aliqui physici in cerebro, alij in corde constituunt: ergo his potius nominibus, quam nomine capitis debuisset Christus appellari. Dico verò quod quanuis physicorum disputatio sit an principium vitæ, & ex quo motus omnis gubernatur, sit in cerebro, aut in corde, aut in capite, quia tamen noster loquendi modus, sicut & intelligendi sumitur in ordine ad sensibilia, & caput per comparationem ad cætera membra habet apertam, & euidentem eminentiam, dignitatem, & perfectionem, iccirco conuenienter Christus Dominus dicitur caput ecclesiæ. Galenus. Arist.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Christus sit caput hominum etiam quantum ad corpora.



HOMINES possunt considerari dupliciter. Vno modo, secundum esse naturæ, secundum quā rationem, quicquid boni habent est à Deo, & quicquid mali siue defectus, ortum habuit ab ipsis: Deus enim nec malorum author est, nec imperfectionis causa. Altero modo possunt considerari in ordine ad supernaturalia bona mentis & gratiæ: & hac ratione Christus Dominus sicut in quantum homo factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio: ita in quātum homo influit bona etiā in corpora. 1. Cor. 1. Primùm: Quia sicut anima male afficitur ex vitijs corporis, non dubium, quin etiam corpus bene afficiatur ex animi bona mente, & puritate: sed hanc puritatem & rectitudinē efficit in nobis Christus: ergo etiam influit in corpora. Secundò; Quia corpus seruit animæ, estque illius instrumentum, ac proinde quādo homo secundum spiritum militat Deo, tunc membra corporis exhibentur arma iustitiæ vt habetur Roma. 6. Quod autem spiritu seruiamus Deo, & Patri, habemus per Christum. Rom. 6. Tertiò: Quia per Christum cōfertur nobis non modo gloria animæ, sed etiam gloria, & immortalitas corporis. Quartò: Quia in omni opinione, scilicet, si ue Dei filius carnem assumeret non existēte peccato, siue assumeret, dicendum est, quod corpora relata sunt ad animas tanquam ad finem, & animæ ad honorē Christi, & visibilia sunt propter homines, & homines sunt relati ad Christum: ergo Christus etiam influit in corpora secundū metaphoricum illum influxum, quem finis claudit, & est caput hominum non solum quoad animas sed etiam quantum ad corpora.

Sed aduersus hæc obijci posset: Quia bonum naturale hominis est ordinatum ad supernaturale: si ergo Christus est finis & ab eo depēdemus in supernaturalibus: ergo, & in naturalibus. Respōdetur, quod siue Christus veniret non existente peccato, siue secus, in omni tamen sententia dicendum est, quod non est prædestinatus nec veniret, nisi vt author bonorum supernaturaliū: & iccirco dicimus, quod quoad naturalia non dependemus ab ipso ratione, scilicet, ipsorum naturalium: in quantum vero naturalia relata sunt ad supernaturalia, & supernaturalia ad Christum, conse-

consequenrer naturalia relata mihi videntur ad ipsum.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm Christus sit caput omnium hominum.



CAPVT habet, vt tale esse dicatur per cõparationẽ ad membra, & partes corporis vniuersas, quibus influit vitã aut motũ, aut operationem, aut saltẽ cõtinet in vnũ, & cũ redemptio, quæ est in Christo Iesu, non modo plures gentes, & nationes cõuerterit, & cõplures homines sanctos & iustos effecerit, sed etiã sufficientissima fuerit vt per eã iustificentur, & salui fiant quicunq; ei adhærere voluerint per fidẽ & amorẽ, fit cõsequenter, vt Christus caput sit omniũ hominũ, cum discrimine tamen & ordine suo. Nam primum omniũ est caput eorũ, qui sibi æterno amore cũ angelis iungũtur, & quos ipse pascit veritate, puritate, æternitate, nõ habẽtes maculã, nec rugã, & similes effectos Deo, mũdos omnino ac propterea Deum videntes, iuxta illud: Beati mundo corde, quoniã ipsi Deum videbunt. Secũdò eorũ, qui ei vel in hac vita, vel in purgatorio vniuntur, per fidẽ & charitatẽ, quibus annumerandi sunt sancti patres pro eo tẽpore, quo in lymbo fuerunt, expectantes aduẽtum Christi, & introitũ regni cœlestis. Tertiò eorum, qui ei iunguntur per fidẽ. Quartò prædestinati omnes, nõ dubium quin, quanuis adhuc nati non fuerint, tamen potentia & prædestinatione Dei iunguntur ipsi. Quintò denique omnes homines, quotquot vel sunt, vel erunt considerata virtute, & redẽptione Christi, & eorum libertate possunt Christo iungi, estq; Christus eorum caput in potentia. Dãnatorum verò nulla ratione Christus caput est: quia nec ipsi vlla iam ratione possunt esse membra.

Rom. 3.

Matth. 5.

Sed solet hoc loco moueri quæstio, an peccatores habentes fidem sint actu membra Christi. Peccatores autẽ appello, mortiferis criminibus grauatos, ob quæ homines relegãtur a beatitudine, & societate sanctorũ: alioqui scimus, quoniã si dixerimus, quod peccatũ nõ habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nõ est. Et quidẽ iustissimus ille Daniel, qui se opposuit & tã anxiẽ precatus est pro populo suo, seipsum agnoscẽs, & nos docẽs verissimẽ dicebat: Cũ adhuc loquerer & orarẽ & confiterer peccata mea, & peccata populi mei, &c. In hac ergo quæstione mirũ est, quàm se aliqui torqueant, & quam seuerẽ de aliorum sententijs iudicent. Si tamen illa seueritas potius, quam inscitia atq; temeritas appellanda est hominũ quorundam, qui nondũ agnouerunt, quod locutiones metaphoricæ non sustinent nec admittunt illas censuras, dummodo quis se explicet in sensu catholico, quod ipse facile facere potest. Igitur quod sentio tribus dictis absoluam. 1. Ioan. 1. Daniel. 9

Primum illudque fundamentale sit, quod dummodo quis fateatur peccatores sæpe retinere veram fidem amissa gratia per peccatum, & eam fidem esse donum Dei, & eos postquam semel baptismum susceperunt ecclesiæ subijci; & ad eam pertinere nullum est periculum; siue dicas, quod sunt actu mẽbra, quia recipiũt actualem influxum fidei, continenturque intra ecclesiam: siue quod non sunt actu membra, quia non habent vitam charitatis: siue quod sunt homogenea, quia habent fidem eiusdem omnino rationis, siue quod sunt eterogenea, quia non habent vna cum iustis spiritum vitæ Christi: & denique siue dicas, quod sunt actu partes, siue in potentia, nihil refert ad fidem catholicam, dummodo te ipsum ad prædictam normam reuoces, & interpreteris. Hæc autem, quæ dixi, probare non curabo, quia nemo illa negare poterit, nisi puer fuerit ætate, vel sensu.

Dico secundo, quod peccatores non sunt membra viua Christi. Probatur: Quia in Concilio Tridentino, Sessione. 6. capit. 7. sic habetur: Homo in iustificatione sua accipit per Iesum Christum cui inseritur fidem, spem, & charitatem: nam fides, nisi spes accedat, & charitas, nec perfectẽ vnit cum Christo, nec corporis eius membrum viuum efficit. Conc. Trid.

Secundo probatur: Quia in acceptione

ſcripturæ,& doctorũ eccleſiaſticorum vita Chriſti eſt vita gratiæ & charitatis, bonorũq; operum:nam fides ſine operibus mortua eſt:at verò peccatores nõ habent hanc vitã:ergo nõ ſunt mẽbra viua Chriſti. Tertio:Quia ſcriptum eſt, Qui autem ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs,& concupiſcentijs ſuis,& iterũ, Si ſpiritu viuimus,ſpiritu & ambulemus: ſed peccatores nec vitia ſua crucifixerunt, nec ſpiritu ambulãt:ergo nec ſunt Chriſti nec viuunt de ſpiritu Chriſti.

Iaco.2. *Galat.5.*

Dico tertio.Quod in eo an peccatores fideles ſint actu mẽbra Chriſti quod ad rem attinet nulla eſt difficultas:certũ eſt enim quod habent veram fidem ſed mortuam, & quod habent influxum aliquem vitæ, ſed non ſufficientem ad veram vitam ſpiritus,nec vnientem Chriſto perfectè.Quod autem pertinet ad modum loquẽdi magis ſeruant vim metaphoræ,& cõformiùs patribus loquuntur qui negãt peccatores eſſe actu & ſimpliciter mẽbra Chriſti,quam qui aſſerunt.Et ratio eſt: Quia in naturalibus vbi fuerit caput & corpus, illuc deferuntur & congregantur membra actu, & ſimpliciter:ſed peccatores,vt ſic,nec congregari cum Chriſto & ſanctis poſſunt, nec regnum Dei poſsidere:ergo non ſunt membra actu & ſimpliciter. Item ſi cõſulamus metaphyſicos inueniemus verè dictum eſſe ab illis,quod viuere viuentibus eſt eſſe:ſed corpora,quæ habent membra ſunt viuentia:ergo in illis viuere eſt eſſe: ergo membra,quæ habent eſſe membra actu & ſimpliciter, habent etiam vitam actu & ſimpliciter, ſiquidem in eis eſſe eſt viuere:at peccatores non habent vitã illã, de qua nobis ſermo,actu & ſimpliciter:ergo nec ſunt membra actu, & ſimpliciter. Tertio:Quia mẽbrũ ſimpliciter & in actu eſt ſimpliciter & in actu cõiunctũ:ſed mali homines & peruerſi per vos ſunt mẽbra Chriſti ſimpliciter & in actu:ergo ſunt ipſi coniuncti:ergo ſi retineant fidẽ nũquam ſeparabuntur,quod eſt hæreticũ.Probatur cõſequentia:Quia Deus neminem deſerit niſi ab eo deſeratur,& hi per ſolam fidem iunguntur:ergo ſi illam retineant nõ ſeparabuntur. Quarto : Quia quanuis aliquid poſsit eſſe albũ,& nigrũ,rationale & nõ rationale,cõ ſideratione diuerſa, tamẽ quod ſit albũ & nigrũ,rationale & nõ rationale ſimpliciter & abſolute loquẽdo , id vetat natura rerũ. Tunc ſic:Peccatores ſunt mẽbra Diaboli actu,& ſimpliciter: ergo non ſunt mẽbra Chriſti:aliquid enim repugnãtiæ inter hæc ſentiebat qui dixit, Tollens mẽbra Chriſti faciã membra meretricis. Quinto:Quia ſcriptura ſancta & patres nõ modo ſignificãt,quod iſti nõ ſunt viua mẽbra,ſed dicũt,quod nõ ſunt Chriſti, quod nõ viuunt de ſpiritu Chriſti,quod quanuis ſint in domo Dei nõ tamẽ ſunt domus Dei nec pertinẽt ad cõpagẽ domus.(Quæ ſunt expreſſa verba Auguſtini li.7.cõtra Donatiſtas c.51.)Sed mẽbra actu & ſimpliciter, quæcunq; ſint illa,pertinẽt ad cõpagẽ corporis:ergo peccatores nõ ſunt mẽbra actu & ſimpliciter,ſed in potẽtia, & actu ſecundũ quid,hoc eſt,actu quodã vnionis ac influxus imperfecto. Ex ſcholaſticis etiã Doctoribus plures adducit Dionyſ. in.3. d.13. q.3.negantes peccatores eſſe mẽbra Chriſti.Et Alexãder atq; Hugo peccatores faciũt de vnitate eccleſiæ,nõ tamẽ de vnitate corporis eccleſiæ.Itaq; diſtinguũt inter illa duo & B.Tho. ait,quod qui ſubdũtur peccatis nõ ſunt mẽbra Chriſti actualiter, ſed potẽtialiter, niſi fortè imperfectè,& ſecundũ quid. Dicere verò nõ omittã, quæ memini legiſſe me apud quẽdã.Dicebat ille eſſe de fide, quod peccatores ſunt actu mẽbra Chriſti.Eum verò,quia diſcipulus erat D.Tho.ſolũ cõueniã verbis ipſius B. Tho. Accipio igitur hæc ſola verba, Qui peccatis mortalibus ſubdũtur nõ ſunt mẽbra Chriſti actualiter,& quæro,an ſint cõtra fidem nec ne.Si contra fidẽ,ergo errorẽ in fide affirmauit B. Tho.his verbis, in quibus nemo alius eũ reperiret.Dicis,iam ſubiunxit,niſi fortè imperfectè,& per fidẽ informẽ vniẽtem Chriſto ſecundũ quid. Egregia ſanè reſpõſio,cum id affirmaſſet, quod erat cõtra fidẽ hac moderatione tẽperauit ſentẽtiã,niſi forte imperfectè, & ſecũdũ quid.Cõ ſiderate verba,fortè, imperfectè,& ſecundũ quid. Sed donet Dominus,vt probemus noſtra,alios autẽ omittamus,quod ego certè facere ſtudeo.

D. Auguſt. *Dionyſ.* *Alexan.* *Hugo.* *B.Thom.*

Cæterùm

Cæterùm aduersus hæc, quæ diximus, præcipuè tertio loco argumentor primo
Matth.13. ex parabolis Euangeliorum, vbi ecclesia
Matth.25. comparatur sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti, id est, bonos & malos, & decem virginibus, quarum quinque erant prudentes, & quinque fatuæ, & in agro patris familias erat simul triticum, & zizania, & Apostolus ait, quod
2.Timot.2. in magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea atque fictilia, & alia quidem in honore alia verò in contumeliam, & huius generis alia multa, respondetur, quod hæc dicuntur de malis hominibus, quia baptismum susceperunt, per quem se ascripserunt militiæ Christi: & quia fidem habent non tamen, quod sint membra Christi actu & simpliciter, nec, quod pertineant ad compagem domus Dei, sed quia sunt sicut palea in fru-
D.August. mento, vt August. ait loco citato. Et aduertendum, quod aliunde sumitur esse mẽbrum ecclesiæ, & aliunde membrum Christi. Primum sumitur ex professione fidei, susceptioneque baptismatis. Secundum ex vita gratiæ, & qui hoc secundum non videt in scripturis & sanctis nunquam illos legisse videtur. Primum verò constat ex acceptione scholasticorum.

Secundo argumentor: Quia membrum etiam & mortuum & aridum, membrum tamen est, & suscipit vitam vegetabilem: ergo pari ratione, &c. Respondetur, quod quanuis exactè seruare velimus analogiã ad naturalia, si tamen membrum non viueret per eam vitam, qua corpus est verè, & absolute viuens, non posset esse membrum actu, & simpliciter: peccator autem quanuis retineat fidem non viuit per eam vitam qua alia membra sunt, & dicuntur viua, scilicet, per charitatem: ergo non est simpliciter & in actu membrum.

Tertio argumentor: Sunt episcopi, sunt duces, sunt pontifices, & capita populorũ: ergo sunt mẽbra Christi. Sed sancte Deus, quis ferat sic argumentantem? Quasi diceret: Sunt synceri, sunt humiles, sunt misericordes, sunt pacifici, & mundi corde: ergo sunt membra Christi. Nos ergo dicimus, quod si pontifices, & episcopi, & duces, & capita populorum sancti, & humiles fuerint, & verbo ac exemplo homines docuerint admirabile præmium reportabunt: de illis enim scriptum est: Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt, Daniel.12 quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates. Vbi eorum propheta recordatus in primis, quorum virtus latius patuisset, & qui se totos aliorum saluti consecrassent subiunxit: Hi quasi splendor firmamenti, quasi sol, & luna, cœli Dei, à quibus totum lumen oritur, honorabuntur. Et qui non ad corporis, & externa bona non ad humana ista vilia, & abiecta, sed ad iustitiam, & pietatem plurimos informauerunt, hi quasi clarissimæ stellæ cæteris orbis partibus lumen, & gloriam refundent, fixi, & scintillantes manebunt, in Dei ęternitate conquiescent. Si tamen auari fuerint, si arrogantes, & superbi, si immisericordes, si se ipsos amantes, & inimici crucis Christi, Philip.3. quantò altiores dignitate, & potentiores fuerint, & quantò magis se glorificauerint in delicijs, tantò maiora tormenta pa- Apocal.18. tientur. Hæc effecerunt, vt dicerem, variæ scholasticorum sententiæ, ac coegerunt, vt longiùs fortasse tractarem, quam par erat. Bonæ enim, & sanæ menti horrorem incutit, vel audire, quod peccatores sunt membra Christi actu & simpliciter. Nam si auari homines, si superbi, si adulteri, si homicidæ, si blasphemi sunt membra Christi actu & simpliciter, qui nam obsecrò sunt membra Diaboli? Vt tamen actu & simpliciter sit aliquis membrum Christi, & membrum Diaboli fieri non potest: 2.Cor.6. nã quæ societas lucis ad tenebras, aut quæ conuentio Christi ad Belial.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm Christus sit caput angelorum.



IN hac disputatione est aliquid certum, ac constitutum, & aliquid in controuersia positum. Certum est, quod Christus Dominus debet dici caput Angelorum, etiam secundum

cundum quod homo. Est enim angelis prior ordine, quia est Deo propinquior, & perfectione, quia habet multò maiorem gratiam. Deinde virtute, quia influit in illos, tum illuminando, vt docet B. Dionys. c. 7. ecclesiasticę Hierarchię tum etiā imperando: nā est ipsorum Dñs. Vnde ipse dicebat: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Et ad Eph. 1. ait Apostolus, quod pater cōstituit eum ad dexterā suā in cœlestibus supra omnē principatū, & potestatē & virtutē, & dominationē: & omne nomē, quod nominatur nō solum in hoc sæculo, sed etiā in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius. Et Heb. 1. dicitur de angelis, quod sunt administratorij spiritus in ministeriū missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. In administranda verò nostra salute Christus est caput, & princeps, & per eum cōferuntur, & proueniunt nobis omnia bona: ergo angeli seruiunt ei, iuxta illud: Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Et Matt. 4. Accesserunt angeli & ministrabant ei: est ergo angelorum caput, & princeps. Et quidem apud nos multitudo ordinata in vnum aliquem finem secundū distinctos gradus, & officia efficit vnum corpus mysticum, cuius caput & princeps est qui primum locū tenet: ad finem autem veræ beatitudinis, quæ veritate puritate, & æternitate continetur, ordinantur homines & angeli, in quibus principem locum tenet Christus: ergo est caput & princeps eorum.

B. Dionys. Matth. 28. Ephes. 1. Heb. 1. Hebr. 1. Matth. 4.

Sed illud est in cōtrouersia positum, an Christus itá sit caput angelorū, vt gratia, & gloria, quam habent data sit eis per merita Christi, & propter ipsum Christum. Qua in altissima quæstione illud in primis vereor, ne quis sanctus ac in sentiendo sobrius admoneat, ne bestia cum sim, audeā tangere montem, ac proinde sine assertione dicam ea, quæ sacris scripturis & sanctorum dictis magis conformia esse videantur. Illos autem interim relinquā, qui omnino affirmant verum esse quod ignorāt. In hac ergo quæstione primùm videat vnusquisque quam sententiam sequatur ex illis duabus, quas supra retulimus, q. 1. huius operis articul. 3. Nam si dixerit cum B. Thom. quod si Adam nō peccasset verbum non assumeret carnem, valde consequens esse videtur illi sententiæ, quod angeli non fuerint assecuti gratiam per Christum. Quod declaro: Nā si decretum de Christo supponit præuisionē peccati lapsumq; Adę, ergo supponit prēuisionē gratiæ, à qua cadebat: ergo & præuisionē gratiæ angelorū: quia in quo priori videtur à Deo gratia primi hominis, videtur & gratia angelorū: ergo ea gratia nō fuit data pro ptermeritā Christi. Verū est tamen, quod hæc deductio non est itá necessaria, quin possint ij, qui dicunt, quod Adam non peccante Christus nō veniret, tueri nihilo minus, quod gratia sit data angelis, & primo ipsi homini per Christum, vt alio in loco memini me ostendisse. Cæterum id videtur plurimis esse omnino consequens. Atque, vt ego existimo, iccirco B. Thom. tenuit hanc sententiam, quoniam putauit suis alijs sententijs, & opinionibus esse consequentem: & sapientis viri est id semper curare & prouidere in suis scriptis ne posteriora obstent primis. Siqui verò dixerunt cum Alexandro, & Scoto, quod quanuis Adam non peccasset Verbum fieret homo, quoniam Christus est primo dilectus, & propter quem condita sunt vniuersa, is tenebit profectò consequenter, quod gratia, & gloria data est angelis per merita Christi; non quod eos Christus liberauerit à peccato: sed quod in statu gratiæ, & gloriæ, ac filiorum Dei collocauerit. Ego autē quod sentio exponā sequētibus.

Exod. 19. B. Thom. Alexand. Scotus.

Prima conclusio: Christus Dominus non est mortuus propter angelos. Hæc est sententia Beati Augustini in Enchiridione ad Laurentium, cap. 61. & eam sequuntur scholastici communiter, & debet haberi pro certa. Pro cuius explicatione aduertere oportet, quod quanuis in opinione sit, vtrùm si Adam non peccasset filius Dei venisset, tamen non est in opinione, sed certum apud omnes, & constitutum, quod si venisset non existente peccato, non venisset moriturus: quoniam si homines tantum essent reducendi, & eleuandi

D. August.

uandi ab statu naturali ad statũ gratiæ, & gloriæ, nõ fuisset necesse Christum mori: quia nulla suberat culpa, pro qua expiãda moreretur. Quia verò homines reuocãdi fuerunt, & traducendi ab statu peccati ad statum iustitiæ, icirco pro nobis Christus mortuus est. Et propterea in scriptura peccata generis humani assignantur pro causa mortis Christi, iuxta illud ad Rom. 4. Traditus est propter delicta nostra, & 1. Cor. 15. Mortuus est propter delicta nostra. Et ratio est, vt dixi, quia si homo nulli culpæ obnoxius esset, nulla indigeret satisfactione. Postquã autẽ peccauit nõ potuit cum Deo reconciliari, nisi media satisfactione Christi, quã Dñs exhibuit morte sua: vnde solum mortuus est vt hominũ peccata deleret, atq; eos à debito mortis eriperet, quæ per peccatũ intrauerat in hunc mundũ, vt ait Apostolus Roman. 5. Ex quibus omnibus constat conclusionẽ verã esse. Nam cũ angeli non fuerint educti ab statu peccati ad statum iustitiæ, non dicitur Christus mortuus pro ipsis, nec, propriè loquendo, redemisse ac liberasse eos, qui nunquam fuere captiui.

Rom. 4. *1. Cor. 15.* *Rom. 5.*

Secunda propositio: Angeli iustificati sunt, & gloriã obtinuerunt ex fide in Christum venturũ, & per merita eius. Hæc est mihi verisimilior, quam opposita, Quanuis manifestè sentiam longè me esse ab eo vt comprehendam veritatem, eam tamẽ probo in primis, quia Dei cognitio ac essentia mensuratur æternitate, & æternitas amplectitur omnia tempora: sed cùm Deus in nouissimis temporibus introducit vnigenitũ in orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei: ergo quando in principio temporis creauit angelos proposuit etiam illis Christum adorandum per fidem, quem propositurus erat re ipsa colendum temporibus futuris. Nulla verò creatura adorat Christum, & credit in eũ, quæ non assequatur gratiam, & quæcunq; alia bona supernaturalia per Christũ: hoc enim omnino pertinet ad Christi dignitatem, qui est verus Deus, in quo condita sunt vniuersa: ergo angeli per ipsum iustificati sunt.

Hebr. 1. *Colos. 1.*

Secundo: Angeli habuerunt fidem in Christum, quia non est credendum, quod ineffabile illud mysteriũ, quod Seraphim nunquam satis admirantur, ignorauerint. Præsertim cum nato Dño ipsi cecinerint: Gloria in excelsis Deo: & celebrauerint illud mysteriũ, quod anteà illos nouisse, & secunda hæc & prima etiam ratio colligebat. Atque oppositum alienum esse à ratione existimauerit omnis, qui considerat quã exempti sint angeli à nostrorũ dierũ, & tẽporũ successione vt qui sint supra tẽpus. Tũc vltrà: In quo mihi præceptũ est, vt fidẽ collocẽ meã, in eo etiã præceptũ est & spem, & amorẽ collocare: sed angeli ex præcepto Dei habuerũt fidẽ in Christo: ergo in eo spem suã & amorẽ collocarũt: ergo per ipsum sunt assecuti iustitiã. Probo consequentiã: Quia vera iustitia est in eo fidẽ spem & amorem collocare, ac cõstituere, in quo debes cõstituere ac tibi præceptum est: & in vniuersum creatura rationalis iustificatur per eum in quem credit, seruata tamẽ proportione, vt in quantum Deus est iustificetur per eum, vt Deum: in quãtũ verò mediator per eũ vt mediatorem. ¶ Tertio: In ordine naturę hoc est perpetuum, vt primum in essendo in aliquo genere sit etiam primum in efficiendo, vt primum mobile est causa omnium motuum, & ignis causa calidorũ: quæ propositio loquendo de causis vniuersalibus, & in ordine ad ea, quæ per se infunduntur ac fiunt videtur esse vniuersaliter vera: sed Christus est primus in essendo quoad bona gratiæ: ergo est primus & vniuersalis effector bonorũ gratiæ, & à quo gratia omnis deriuatur, sicut lux à sole: ergo tam homines quã angeli recipiunt gratiã ab ipso.

Lucæ 2.

Quarto id probatur ex scripturis: Nam si teste Apostolo, in Christo siue propter Christum condita sunt vniuersa, & est caput omnis principatus, & potestatis, & Deus constituit eum ad dexteram suam supra omnem potestatem, & subiecit omnia sub pedibus eius, ipsumque dedit caput super omnem Ecclesiam, qui omnia in omnibus adimplet, id est, perficit, & operatur, consequens est, vt si caput est principatuum, & Angelorum, illis infundat gratiam: quoniam secundum

Colos. 1. *Ephes. 1.* *Colos. 2.*

cundũ scripturæ vsum Christus dicitur caput, eo quod motũ influat, ac vitã spiritualẽ his, quorũ caput est, iuxta illud ad Ephesios. 4. Qui est caput, ex quo totum corpus cõpactum, & cõnexũ secũdũ operationẽ vniuscuiusq; mẽbri augmentũ facit in charitate. Et quidẽ Matt. 7. exibãt dæmonia clamantia, & dicentia: Christe fili Dei viui, vt quid venisti ante tempus torquere nos? quasi iã antea illũ in cœlis sensissent infensum, cũ eis propositus est adorandus. Quinto vero loco, quoniã quidã scholastici, cũ in hãc ipsam quæstionẽ incidissent, dicebant, eã videri sibi nõ improbabilẽ, & cupere se vehemẽter, vera vt esset, induci tamen in eam non posse, quoniã nusquam apud antiquos authores & doctores ecclesiasticos appareret, satisfaciamus huic eorũ desiderio. Hãc igitur tenet D. Hieronym. explicans illud Eph. 1. Ipsum dedit caput supra omnẽ ecclesiã, & Ephes. 4. Ipse est, qui ascẽdit, vt adimpleret omnia. Theodoretus in eum locũ ad Eph. 1. Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortẽ. OEchumenius super cap. 2. epist. ad Heb. B. Bernardus serm. 22. super Cãt. & ser. 1. de circũcis. Origenes hom. 1. in Leuiticum, & alijs in locis. Innuit etiã ea Rupert. Abbas, in illa verba Ioan. 8. Ille homicida erat ab initio. Quod si qui ex his authoribus lõgius æquo processisse videantur, atq; dixisse, sanguine vel passione Christi Angelos purificatos esse, gratiamq; assecutos, par est credere eos nomine sanguinis vel passionis, Christi merita intellexisse. Ex recẽtioribus autẽ plures hanc sententiã docuerũt: ex quibus fuere Caiet. 3. p. q. 7. art. 11. Ambr. Catherinus lib. de Angelorũ bonorũ gloria. Naclantus in medula sacræ scripturæ in sexta ætate mũdi. Rodericus de Solis, 1. part. artis seruiẽdi Deo, & alij. Optarẽ aute ego, vt qui cõtraria sentiũt graues aliquos ex antiquis patribus proferrent affirmantes, quod gratia nõ sit data Angelis per Christum; quo & ipsi cautos, & modestos in asserendo se esse ostenderent, & ego à mea opinione desisterem tãtorũ patrum auctoritate permotus. Sed in contrarium versa res est: nã illi nemine attulerunt, & nos aliquos proferre potuimus.

Ephes. 4 Matth. 7. D. Hier. Ephes. 4. Theodor. Ephes. 1. OEchum. Origen. Rupert. Ioan. 8. Caiet. Cather. Roderi.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Quia sequeretur inde, quod primo homini ante peccatũ data esset gratia propter Christum, siquidem angelis collata est, quod quidam putant esse inconueniens. Respõdetur, concedendo sequelam, & negando id esse incõueniens. Ac certè, quanuis ego in præsenti disputatione, quod attinet ad angelos verè fatear me ignorare veritatẽ, de primo autẽ homine prorsus teneo, quod ei data sit gratia, etiam ante peccatũ propter Christum, idq; in omni sententia. Nã si Deus præuidens quod viri Ceilæ cõmorantes tradituri essent Dauidẽ nisi aufugeret, responsum dedit ei, vt fugeret, quem tamen illi nunquam tradiderunt, quantò magis potuit dare gratiam primo homini propter Christum ex præuisione peccati, in quod re ipsa incidit? Igitur qui putant, quod non existente peccato Christus non veniret, non ideò debent negare primam gratiam collatã esse homini propter Christum etiam ante lapsum. Ac ego certè mirari satis nequeo, quam aliqui viri docti ad hęreãt opinionibus, in quibus enutriti sunt & fidant inerti syllogismo. Nam si Dominus vnxit Dauidem in Regem contemplans, quod Saul perseueraturus esset in peccato, si elegit similẽ ob causam Hieroboam, si denique prophetica fere omnia, quæ Deus fecit aut dixit per prophetas suos, dependebant à futuris contingentibus, in quibus tamen Deus nec fallere potuit nec falli, quis nõ videat Adæ potuisse dari primam gratiam propter Christum venturum?

1. Reg. 16. 3. Reg. 12.

Secundo argumẽtor: Quia angelus, qui quando Christus natus est pastoribus apparuit, dixit ad illos: Natus est vobis hodie Saluator: dixisset autem: Natus est nobis, si angelis collata esset gratia ex meritis Christi: ergo non acceperunt eam ex Christi merito.

Luc. 2.

Cæterùm hoc argumentum plurimis ex causis non conuincit. Primùm, quia illi duntaxat Saluatoris nomen propriè conuenit, qui alium à malo, cui subiacet eripit. Vnde cum Angeli non fuerint obnoxij peccato, non dicitur Christus propriè illorum Saluator. Quæ doctrina est

D.Gregor. eſt D. Gregor. li. 28. Moral. cap. 14. Secundo, quia licet angelis etiã natus eſſet Chriſtus, quia tamen homines ad gaudiũ excitabant, iccircò angeli hominibus natũ eſſe dicebant, non negantes eſſe ſibi natum. Poſtremò, quia quis nouit, an indecens, & inconueniens putauerit ſapientia Dei tunc aperire paſtoribus hoc myſterium, quod ille qui naſcebatur, erat principium gratiæ Angelorum, & eorum quodammodo liberator & redemptor? Itaq; hoc argumentum nihil efficit. Tertio arg. Quia Apoc. 7 Apoca. 7. homines redempti clamabant: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper Thronũ, & Agno. Angeli verò ſolum dicebant: Benedictio, & claritas, &c. Deo noſtro. Ex quo videtur colligi, quod homines quidẽ ex merito Agni iuſtificati ſint, non tamẽ Angeli, ſed ex ſola liberalitate & miſericordia Dei. Reſpondetur, quod qui hoc opponunt legere poſſunt caput quintum eiuſdem libri ibiq; videbunt angelos & homines, & vniuerſam creaturam dantem gloriam Agno. Apoca. 5 Fortaſſe verò c. 7. iccirco homines peculiariter laudabant Agnum, quia ſolum pro illis Chriſtus mortuus eſt, vt Agnus manſuetus. Quarto: Sancti Patres non ſunt admiſsi ad gloriam antequam Chriſtus moreretur, eo quod morte ſua illos redemerit: ergo nec Angeli fuiſſent gloriam adepti antequam Chriſtus naſceretur, ſi ex meritis Chriſti gratiam accepiſſent.

Ad hoc negatur conſequentia: Nã quia homo peccauit, & pro illo peccato delendo Chriſtus mortuus eſt, iuſtè decretũ fuit nequis hominũ regnũ intraret prius quã Chriſti mors & ſatisfactio exhiberetur: at verò Angelus perſeuerauit in gratia accepta: & ideò cõgruũ fuit, vt nõ prohiberetur à viſione Dei. Si quis tamẽ inferat inde quod homo nõ peccaſſet & Chriſtus veniſſet, poſſent antecedẽtes homines trãſferri in ſtatum beatorum, videreq; Deum antequã Chriſtus in cœlũ intraret, id videtur eſſe cõſequens. Et hæc de hoc articulo.

Sed quæret aliquis hoc loco, qua ratione humanitas Chriſti poſsit agere in Angelos cũ res corporea nõ agat in incorporeã? Et reſpondẽt quidã, quod quemadmodũ phãtaſma ſub lumine intellectus agentis poteſt in animã intellectiuã agere, eamq; immutare ſecundũ intellectũ: ſic aliqua res corporea virtute iunctæ diuinitatis, poteſt in ſpiritus ſeparatos. Sed hæc non omnino probãda ſunt. Primũ; quia phãtaſmata nõ agunt in intellectum, ſed ſunt materia, ex qua educitur forma, quæ eſt velut principiũ agendi. Secũdo, quia inter animam, & omnia corporea, quæ in nobis ſunt, eſt proportio formæ & materiæ: vbi autẽ eſt tale vinculũ nulli dubiũ, quod corpus agat in animã, ſed eſt extra id, quod quæritur. Poſtremo: quia non eſt neceſſe recurrere ad has anguſtias. Dico ergo, quod cũ humanitas Chriſti, vt inſtrumentũ diuinitatis, ãgat in animã intellectiuã per ſe infundẽdo dona & virtutes, eadẽ ratione poteſt agere, & in angelos. Et cũ illud audio: Quæ eſt illa virtus, quæ corpus tãgit, & cor abluit, deſino mirari, quomodo humanitas poſsit eleuari ad purificãdos ſpiritus. Et ſiquidem Dñs ſola volũtate ac verbo ſuo ſanitatem corporis, & ſanctitatẽ animæ infundebat, nõ ſolum impetratorie, ſed etiã efficaciter in ordine ſuo, quid mirum, ſi nõ modo illuminet angelos, ſed etiã meritis eius, & voluntate, & virtute diuinitatis adiuncta, adminiſtrẽtur per eum omnia angelorum bona?

ARTICVLVS. V.

Vtrùm gratia Chriſti, ſecũdum quam eſt caput eccleſiæ ſit eadem cum gratia perſonali ac habitualis eius.

Reſpondeo, quòd cũ Dñs dicatur eſſe caput noſtrũ, ſecundũ quod motum ac vitã ſpiritualẽ influit, & gubernat ac regit ſuos, & vnum ac idẽ principium ſit eſſendi, & agẽdi, Deus enim per eſſentiã ſuã eſt & operatur ac ſol per eandẽ lucẽ lucidus eſt, & illuſtrat vniuerſa, & ignis per eundẽ calorẽ calidus eſt & calefacit: ita Dñs per eãdem gratiam, & dona, ac virtutes heroicas, & excellẽtes, & iuſtus eſt, & in nos gratiam transfundit: ac proinde eadem eſt in illo gratia, quã eius humanitas ſanctiſsima, & gratiſsima eſt, & gratia capitis, ſed comparatione diuerſa.

Aduertēdum vero est, quod Dominus est caput ecclesiæ secūdum quod interius influit, & propria virtute, ac authoritate: alij verò pontifices, & rectores sunt capita inquantum exterius gubernāt pro loco, & tempore, & vnusquisq; in ordine suo, idq; in persona Christi, iuxta illud: Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi. Et illud etiam addendum est pro rei declaratione, quod sicut aliud fuit peccatum in Adam, & aliud in vnoquoq; nostrum pro diuersitate subiectorū: ità alia est gratia habitualis in Christo, & alia atq; distincta numero in vno quoque nostrum. Sed superest discrimen, quod in Adam distinguitur duplex peccatum, scilicet, personæ, quod cōstitit in actu primi peccati Adæ, & peccatum naturæ deriuatum ab illo actu peccati Adæ, in nos que transfusum. Ob quam rationem dici solet, quod in Adam persona corrupit naturam: vnde nos illud peccatum vnà cū natura contrahimus. At verò gratia Christi non deriuatur ad nos per actionem naturæ, sed per actionem voluntariā Christi, qua meruit nobis, & voluntariè influit gratiam: vnde non oportet in Christo distinguere duplicem gratiam, quarum vna respondeat naturæ, alia personæ: sicut in Adā distinguitur peccatū naturę, & personæ.

2. Corin. 2.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm Diabolus sit caput omnium malorum.

RESPONDEO, quod caput dicitur id, quod eminens, & præstantius est: & quia talis est Diabolus respectu malorum, iccircò rectè caput dicitur. Secundò: Quia caput est primum membrum, & Diabolus primo peccauit, & se se omnibus imitandum proposuit, & cæteris quasi vexillum euexit, vt se sequerentur, iccircò rectè caput dicitur, præcipuè superborum hominum, & ambitiosorum, iuxta illud: Ipse est rex super omnes filios superbiæ. Tertiò: Quia caput dicitur, quod cætera membra regit, & ducit ad suum finē, & Diabolus regit, ac trahit suos, eos, scilicet, qui aguntur spiritu Diabolico, sicut sancti aguntur spiritu Dei. Et præterea, quia in vniuersum filios omnes perditionis ducit ad suum finem, in quantum astutia Dæmonis peccatum intrauit in hunc mundum, & ab eo peccato emanauerunt omnia peccata, iccirco Diabolus malorum omnium dicitur esse caput. Quanuis enim non omnia peccata instinctu Dæmonis agantur, vt placere video quibusdam magnis, tamen omnia ratione quadam ab eo processerunt, siquidem inuidia, & malitia eius cecidimus in primum illud, & vniuersale peccatum, ex quo cætera pullulabunt. Non tamē vellem, vt tardus aliquis & indoctus existimaret ea prorsus ratione duci aliquos, & trahi à Dæmone, qua sancti trahuntur, & aguntur spiritu Dei: aliud enim est intus agere, & illabi menti, quod est Creatoris, aliud mille nocendi, & fallē di artibus homines trahere, atque peruertere, quod est hostis.

Iob. 41.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm Antichristus sit caput omnium malorum.

PRAETER eos homines nefarios atq; peruersos, de quibus Ioannes dicit in. 1. Can. capit. 4. Et nunc Antichristi multi sunt, quoniam teste Apostolo mysterium iam operatur iniquitatis, certum est, quod is, quem communi sermone appellare solemus per antonomasiam Antichristum, futurus sit quidam singularis homo ab alijs distinctus, & malitia ac potētia insignis. Hoc enim habet traditio ecclesiastica, & communis sensus fidelium: & de illo scriptū est, 2. Thessal. 2. Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui eū, cuius est aduentus secundum operationē Sathanæ in omni virtute, & signis. Quæ Apostoli verba efficiunt, vt arbitror, de ipso Antichristo pręcipuè, & maximè intelligen-

1. Ioan. 4.
2. Thess. 2.
2. Thess. 2.

Esai.11. ligendum esse locum illum Esai.11. vbi loquens de Christo ait: Et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Atq; de eodē Antichristo multis verbis prophetauit Daniel.11. niel cap.11. cum inter alia dicit: Et faciet iuxta volūtatem suam Rex, & eleuabitur & magnificabitur aduersus omnem Deū, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur donec compleatur iracundia: perpetrata quippe est definitio, & Deum Patrum suorum non reputabit, & erit in concupiscentijs fœminarum, nec quenquam Deorum curabit, quia aduersus vniuersa consurget, Deum autē Maozim in loco suo venerabitur, & Deum quem ignorauerūt patres eius colet. Quæ omnia, & alia, quæ ibi iunguntur, quadrare non possunt Antiocho, de quo hæc nonnulli sunt interpretati, sed debent intelligi Theodor. de Antichristo vt Theodoretus docet eo Lyra. loco, atque de eodem interpretatur Lyra Zachar.11. illud Zach.11. Suscitabo pastorem, qui id, quod stat nō enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet. O pastor, & idolum, gladius super brachium tuum. Igitur, quia hic Antichristus omni genere malitiæ insignis erit, adeò, vt videantur Dæmones spiritum suum ei infudisse, & quia extollet se aduersus Deum, & complurimos auertet præstigijs atque fallacijs; iccircò omnes hæretici, & superbi ac arrogantes, qui aduersus Deum ambulant erecto collo, & homicidæ, & adulteri, & auari, maliq; omnes; quoniam ea faciunt, in quibus Antichristus insignis est ac excedit, propterea Antichristum caput habere dicuntur. Et præterea potest dici istorum caput, & princeps, quia eum imitantur. Quanuis enim Antichristus sit posterior, tamen congruè dici potest aliquis alterum referre & imitari, quia ea facit, in quibus alter insignis est, aut erit, sicut inuidus, ac superbus, quanuis non nouerit Diabolum, illum tamen certe imitatur. Ex qua vero patria, aut familia oriundus sit, certo non noui: existimo autem futurum genere Iudæum.

Aduertendum autem est, fuisse, vt dicitur, nonnullos, qui asseuerarunt Antichristum futurum quidem singularem aliquem hominem, secundum scripturas, illum tamen iam præcessisse, & fuisse insignem aliquem hæreticum istorum temporum. Ego verò existimo esse traditionem ecclesiasticam, & dogma catholicū, quod futurus sit Antichristus talis, qualis supra descriptus, & propositus est. De quo videte Theodoretum lib.5. Diuinorum decretorum, cap. de Antichristo. Theodor.

QVAESTIO DECIMA, DE SCIENTIA CHRISTI.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm in Christo fuerit aliqua scientia præter diuinam.

Ioan.1. Symb.Atha. IDES Catholica docet, Verbum Dei assumpsisse veram naturam humanam, & quod est perfectus Deus, & perfectus homo: perfecti autem hominis est, & intelligere & bene intelligere, & scientiam rerum habere. Ex Arist. Nam si boni oculi est clarè & bene videre, & perfecti citharœdi bene pulsare, & in vniuersum vnumquodque perfectum est per suam operationem quomodo non erit perfecti hominis benè intelligere, & bene viuere, cùm præstantissimæ & maximè propriæ eius operationes sint, quæ oriuntur à virtutibus intellectus, & voluntatis. Igitur supposita fide, nulla est hac in parte vel difficultas, vel apparens dubitandi ratio. Et constat hæc veritas ex processu historiæ, & doctrina Euangeliorum, & ex concilijs. Alia verò, quæ huc accersiri solent, aliena sunt à proposito.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Christus habuerit scientiam, quam habent beati, vel comprehensores.

VOD Christus Dominus non modo, vt Deus, secundum quam rationem est ipsa sapientia, & beatitudo per essentiam, sed etiam, vt homo, ab instanti suæ conceptionis viderit Deum, fueritque secundum mentis superiorem rationē beatus, communis confessio est doctorum Theologiæ. Sed pro rei declaratione aduertendum est primò, quod aliud est quærere, vtrum Christus modo videat Deum faciali visione, quod est certissima, & constitutissima fides (Dominus enim Iesus M.[illegible] assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei) aliud verò est quærere, an dum fuit viator viderit Deum ab instanti suæ conceptionis: hoc enim non pollet eadem certitudine. Sed nihilominus ita omnino tenendum est. Quod probabo maximè ex locis Theologicis, quoniam res est pure Theologa, atque grauissima. Et in primis hoc vehenter comprobant testimonia sacræ scripturæ. Nam Ioann.1. dicitur: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre; quàm gloriā vidit Ioannes quādo in monte coram ipso, & alijs duobus discipulis transfiguratus est. Ioan.1. Matth.17. Ex qua transfiguratione sumitur aliud argumētū. Nam illa gloria, & claritas diuina, non modo à diuinitate Christi, sed etiam ab anima eius refluxit, & redundauit in corpus, iuxta cōmunem expositionem: ergo illius anima iam tunc erat beata. Item eodem in capite Ioan.1. dicitur: Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Quo loco Christus præponitur Moysi in hoc, quod quę ipse vidit apud Patrem visione beatifica nobis enarrauit: Moyses autem non quæ vidit, sed quæ audiuit proposuit. Item Ioan.3. ipse Dominus dixit ad Nicodemum: Amen dico tibi, quia quod Ioan.3. scimus loquimur, & quod vidimus testamur. Testabatur autem summa mysteria fidei. Et paulò inferius: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis,

hominis,qui est in cœlo. Verè autem est in cœlo vereq; beatus qui Deum videt.
Ioan.12. Et hoc declarauit ipse Dominus Ioan.12. quando dicebat:Siquis mihi ministrat me sequatur,& vbi ego sum, illic & minister meus erit. Non dixit, Vbi ero,erit, sed, vbi sum erit. Aliaque multa inuenientur simi lia testimonia. Quale est illud Apostoli
Heb.1. Hebræo.1. Tantò melior angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu,ego hodie genui te? Si ergo tanto melior angelis effectus est,videbat vtiq; Deum,quem illi vidēt. Cùm etiam in ipso dicantur absconditi thesauri sapientiæ,& scientiæ Dei, & non
Coloss.2. in angelis. Vt autem veniam ad authoritates Doctorum,illud præmitto,non videri mihi hominis prudentis, præsertim in re tam graui,citare testimonia,quę non dicāt nec testentur id,de quo agimus. Et ego quidem fateor,me in nullum incidisse ex
D.August. proceribus illis,& viris heroicis, ac plane
Nazian. Diuinis Augustino, Nazianzeno, Basilio,
D.Basil. Chrysostomo,Ambrosio,Gregorio Mag
D.Chrysost. no, Hieronymo,qui clarè & distinctè de
D.Ambros. hac re disputet,suamq; dicat sententiam.
D.Hie.lib.1. Quod minimè mirandum est de homine
in Ioa.c.17. parum erudito,qualis ego sum. Dicunt tamen hi patres,& plures alij, quod Dominus ab instanti suæ conceptionis fuit perfectus vir,& quod gratia ac veritate,& sapiētia non proficiebat, nisi secundum quod
D.Cyril. homines in dies magis ac magis illum mirabantur,vt ait Cyrillus,aut secundū quod ipse magis ostendebat suam sapientiam. Atque inde magnum argumentum sumitur,quod si scientia Christi æqualis semper manebat,& ipse sciebat omnia vt dicitur in euangelijs,& hoc habuit ab instanti suæ conceptionis, vt iterum patres testantur, valdè certè consequens est, quod viderit Deum secundum eorum doctrinam. Vt autem ego referam expressa quæ legi,
D.Hiero. magni mihi ponderis sunt illa verba Hie
Esa.7. ronymi in illud Esai. Vt sciat reprobare malum,& eligere bonum. Adhuc pannis inuolutus habebit boni maliq; iudicium. Vt per hæc verba discamus infantiam humani corporis diuinæ non præiudicasse sapientię:sapiētia autem verè diuina in cognitione,ac visione Dei consistit. Augustini etiam locum citat Marsil.in.3.q.10.art.4. Marsil.
Remigius apertè hoc dicit in illa verba: Remig.
Ecce aperti sunt ei cœli. Magister cū scho Magist.
lasticis vniuersis dist.14.&.16. quorum authoritatem contemnere,quādo omnes sibi consentiunt,hominis est inconsiderati, & indocti. Nam quamuis in tanta multitudine aliqui sint inerudití, & etiam pugnaces atque rixosi, tamen magnum veritatis argumentū sumitur vel ex hoc ipso,quod similes homines pugnæ amici cōueniunt. Tertio probatur hæc veritas: Nam qui solum considerauerit,quod nobis sermo est de eo homine,qui erat Deus benedictus in sæcula,fortasse stupefactus maiestate tā ti mysterij, non poterit inficiari videre Deum,& habere eam gloriam,ac dignitatem eum,qui & Deus erat, & per quem cæteri eam beatitudinē sunt assecuti. Adde
quod Moyses vidit claritatem Dei,& Pau 2.Cor.12.
lus raptus est in tertium cœlum,vt locupletissimum,& ineluctabile testimonium darent eorum,quæ prædicabāt. Nec enim omnino certum potest esse id, quod testes solùm se audiuisse testentur,nullus autem viderit. Et propterea Paulus, & Moyses viderunt mysteria quā:um in hac vita homini fas est. Cum igitur filius Dei ad hoc
natus sit,& ad hoc venerit in mundum,vt Ioan.18.
testimonium perhibeat veritati, & de illo scriptum sit. Ecce testem populis dedi eū,
ducem,ac præceptorem gentibus,& vox Esai.55.
patris intonuerit. Hic est filius meus dile Matth.17.
ctus,in quo mihi bene complacui, ipsum audite,quis dubitet vidisse eū illa, de quibus testificabatur. Deinde Dominus, qui alijs iustitiam & gratiam conferebat habebat vtique iustitiam:ergo qui dat,vt beati simus,erat ipse beatus. Quod si quis obijciat,etiam dedisse nobis immortalitatem, non autem habuisse immortalitatem ante resurrectionem,nō rectè existimabit,quia immortalitas obstabat redemptioni,dignitas verò animæ,& visio Dei nō obstabāt. Præterea Christus Dominus non habebat fidem obscuram,& ænigmaticam,nec vnquam patres inuenientur hoc docuisse:ergo qui hoc negant,concedunt certè,quod
vide-

videbat Deum. Insuper Christus non sibi meruit animæ gloriam, sed nobis: ergo tenebat Deũ: alioqui illã certè meruisset. Et hæc pro hac parte. Si quem autem ista non conuicerint, solum illum admonebo, prudens ac modestus vt sit, & non ante dicat oppositum, quam ostendat nobis patres id asserentes, aut concilia, aut fide dignum aliquod, & non inepte allatum testimonium. Alias dicere, quod Christus Dominus in hac vita mortali non videbat Deum, merito iudicabitur temerarium, & scandalosum, & magna reprehensione dignum. Vnde solus Lutherus hoc dixit, & Erasmus vertit in dubium.

Erasmus.

Argumenta autem grauia, quæ militent aduersus hanc doctrinam, nulla vidi. Sed ex physicis solent scholastici illud accersere, quod non potest esse cum summo gaudio summa tristitia coniuncta: sed in Christo in cruce pendente fuit summus dolor, atque tristitia: ergo non fuit summũ gaudium: at qui videt Deum summè gaudet: ergò non videbat Deum. Ad hoc respondent aliqui doctores scholastici, contraria non posse esse in eodem per se, sed bene per accidens, vt cum quis in naui deambulans, tendit versus partem contrariam eius ad quam fertur nauis. Sed facit contra hoc primum, quia exemplum non quadrat: aliud est enim hominẽ mouere se ipsum & aliud ferri. Et in exemplo proposito, nauigans ille mouet se versus vnam partem, ad contrariam verò nullo modo se mouet sed fertur. Facit secundò: Quia duæ qualitates contrariæ non possunt esse simul in eodem subiecto in gradu intenso, siue per se, siue per accidens, non enim patitur natura rerum, vt in eodem subiecto sit summum frigus, & summus calor, vndecunque calor ille frigusque prouenerit: at gaudium & tristitia sunt qualitates contrariæ: videtur ergo quod non possint esse simul nec per se nec per accidens. Dicunt ergo alij, quod sicut Dominus per totam vitam continuit gloriam animæ, ne efflueret in corpus, ità in cruce retinuit gaudiũ, quod ex clara Dei notitia promanabat. Sed ij multò peius consilium acceperunt. Nam cum maxima sit exuberantia gaudij, atq; lætitiæ, qua perfunditur qui Deum videt, si necesse erat, vt cõtineretur tempore passionis, quo Christus dolere atque tristari posset, necesse profectò fuisset vt retenta esset toto processu vitæ Christi, qui fuit cõtinuus quidam labor & dolor: quia quando gaudium summum est, & exuberans pellit tristitiam omnem, ac proinde nõ potuisset Christus contristari, & mœstus esse, nec dolere preterquam, quod gaudium illud, sicut & visio mensuratur æternitate ea verò, quæ mensurantur æternitate, alienum est à ratione per tempus intercidere. Respondeo igitur ad argumentum, quod gaudium atque tristitia similesque affectiones, vel qualitates, proculdubio sunt relata, non quidem secundum esse, sed secundum dici. Habet enim gaudium atque tristitia respectum ad obiectum, atque rationem, ob quam quisque gaudet, siue tristatur: & cum gaudium atque tristitia in Domino non essent de eodem secundum idẽ (gaudebat enim, quia videbat Deum, dolebat quia pendebat in cruce, lætabatur propter redemptionis bonum, & quia sciebat quam gratum esset illud sacrificium, tristabatur propter passionis & doloris magnitudinem viscera penetrantis) iccirco illa duo non erant contraria, poterantq; eidem cõuenire: sicut apud nos decedẽte amico dolet aliquis de eius morte, & gaudet quia testamento eius locupletior est. Hic tamen si instes, qua ratione summum illud gaudium non absorbebat tristitiam omnem atque dolorem, vndecunque ille proueniret, respondeo libenter, fateri me hac in parte peculiarem Dei dispensationẽ, quod & faciunt, & necesse est faciant omnes Theologi. Sicut enim summum omnium miraculorum fuit, quod idem suppositum esset Deus & homo: ità miraculum fuit, quod idem homo esset viator, & comprehensor: miraculum, quod gloria animæ nõ deriuaretur, & se se effunderet in corpus: miraculum, quod à superioris gaudio potentiæ nihil solatij in inferiores redundaret: miraculum, quod inferioribus perturbatis, nec superiores potentiæ, secundum altissimam suam partem turbarentur, nec à sua perpetua operatione cessarent, nec re-

remitterent opus, nec quietem ac delectationem, vel ex minima parte resoluerent. Vnde semper præ oculis habendum est, ità temperatam fuisse gloriam in Christo dum viator fuit, vt potentiæ omnes permitterentur pati, quod erat naturale.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm Christus habuerit scientiam inditam, vel infusam.

PRO huius rei declaratione sciendum est, quod scientia apud Theologos est duplex, acquisita, & infusa. Scientia acquisita est, quæ naturali facultate, & lumine ac labore nostro paratur. Infusa verò, quæ à Deo infunditur. Est etiam ac dicitur aliqua scientia infusa duplici ex causa. Vel, quia est tam sublimium rerum, atque rationum, vt nullo modo lumine naturali intellectus possit acquiri, nisi supernè Deus mentem illustraret, & altissimarum rerum notiones infunderet: & hæc dicitur infusa per se. Vel secundò, quia gratis quidem à Deo collata est, quanuis eius generis esset, vt nostro posset labore parari: & hæc dicitur infusa per accidens, ornasseque Deum illa primum parentem, & Salomonem, ac alios. Et hæc quidem per se atque ex natura rei loquendo acquisita est, vel, vt rectiùs loquamur, comparabilis nostro labore.

D. August. Secundo loco sciendum est, quod vt constat ex Augustino lib. 4. de Gen. ad liter. capit. 32. & 34. in Angelis ponitur duplex cognitio. Vna diei vel meridiana, qua mēs angelica pura charitate inhærens Verbo Dei rationes rerum videbat in Verbo. Alia vespertina, qua per species sibi à principio inditas, vel infusas naturas rerum in eis ipsis agnoscebat: quę eadem rectißimè appellatur matutina, quando mens, quasi rediens ad lucem ex inferiore hac cognitione in laudem creatoris assurgit. Quia ergo Christus Dominus multò excelsior an- Hebr. 1. gelis est, caputq; eorum, oportet vt quemadmodum in eis fuit scientia indita, vel infusa: ità ponatur in Christo, qui fuit plenus gratiæ, & veritatis. Ac certè cum in Christo nō modo fuerint dona naturæ, sed etiā omnia supernaturalia, quæ in rationalem naturam cadere possunt, & ratio humana siue intellectus proculdubio capax sit eius scientiæ, omnino necesse est concedere, eā infusam fuisse Christo: ne hac in parte minus perfectus, & quoad supernaturalia dona inferior angelis maneat, qui supra mundum excellentior est. His adde, quod scripturæ loca, quale est illud, In quo abscondiri sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, & iterum, Requiescet super eum spiritus sapientiæ, & intellectus, & tertiò, Non secundum visionem oculorum iudicabit, nec secundum auditum aurium arguet, hoc etiā sciētiæ genus à sensibus non acceptum, nec dependens complecti videntur. Vnde cum esset Iesus annorum duodecim, quasi fulgurans, & radiare permittens scientiam infusam, mirabilia inter doctos responsa dabat, nec temere Iudæi dicebant, Quomodo hic literas scit cum non didicerit? Et quidem in sanctis viris atque sapientibus sæpe fuerunt supernaturales illustrationes rerum, quæ superabant lumen rationis. Omnes autem perfectiones, & gratiæ, quæ in alijs sanctis fuere per modum actus transeuntis, siue, vt logici dicunt, paßionis, illæ certè in Christo ponendæ sunt perfectißimè, & secundum rationem habitus inditi, & collati à Deo, quo vteretur cum vellet, & ad ea noscenda, quæ vellet.

Ioan. 1. Coloß. 2. Esai. 11. Luc. 2. Ioan. 7.

Pro solutione verò argumentorum, quæ fieri possent, hoc solum animaduertere oportet, quod quanuis scientia infusa comparatione visionis beatæ imperfecta, hoc est minus perfecta sit, nō tamen ea imperfectione, quæ pugnet cum perfectiore notitia. Experientia enim comperimus habere nos duas notitias differentes, etiam eiusdem rei, sub lumine atque ratione diuersa, non aliter atque totum esse maius sua parte, & per sensum accipimus, & intellectu tenemus.

Articul.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm Christus habuerit aliquam sciẽtiam acquisitam, & experimentalem.



EFFICIT sententiarum varietas, vt in proposito nõnullæ referẽdæ sint, quod tamen rarò viri docti & graues fecisse leguntur: quoniã certè est consumere tempus. Sciendum autem est in primis, quod scientia experimẽtalis, hoc est, notitia euidens habita per experientiam, qua, verbi gratia, sentimus ignem calefacere, & continuum, ac concitatum motum lassare, & fatigare corpus, negari non potest fuisse in Christo, nisi enim ipsi conuenerit sequetur inëluctabiliter, eum non habuisse corpus sensitiuum, & obnoxium passionibus, vt qui nec flagella & spinas, nec clauos senserit perforantes, nec extensionem in cruce, quod dicere est alienum à fide. De hac enim experimentali notitia loquebatur Apostolus dicens: Hebr. 5. Didicit ex his quę passus est obedientiam. Si verò de scientia acquisita, hoc est, à nobis per demonstrationem comparata, sermo sit, circunferuntur de ea tres opiniones. Duran. Prima Durandi in. 3. dist. 14. quæst. 4. qui admittit, vt probabilius, quod in Christo fuit quidem scientia infusa rerum omnium naturalium à principio suę conceptionis, sed nulla præter eam acquisita: quoniam illa infusa est eiusdem rationis cum acquisita, quemadmodum visus à natura datus, & per miraculum receptus, & Abel à parente genitus atque Adam à Deo formatus eiusdem speciei sunt. Vnde hæc sciẽtia est infusa non per se, sed per accidẽs iuxta supradicta articulo præcedenti. Hæc itaque sententia visa est Durando probabilior, & eadem tribuitur Scoto in. 3. d. 14. q. 3. Scotus. quo loco redarguit quidem ille rationẽ B. Thom. expressam in hoc articulo, sicut solent scholastici alij aliorum infringere, & labefactare rationẽ. Quod verò teneat sententiam Durandi ex eo non collegi. Secunda sententia dicit, quod in Christo fuit duplex sciẽtia, infusa, scilicet, infusa per se, quæ suapte natura est eleuatior, quam sciẽtia nostra; & infusa per accidens, quæ est eiusdem rationis cum humana: & vtranq; habuit Dominus à principio suæ conceptionis, nullam verò postea comparauit. Hæc sententia post prolixam certe de hoc disputationem tandem insedit Paludano Palud. in. 3. d. 14. q. 2. & eam Thomas de Argenti. Tho. Arg. q. 4. dicit fuisse sententiam doctißimorum hominum. Tertia sententia est B. Tho. in B. Thom. hoc articulo, & Thomæ de Argentina loco citato, asserentium, quod Christus habuit scientiam per se infusam ab instanti suæ conceptionis, & posteà tempore procedente cõparauit sibi sciẽtiã acquisitam, illo prorsus connaturali modo, quo nos eã parare solemus, abstrahẽdo species à phãtasmatibus, & conficiendo demonstrationes rerum, quas secũdũ eam rationem, & modum antea ignorabamus. De hac ergo re tot extant sententiæ. Quid autem mihi dicendum esse videatur explico sequentibus.

Dico primum, quod in Christo fuit sciẽtia acquisita ex parte obiecti, siue ex natura sua id est, cognitio rerum earum, quę lumine naturali intellectus cognoscuntur, quando abstrahimus species à phantasmatibus, & conficimus demõstrationes. Hæc est certa & indubitata: quoniam si attentè legantur conueniunt in ea omnes Docto. Alber. Albertus, Alex. B. Tho. Thomas de Arg. Alex. Ricardus, Scotus, Palud. Duran. in. 3. d. 14. B. Tho. Et meritò, quoniam ea cognitio est perfe- Th. de Arg. ctio naturalis hominis, vt homo est: ergo Ricard. non potuit Christo defuisse. Quod si in Scotus. Christo Domino ponitur scientia beata, Palud. quæ soli Deo connaturalis est, & indita si- Duran. ue infusa, quæ est connaturalis Angelis, profectò est non modo æquum verum etiam omnino necessarium, vt ponatur in eo illa scientia, quæ est connaturalis homini, si quidem verè fuit homo, & est manet que in æternum.

Dico secundò, bene coniungi & cohærere posse, vt ex vna parte infusæ sint Christo scientiæ naturales, & ex alia exercuerit etiam operationes sensuum, & intellectus

eo naturali modo, quo nos exercere solemus. Et de operationibus quide sensuum nō est dubium. Pro alijs autem sciendum, quod intellectus agens (qui vt ego sentio idem est cū possibili, non aliter atq; vnus oculus & recipit species, & videt, & aliquos lucis radios emittit) habet duo præcipuè munera, nempe abstrahere species à phantasmatibus, & facere euidentiam primarum propositionum immediatè, & mediantibus illis cæterarum, ex quibus duabus operationibus secunda est perfectior priore, & finis illius. Quoniam prima est quasi præparantis materiam, secunda, vt inducentis formam intelligibilitatis, assequentisq; finem & perfectionem intellectus. Fuit autem vtraq; in Christo. Nā de secūda nemo dubitauerit. Primam autem etiam fatebitur, qui animaduerterit, quod quanuis quis optimè cognoscat fratrē suū, & alios homines, & naturas herbarum vel arborum, quando tamen hæc se offerunt sensui exercet vtiq; intellectus agens functiones suas, conuertēdo se ad phantasmata denudando & abstrahendo actuales species, inspiciēdo in phantasmatibus, vel speciebus ea, quæ considerat, & illa cōparando cum phantasmatis ipsis, quo certa cognitio fit. Atque hoc facit intellectus agens non obstātibus quibuscunq; præuijs notitijs, vt in nobis ipsis manifeste experimur. Habent enim hoc naturale vinculum intellectus & phantasmata, vt quando vel hæc feriunt intellectū, vel intellectus conuertit ad illa aciem suam, nunquam id fiat nec fieri posit sine actuali specie, quanuis innumeræ habituales notitię præcesserint. Vnde quanuis primo parenti, vt communis sententia fert, infusæ sint scientiæ omnes, credo tamen, quod eum non habere proprias & naturales operationes sensuum interiorum & intellectus agentis dicet nemo: imò multo facilius & melius illas exequetur, non aliter atq; nos quando aliqua denuo offeruntur, quæ sæpius antea intelleximus, facilius illa & melius apprehēdimus ac intelligimus. Ex his cōstat, quod quantum ego sentio ex illis tribus sententijs, quas supra commemorauimus, eligenda secunda est. Quam probo primum: Quia aut Christus nouit omnia, quæ sciri possunt lumine intellectus agentis, aut aliqua ignorauit. Si quis dicat, quod ignorauit aliqua etiam in toto decursu vitæ, vidērit ipse quam honorificè de Christo loquatur. Si autem illa omnia nouit, vt doctores dicunt, & credere par est, sequitur eā scientiam esse ipsi infusam, vt asserebat secunda sententia. Declaro verò sequelam: Nam si Christus hos habitus non accipit per infusionem, ergo eos successu temporis compārabat, & in eis proficiebat: ergo vno tempore plura sciebat hac scientia quam alio: ergo quando ad finem vitæ pro nobis venit, vel dices quod tunc aliqua ignorabat, vel quod quanuis viginti annos superuixisset nihil profecisset omnino. Hoc secundum (constituto, quod scientiā denuò cōparabat) frigidum est, & alienum ab omni ratione. Qui enim vsq; ad triginta tres annos profecerat, profecisset certe post. Quia hoc videmus positum in ordine rerum, vt nunquam obiectū atq; natura desit ingenio & scientiæ, quanuis ingenium & scientia sæpe non adæquent desintque naturæ, Quod adeo est infallibile, vt in ipso Deo, obiectum sit æquale intellectui. Primum verò est contra positionem communem authorum etiam tertiæ sententiæ.

Secundo argumentor: Quia scientia acquisita ex his, quæ vnus aliquis homo vidit, & expertus est, valdè est imperfecta comparatione scientiæ, quæ poni debet in Christo: ergo, &c. Probo antecedēs: Quia experiētia vnius hominis vnam præsertim prouinciam incolenti, est parua: ac proinde quāuis supra modum esset ingeniosus, non posset inde deducere perfectam omnino, & vniuersalem rerum omnium scientiam, qualis ponitur in Christo.

Tertio: Quia Adæ sunt infusæ scientiæ omnes naturales quoad habitus & species, faciebatq; hoc ad perfectionem viri illius: ergo & Christo sunt infusæ. Quarto: In Christo virtutes omnes cuiuscunq; sint ordinis fuerunt infusæ: ergo, & scientiæ: oportebat enim secundum intellectum, & voluntatem esse perfectū. Quinto: Quia nobilius est semper fuisse in habitu quā fuisse in potētia, & reducere se ad habitum: ergo

illud prius tribuendum Christo est. Vltimo: Quia quando patres dicunt, quod Dominus pannis inuolutus habebat boni mali; iudicium, & quod sciebat omnia, non loquuntur peculiariter de scientia naturali aut supernaturali: ergo de vtraq; intelligendi sunt. Et hæc pro ista sententia. Illa verò, quæ ordine prima fuit, videtur esse improbabilis, & à doctoribus iure deserta. Quoniam cum scriptum sit de sapiente, Plura supra sensum hominum ostensa sunt tibi, & soleat Pater cœli munificus puras mentes seruorum suorum irradiare intelligentia rerum earum, quæ lumine naturæ cognosci non possunt, magna cum improbabilitate dicetur, quod Christo non fuerit infusa scientia, nisi eius rationis & generis, vt eam homo suo ingenio posit acquirere. Et præterea omnia, quæ supra retulimus ad probandum, quod in Christo sit sciētia infusa per se destruunt hanc sententiam.

Eccles. 3.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Quia scriptū est Lucæ. 2. quod proficiebat Iesus sapientia: ergo, &c. Respondeo, quod ab antiquioribus interpretibus ferè intelligitur hic locus, non quod illi quicquam accesserit ab ipso momento, quo diuinitas humanitati copulata est, sed quod Dominus sapientiam suam quotidie magis declararet, eiusq; thesauri vim in dies magis exereret, procedens ab actibus sapientibus ad sapientiores pro dispositione cōsilij sui. Et hæc est communis expositio patrum. Addiderim verò pro tertia sententia ex citatis quod scholastici, qui dicunt, quod asserere Christum acquisiuisse sciētiam, sapiat Nestorium, propterea quod D. Damas. lib. 3. de fide, asserit quod qui accessionem sapiētiæ in Christo ponunt non adorant vnionem secūdum hypostasim, hi inquam nimis rigidi sunt, quales homines indocti sæpe esse solent. Quoniam, si rectè considerentur Damas. verba, solū ille negat, quod Christo fiat accessio sapientiæ, quę competit ipsi, qua est Verbū Patris, vt docet Iansenius in cōncordia, c. 12. explicans illa verba Lucæ iam citata.

Luc. 2.

B. Damas.

Iansen.

Secundò argumentor: Quia frustra est, quod caret propria operatione, sed intellectus agens in Christo, nisi ille scientiam de nuò compararet careret propria operatione: ergo, &c. Ad hoc liquet ex dictis, negandam esse minorem, imò promptè, faciliter, & optimè illas operationes exercebat. Et quanuis respōdere possemus quod ex duabus operationibus intellectus agentis supra memoratis illa, quæ est abstrahentis, & disponentis materiam est imperfectior, ac proinde non esse inconueniens, quod illa defuisset, dummodo illa, quæ est quasi inducentis formam intelligibilitatis adesset. Non tamen adhoc est recurrendum, quia non est verum, quod ea operatio defuerit, sed ambę erant in Christo.

QVAESTIO VNDECIMA, DE SCIENTIA BEATA ANIMAE CHRISTI.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm anima Christi comprehenderit Verbum, siue diuinam essentiam.



ON est sermo de comprehensione, in quantum comprehendere, est apprehendere, assequi atque tenere, iuxta illud: Sic currite vt comprehẽdatis, sed de comprehendendo propriè, ita vt immensi Dei, qui nullos limites habet, qua si limites attingantur: & ità eum complectatur anima Christi, vt cognoscat quantum cognoscibilis est intensiuè, & extensiuè. Secundum quam acceptionem in confesso est apud omnes, & scriptura sæpe testatur, quod Deus est incomprehensibilis à creatura: finitum enim non potest comprehendere infinitum: at anima Christi est creatura: ergo non potest comprehendere Deum infinitum. Et quidem in Deo optimo Maximo immensitas cognitionis, & immensitas Dei adæquantur: nec enim aut cognitio illa obiecto, aut obiectum illud immensæ cognitioni deesse potest, sed omnino paria sunt, & æqualia: at cognitio animæ Christi in infinitũ distat à cognitione Dei qua Deus est: ergo in infinitum distat à comprehendendo Deum. Si tamen obijciat quis, maius & excellentius esse vniri Deo in persona, quam comprehendere ipsum; sed anima Christi vnitur Deo in persona: ergo comprehẽdit ipsum, respondebimus, quod in infinitum maius est comprehẽdere Deum, quod soli Deo potest competere, quam iungi in persona, quod & potest conuenire, & re ipsa conuenit creaturæ. Verum est tamen, quod altius & venerabilius est iungi Deo in persona, quam videre illum. Vnde nos multo magis veneramur in Christo hominem, quod Deus est, quam quod Deum videt. Comprehendere autem secundum quod homo, est impossibile.

1. Cor. 9.

Hiere. 32.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm anima Christi in Verbo cognoscat omnia.



ERSANTVR de hoc variæ sententię. Quidã dixerunt, quod anima Christi videt omnia quæ sunt in Deo ità limpide consummatè atq; perfectè, sicut Verbum videt se ipsum. Atq; ij non cognouerunt, quid inter Deum & hominem, atq; intellectum diuinum, & intellectum humanum interesset: quocirca prima hæc sententia stulta est, & erronea. Alij dicunt, quod anima Christi cognoscit omnia, quę nouit Deus, nõ tamen ita perfecto modo: & ij etiam multò longius æquo processerunt. Quoniam si ad cognoscendũ aliquid in Deo requiritur aliqua virtus cognitiua, vtiq; ad videndum innumerabilia in innumeris generibus, requiritur virtus immensa. Præterquam quod etiam absq; ratione siue argumento per se ipsum liquet, non posse creaturam cognoscere omnia, quæ Deus cognoscit. Alij dicunt, quod nõ modo Christus, sed etiam quilibet beatus videt in Verbo omnes quidditates rerum, ad quas se potest extendere diuina potentia, non tamen quilibet beatus videt existentiam earum rerum omnium. Quæ tamen sententia eisdem ferè rationibus

Alber. Alex. Bonauent.

Duran. in 3. d. 14. q. 1.

Scot. li. 14 quibus superior potest impugnari. Est, & quarta sententia quorundam, qui asserunt quod anima Christi videt in Verbo omnia, quæ sunt in Deo, non quidem actualiter sed habitualiter: potest enim se conuertere ad quãcunq; rem relucentem in Verbo. Atq; hanc sententiam plures nõ recipiunt: quia visio beatifica cum mensuretur æternitate debet cõsistere in actu inuariabili, & semper eodẽ. Et ego quidem ita credo, esse nimirum aliqua, quæ inuariabiliter videt beatus: nec id vt credo negarent authores eius sententiæ. An verò possit præterea se conuertere ad aliquid aliud & illud videre in Verbo, id maneat sub disputatione. Mihi autem est valde rationi consentaneum, atq; probabile, & dignum dignitate Christi. Si fortè autem ita cõtingit orietur non ex mutabilitate obiecti, sed ex potentialitate, & imperfectione omnis creaturæ, nihil autem definio.

His præmissis, quanuis videam aliquos Theologos, quos satis mirari non possum intrepidè & cõfidenter asserere, quid Christus videat in Verbo, ego in primis fateor me id ignotare. Quid autem sentiam subijciam sequentibus. Dico primum, quod anima Christi videt in Verbo plura, & altiora, & puriora, quam cæteri beati, & quã homines possint excogitare. De hac nemo dubitauerit. Dico secundo, quod Christus Dominus videt in Verbo omnes homines, qui sunt, fuerunt, vel erunt, & actus
Symb. Apost. eorum siue bonos, siue malos. Et ratio est,
Matth. 16. quia futurus est iudex viuorũ & mortuorum, & dabit vnicuique secundum opera sua: ergo nouit ea: siquidem iudex noscere debet ea, de quibus iudicat. Dico tertio, quod cum scriptũ sit, In nomine Iesu omne genuflectatur cœlestium terrestrium,
Philip. 2. & infernorum, & quod omnia tradita sunt Christo à Patre eius, & ipse sit finis omnium, verisimile est, quod noscat omnia,
Matth. 11. quæ sunt, fuerunt, vel erunt, & consequenter ea, quæ sunt in potentia creaturæ, quia qui noscit, ac comprehendit essentiam, videt omnes virtutes eius. Et fortasse conijciebant aliquid veri philosophi, qui dixerunt, summam perfectionem hominis cõsistere in eo, quod in eorum anima describeretur vniuersus orbis. Vt autem finis voluatur, & correspondeat principio, dico vltimo, quod præter hæc, quæ enumerauimus, inenarrabiles sunt diuitiæ, & ineffabilia arcana quæ Deus in essentia sua ostendit Christo, & suis pro ratione sapientiæ suæ, & vniuscuiusque virtutis ac gloriæ. Et quidẽ pro certo habeo, quod ad quodcunque voluerit Christus eiusue humanitas se conuertere, intelliget illud. Quod fortasse verum est de quocunque beato; alioqui non haberet, quod vellet. Cum discrimine tamen, quia beatus quicunque conuertet se ad obiecta infra suos limites, omnia enim ibi ordinatissima sunt; sanctus verò sanctorum absolutè poterit se conuertere ad quodcunque arcanum Dei. Quando autem ista tractamus miror, quod non opprimamur rerum magnitudine; ac proinde hæc non dixi, nisi cum debito timore, & tremore paruitatis intellectus humani, præsertim mei.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Nam illa omnia hoc videntur habere fundamentum, quod quilibet beatus videt in Verbo ea, quæ pertinent ad suum statum. Hoc autem non videtur verum, quia sequeretur, quod plura videret in Verbo, qui minor est in beatitudine, vt si plura fortasse pertinerent ad suum statum. Respondetur, quod quantum attinet ad ea refutanda, quæ diximus, obiectio est impertinens. Nam quanuis plura pertinerent ad statum minus beati, & ea omnia ille videret, tamen multis alijs in rebus excedet beatior. Pro illa verò maiori propositione assumpta in argumento, quæ communiori sermone inter aliquos scholasticos vsurpari solet, aduertendum est, quod ea, quæ diuina, & supernaturalia sunt, non possunt à nobis intelligi, nisi ex scripturis, & patribus, qui quò puriores erant, eò melius, quæ Dei sunt intellexerunt. Ex libris autem Danielis prophetiæ euidenter apparet, quod quanuis ange- Daniel.
lo Persarum iniuncta esset à Deo cura Regni illius nesciebat tamẽ quid expediret ei & resistebat Archãgelo Michaeli quousq; edoctus est à Deo, quid fieri oporteret. Et sapiens Augustinus libro de cura pro D. August.
mor-

mortuis gerenda non putabat matrem suã Monicam scire in qua perplexitate tunc esset ipse constitutus:non ergo est certum, quod quicũq; beatus videat in Verbo ea, quæ in terra sunt,eum attingentia.Et cum inter ea,quæ pertinere videntur ad patronos Prouinciarum vrbium,& ordinum,& ad patres familias, siue maiores natu alia eiusmodi sint, vt quanuis agantur in terra, faciant tamen ad beatitudinem, & alia fiant in hac vita,& ea quæ pertinent ad futuram vitam, quales sunt orationes precesque effusæ,incertum sit an nota fiant sanctis per peculiares reuelationes,vel per actum æternum visionis beatificæ: & denique cum beatorum status ex propinquitate,& ordine ad Deum æstimandus sit multò magis,quàm ex his,quæ in hac vita laboriosa reliquerunt,dolendum est,quod cum tanta prius examinanda essent, quæ ignoramus,& cum tam lateant nos iudicia Dei,accipimus tamen incerta procertis,& de illis intrepidè definimus.Ego igitur solum asserui,quod qui iudex futurus est debet cognoscere iudicandos, & eorum facta,quod est verissimum, vt suum munus rectè obire possit. Quod autem quilibet beatus videat in Verbo ea,quæ pertinent ad suum statum,hoc est,quæ in hac vita quomodocunque pertinent ad eos, non asserui, quoniam ignoro vtrum verum sit, & non est hominis prudentis ea in probationem veritatis assumere, quæ nescit an vera sint. Existimo autem,quod beatus quicunque scit ea omnia, quæ ad ipsum pertinet scire:sed quænam illa sint illud nescio, Deus scit.

Secundo argumentor: Quia quanuis Dominus iudicaturus sit orbem terrarum & ipse sit superior omnibus non tamen sequitur;quod nõscat omnia,quæ facta sunt; quia aliud est iudicare ad quod requiritur notitia,aliud verò esse superiorem. Respõdetur, quod quanuis diuersa sit illorum duorum ratio,tamen pertinet ad dignitatem Christi habere vtrunque.

Tertio argumentor: Quia sequi videtur ex dictis,quod scientia animæ Christi adæquetur scientiæ visionis Dei. Respondetur,quod quanuis anima Christi non solum noscat omnia,quæ facta sunt,quia potest se cõuertere ad quodcunque illorum, sed etiam noscat per actum visionis beatificæ,non tamen sequitur aliquod inconueniens,si sermo sit de æqualitate innumero scitorum;semper enim restat duplex discrimen.Primum,quod longè aliter illa comprehendit Deus,quam anima Christi. Secundum,quod sicut hæc differentia est immensa ità innumera alia sunt,quæ cognoscit Deus præter ea , quæ cognoscit anima Christi. Et sicut non est inconueniens dicere,quod si Deus,& quilibet beatus cognoscant quatuor res,æquantur quoad hoc in numero scitorum:ita nec hoc, de quo nobis quæstio.Illa enim quæ existunt per pauca sunt comparatione eorum,quæ esse possunt.

Restat quarto loco vulgare illud euangelij testimonium: De illo die nemo scit nec filius hominis. In quo Origenis expositio contemnenda non est, asserentis intelligi ea verba debere de corpore Christi, quod est ecclesia. Solet enim hæc phrasis in scriptura vsurpari, vt caput accipiatur pro suo corpore iuxta illud,Saule Saule cur me persequeris. Probabilior autem est interpretatio Diui Augustini vt dicatur Dominus ea nescire,quæ nón oportet eum reuelare. Quanuis autem hæc expositio dura alicui tortasse videatur,apparebit autem probabilior, si nonnulla scripturæ loca expenderimus. Primum est Ioannis. 15. Vbi Dominus discipulis ait: Vos autem dixi amicos, quia omnia,quæ audiui à Patre meo,nota feci vobis. Certum est autem, quod non dixerat illis ea omnia,quæ acceperat à Patre , nec verò plura,quæ ipsis postea reuelauit,sed ea tantum,quæ ità acceperat, vt essent pro eo tẽpore hominibus aperienda, & indicanda. Secundum est Apostoli,1.Corin.2.vbi ad eos verba faciẽs,qui capere altiora de Christi diuinitate non poterant.Non, inquit, iudicaui me scire aliquid inter vos , nisi Iesum Christum, & hũc crucifixum.Hoc igitur inter eos Paulus ignorabat , quod per eum scire non poterant. Vnde & subiũxit:Non potui vobis loqui,quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Atque hæc

Matth. 24

Origen.

Actor.9.

D. August.

Ioan. 15.

1. Cor.2.

D. August. D. Hiero. D. Hilar. Theophy. interpretatio præter D. Augustinũ, est plu riũ aliorũ D. Hiero. & D. Hilarij, & Theophylacti, qui rem hãc pulchro simili declarat. Quemadmodum, inquit, in humanis quærẽtibus puerulis ea, quæ patres habent in manibus, parẽtes illa nõnũquam occultãt, & dicere solent, non habemus ea, quæ quæritis, atq; hac ratione plorãtes filios cõ- Matth. 24 pescunt: ità & Dñs ab inquisitione diei illius Apostolos comprimere volẽs, quam eos nosse non oportebat dixit; de die illo nec filium hominis scire.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm anima Christi videat in Verbo infinita.


ESPONDEO, quod cũ Christus per sciẽtiam beatam cognoscat ea omnia, quę Deus videt sciẽtia visionis, & substãtiæ siue entia per se, quæ Deus ea sciẽtia videt, sint finita, vniuersitas autẽ entiũ siue simpliciter, siue secũdum quid, quæ Deus videt, sint infinita: quoniã innumerę erunt cogitationes & affectiones creaturarũ rationaliũ, quas omnes æterna visio Dei ambit atq; complectitur, cõsequens est quod hac ratione Christus videat infinita, nisi omnino velimus his quæ dicta sunt præcedente articulo repugnare.

Sed aduersus hęc ob aliquorũ instãtiam obijciemus plura quã par esset. Primũ est, quia nõ potest creatura plura simul videre, quã Deus simul facere: sed Deus nõ potest simul producere infinita: ergo nec creatura potest illa cognoscere: at anima Christi est creatura: ergo, &c. Respõdetur dicere aliquos, quod Deus non potest simul facere infinita, quia non posset plura deinde producere cũ vnum infinitũ non posit esse maius alio. Qua sentẽtia posita dicẽdum est, quod Deũ nõ tot producere quin plura producere posit, est magna perfectio: arguit enim & cõuincit eius omnipotentiam. Tamẽ si Deus nõ cognosceret tot, quin plura posset cognosceret, hoc esset magna imperfectio, quoniã maneret Deus in potẽtia passiua ad recipiendã aliquã perfectionẽ, & ex cõsequenti non esset purus actus. Et quidẽ visio tã Dei, quã beatorum qua Deũ vident, mẽsuratur æternitate, & est tota simul: cæterũ productio ex parte creaturarũ nõ mensuratur æternitate, nec est tota simul. Quibus addendũ est, quod nõ est idem modus cognitionis & productionis rerũ: quia in intellectu adunãtur diuisa, in productione verò ad esse diuidũtur. Et ideò ad argumẽtum dicẽdum est iuxta istorũ sentẽtiam plura videre animã Christi, quam Deus posit facere simul. Supponit tamẽ respõsio, vt videtis, quod vnum infinitũ nõ posit esse maius alio. Rei autẽ veritas est, quod potentia Dei maior est intellectu, & visione hominis, & si homo potest simul videre infinita, potest & Deus facere. Sed de hoc infra.

Secũdo argumentor: Infinito nõ potest aliquid esse maius: sed plura cõtinentur in scientia Dei, quã in scientia animę Christi: ergo nõ sunt infinita quæ videt Christus. Respõdetur, quod ratio infiniti nõ est ratio substãtiæ, sed accidentis: accidens verò arctatur ad suũ subiectũ, & nõ excedit nec se extendit vltra illud. Vnde infinitum in linea cõsiderãdum est secundũ rationem lineę; & infinitum in numero binario arctatur ad numerũ binariũ, & infinitũ in circulationibus cœli ad motũ cœli. Quocirca licet anima Christi videat infinita, sunt tamen alia plura infinita, quæ videt Deus. Et prætereà nõ modo infiniti binarij, & infiniti quaternarij plures sunt, quam infiniti binarij, vt ipsa ingenij lux limpidißimè ostendit, nisi essent aliqui, qui luci tenebras offundunt: sed etiam vnum infinitum est maius alio in eodem genere. Nã si infiniti binarij, & infiniti quaternarij plures sunt, quam infiniti binarij: ergo vnitates, quæ continentur in infinitis binarijs, & infinitis quaternarijs simul, plures sunt, quam quæ continentur in infinitis binarijs: nisi fortè hoc aliquis neget, quia nõ mirabor. Et quidẽ, si aliqui vellent tantillum subsistere, & nec affectionibus duci, nec ea tãtum retinere, in quibus à pueritia sunt enutriti, sed haurire lumẽ intellectus in ipsa sua doctrina viderẽt, quod dicimus.

cimus. Nã iſti verè affimãt, quod ſi colligã tur affectiones, & intellectiones, quas beati ſiue damnati habent per totam æternitatẽ illæ erunt infinitæ: quia non clauduntur in ter duo extrema, ſiue pũcta, vel terminos. Tũc ſic: Volitiones, & intellectiones beatorum tantum collectæ per æternitatem erũt infinitæ: ergo volitiones & intellectio nes beatorum & damnatorum ſimul plures erunt: ergo vnum infinitum eſt maius altero. Sed Deus meus, lumen oculorum meorum in abſcõdito, nonne tua lux clariſsimè oſtẽdit, quod ſi eſſent tantum quatuor homines, durãtes in æternum, ſucceſſiuæ intellectiones, & volitiones eorum eſſent infinitæ? Certè oſtendit. Cum ergo ſint in æternum permãſuri innumerabiles Angeli, Archangeli, Seraphin, homines ex omni gẽte & tribu & lingua, & populo, & natione dantes gloriam Agno, non ne iſtorum omnium intellectiones & volitiones plures erunt? Certè incompatabiliter plures. Vnum ergo infinitũ etiam in vno genere eſt maius alio, nec hoc negari poteſt. Et qui hoc ſolo nituntur fundamento, vt affirment Deum nõ poſſe facere ſimul infinita, quia exhaurireturdeinde eius potẽtia cum vnũ infinitũ nõ poſsit eſſe maius alio, ſatis declarant ſe homines eſſe, & baculo niti arundineo. Referam tamẽ vobis quæ quaſi per ſomnium memini legiſſe me, cum eſſem adoleſcẽs, vt videatis, quibus argumentis nõnulli conuicti doceant Deum nõ poſſe ſimul facere infinita, nec vnum infinitum poſſe eſſe maius alio. Si Deus, ait quidam, poſſet producere infinitos homines, producat eos, verbi gratia, ordinatos hinc verſus Oriẽtem, quorum ſinguli ſingulos prçciſe habeãt pileos, ſequeretur, quod poſſet Deus auferre ab iſtis infinitos pileos, & tamẽ quilibet maneret cũ ſuo pileo. Probatur: Volo quod auferat omnes pileos hominum parium, puta, ſecũdi, quarti, &c. manẽtibus imparibus, & tamẽ tertius det pileum ſuum ſecũdo, & alij duo impares, ſcilicet, quintus, & ſeptimus, det pileos ſuos quarto & ſexto, & ità cõſequenter fiat de reliquis: tũc demum ſublati erunt infiniti, & quilibet manebit cum pileo. Hoc eſt argumẽtum quod ille

Apocal. 5.

appellat egregium. Si tamen dixiſſet hic author quod ea hypotheſi facta manerent infiniti homines cum pileis, & infiniti ſine pileis, & plures eſſent, qui habent pileos & qui nõ habent ſimul, quam illi ſoli, qui habẽt dixiſſet, profectò id quod vnuſquiſq; videt in mente ſua, ac proinde vnum infinitum poteſt eſſe maius alio.

Tertio argumentor: Quia ſcientia viſionis cognoſcũtur ea ſola, quæ ſunt ſecundũ aliquam differentiam temporis: ſed in nulla differentia temporis erit verum dicere, quod tranſierunt infinita: ergo nõ poſſunt videri infinita. Minor declaratur: Quia nũquam ſignabis mihi tempus, in quo ſit verum dicere: Nunc tranſierunt infinita: quoniam illa erunt clauſa duobus terminis. Adhoc argumentum poſſet diſtingui minor, & dici, quod definitè atq; diſtributiuè non dabitur aliqua eiuſmodi differentia, ſed collectiuè dabitur. Syncerius tamẽ erit negare conſequẽtiam. Nam colligam totam futuram durationem, quàm verè complectitur, & ambit æterna viſio, & dicam, quod in ea tota duratione erunt infinita. Qui verò hoc argumento commoti negauerunt, vel animam Chriſti, vel etiam Deum ipſum videre infinita, non vidẽtur diſcreuiſſe noſtras has cum motu & tempore labentes operationes ab æternitate, qua menſuratur viſio Dei.

Quarto argumẽtor: Quia ſi Chriſtus videt infinita: ergo eius ſciẽtia & viſio eſt infinita, quod eſt impoſsibile. Reſpõdetur, quod ſciẽtia habet, vt ſit finita, vel infinita ſicut & alias cõditiones ex ordine ad propriũ obiectũ: propriũ autẽ obiectũ intellectus eſt quod quid eſt: atq; iccirco, ſi quod quid eſt, id eſt, eſſentia eſt infinita, ſcientia cõprehẽſiua eius eſt infinita. Si verò eſſentia, vel finitè capitur, vel finita eſt, eius ſciẽtia erit finita formaliter, quãuis res, de qua eſt ſciẽtia, vel numero vel lõgitudine, vel alia quacũq; ratione ſit infinita. Ex quo licet colligere, quod videre intellectu quidditatem angeli ſit multò perfectius, quàm videre infinitos homines: quia perfectio eſſentialis cognitionis ſumitur à quidditate rei, & illa multitudo hominum atq; extẽſio accidit obiecto intellectus.

Quinto argumẽtor: Notitia cuiuslibet rei earũ, quas cognoscit anima Christi est alicuius perfectionis: ergo cũ illæ res sint infinitæ æquiualet ea Christi notitia infinitis notitijs alicuius perfectionis: ergo est infinitè perfecta. Adhoc negatur consequẽtia, loquẽdo de perfectione intẽsiua. Quã uis enim sol sit perfectior infinitis rebus generabilibus, & corruptibilibus, & quanuis homo excedat infinitas species, ac indiuidua brutorũ animalium, nõ inde sequitur, quod sit infinite perfectus, sed quod est altior. ¶ Sexto argumentor: Quia infinitũ dicitur esse illud, cuius quantitatem accipiẽtibus semper est aliquid accipere extra. ergo infinitũ est, & re & cognitione impertransibile: ergo non potest cognosci: ergo non cognoscuntur infinita ab anima Christi. Respondetur, quod infinitum in actu quantitatiue accipiendo partem post partem, sicut est impertrãsibile realiter, ita est impertransibile secundum cognitionem, apprehendendo, & numerando vnam partem post alteram. Sed sicut intellectus in specie hominis comprehendit innumerabilia indiuidua quoad essentiam, & generaliter sicut materialia possunt accipi ab intellectu immaterialiter, & multa in vno: ità potest anima Christi videre infinita in Verbo Dei, quod vnum existens continet infinities infinita.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm anima Christi videat diuinam essentiam clarius qualibet alia creatura.



IN respondendo huic quæstioni nulla est ambiguitas homini fideli. Certum est enim, quod quitanto melior & excellentior angelis effectus est, quantò differentius præ illis nomen hęreditauit, in maiore gloria est apud Deum, etiam ratione humanitatis assumptæ qualibet creatura. Primùm: Quia quò quis melior & sanctior est, eò clariùs videt Deum: sed sanctus sanctorum cæteros excellit sanctitate: ergo clariùs videt Deum. Declaratur maior: Nam scriptum est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: ergo qui purior est clariùs videt. Secũdò: Quia gloria correspõdet gratiæ: sed Christus est filius dilectus, in quo dilecti, & electi sumus, & à quo accipimus gratiã pro gratia: ergo sicut est summe gratus, ità habet etiam summam gloriam. Tertiò: Nam qui propinquior in cœlis Deo est, ille habet maiorem gloriam: sed Deus cõstituit Christum ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomẽ, quod nominatur, ad Eph. 1. & omnes angeli in Apocalypsi dant honorem, & gloriam Agno: ergo altissimus residet ille rex Regum, & summa gloria fruitur, & clarius videt Deum. Addit hoc loco quidam, quod etiam de potentia Dei absoluta nõ potest dari maius lumen gloriæ, maior ve charitas lumine, & charitate animæ Christi. Sed hæc omittamus, quia etiam sine argumento liquet esse falsa.

Hebr. 1. Matth. 5. Matth. 17. Ioan. 1. Ephes. 1. Apoca. 5

QVAESTIO DVODECIMA, DE SCIENTIA INDITA ANIMAE CHRISTI.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm secundum scientiam inditã, vel infusam Christus omnia sciat.



VM supra dixerimus in Christo Domino ponendam esse scientiam rerum, quæ ex sensibilibus cognosci possunt, quæ est propria hominis, vt homo est, & scientiam Angelorum, hoc est, inditam vel infusam, quia melior, & altior angelis effectus est, & beatam, quia ab instanti conceptionis fuit comprehensor, & in his omnibus tantum excelluerit, quantum sol stellas excedit, consequens est, vt secundũ illam scientiam omnia norit. Et quidem, cùm omnes reuelationes, & supernaturales ac infusæ notitiæ, quas homines vnquam habuerunt, non aliter prouenerint à patre luminum, nisi ob merita, & amorem Christi sui, quantò magis credẽdum est, Christum ipsum habere earum rerum omnium, & aliarum innumerabilium clariorem, & altiorem notitiam. His tertiò accedit, quod cum anima Christi, qua ratione spiritus est, & conuenit cum angelis, capax sit scientiæ inditæ, ac infusæ à Deo, oportuit impleri capacitatẽ illam, iuxta dignitatem Christi & mensuram defixam inscrutabili iudicio, & sapiẽtia Dei. Quia verò inscrutabilia sunt iudicia Dei, & nos ignoramus, quantum dignatus fuerit hac scientia decorare Christum suum, multa obijciam, quia multa sunt mihi difficilia in hac disputatione. Et primò quidẽ quanuis Christus per hanc scientiam nosse potuerit cogitationes cordiũ, & alia innumerabilia, quæ pertinent ad prudentiam, siue ad ea, quæ agenda sunt, tamen nulla necessitas, aut ratio cogit, vt asseramus eũ cognouisse hac sciẽtia infusa cogitationes omnes, quas per totam æternitatem habituri sunt damnati actusq; eorum: non igitur Christus hac scientia omnia nouit. Respondeo, quod ego eam rationem, & necessitatem nõ inuenio: ac proinde ità iudico, vt obijciens proponebat.

Heb. 1.

Secundo arguitur: Quia, esto plura mysteria, & omnia, quæ ad mores pertinent nouerit, alia tamen innumerabilia singularia, & naturas, & proprietates, & accidẽtia eorum, quæ vbiq; terrarum sunt, & quæ terra mariq; abdita vnaquaq; hora atq; momento oriuntur, & intereunt, illa certè cũ ad finem charitatis nõ referãtur, nosse non videtur Christus hac scientia. Adde innumerabiles artes quas scire vel indignũ est, vel saltem nõ necessariũ. Adhoc respõdeo quod iuxta doctrinã sapiẽtissimi Augustini in libris de Genesi ad literã, notitia rerũ naturaliũ, quæ à Deo productæ sunt, data est angelis in principio suæ formationis: id verò quod angelis collatũ est multò magis est Christo tribuẽdũ. Nec verò aliquã rẽ, aut artẽ scire indignũ est, nisi fortè quãdo ea notitia potest esse homini occasio mali, aut auocamẽtum à rebus altioribus; quod nõ habet locũ in Christo. Verũ est tamẽ, quod nos animæ viles, & angusta vasa nõ cõprehẽdimus, qua ratione intellectus tãtãrerũ molẽ cõplecti possit & sustinere. D. August.

Tertio: Quia singularia nõ cognoscũtur in tellectu, sed sensu: at sciẽtia indita est in intellectu: ergo per eã nõ cognoscũtur singularia. Respondetur, quod qua ratione singularia cognoscantur ab intellectu quæstio est multùm agitata inter scholasticos:

asserere verò, quod non cognoscuntur ab intellectu est vehementer alienum à ratione, & contra clarissimam experiētiam.

Quarto argumentor: Nam esto aliqua singularia cognosceret per hanc sciētiam, tamen cum vniuscuiusque singularis sit propria, & peculiaris dispositio, & consequenter propria species, non posset Christus habere iam innumerabiles istarum rerum omnium species. Respondetur, quod species illæ intelligibiles, quæ infusæ sunt, ex suo genere & non per accidens, non solum sunt alterius rationis ab acquisitis, sed sunt etiam altioris ordinis: quia sic sunt similitudines alicuius naturæ, verbi gratia, humanę, quod repręsentant eam in quacūque sit dispositione accidentali: ità quod per vnam speciem potest intellectus cognoscere quidditatiuè hominem, & omnes eius indiuiduales cōditiones & dispositiones, etiam quoad existere. Atque videtur hoc rationi cōforme. Nam cum huiusmodi species sint exemplatę à diuina essentia quæ vna existens distinctissimè repræsentat res omnes, & earum conditiones, consentaneum rationi esse videtur, vt species, quæ spectant ad supernaturalem ordinem hoc à Dei essentia illimitata participent, vt quælibet earum repræsentet aliquam vnam naturam, vel etiam plures cum his omnibus, quæ illis naturis accidūt. Ex quo sequitur primò, quod vna species superioris ordinis potest sufficere ad euidentem, & claram notitiam tam speciei, quàm singularis, vt singulare est: nec oportet adhoc multiplicare species. Sequitur secundò, quod quia Christo tribuenda est hæc sciētia infusa secundum rationem perfectam, cognouit ille per eam omnia indiuidua secundum omnes suas cōditiones, & existētias, potuitque fieri vt etiam per eam cognouerit cogitationes cordis. Nec verò hęc istarum specierum tam exacta repræsentatio fit, ex mutatione specierum, sed rerum, quæ mutantur, & repręsentantur ab specie pro ea dispositione, in qua sunt.

Quinto: Res futuræ contingentes non possunt sciri hac scientia in se ipsis quia nōdum sunt, & hæc scientia non mensuratur æternitate, nec verò in causis, quia non habent causam determinatam: ergo non possunt cognosci. Respōdetur, quod qui attenderit, quod hāc, de qua loquimur notitiam imprimit, & dat & reuelat Deus omnia sciens non hęsitauerit ob hoc argumentū: sicut nec ob illud quod cognitio fit per assimilationem, & assimilatio requirit existentiam vtriusque extremi: ergo non possunt cognosci ab anima Christi futura. Respondetur enim ad minorem, quod vt aliqua extrema sint similia à parte rei, necesse est, vt sint: vt autem intellectus noster informetur specie, siue notitia alicuius rei, non est necesse, vt illa sit, alioqui vbinam manebit cognitio prophetarum? Itaq; hoc argumentum futile est, & inane.

Sed possent hoc loco nōnulla quæri, & dubitari, quæ placet breuiter controuertere. Primum est: An hæc singularium notitia, quam habebat Dominus esset intuitiua. In quo alij aiunt, alij negant. Dico verò primò, quod cognitio singularium, quā habebat Christus per hanc scientiam erat clara & euidens, siue illa singularia essent præsentia, siue præterita, siue futura. Hæc liquet ex excellentia luminis: siquidem hæc scientia perfectior est, quam nostra naturalis, & ista est euidens: ergo illa. *Scotus in 3. d. 14. q. 3. Cai. 5.*

Dico secundò, quod ea notitia respectu futurorum ac eorum, quæ erant præterita, non est dicenda intuitiua, sed abstractiua. Probatur: Quia quod non est non videtur ea notitia, quæ est rei præsentis: talis est intuitiua: ergo quod non est non videtur notitia intuitiua.

Secundo argumentor: Nam ea sola cognitione cognoscūtur & obijciuntur vt pręsentia, quæ apud nos sunt futura, vel transierunt, quæ mensuratur æternitate: sed cognitio per species infusas non mensuratur æternitate, vt verisimè supponimus: ergo huic cognitioni non obijciuntur vt præsentia ea, quæ no sunt: ergo eorum notitia non est intuitiua, quanuis sit ità clara, & euidens ac si esset rerum omnino præsentium.

Dico tertiò, quod in eo, vtrùm notitia rerum tunc temporis existentium distantiū tamen à Christo esset intuitiua, an non, mihi est non parua difficultas. Et ratio dubitandi,

randi, ex vna parte eſt: Quia quando notitia intuitiua dicitur eſſe cognitio rei præſentis, non eſt ſenſus, quod ſit cognitio rei, quæ coexiſtit tempore ipſi cognoſcenti: necenim ego degens Segouiæ dicor videre notitia intuitiua fluuium aut arbores Toleti: ſed eſt ſenſus, quod ſit notitia rei præſentis ſecundum locum ipſi cognoſcẽti, quando cognoſcens dependet à loco, & tempore, qualis eſt homo. Ac proptereà videtur, quod ea ſingularium notitia in Chriſto non eſſet intuitiua. Facit autem ex altera parte hanc eſſe excellentiam luminis infuſi, vt prophetæ eo illuſtrati ità viderent quæ gerebantur, ac ſi oculis ipſis colluſtrarent, & ipſis præſentia eſſent: cùm igitur hoc lumine ità videantur res atque ea, quæ cernimus, & illę res coexiſtant tũc actu, inuenitur profectò ibi ratio notitiæ intuitiuæ. Ac proptereà ſecunda hæc ſententia veriſimilior alicui fortaſſe videbitur, præterquam quod cum de re conſtet, & omnes aſſeramus eam notitiam eſſe claram ac euidentem, & rei exiſtentis eo tempore quo cognoſcitur, eſt quęſtio de nomine, vtrum dicenda ſit intuitiua an non. Mihi autem intuitiua videtur.

Quæritur ſecundo loco, vtrum iſta notitia intuitiua Chriſti eſſet perfectior quã ea, quam habent angeli de ipſis ſingularibus exiſtentibus. Et ratio dubitandi eſt, quia obiectum eſt idem, vt ſupponimus, & eodem modo ſe habens ad vtrunque intellectum, & intellectus angeli naturaliter eſt perfectior intellectu Chriſti: ergo, & perfectior etiam eſt eius notitia, quam Chriſti. Et ita quidam tenere dicuntur. *Scotus.in.3. d.14.q.4.*

Reſpõdetur, quod notitia intuitiua, quam habuit Chriſtus de ſingularibus per ſcientiam infuſam, eſt multò perfectior, quam notitia intuitiua angelorum reſpectu eorum ſingularium. Quod probo: Quia lumen infuſum, quo vtebatur Chriſtus in tali cognitione, erat multò perfectius, quã lumen infuſum angelo, ſiquidem melior hic angelis effectus eſt: ergo notitia profecta ab eo lumine erat perfectior: qui enim habet meliorem viſum meliùs videt. *Hebr.1.* Ratio autem & principium iſta videndi erat lumen, quod alij conſiderare debuiſſent. Nihil itaque concludebat eorum ratio.

Vltimò dubitatur, an per iſtam ſcientiam cognouerit anima Chriſti euidenter articulos fidei, vt Deum eſſe Trinum & Vnum. Reſpondeo verò ex ſupradictis, quod cum Chriſto ſit infuſa notitia eorum omnium myſteriorum, quæ hominibus à Deo reuelata ſunt, & articuli fidei ſint eiuſmodi, conſequens eſt, vt eorum etiam ſit infuſa notitia: non autem obſcura, & ænigmatica: ergo clara & euidens: quod certè Deus & potuit facere, & credibile eſt feciſſe. Verum eſt autem, quod ſiquidem hoc aſſerimus, aſſeramus etiam neceſſe eſt, quod hæc Chriſti cognitio indita ſit, non modo perfectior cognitione infuſa prophetis, & indita angelis in principio, ſed etiã alterius rationis. Quod probo: Quia angeli per eam non cognoſcebant euidenter Trinitatem: ſed, vt in atteſtante cognoſcimus, quæ ille nobis dicit. *Caietã.* Quam etiam eorum cognitionem euidentem, vt in atteſtante, ſolum aſſero iuxta quorundam opinionem, det autem nobis Dominus & infundat lumen, quo videamus habuiſſe quidem Chriſtum cognitionem inditam ſiue infuſam perfectiſſimam. Quot autem ſint, & quanta, quæ per illam noſcebat relinquamus inſcrutabili conſilio, & iudicio Dei.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Chriſtus vti potuerit hac ſcientia non conuertendo ſe ad phantaſmata.



IN hoc, omiſsis aliquorum ſententijs, dicam breuiter, & ſyncere quod ſentio. In Chriſto Domino fuit triplex ſcientia. Prima beata, & æterna: & ſecundum hanc habebat cõtinuum actum, atque perennem, non dependentem à phantaſmatibus, vt liquet, ſed à lumine gloriæ, & ſpecie ac obiecto eſſentiæ Dei. Habebat ſecundo Chriſtus ſcientiam ex ſuo genere acquiſitam, & notitias plures ſenſuum interiorum, & exte-

riorũ naturales hominibus:& in hiſce vtebatur phãtaſmatibus,ſicut homines in ſtatu etiam innocẽtiæ feciſſent,& Adam fecit ante lapſum. Nec enim hoc oritur ex imperfectione,aut ex eo, quod anima ſit ſubiecta corpori,ſed ex ipſa rerum natura, quæ hoc poſtulat. Tertiò: Erat in Chriſto ſcientia infuſa,& indita;atq; in vſu eius nõ depẽdebat à phãtaſmatibus,quoniam ſpecies & lumẽ eius ſcientiæ ſunt infuſæ,nec in eis anima beata dependet à corpore. Nec verò ea,quæ Chriſtus per eam ſcientiam noſcebat poterant repræſentari à phãtaſmatibus,quia nullæ ſunt earum rerum ſpecies ſenſitiuæ ſiue phãtaſmata, niſi ea Chriſtus in ſe ipſo formaret, vt in eis illa ſpecularetur more noſtro, pro voluntate ſua.

Sed aduerſus hæc argumentor primo,ex illo vulgari philoſophorũ axiomate;Oportet intelligentem phãtaſmata ſpeculari: ergo Chriſtus nihil poterat intelligere hac ſcientia, ſine phãtaſmatibus. Reſpõdetur dicere philoſophos verè,vt credo,fieri nõ poſſe,vt nos aliquid intelligamus,niſi conuertẽdo nos ac referendo ad phãtaſmata, & ab eis incipiendo. Hoc autem inde eſt, quod anima pro hoc ſtatu eſt ſubdita corpori & ſenſibilibus,adeò, vt quemadmodum corpus eſt prius quam animal,& animal prius quam rationale;itá prior ſit corporum motio actiua,deinde ſenſuũ actio, tertio functio rationis & intellectus ex naturali, vt dicebamus vinculo,quod habet anima pro hoc ſtatu cum ſenſibilibus,quẽ ſtatum & ordinem tãtum,philoſophi cognoſcere potuerunt. At verò inquantum anima in fœliciori alio ſtatu cõſtituta non depẽdet à corpore & ſenſibilibus,& videt Deum,cõuenitq; cum angelis in lumine, & infuſione ſpecierum,nõ indiget vtiq; reuolutione phãtaſmatum,vt quæ ſupra omne tempus ſit cõſtituta,& corporalia trãſcenderit,non iam ſubiecta, ſed dominans corpori.

Secundo argumentor: Quia dici etiam ſolet,quod ſicut colores ad viſum;itá phãtaſmata ad intellectum:ſed potẽtia viſiua Chriſti nõ poterat videre ſine colore:ergo nec intelligere ſine phãtaſmate. Reſpõdetur,quod quanuis maior propoſitio omnino vera eſſet, nihil cõcluderet contra nos. Solum enim haberet locum in his,quæ ſola naturæ facultate ſciuntur:nobis autẽ ſermo eſt de ſciẽtia beata,aut indita, quæ eſt alterius rationis. Sciẽdum verò eſt , quod quemadmodum colores,ſiue colorata , ac lucida,ſunt materia,circa quam ,potentiæ viſiuæ:ita phãtaſmata ſunt materia intellectus agentis,atq; poſsibilis. Differt autem, quod formale obiectum & terminus viſionis ſunt colores,nõ tamen formale obiectum,& terminus intellectionis ſunt phãtaſmata,ſed quidditates repræſentatæ per ſpecies intelligibiles abſtractas à phãtaſmatibus. Sed tertio loco referam vobis mirabilia,quæ homines curioſi inferũt ex hac nõ depẽdentia huius ſcientiæ à phantaſmatibus. Sequitur enim, aiunt, primò,quod Chriſtus poterat intelligere hac ſcientia inter dormiendum. Imo ſequitur, quod nunquam ſecundum hanc ſcientiam dormiebat. Quia cum haberet ſpecies,& nõ indigeret ſenſu,ac cõuerſione ad phãtaſmata, eſſet eius intellectus in cõtinuo motu. Inferunt tertiò,quod nec ſomniabat aut ſaltem ex reuolutione phantaſmatum nõ poterat abduci,ſiue decipi ſomno:quia nõ dependebat à phãtaſmate. Ad hæc reſpõdeo quod in nobis ſenſu non operãte atq; ſopito,actio etiam intellectus auferatur neceſſe eſt,& ex cõſequenti homo tũc,& ſecũdum corpus,& ſecundum ſpiritum omnino cõquieſcit:in Chriſto verò certum eſt, quod cum comprehenſor eſſet à beata viſione nunquam ceſſabat,& ex cõſequenti eius intellectus inter dormiendum,nõ intermittebat omnem actum , ſicut & noſter. Hoc autẽ ſi quis conſiderauerit, non mirabitur admodum,quod cũ vellet,cõſideraret etiam aliqua ſecũdum ſciẽtiam inditam,vel quod non poſſet decipi ſomno. Sed qua ratione ſe habebat ad dormiẽdũ, & ad ſomniandum, ego relinquo diſputãdum curioſius iſta indagãtibus, ne incidã in eam Auguſtini ſententiam, Omnis anima curioſa indocta eſt. Exiſtimo autem, D. Aug. quod Dominus in vſu huius ſcientiæ poterat diſcurrere ex vno ad aliud cum vellet, quia vnũquodq; recipitur ad modum recipientis,

cipientis, & Christus est naturæ rationalis ac discursiuę. Verũ est tamen, quod etiam in principijs videbat conclusiones, sine discursu.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm hæc scientia in Christo fuerit maior scientia angelorum.



DVO sunt genera rerum, quæ sciẽtia indita sciri possunt. Primũ res omnes naturales, quæ mundi visibilis ac inuisibilis nomine cõtinentur. Et si de his loquamur fortasse verum est, quod humanitas Christi recepit minus vniuersales species, & magis dearticulatas, pro qualitate suę naturę, vt qui carnem suscipiẽs didicit ex his, quæ passus est obedientiam, disceret etiam hac ratione naturæ imbecillitatẽ, stat autem, vt species sit minus vniuersalis, & notitia clarior. Sciuntur etiam hac ratione supernaturalia mysteria, rationes, & iudicia Dei. Et de his loquendo ego non dubito, quin omni ratione maior, & perfectior fuerit scientia animæ Christi, quam scientia angelorum. Quoniam scientia indita secundum hanc considerationem prorsus pertinet ad ordinem supernaturalem, & dona gratiæ secundum quæ supra modum excedit is, quẽ adorãt angeli, & qui est Rex & Dominus & doctor angelorum, & bonorum omnium supernaturalium fons: quia hæc non sunt mensurata pro ratione naturæ, sed gratiæ Dei.

Hebr. 5.

Sed aduersus hæc argumentor primò: Quia influẽtia causarum superiorum modificatur secundum subiecta inferiora: at verò anima Christi erat inferioris naturæ, quam angeli: ergo eius scientia indita fuit minor, non quidem ex defectu influentis, sed ex parte subiecti recipientis. Respondetur, quod aliud est dicere, aliquid ex parte subiecti esse imperfectius, aliud verò dicere, id quod est in subiecto esse imperfectius. Primum in proposito est verum: secundum falsum. Nam quod habet anima Christi ab influente Deo multò perfectius est, quam quod habent angeli, quãuis ipsa sit inferioris, & minus perfectæ naturæ. Rem autem declaro exemplo: Maior calor est in vino, aut in alimento, si aspiciamus subiectum, quam in ferro: at verò in ferro ignito & incenso multò maior est, non ex parte ferri, sed ab igne influentẽ. Quo circa meritò dubitari posset, vtrùm etiam quoad res naturales maiorẽ, & perfectiorem sciẽtiam inditam, ac species vniuersaliores haberet Christus, quã angeli. Verum est tamen, quod Deus est obseruãtissimus legis naturæ quam ipse dedit: & videtur id natura rerũ postulare, vt inferior natura vtatur speciebus minus vniuersalibus rerum naturalium: illa verò maior assumpta in argumento non habet locum, quando superior causa agit per intellectũ, & quando quò amplius recipit inferior eò fit capacior, vt accidit in nostro proposito.

Secundò argumentor. Quia scientia angelorum non est discursiua: scientia verò indita Christo erat discursiua: ergo erat imperfectior. Respondetur, quod hæc scientia ex infusione, & altitudine & puritate, & ratione sua non erat discursiua. Quod autem Christus per eam discurreret ex eo, quod in naturam rationalem erat recepta, non est inconueniens.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm hæc scientia fuerit habitualis.



CONSTITVTO, quod scientia indita animæ Christi fuit maior scientia angelorum, quia & ipse excelsior angelis est, & sicut anima illa supra communem modum vnita est Verbo: ita supra communem modum habuit scientiam, superest disputare de eius scientiæ qualitate, vtrum habitualis fuerit, an non. In quo respondeo, quod de sola Dei beata visione existimant sapiẽtes itá esse continuam vniformem, atque perennem, vt nũquam ab actu desistat, & omnia, quæ per illam vident beati semper videant; quoniam id postulat eius perfectio. At verò de notitijs ac scientijs infusis angelis

Hebr. 1.

angelis, vel hominibus, aliter philosophã-dum est: quoniam habētur illę per species diuersas, & in omni natura creata, & finita haber locum illud, Pluribus intentus minor est ad singula sensus: nō ergo intelligẽdum est, quod angeli vel homines semper cōsiderent actu ea omnia, quorum cognitionem acceperūt: sed pro voluntate sua, & opportunitate oculos mētis conijciunt ad ea, quæ volūt, nō aliter, atq; nos in vsu sen suum, atq; sciētiæ acquisitæ facimus. Omnis nãque creatura, sicut quoad esse exiuit de potētia ad actum: itá nō est semper in actu suarum omnium operationū. Si quis verò quærat, an habitus scientiæ sit specierum collectio, & ordo, an verò facultas ipsa & potestas intelligendi ac iudicãdi, ego quidem in scientia vtrūq; includi video. Formaliter verò scientia certè notitia est, facultas intelligendi est, lux spiritualis est, quam facultatem & lucem in scientijs acquisitis nos vsu ac exercitatione ingenij, & doctrina aliorum hominum in nobis ipsis quasi excitamus acquirimus, & augemus. Angeli verò quoad naturalia habēt, vt credo, tale & tãtum lumen insitum, vt habitu non indigeant sed eis sufficiant species. Quoad supernaturalia verò existimo, quod indigent habitu, vnde & fides & charitas erat eiusdem rationis in illis & in nobis, & lumen gloriæ ad videndum Deum nemo nō requisiuit in angelis. Et denique siquidem supernaturalia lumine naturæ cognosci non possunt, necessariū est aliud lumen. Scientia igitur indita, siue infusa animæ Christi, habitualis erat, & ea vtebatur quando volebat.

Sed quæstioni hæc obijcio. Primum: Quia maior est perfectio scientiæ existentis in actu, quam existentis in habitu vel potentia: ergo hæc sciētia Christi erat semper in actu. Respōdetur, quod humanitati Christi eiusq; gratijs, & dotibus maxima perfectio tribuenda est: sed iuxta leges sapientia Dei constitutas naturis rerum: illa verò scientia natura sua est habitualis.

Secundo argumentor: Quia Christus per hanc scientiam nouit infinita: quæ verò actu considerabat finita erant, impossibile enim infinitum enumerare, & pertrã sire. Finiti autem ad infinitum nulla est comparatio: ergo restabãt infinita in actu, quæ nūquam cōsiderauit: ergo frustra accepit illorum scientiam, quia frustra est potentia quæ nō reducitur ad actum: ergo nō accepit illam scientiam. Respōdeo videri mihi, quod Christus hac sciētia cognouit ea omnia mysteria, quæ alijs reuelata sunt & quæ necessaria erant ac decebat vt ipse sciret. Et quia hæc innumera erant, & ad quodcunq; vellet se conuertere illud intelligeret, iccirco dici solet quod cognouerit infinita, non autem quod illa essent infinita in actu. Fortasse vero ea est huius sciẽtiæ altitudo, vt per eam sciri possent infinita singularia. Nec esset frustra ea cognitio sed necessaria, vt anima Christi cognosceret quæcūq; vellet, & quæ ipsum scire decebat, ad quem finem infusa est ea scientia: posset tamen Deus intra limites finiti conferre, & mensurare, quæ ipsum oportebat ac decebat scire.

ARTICVLVS. V.

Vtrúm hæc scientia fuerit distincta per diuersos habitus.



SVNT de hac quæstione, sicut de alijs multis, variæ sententiæ. Ego sine strepitu argumētorum dicam quod sentio. Quemadmodum ad scientiam acquisitam tria requiruntur, lumen naturale, intellectus, species intelligibiles, & determinatio eius luminis ad tale obiectum per facultatem, & potestatem quandam faciliter & prompte iudicãdi de illo genere subiecti, quem vocamus habitum: pari ratione in scientia indita, vel infusa est lumen infusum, & species intelligibiles, & determinatio luminis ad hoc, vel illud genus obiecti, per facultatem de illo promptè iudicandi. Existimant autem nō nulli, & vt ego puto, rectè sentiunt, quod lumen illud infusum, & supernaturale nō distinguatur re ipsa, sed ratione ab habitibus infusis. Quẽadmodū enim habitus fidei requirit lumen infusum, & est lumen ipsum

ipsum infusum, & habitus prudentię infusæ requirit lumen infusum, & est lumen ipsum infusum: ità potestas cognoscendi, & iudicandi de his, quæ à Deo infusa, & indita sunt requirit lumen infusum, & est ipsum lumen infusum.

Aduertendum verò est, quod alia est ratio luminis, & alia habitus. Lumen enim tenet se ex parte potentiæ, & significatur in genere tanquam lux intelligentiæ: habitus verò sumunt rationem, & distinguuntur per ordinem ad tale genus, & rationem obiecti, propterea quod experimur in vno genere, in quo nos vehementer exercuimus, faciles esse, in alio verò tardiores. Ac propterea non est incōueniens, quod cum dicatur esse vnum lumen in genere, quia significatur in genere, sint tamen habitus diuersi ob diuersam rationem obiecti. Si quis autem quærat, vtrùm de speciebus infusis possemus iudicare sine illo lumine, respondetur, quod si species sint rerum supernaturalium fieri non potest, vt de rebus supernaturalibus sine lumine supernaturali iudicemus. Si verò sint rerum naturalium, possemus quidem vti, & iudicare de eis, non tamen tam perfecta, euidenti, & vniuersali ratione, sicut per lumen infusum: quæ enim de cœlo nobis veniunt puriora sunt. Qui autem hæc dicunt non tollunt actualem illuminationem, & splendorem luminis intelligentiæ irradiantem hominibus per modum auxilij Dei, sine quo etiam ij, qui habitus & facultates habent sentiunt se aliquando non modo tardos, sed etiam omnino ineptos ad intelligendum, quasi interposito vela nimæ inter eorum intellectum, & res intelligibiles.

Vltimo verò loco aduertendum est, quod quanuis hæc scientia ponatur in anima Christi, qua ratione conuenit cum angelis, tamen tam est perfectior, vt ea cognoscat Christus, quæ superant cognitionem angelicam, vt cogitationes cordis, & futura contingentia.

QVAESTIO

QVAESTIO DECIMATERTIA, DE SCIENTIA ANIMAE CHRISTI ACQVISITA.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm per hanc scientiam Christus nouerit omnia.



VM superius in hâc ipsam quæstionem incidissem, asse rui cum Paludano Christũ Dominum omnia sciuisse, quæ per scientiam acquisitã sciri possunt, & comparari, eo quod scientiæ omnes etiam illæ, quæ suapte natura sunt acquisitæ, ipsi fuerint infusæ diuinitus. Atque addebam, non modo hoc non impedire intellectum possibilem, & agentem quominus possint suas operationes obire, & exercere, sed etiam id fieri multò faciliùs promptius, atque perfectius, quando habituales scientiæ, siue notitię præfuerint menti, non aliter, atque ego quanuis infixum in intellectu habeam totum esse maius sua parte. Si tamen se se Petrus obiecerit sensui, & ostenderit maiorem sua manu, tunc & sensus exterior, & interior, & intellectus ipse, & habitus mentis exercent sua munera: quando actu considero eam veritatem, multo faciliùs & promptius, quam si nunquam illam nouissem.

Paludi.

Hoc igitur, & semper existimaui, & modo existimo verum esse: sed debeo aliorum referre sententias. Quidam graues & docti affirmant ex vna parte Christum has scientias suopte ingenio per inuentionem comparasse, & ex alia omnia sciuisse. Sed facit contra hanc sententiam, quod si Christus hos habitus scientię acquisitæ non accepit per infusionem: ergo eos successu temporis comparabat, & in eis proficiebat: ergo vno tempore plura sciebat hac scientia, quam alio: ergo quando ad finem vitæ pro nobis venit, vel aliqua ignorabat, & itá conclusio non esset vera, vel quanuis viginti annos superuixisset, nihil profecisset omnino, quod est alienum. Et quidem responsio probabilis mihi non se offert. Nisi fortè dicat quis, quod quando peruenit, verbi gratia, ad viginti quinque annos, iam sciebat omnia, nec vltra profecit, quoniam ex his, quæ viderat, & comprehenderat, intellexerat reliqua. Habent enim omnia ad inuicem proportionem, & dependentiam, & conueniunt in rationes plures vniuocas, & constant ex eisdem principijs in genere, atque hac via, & ratione potuit anima Christi venire in rerum omnium notitiam. Verum hæc responsio præterquam quod in propria domo, & sede imaginationis sine fundamento est fabricata, potest etiam sufficienter refelli, quia naturale est hominibus, quando per inuentionem notitiã rerum acquirunt, melius eas rés intelligere, si ad sensum demonstrentur, & cernantur oculis, & tractentur manu, & earum qualitates experimento discamus, quam si intelligãtur per proportionem ad alia. Si ergo Dominus ingenio ac serenitate mẽtis plusquã angelica peragraret terras, ac nationes diuersas, & videret peculiares aliquas species lapidum, herbarum, animalium, aliarumque rerum, non dubium, quin si non omnium scientiam per infusionem iam ante acceperat, vel plura tunc intelligeret, vel certè perfectiùs naturas, & proprietates rerum penetraret per se ipsas, quam penetra-

uerat

uerat tunc,quando ſecundum proportionem,aut contrarietatem,aut depēdentiam aut generales rationes vniuocas, intellexerat. Præſertim cùm vna,& eadem ſpecies in diuerſis regionibus habeat qualitates,& proprietates diuerſas. Igitur Magiſter Victoria homo boni ingenij,& candidi,quantum eius ſcripta declarant, & ex aliorum fama collegi, videns ſuperioris ſententiæ difficultatem ſic illam temperabat, vt diceret,illam non eſſe ita intelligendam, vt anima Chriſti ſciret ea omnia prorſus,quę lumine intellectus agentis illuſtrari poſſunt,ſed intelligendam eſſe moraliter, ſicut communi loquendi more dicere ſolemus,abſolutiſsimum aliquem mathematicū omnia ſcire,quæ ad ſcientias mathematicas ſpectant. Hæc ille, & fortè verè. Sed facere videtur in contrarium , quod iuxta hanc doctrinam multa certè Chriſtus ignoraret. Alij dicunt, quod ad ſciendum omnia ſcientia acquiſita,iuuabatur Chriſtus ſcientia infuſa. Et ego quidem credo,& affirmo,quod infuſa iuuabat, & perficiebat acquiſitam:ſed non inde ſequitur,quod anima Chriſti omnia ſciret per acquiſitam iuxta iſtorum ſententiam. Alij dicunt, quod ille intellectus erat multò præſtantior,& eminentior cæteris, quod eſt veriſsimum,& ego concedo etiam in ſe ipſo. Sed non inde efficitur concluſio. Quidam partiuntur ſcientias naturales, & alias ex eis infuſas Chriſto volunt,alias acquiſitas,vt habeat omnes. Caietanus hoc loco imaginatur Chriſto Domino miniſterio Angelorum allata fuiſſe omnia ſingularia opportuna,& neceſſaria ad habēdam ſcientiam rerum omnium per inuentionem,quaſi non eſſet facilius infundere phantaſmata. Mihi ſemper viſa eſt probabilior ea ſententia,quam ſupra expoſitam dedi,quod acceperit Dominus omnes ſciētias per infuſionem multò potiore, & excellentiore ratione,quam Adam. Cum autem in hac materia tot video diſſentientes opiniones,tamque deſtitutas ſolidis fundamentis,nihilque eſſe firmum, & conſtitutum,niſi commune illud, Habuit ſcientiam beatam infuſam,& acquiſitam,ſæpe venit in mentem peculiari fortaſſe Dei iudicio factum eſſe,vt à cognitione ſcientiæ Doctoris hominum & angelorum ſcientes ipſi defecerint.

Victor.

Caieta.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Christus in hac ſcientia profecerit.



DECISIO huius quæſtionis pendet ex ea ſententia, quam quiſque articulo præcedenti tenuerit. Nobis autē dicendum eſt, quod duplex eſt profectus ſcientiæ. Vnus ſecundum eſſentiam habitus,prout,ſcilicet,ipſe habitus ſcientiæ augetur. Alius ſecundum eſſe ctum,vt cum aliquis per eūdem,& æqualem habitum ſcientiæ primò minora,dein de maiora alijs demonſtrat. Hoc autem ſecundo modo certum eſt, quod Chriſtus in ſcientia profecit,ſicut in ætate:quia, ſcilicet,ſecundum augmentum ætatis magis ac magis ſuam ſapientiam oſtendebat. Sed quantum ad ipſum habitum ſcientiæ non proficiebat:quia perfectè habuit ab initio omnem ſcientiam per infuſionem. Sed facere videtur contra hoc, ſcriptū eſſe Lucæ 2. quod Ieſus proficiebat Sapientia,& ætate,& gratia apud Deum,& homines. Reſpondeo tamen à pleriſque ſanctis exponi locum illum de augmento ſecundum eſſe ctum,quod attinet ad ſapientiam,& gratiā in quātum Dn̄s quotidie magis theſauros ſapiētię ſuę oſtēdebat,& Dei gloriā magis illuſtrabat. Mirabile autē eſt,quàm ſefecerit Caietanus hoc loco ignorantem modeſtiæ ſanctorum. Cum enim videret Beatū Thomam ſuæ ſententiæ hac in parte timētem,commendat authoris modeſtiam,inde ſcilicet,quod vehemēter dubius,& fluctuans inter duas ſententias ſignificaret, ſe opinari quæ reuera neſciebat. Beatus autem ille ea laude non indigebat, quoniam id feciſſet etiam inſolentiſsimum ingeniū. Ego autem arbitror non eſſe dubium,quin ſi excellentes viri rogarentur de pluribus, quæ nos accepimus ab eis,& pro certis habemus,illi veriſsimè dicerent ſe fuiſſe dubios.

Lucæ.2.

Caiet.

B.Thom.

bios. Nam quo præstãtiorem mentem habent eo plura vident in vtranque partem, & fauentia, & etiam obstantia: & quo altiores intellectu eo cautiores sunt, & parci magis in asserẽdo. Ex quo est, quod preclarissimã ingenia, vt Platonis, Aristotelis, & Augustini, sæpe solent obijcere ad vtrãq; partem, & rem insolutã relinquere, quod certè proprium est summorum virorum, & videntium quam sint incertæ rationes hominum. Sed hæc omittamus: quia quicunque sapientes sunt rectè sciunt, & norunt suam ignorantiam: nec enim parua sapientiæ pars est nõ existimare quenquam, se scire quod nescit; at qui indocti sunt hi solimultum sapiunt, & omnia sciunt.

Plato. Arist. D. August.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm Christus aliquid ab homine didicerit.



QVI dicunt Christum Dominum successu temporis scientias comparasse, viderint, qua ratione, & modo defendant nihil eum omnino discere potuisse. Potuit enim accidere, vt ab alijs de natura vel proprietatibus rerum aliquid audiret, & edoceretur: nobis autem nihil facilius, quàm consequenter asserere, nihil eum ab homine didicisse. Qui enim omnia ante sciebat, quid addisceret de nouo? Qui splendidissimus est omnium planetarum, velut Sol, quomodo ab alio poterit illuminari? Qui calorem habet intensissimum, quomodo ab alio calefiet? Vetat enim natura rerum, vt qui in summo habet aliquam formam perficiatur ab inferioribus, & participantibus eam: semper siquidem agens est nobilius patiente, & beatius est dare quam accipere. Qui ergo datus à Deo est hominibus in doctorem, non sicut Moyses, aut Dauid, aut Salomon, aut Paulus, sed sicut ipse verus filius Dei, vtique omnia sciebat, & nec necesse habebat aliquid ab hominibus discere, nec id fieri poterat.

Acto. Ioel.2.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Quia in omni sententia, quãdo Dominus rerum naturas, ordinem, & pulchritudinẽ considerabat ab obiecto, & potentia pariebatur notitia: sed in rebus multæ sunt inferiores homine: ergo potuit Dominus ab hominibus accipere sicut à rebus.

Respondetur, quod Dominus iam ante sciebat, quæ actu considerabat. Sed sciendum est præterea, multum interesse inter accipere scientiam à rebus, vel ab homine. Nam acquirere eam ex obiecto est eo modo, & ratione acquirere, & comparare, quo ipsa scientia comparabilis est, & quem postulat natura rerum: nam ab obiecto, & potẽtia paritur notitia: accipere verò illam ab homine est accipere vt ignorantem à sciẽte, & discipulum à magistro. Atq; hoc modo illam accipere decedebat Christũ, cum scriptum sit: Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. *Esai.55.* Itaque primum ex his duobus solum infert esse aliquem in scientia proficientem quod postulat natura hominis, nisi diuinitus aliud disponatur. At verò secundum infert, & proficientem, & discentem ab homine alio, & vt sic inferiorem ipso. Quocirca hoc argumentum non modo secundum nostram sententiam, sed etiam si teneremus oppositam non euincit.

Secundo argumentor: Quia sæpè Dominus legitur in Euangelio alios interrogasse: ergo aliqua ignorabat. *Matth.16.* Adhoc probe respondet Origenes homilia. 19. super Lucam, quod Dominus interrogabat, non vt aliquid disceret, sed vt interrogatus erudiret. *Origen.* Ex vno quippe doctrinæ fonte promanat, & interrogare consulto, & respondere sapienter. Atque hanc Origenis doctrinam veram esse constat ex Euangelio. Ioannis enim secundo dicitur, ipse sciebat, quid esset in homine, & Lucæ. 5. dicitur, quod sciebat cogitationes. *Ioan.2. Luc.5* Nec sine causa vtrunque coniunxit Euangelium Luc. 2. vt ex vna parte diceret eum interrogasse Doctores, & ex alia stupuisse omnes, qui audiebant super prudentia, & responsis eius. *Luc.2.*

Articulus.

ARTICVLVS.IIII.

Vtrùm Christus aliquid acceperit ab Angelis.



D. August. CVM VIDEREM citari à quibusdam Augustinum in secundo super Genesim ad literam, affirmantem Angelos à Christo didicisse recurri ad eum locum, ibi autem solum ille doctor affirmat Angelos esse illuminatos à Verbo Dei, quod est ipsa fide.
Ioan.1. Loquebatur enim de Christo, non ratione humanæ naturæ, sed qua Verbum Dei est, per quod facta sunt omnia, & cuius aspectu ac luce beati sunt, quicunque verè beati sunt. Nihilominus tamen cum in illum etiam prout homo est
Hebræ.1. quadrent illa verba. Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit, cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, Ego hodie genui te? Et sancti patres, quod ego viderim, nusquam affirment, quod Christus discebat ab Angelis; & ipsi Rab-
Burgens. Esai.52. bini, vt refert Burgensis, illud Esaiæ.52. Et exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valdè, ità interpretati fuerint de Christo, vt dicant, exaltabitur plusquam Abraham & eleuabitur plusquam Moyses, & subli-
B.Dionys. mis erit valde, scilicet, supra Angelos Dei. Et antiquissimus ille Dionysius Areopagita capit.7. libri de cœlesti Hierarchia dixerit, quod supremi Angeli mysteria carnis assumptæ discunt à Christo, & eos ipse Iesus sine medio docet, teneo consequenter, & affirmo Angelos non docuisse Christum, sed potius ipsos à Christo edoctos esse. Et iuuat facitque pro hac parte hæc congruentia, quod quanuis mens humana cum sit longe inferior Angelis, apta nata sit confortari, & illuminari per Angelos, etiam in naturalibus, tamen videretur indignum, si anima assumpta in suppositum Verbi Dei fontemque sapientiæ, vnde angeli sapiunt, non ex ipso fonte, sed ex medijs riuulis deriuatis perfunderetur sapientia. Denique quicunque crediderit, & considerauerit, quod Christus Dominus erat verus Deus sibi persuadebit omnino, quod in dotibus gratiæ atque sapientiæ Angelos omnes longissimè excedat, etiam ratione humanitatis assumptæ.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Quia Beatus Dionysius libro de Cœlesti Hierarchia. capit.4. dicit: Video, quod ipse B.Dionys. Iesus super cœlestium substantiarum supersubstantialis substantia ad nostrã transmutabiliter veniens obedienter subijcitur Patris, & Dei per Angelos formationibus: ergo Christus eruditur per Angelos. Respondeo, quod ego certè dum hæc scribo non habeo copiam eius authoris Græcè scripti, vt possim iudicare, vtrum illa formatio ad intellectum Christi referenda sit, inspecto originali vocabulo. Existimo autem referendum esse ad ea, quæ ministerio Angelorum agebantur, circa Christum, vt quando stella duce Magi venientes adorauerunt eum, & per aliam viam, in Matth.2. scio Herode, reuersi sunt: & quando liberatus est à crudelitate Herodis: & quando ductus & reductus est ex AEgypto: & alia multa similia, quæ leguntur in Euangelio facta ministerio Angelorum circa Christum. Et hæc interpretatio colligi videtur ex Dionysio in verbis subsequentibus eius B.Dionys. capitis. Ait enim, quod per medios Angelos nunciatur Ioseph à Patre dispensata Iesu ad AEgyptum recessio, & rursus ad Matth.2. Iudæam de AEgypto reductio.

Secundo argumentor: Quia Lucæ.22. Legitur, quod apparuit Christo Angelus Luc.22. de cœlo confortans eum: ergo erudiebatur per Angelos. Solent enim qui alios consolantur plures ad id tristibus rationes afferre, ac declarare. Respondeo, negata in primis consequentia: quod menti meæ valde insidet eorum sententia, qui dicunt, hanc Angeli confortationem, non modo esse relatam ad demonstrandam, & comprobandam veritatem, ac proprietatem humanæ naturæ Christi, sed etiam fuisse indigentiæ: egebat enim sanctissima illa humanitas, in maxima an-

gustia constituta exteriore aliqua consolatione cœlesti atque purissima, & eius supernæ patriæ leuante partem molestiæ, vt hac ratione in determinato iam, & constituto medio illa tam grandis angustia consisteret, non aliter atque quando Ioan.4. Dominus fatigabatur ex itinere indigebat requie, quamuis & aliter posset laborem illum leuare. Ad cuius rei clariorem intelligentiam oportet meminisse communis illius doctrinæ, quod in Christo non erat redundantia gloriæ, & virtutis superiorum virium in inferiores, sed vnaquæque permittebatur agere secundum propria. Eguit ergo illa angustia aliquo consolatore, siue solatione vltra procederet magis ac magis comprimens, & affligens sensuum ac corporis partes. Apparuit etiam ille Angelus proculdubiò ad exemplum, & informationem nostram, vt videamus, quam sit fidelis Deus, & adiutor in opportunitatibus, quamque adsit homini tunc, cum maximè eius ope, & patrocinio indigue-rit. 1.Cor.1.

QVAESTIO

QVAESTIO DECIMAQVARTA, DE POTENTIA ANIMAE CHRISTI.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm anima Christi habuerit omnipotentiam.



SIVE fidē hac in parte, siué rationem naturalem cōsiderēmus, certum est, & euidēs, quod anima Christi nō erat omnipotēs. Si fidem quidē, quia de solo Deo scriptum est; Omnipotens nomen eius, & Gen. 17. Ego Dñs omnipotens, & Tobiæ. 13. Non est alius omnipotens: anima verò Christi non est Deus, sed creatura, ac specie infima inter rationales siue intellectuales. Si verò ratione naturalem consideres, euidens est, quod agere cōsequitur esse, calidū enim calefacit, frigidū frigefacit, lucidū illuminat, homo generat hominē, prudens bene consultat, & salubria cōsilia dat: solus autem Deus est ipsum esse immensum infinitum incircunscriptū: ergo solus habet potestatē immēsam, & infinitam, ac illimitatam.

Gen. 17. Tobiæ. 13.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Anima Christi scit omnia, quæ scit Deus; ergo, & potest omnia. Respondetur, quod antecedens est vehementer falsum, & indignū auditu. Innumerabiles enim res, & innumerabilia generatū scit Deus, quæ nō scit anima Christi, eo scilicet interiecto spatio immēnso, quod est inter Deum, & creaturam.

Secundo argumētor: Saltē anima Christi scit lōgè plura angelis, & quodlibet mysteriū ac quodlibet genus entis potest cognoscere: possit ergo, & omnia facere. Respōdetur admisso antecedēti, quod qui illā cōsequētiā formāt cōsiderare debuissent oēs homines ac etiam bruta aspicere, & videre cęlū, terram, maria, montes, & nō posse facere formicam: nō ergo valet, potest cognoscere: ergo potest facere, quia cognoscere res præexistentes, est accipere perfectionē à rebus, quod est creaturæ: efficere verò res omnes est dare illis perfectionem, quod est proprium Dei.

Tertio argumentor: Quia Matth. 28. dicebat ipse Dñs: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: ergo ea humanitas erat omnipotens. Respondetur, quod si ea verba in Christo referamus ad Deum vtique omnis potestas data est ei, cui per generationem æternam datum est esse Deū: si verò referas ad hominem etiam hac ratione verissimè dictum est, datam esse ei omnem potentiam in cœlo, & in terra suę dignitati ac officio congruentem, & necessariam, vt signa facta in cœlo, terra, & mari declarant. Hæc verò manifestiora fient sequentibus. Matth. 28.

ARTICVLVS. II.

In quo quæritur ratione generali, quænam potuerit humanitas Christi.



ARbitror nihil esse facilius quā propositæ quæstioni ratione quadā satisfacere, altera vero ratione respōdere nōmodo esse difficillimum sed etiam inaccessibile. Si enim generali ratione quæratur quænā potuerit facere Christus vt homo in rebus creatis respōdebimus illa omnia facere potuisse quæ ad Dei gloriā illustrandā ad cōfirmationem doctrinæ suæ & cōprobādū & persuadēdū mysteriū personæ suæ ad liberādos homines à potestate Dęmonis, & asserendos in libertatē gloriæ filiorū Dei, & denique illa quæ ad salutem, & gloriam hominum requirūtur & ordinantur,

 hæc

hæc inquam omnia facere potuit, & adhoc data est illi potestas in cœlo, & in terra. Si vero velis vt exacta ratione definiam quę nam illa humanitas facere potuerit, & ad quæ se extendat aut extendere potuerit iuxta sapientem Dei ordinationem? Respondeo nunquam me fuisse Dei consiliarium & neminem scire quæ sunt Dei nisi spiritum Dei, fuere vero illa quæ potuit facere ac fecit magna, & innumerabilia, & plurima constant ex scripturis impletum est enim illud, Cæci vident surdi audiunt, claudi ambulāt, leprosi mūdantur, mortui resurgūt, & illa omnia quæ Moyses famulus Dei, & cæteri prophetæ fecerunt, fecit & ipse ne esset absurdum si ipse non faceret quæ iam ante fecerat per illos, fecit etiam signa in cœlo, terra, & mari, & hominibus, & eiecit Dæmonia, vt omnium se Dominum ostenderet, & quia nouus homo venit in mūdum noua fecit in mundo, nasci enim de Virgine à mortuis resurgere in cœlum ascendere Spiritum sanctum dare visibiliter à sęculo non est auditum nec factum, nisi postquam Verbum caro factum est. Si igitur potentia quæritur, fortasse hoc potentius est quā facere mundum, vt sapientissimi Augusti ni verbis, & sententia vtar.

Matth. 28. *1. Cor. 2.* *Matth. 11.* *D. August.* *Symb. Apost.* *Ioan. 1.* *D. August. ad Volusian.*

ARTICVLVS. III.

Vtrùm Christi humanitas miranda quæ fecit, fecerit secundum potestatem, vel impetrauerit tantum vt fierent.



QVANVIS hęc quęstio prima fronte ad finem charitatis non admodum pertinere videatur, tamē proculdubio nō parum facit ad diligendum Deum, scire, qualem potestatem dederit hominibus, & prædicare Dei largitatē. Est ergo quæstio: An Christi humanitas secundum potestatem fecerit miracula, & quænam sit illa potestas. De quo est duplex sententia. Quidā dicunt, quod solum illa faciebat per modum intercessionis, alij quod etiam per modum instrumenti. Atq; est inter eas sententias non parua distantia. Nam in strumentum, si propriè instrumentum est, attingit effectiuè id, ad quod mouetur à principali agente, & illo tanquam medio virtus principalis agentis attingit ad producēdum effectum. At verò is, qui oratione sua impetrat à Deo, vt faciat miracula, nō attingit, propriè loquendo ipsum opus miraculosum, sed solum impetrat à Deo, vt illud efficiat. Igitur pro huius rei explicatione aduertendum est, quod omne instrumentū habet duplicem actionem. Vnam quæ est conformis, & proportionata formæ ipsius instrumenti. Alteram, ad quam eleuatur instrumentū ex motione principalis agentis. Verbi gratia, serra habet duo, & secare, & conficere scannum, & quanuis neutrā actionem efficere posśit, nisi moueatur ab alio, cum discrimine tamen, quia cum mota scindit non eleuatur ad aliquid efficiendum, quod excedat rationem suæ formæ. Cum verò scindendo facit scannum, tunc motione artificis eleuatur ad efficiendum scannum, qui effectus excedit facultatem formæ, quæ est in serra. Ea enim solum est facultas ad scindendum: at verò scannum est effectus proportionatus formæ, quæ est in mente artificis. Ex qua differentia sequitur altera, quod quoniam scindere est actus cōgruens cum forma serræ, iccircò à quocunque moueatur serra, scindet: at verò quoniam facere scannum est aliquid, quod excedit formam serræ, iccircò quanuis serra scindat nunquam tamen attinget ad conficiendum scannum, nisi moueatur ab eo, in quo sit forma, & ars cōficiendi scanni. Et est aduertendum præterea, quod agens naturale, atque finitum, quanuis posśit eleuare, & re ipsa eleuet instrumentum ad aliqua opera, efficienda, quæ excedunt rationem formæ ipsius instrumenti, tamen ea, opera ad quæ instrumētum eleuatur semper habent aliquam conuenientiam, & proportionem cum facultate propria, & vi ipsius instrumenti. Verbi gratia, quāuis facere scannū, sit supra formā serræ, tamē sectio, quę est propria actio serræ, proportionē aliquā habet ad efficiēdum scannum, quia illius forma sicut & aliæ

Duran. in 3. d. 14. q. 4. Tho. 3. par. quæst. 13.

aliæ artificiales detractione, & augmento generatur. Atq; hinc est, quod sicut nullum instrumentum potest habere superiorem illam, & excedentem actionem, nisi moueatur ab artifice: ita etiam artifex non potest exercere illam actionem, quocunq; instrumento; sed necesse est, vt vnaquælibet ars sua propria habeat instrumenta.

Considerandum verò insuper est, quod quemadmodum instrumenta habent duplicem actionem, vnam conuenientem, & proportionatam suæ formæ, alterã instrumentalē, ad quam eleuatur motione agentis, vt dictum est; sic etiam actio propria instrumenti præsupponitur actioni instrumentali, ac superiori; habetq; necessariam quandam & præuiam connexionem, & proportionem ad illam. Atq; hoc modo agunt agentia finita. Cæterum agens infinitę virtutis mouendo instrumenta potest ea eleuare, non solum ad actiones altiores, & excedentes propriam eorum facultatē, sed etiam ad effectus, qui nullam habeant proportionem cum formis, siue facultatibus naturalibus, & proprijs instrumentorum. Verbi gratia, posset Deus hac mea locutione describere in aduerso pariete quodcunq; volet. Itaq; quanuis necesse sit vt si prima causa assumat instrumentum, illud instrumentum aliqua ratione cōcurrat ad effectum, tamē cuiuscunq; generis sit propria actio instrumenti, per eam actionem potest Deus attingere quēcunq; effectum voluerit. Cuius ratio est infinita vis & efficacia agentis. Si enim quantò agens præstantius est, eò instrumentis ineptioribus æquè bene atq; alius artifex operatur, sequitur manifestè, quod artifex, cuius est infinita virtus, quocunq; instrumento quantumuis improportionato poterit efficere, quod voluerit. Vltimoque loco addendum est, quod agens principale dum mouet atque eleuat instrumentum ad opus efficiendum, nō ponit in illo aliquam qualitatem permanentem, qua formaliter eleuetur ad illud opus, sed hoc ipso quod mouet eleuat. Itaque motio passiua transiens in instrumentum eleuat ipsum, & facit, vt attingat effectum, dum, scilicet, virtus agentis illa motione per medium instrumentum ad passum vsque transfunditur, quæ virtus intentionalis dici solet propter spiritualem quandam rationem essendi, quam habet in instrumento transfusam ab intentione, & vi atque natura principalis agentis.

His constitutis, dico primum, quod etiam alij sancti à Christo mihi videntur, non modo per modum intercessionis, sed interdum etiam per modum instrumenti ac effectiuè effecisse miracula. Probatur primo: Quia est sententia D. Gregor. secundo libro Dialogorum, cap. 31. quo loco refert sanctissimum Benedictum rustici cuiusdā vincula aspectu ipso, & visione dissoluisse, & potentis cuiusdam Gothi ferocitatem repressisse. Et subdit: Ecce est Petre quod dixi, quia ij qui omnipotenti Deo familiarius seruiunt, aliquando mira facere etiam ex potestate possunt. Et quidem videtur Iosuē capit. 10. voce solem consistere fecisse, & Petrus Actorum primo, verbis ipsis pessimos coniuges necauisse. D. Gregor. Iosue. 10. Actor. 1.

Item secundo in consecratione panis per verba sacerdotis facit Deus, quæ illa significant. Et rebus etiam sensibilibus dat Deus potestatem conferendi gratiam tanquam instrumentis: ergo credendum est quod dederit sanctis suis potestatē hac ratione faciendi miracula.

Secunda propositio: Anima Christi concurrebat ad miracula, quæ faciebat, non solum, vt causa, sine qua non, scilicet, orando, aut impetrando, sed etiam vt causa effectiua, instrumentalis attingens ipsa opera miraculosa: & ita non solum Deus faciebat miracula ad preces animæ Christi; sed etiam faciebat per ipsam animam atque humanitatem. Probatur primum: Quia quanuis de Christo legatur interdum in Euangelio, quod ōrabat ad facienda miracula, tamen persæpe etiam legitur, quod illa faciebat sine oratione imperando, & sui etiam corporis contactu. Et expressè dictum est in Euangelio, quod virtus de illo exibat & sanabat omnes: ergo signū est, quod illa faciebat per humanitatem tāquā per instrumētum quo vtebatur diuinitas. Secūdo probatur: Quia per Ioan. 11. Matth. 9. Luc. 6

verba, & characterem sacerdotis, & per sacramenta efficiuntur opera suapte natura miraculosa, & hæc omnia sumunt vim ab humanitate Christi: ergo à fortiori dicẽdũ est, quod humanitas Christi effectiuè, & in strum ẽtaliter facit miracula. Tertio: Quia si alij sancti interdum hoc faciebant, vt diximus, quantò magis credendus est ille fecisse qui dedit eis illam potestatem, & ve
Ioan.15. rissimè dixit, Sine me nihil potestis facere?

Tertia conclusio: In Christi humanitate, cum edebat hæc miracula, erat virtus quædam, qua eleuabatur ad attingendum illud opus participata à Verbo. Hæc constat, quia anima Christi non poterat attingere ad illud opus, per suam formam: ergo attingebat per virtutem altiorẽ à principali agente illi impressam. Sed quia rogabit aliquis, an ea virtus ad facienda miracula fuerit aliqua qualitas naturalis, & permanens aut secus, sit in hoc quarta conclusio, Quod hæc virtus, nec in humanitate Christi, nec in quouis alio sanctorum fuit permanens aliqua forma, & habitualis potestas ad edenda miracula per modũ, verbi gratia, quo charitas se habet ad diligendũ. Hanc conclusionem quoad alios sanctos arbitror esse receptam: Quemadmodum enim prophetæ, non quotienscunq; vellẽt futura atq; distantia prouidebant, sed quando illuminabantur superne, vt docet Au-
D. August. gustinus lib.12. super Gen. ad literam: ita nec sancti, quotiescunq; volebant faciebant miracula. Habitibus autem vtimur, certè quando volumus. Et hoc ipsum cõ-
D. Gregor. probat B. Gregor. 2. Dialogorum, capit. 31. exemplo Pauli, & Benedicti, qui aliqua desiderarunt, quæ assequi, aut facere non potuerunt. Sed loquendo peculiariter de Christo in oppositum huius conclusionis
Nicol. Lyra videtur magis inclinare Nicolaus de Lyra, super quintum caput Matthæi.

Sed alij tenent nostram sententiam. Et ea probatur primo: Quia hæc virtus est ad ea quæ naturaliter fieri non possunt, & cõsequenter ad res, vel oppositas, vel valde differentes, vt ad viuificandum, & occidẽdum, & faciendum descendere ignem de
Luc. 8. cœlo, & sedandam tepestatem maris, &c. Sed ista non possunt reduci ad vnam aliquam qualitatem naturalem, atq; finitam: ergo.

Secundo probatur: Nam si talis qualitas daretur iam qui illam haberet dici posset causa in suo ordine miraculi, & non modo instrumẽtum, quod soli Deo conceditur. Sequela verò declaratur: Nam quamuis calor, inquantum existit in animali, sit instrumentum animæ ad producendam carnẽ, tamen in ordine ad propriam operationẽ verissimè dicitur, quod calor est causa calefaciẽdi: sicut habens charitatem causa diligendi: ergo pari ratione si quis talem qualitatem haberet suapte natura productiuã miraculorum, esset non modo instrumentum, sed verè ac propriè causa miraculi.

Vltima conclusio: Virtus instrumentalis, qua Christus & alij sancti edebant miracula, nihil est aliud quam motus passiuus, quo mouentur & eleuantur à Deo ad opus miraculosum, verbi gratia, quãdo Dñs dixit, Lazare veni foras, & exiliuit, qui erat Ioan.11. mortuus ligatus manus & pedes, vt miraculum in miraculo miraremur, diuinitas dedit virtutẽ illi voci, eaq; vsus est ad admirabilem illum effectum. Hæc præterquã, quod sequitur ex dictis probatur; quia in instrumentis ex eo, quod eleuantur ab agente ad aliquem effectum, non ponitur aliqua qualitas permanens ad effectus illos excedentes, sed motione ipsa artificis eleuantur. Hoc igitur si sufficit, superfluè certè poneretur qualitas illa permanens. Sed pro huius disputationis complemento aduertendum est, quod inter modum, quo concurrebat humanitas Christi ad miracula edenda, & eum, quo cæteri sancti, erant insignes differentiæ. Nam præter quam, quod Christus meruit ad æqualitatem, & etiam superabundanter, vt ea miracula ederentur, quæ ad fidem incarnationis faciebant, Sancti verò non ità hæc merebantur, præter hanc, inquam differentiam, quæ modo non admodum facit ad propositum erant aliæ. Prima, quod humanitas Christi erat instrumentũ coniunctum diuinitati ad facienda miracula. Alij verò sancti erant ac sunt instrumẽta separata, & ex consequenti quanta differentia est inter manum scribentem,

tem, & calamum, tanta & multò maior restabat differẽtia inter humanitatẽ Christi, & alios sanctos, quando illi concurrebant, vt instrumenta. Secunda differentia est, quod Christus etiam si sæpè oraret, vt in plurimum tamen, & fortasse semper faciebat miracula potestatiuè: alij autem sancti per orationem, & intercesionem, potestatiuè autem rarò, & infrequenter.

Tertia differentia erat, quod virtus miraculorum in Christo, quanuis non esset aliquis habitus permanens, id est, forma atque facultas suapte natura miraculorum effectrix, & operatrix, tamen erat in eo illa virtus per modum habitus: quia quando volebat faciebat miracula: in alijs verò sanctis erat hæc virtus per modum actus. Atque, vt opinor, hoc est quod volebat Diuus Cyrillus atque alij, quando ponunt in Christo facultatem inhærentem ad facienda miracula. Quartam verò differentiam adducere non est necesse, quod virtus Christi extendebat se ad plura, & maiora miracula: vnde ipse dicebat: Si opera nõ fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.

D.Cyril.

Ioan. 15.

ARTICVLVS. IIII.

An iustificare homines conueniat humanitati Christi secũdum propriam aliquam formam, & facultatem, vel vt est instrumentum diuinitatis.



SIT in hoc prima conclusio: Quod Christus inquantum homo per gratiam suã, & opera meruit iustificationem hominibus. Hæc est fides catholica diffinita à Concilio Tridentino Sesione sexta, canon. 1. & 10.

Conc. Trid.

Secunda propositio: Iustificare effectiuè, attingendo, scilicet, productionem gratiæ, conuenit humanitati Christi in quantum est instrumentum diuinitatis. Probatur primum: Nam iustificare hominem secundum se est opus diuinum, & miraculosum: sed ad eiusmodi opera humanitas Christi concurrit effectiuè solùm, vt instrumentum, sicut dictum est: ergo, & ad hoc opus attingendi efficienter gratiam hoc modo concurrit. Declaro maiorem: Nam sicut conficere corpus Christi secundum se est opus supernaturale, & miraculosum, cæterum, quia sacerdotes illud conficere est de lege, non appellatur miraculosum: pari ratione eleuare hominem ad esse diuinum per infusionem gratiæ, opus est supernaturale, & miraculosum: sed nõ appellatur tale propter statutam legem: illud tamen certè est eiusmodi, vt à solo Deo fieri posit. Secundo probatur: Nam gratia per se ipsam, esto distinguatur à charitate, non est actiua: rursus charitas non est actiua charitatis in altero, sed amoris in se ipsa: gratia verò, & charitas Christi ac nostra sunt eiusdem speciei: ergo quanuis iustitia Christi sit medium, quo nos iustificamur, non tamen ita, vt ea eius gratia sit facultas, & forma naturalis ad producẽdã gratiam nostram, sicut calor ignis producit calorem in ligno. Sed efficit Christus in nobis iustitiam, quia meruit illam nobis, & vt instrumentum diuinitatis.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Quia gratia est in Christo, vt in principio ac fonte totius gratificationis, à quo accipimus gratiam pro gratia: ergo est causa effectiua illius. Respondetur, quod probat argumentum ea, quæ diximus conclusione prima, vel etiam secunda. Ioan. 1.

Secundo argumentor: Christus per suam scientiam potest illuminare alios: ergo potest per gratiam iustificare. Respondeo, quod qui habet scientiam virtute illius formæ potest alios instruere, docere, & illuminare: non tamen possit per habitum scientiæ alteri habitum scientiæ sine medio infundere, sicut calor producit infunditque calorem. Itaque laboramus in æquiuoco. Longè enim aliud est aliquem per scientiam, vel fidem, vel charitatem suam alterum docere, instruere, admonere, & ædificare, ità vt scientiam, fidem, vel gratiam recipiat, & longè aliud ipsam scientiam, gratiam, vel fidem esse qualitates productiuas similiũ habituum in altero sine medio, sicut calor producit calorem.

Tertio argumentor: Sacraméta habét virtutem iustificandi: ergo & Christus siue humanitas Christi. Respondetur: Quis dubitet, quod potiore ratione habeat illã Christus? Sacramenta enim id habent, vt instruméta separata, humanitas vero Christi vt instrumentum coniunctum. Vnde, & sacramenta habent vim per Christum sicut penna per manum scribentis. Pariq; proportione loquendum est de sacerdote absoluente.

Quarto argumentor: Sacerdos habet potestatem conficiendi corpus Christi, habetque illam habitualiter per characteré: ergo potiore ratione Christi humanitas habebit facultatem ad producédam gratiam secundum propriam aliquam formam. Respondetur: Quod non sicut lux habet virtutem illuminandi, & calor calefaciendi, ità character est virtus conficiendi corpus Christi: sed character est potestas in instrumento separato ad recipiendam virtutem superioris agentis, & ex consequenti est potestas instrumentalis. Itaque intelligendum est, quod quemadmodum aqua in baptismo, quando assumitur ad iustificationem hominis, non recipit ad illum effectum producédum aliquam virtutem permanétem productiuam gratiæ, sed solum eleuatur motione Dei ad abluẽdã mentẽ, estque Dei instrumentum, ad hunc effectum, pari ratione dicimus, quod licet character sit permanens quædam, & habitualis facultas, qua sacerdos consecrat quando vult, non tamen est virtus conficiendi, sicut calor calefaciendi; sed Deus eleuat illud instrumentum & vtitur eo, quando sacerdos vult consecrare.

ARTICVLVS. V.

An humanitas Christi potuerit assumi, vt instrumentum ad aliquid creandum, conseruandum in esse, aut etiam annihilandum.



LIQVID simul esse & non esse, omnino impossibile est. Et rectè quõdam dicebat Agatho hoc priuari Deum, vt Agatho. possit genita ingenita facere, quoniam id infixum est menti. Quando autem video aliquos rationes quasdam ineuidentes formantes, & propter eas aliquid potentiæ Dei subtrahentes, vehementer admiror. Et ratio generalis, quæ me mouet in similibus quæstionibus, quæ plurimæ sunt, & in contrariam partem non modo inclinat, sed etiam prorsus trahit est. Nam, vt eum alterius sententiæ defensore loquar, quando tu dicis, aliquid per omnipotentiã Dei fieri non posse, aut ideò dicis, quia non intelligis, qua ratione fieri possit; quod si propterea hoc asseris sequetur certè mirabile illud inconueniens quod sapienter deducit & irridet Augustinus in epist. ad Volusianum, scilicet, aliquid posse facere Deum D. August. quod nos intelligere, & inuestigare non possumus. Quod si nõ es tam hebes & imprudens, vt Dei potentiæ aliquid neges, ista ratione motus restat, vt hoc ideo asseras, quia non modo non intelligis qua ratione id fieri possit, sed habeas rationem claram & euidentẽ, qua ineluctabiliter cõcluditur Deum hoc facere non posse. Concluditur in quam non modo apud ingenium hominum exiguum, & angustum; sed etiam apud ingenium angelicum, & ex natura rei, ad quod vicissim ego respondeo, afferas mihi hanc rationem, & ego tibi libenter assentiar. Quandiu autem immensam Dei potentiam euidentia tuæ rationis non oppugnaueris, certè qui illam tuetur atque defendit securior est, & quasi in possessione quæstionis. Igitur de præsenti disputatione sunt duæ sententiæ. Et alij aiunt; alij negant. Nec desunt qui dicant, quædam ex his posse Deum media creatura, vt conseruare rem in esse, alia nõ posse, vt creare: non; inquam posse, quoniã id non est factibile. Ergo rem tractabo breuiter: quia non admodum necessaria videtur. Resumendum autem est inprimis ex dictis in art. 3. quod instrumenti est duplex virtus. Vna secundum propriam formam, iuxta quam rationem potest dici causa. Altera instrumentalis in ordine ad superexcedentem effectum, secundum quam propriè dicitur instrumentum. Et solet dici hæc virtus intentionalis, quia habet esse

quoddam spirituale, secundum intentionem,& actiuitatem principalis agentis.

Secundo aduertendum est,quod ratio, ob quam aliqui doctores scholastici negāt creaturam assumi posse, vt instrumentum ad creandum est,quoniam requiritur, inquiūt,necessario materia supposita,& præuia actio instrumenti ad actionem principalis agentis. Atque ij,qui ista dicunt, fatentur,quod ea actio instrumēti prærequisita in operibus miraculosis sæpe est eiusmodi,vt ex natura sua nihil faciat ad effectum principalem:sed eleuatur(aiunt)ad illum in quantum defert præceptum, & imperium Dei,vt fiat ille effectus. Verbi gratia,aqua in baptismo sua vi naturali nō potest abluere,nec attingere sordes animę; sed nihilominus ea lotio est dispositio, & per eam eleuatur illud instrumentum ad iustificandum hominem modo prædicto. Illi ergo ità se explicāt:ac certè ex hac ipsa explicatione se aperit difficultas. Nā si illa actio antecedens ex sua natura nihil facit omnino ad effectum principalem inducendum,videtur eleuari posse in strumentum ad illum effectum sine actione illa præuia,quæ ex natura sua nihil prorsus facit. Vt ergo à facilioribus inchoēmus.

Sit prima propositio:Nō modo aliquid creatum potest assumi per Dei omnipotētiam ad aliquid conseruandum in esse, sed etiam re ipsa sunt multa, à quibus aliæ res dependent in esse quoad fieri & conseruari. Hæc cōstat multis exemplis.Lux enim dependet prorsus à sole, dispositio, vltima à forma substantiali,propria passio ab essentia, proprij effectus à causis æquiuocis,&c.

Secunda propositio:Loquendo de conseruatione totius entis,vna creatura posset assumi à Deo vt instrumentum conseruationis entis.Probatur:Quia iā supponitur materia,circa quam agat illud instrumentum,& cui deferat imperium Dei. Quanuis enim cōseruatio sit quasi cōtinua quædam creatio,tamen negari nō potest, quia in ea iam supponatur aliquid factum:siquidem non conseruatur nisi quod est,

Tertia propositio: Loquendo secūdum absolutam Dei potentiam, de qua nobis sermo in tota hac disputatione, creatura posset assumi vt instrumentum ad annihilandum aliquid. Hæc etiam sequitur ex dictis:Quia quando subest materia, cui defferatur imperium,tunc creatura potest assumi,vt instrumentum Dei ad effectum,ad quem ex natura sua non habebat proportionem:sed hic iam subest materia: ergo. &c.

Vltima conclusio:Creatura potest assumi vt instrumentum ad aliquid creandū. Hæc est difficilior alijs, sed probatur. Nā Deus vocat ea,quæ non sunt, sicut ea,quæ sunt:sed vis & imperium Dei defertur ad creaturam præexistentem, vt ex ea fiat, quod ei placuerit,nihil ad id præstante naturali operatione,& vi instrumenti: ergo potest etiam ea vis,& imperium Dei ferri per aliquod instrumentum ad rem factam per imperium ipsum:quoniam, vt dixi, vocat ea,quæ non sunt, tāquam ea, quæ sunt. Atque hæc ratio, vt arbitror, non modò rem aliquo modo demōstrat, sed ostendit præcipuè non esse certam ac stabilem, sed infirmam,& ineuidentem rationem illorum,qui propterea putant hoc non posse Deum,quia arbitrantur instrumēta etiam de potentia Dei absoluta non habere vim, nisi ad ea,quæ præexistunt,& per operationem aliquam præuiam:quod vtrunq; demonstratum est ratione facta,quam sit ineuidens. Rom. 4

Aduertendum vero est pro hac conclusione,quod quanuis creaturam assumi, vt instrumentum ad res creandas nō pugnet cum absoluta omnipotentia Dei, fieri tamen posset, vt pugnaret cum lege sapientiæ eius:quoniam homines sunt proni ad idololatriam,& possent inde sumere occasionem errandi,& ob alias etiam causas,tenéor autem præcipuè in hoc articulo ad ea respondere,quæ adferunt authores contrariæ sententię,siquidem defendo bonam causam,nimirum facere posse Deum quæ homines,& angeli non possent intelligere. Et in primis ad fortissimam illam rationem ductam ex eo, quod instrumentum etiam per omnipotentiam Dei non posit assumi,nisi ad præexistentia, & cum propria operatione præuia circa existētia, iam

declaratum est, eam propositionem non esse euidentem, nec veram comparatione scientiæ, & potentiæ Dei: ipse enim vtetur instrumento longè aliter, quàm nos viles animæ, vt ait sapiens Augustinus, existimamus. Et sicut per se ipsum tanquam principale agens vocat ea, quæ non sunt, sicut ea, quæ sunt: ita id ipsum facere potest per aliud tanquam per instrumentum deferẽs vim, & mandatum Dei ad rem factam per ipsum imperium, & conferendo medio illi deferenti vim Dei actionem vimque instrumentalem ad illum effectum, alioqui deferens solum imperium Dei videretur esse conditio, sine qua non.

D. August.

Secundo argumentor: Quia si creatura, vt instrumentum Dei, concurrere etiam ad creationẽ potest, quid negabimus posse creaturã? Iam certe ratione quadam omnipotens esse videbitur. Respondeo, quod creaturam, vt instrumentum Dei concurrere posse ad aliquid creandum, nõ est potestas creaturæ, sed Dei sublimitas atque maiestas, in quem refertur quicquid creatura facit: præterquam quod tũc creatura non esset causa eius rei. Et insuper omnes homines admonitos esse velim, vt sibi persuadeant creaturam assumptam à Deo, vt instrumentum, plura posse, & plura etiam non posse, quam nos imaginari possumus. Et inter alia non posset assumi creatura ad creandum se ipsam, nec ad hoc, vt aliquid subsisteret in se, & à se: nec fortasse ad hoc, vt Deus fieret angelus, aut homo. Sed de hoc argumento hactenus.

Tertio argumentor: Quia nulla creatura potest in Deum operari, & creaturam concurrere, vt instrumentum ad annihilationem est Deum subtrahere suum concursum à conseruando illam creaturam: ergo non potest assumi, vt instrumentum, &c. Respondetur ad hoc, quod consequentia non est bona, & minor est falsa; & maior non est ad propositum. Quia quemadmodum quando Deus cum aliqua causa operatur, atque concurrit ad effectum, id nõ est causam operari in Deum: ita Deũ medio instrumento aliquid in nihilum redigere, non est illud instrumentum agere in Deum, sed Deum vti causa, & instrumento. Et minor etiam est falsa: Quia creaturam concurrere vt instrumentum ad annihilãdum, non est Deum subtrahere suum concursum formaliter loquendo, sed est Deum vti creatura, & eam eleuare ad aliquam actionem, qua exercita consequatur rem illam redactam in nihilum, subtrahi concursui Dei, quia nõ habet esse. Non aliter atque quando aqua expellit formam ignis vnà cum actione, & vi aquę subtrahit Deus concursum ad conseruandum ignem: & posset Deus si vellet per actionem aquæ corrumpere formam ignis sine inductione formæ aquæ. Ac fortasse quando Beatus Petrus (vt aliqui dicunt) dolosos illos coniuges voce interemit, non induxit ea voce in eos aliquam formam positiuam pugnantem cum vita, quoniam id est multiplicare miracula sine necessitate: sed intelligendum est eam Apostoli vocem esse eleuatam à Deo ad hoc, vt sine auxilio naturæ vitam coniugibus illis eriperet, quod alioqui natura facere solet inductis formis, & dispositionibus cum vita pugnantibus. Pariq; ratione credo posse Deum per instrumentum, quod ipsi placuerit, rem annihilare, eamque totam ita disijcere, vt tollat esse formæ atq; materiæ, siue suppositi. Acto. 5.

Quarto argumentor: Quia conseruare res in esse est habere Deum suum concursum appositum ad eas, & creatura non potest agere in Deum: ergo Deus non potest rem conseruare media creatura. Sed respondetur negata in primis consequentia. Quia hoc quod nos asserimus nõ est creaturam agere in Deum, sed est Deum applicare suam vim per tale instrumentum, quod ipse benè & potest facere, & scit. Et non vno modo accidit, Deum concurrere: concurrit enim ac fouet res tum se solo, tum etiam medijs alijs: nisi velimus actionem, & concursum secundarum causarum auferre.

Articulus.

ARTICVLVS. VI.

An humanitas Christi potuerit facere quæcunque vellet circa suum corpus.

RESPONDEO dicēdum quod in Christo, qua homo erat, inueniebatur duplex potestas, siue facultas: vna naturalis, ac secundum propriam formam, quā habebat: altera verò, vt erat, instrumentum diuinitatis. Et secundum priorem facultatem non poterat res immutare à suo proprio ordine, & naturali: at vero secundum posteriorem nō dubium, quin in suo corpore, & alijs in rebus posset facere quæ cunque vellet. Ac propterea quando audio sanctos patres totiens affirmantes de Christo, quod volens esuriebat, & sitiebat, & fatigabatur, & tradebatur, non id intelligo solum per comparationem ad omnipotentiam voluntatis diuinæ; sed etiam quia, vt instrumentum diuinitatis poterat Christus de suo corpore disponere vt vellet, aut sinendo, vt lassaretur ac esuriret, aut etiam reficiendo, & recreando. Quanuis autem in statu innocentiæ eiusmodi labores non essent, & ipse Dominus immunis esset à peccato, tamē sicut de statu gloriæ assumpsit comprehensionem, & de statu innocentiæ immunitatem à peccato: ità & de statu culpæ assumpsit necessitatē subiacendi pœnalitatibus huius vitæ.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm humanitas Christi potuerit facere quæcunque vellet.

D. August. quæst. 77. Marc. 7 BEATVS Augustinus lib. quæstionum veteris & noui testamenti, cum quæsiuisset quid esset, quod Marci. 7. cum esset in finibus Tyri, Dominus intrans in domum voluit neminem scire, & non potuit latere, respondet in hęc verba: Impossibile prorsus est, vt Saluatoris voluntas non impleatur, nec potest velle quod scit fieri nō debere: iccirco quod factum est id voluisse dicēdus est. Noluit autem se prodi à discipulis quod esset in domo, quibus ipse præceperat; In viam gētium ne abieritis, erat enim in finibus Gentium, & tamē voluit ac libenter accepit se requiri ab incolis. Et vtrunq; ità factum est, ac proinde voluntas Saluatoris impleta est. Hæc in summa benedictus ille & humilis doctor. Matth. 10.

Vt autem ea scholastico more declarem, sciēdum est, quod in Christo, etiam vt homo, erat duplex volūtas; vna absoluta, perfecta & efficax, altera verò cōditionata ac imperfecta. Et quidē ea omnia, quæ Dn̄s absoluta & perfecta volūtate voluit, siue per se fieri; vt homo erat, siue per Deum, siue per alios, facta sunt. Decebat enim eius sapientiam & voluntatem Patri conformem, nihil omnino absolutè, & deliberatè velle facere Deū, nisi quod sciret Deum etiam velle: ergo id factum est. Rursus decebat sapiētiam Christi & potestatē volūtatis eius, cui omnia dedit pater in manus, vt nihil absolutè & efficaciter fieri vellet per se, vel per alios, quod nō fieret: redundaret enim hoc in defectum sapiētię ac potestatis eius. Alia verò erant, quæ volebat Dn̄s, non absolutè & efficaciter, sed volūtate cōditionata, vt quod calix trāsiret ab ipso, vel quod omnes homines salui fierēt, Et hęc volūtas nō semper impleta est, quia nec ità sunt hæc volita, vt omnibus considera tis re ipsa fierent, & exhiberentur: sed ità, vt si possibile esset secundum Dei legē atq; sapientiā voluisset Dn̄s, vt calix transiret ab ipso: & nisi per homines staret, vellet omnes saluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire. Declaramus autē volūtatem absolutam, & efficacem quando dicimus, volo hoc fieri, cōditionatam autem, & imperfectam, ac non prorsus determinatam, quando dicimus, vellem hoc fieri. Ioan. 13. Matth. 26 1. Timot. 2.

Sed aduersus hæc argumentor primo ex illo loco Marci iam citato, vbi Dn̄s latere volens non potuit: ergo, &c. Ad hoc dico primo, verè & sapienter respondisse B. Augustinum, quod Dn̄s voluit nō prodi à suis, & ità factum est, & libenter accepit re quiri ab alijs, & ità factum est, & semper eius Marc. 7. D. August.

eius voluntas impleta est. Dico secundo, quod illud testimonium, & similia bene interpretabimur, si dixerimus, quod Dominus voluntate humana antecedēti quędam nolebat fieri ob eam, quæ modestia, & gloriæ ac honorum contemptio appellatur, quæ tamen omnibus cōsideratis fieri vellet ob gloriam Dei, & hominum vtilitatē, & propterea fit, & hoc est quod docet D. Gregor. 19. Moralium cap. Quo loco, per hoc, inquit, quod Dñs Matth. 9. pręcepit taceri virtutes suas seruis suis, se sequentibus exemplum dedit, vt ipsi quidē virtutes suas occultari desiderent, & tamē vt alij eorum exemplo proficiant prodantur inuiti. Sic ergo, vt addit B. Tho. præceptum illud designabat voluntatem ipsius, qua humanam gloriam refugiebat secundum illud Ioan. 8. Ego gloriam meam non quæro. Volebat tamen absolute, & se & virtutes suas sciri, & manifestari ad vtilitatem aliorum. Dico tertio, & breuiter, quod quia Dominus tunc fecit, vt latere quantum homines facere solent ingrediendo domum, suis silentium præcipiendo, non se manifestando palam, & tamen tandem agnitus est, iccirco dixit Euangelista, quod non potuit latere. Dico quarto, quod vt opinor, si quis bono ingenio consideret has solutiones, illæ omnes conueniunt in vnam, scilicet, quod factum est, quod Dominus fieri voluit.

D. Gregor. Matth. 9. B. Thom. Ioan. 8.

Agatho. Secundo argumentor: Quia Agatho Papa in epistola quadam recepta in sexta Synodo generali, hoc, quod est, Dominū latere voluisse, & nō potuisse, refert ad voluntatem humanam existimans esse inconueniens, quod ad diuinam referatur: ergo falsum est, quod Dominus facere potuit etiam quæ volebat, vt homo. Respondetur, quod Dominus etiam ea, quæ absolutè & deliberatè volebat non poterat sæpè facere secundum facultatem humanā, poterat tamen in quantum erat instrumētum diuinitatis: & consequenter, absolutè loquendo, dicendum est, quod poterat ea facere.

Tertio argumentor: Quia Dominus facturus aliquid sæpè orabat: nemo autem petit ab alio quæ ipse facere potest: ergo, &c. Respondetur, quod rectè quis petit ab altero quæ vterque facturi sunt in ordine suo: Christus autem, vt homo, verissimè dicere potuit, Omnia opera nostra operatus est in nobis Dominus. Et quidem ipse dicebat, pater in me manens ipse facit opera, & propterea orabat: tum etiā, quia oratio est aptissimum medium ad res impetrandas à Deo, & efficiendas, in quam cadit illud, cū sit vna omnia potest. Et quia sicut medici, cuicunq; morbo suum ac peculiare adhibent medicamentum: ità vnicum, & commune sanctorum remedium est deprecatio, & per eam nos efficimus dignos qui recipiamus beneficia Dei. Et ideò orabat Dominus ad informationem nostram, & vt ostenderet Patrem cœlestem esse, à quo omnia bona promanant.

Esai. 26. Ioan. 14. Sapient. 6.

QVAESTIO

QVAESTIO DECIMAQVINTA, DE DEFECTIBVS CORPORIS QVOS ASSVMPSIT FILIVS DEI.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm filius Dei debuerit assumere corporis defectus.

PROPRIVM ac peculiare est sapientiæ Dei vno,& eodẽ medio plures ac excellentes fines assequi,& immẽsa bona efficere:ad quod maximè in opere præsenti resplendet. Assumpsit enim Dei Verbum vna cum humanitate corporales defectus,nostrasque miserias ob plures causas valdeque vrgentes. Prima fuit, quia filius Dei factus est homo eo fine, vt Patri satisfaceret pro peccatis generis humani. Vnus autem satisfacit pro alio cum pœnam alterius culpæ debitam ipse sustinet. Et hoc fecit Dominus cum pro nobis tanta passus est,iuxta illud Esai.53. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Esai.53. Secunda causa & ratio fuit, ad fidem incarnationis astruendam. Etenim diuinitas ea ratione voluit atque concessit, vt hos defectus pateretur humanitas, vt disceremus Verbum verè fuisse hominem,& non visione,aut apparitione solùm peractum fuisse mysterium mirabilis huius dispensationis. Si enim quanuis Christus tot mala perpessus fuerit,& sustinuerit famem, sitim, lassitudinem, pœnarum acerbitatem, mortem, nihilominus tamen lõgissima hæreticorum phalanx, scilicet Simon, Menander, Cerdon, Marciõ, Valentinus, Basilides, Bardisanes, Manes, & alij permulti docuerunt eum nihil humanæ habuisse naturæ,clarum est multò plures hoc errore inducendos fuisse,si non quam humanos istos suscepisset defectus. Tertia causa est,vt nobis patientiæ insignia documenta daret,iuxta illud Hebr. 12. Hebr.12. Recogitate eum,qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem,vt non fatigemini animis vestris. Quarta, vt confidentiùs eius clementię ac misericordiæ fideremus,& speraremus fore,vt præsto nobis subueniret,vt qui periculum fecerit malorum,quæ sustinemus, & infirmitatis humanæ. Atque hanc ratio nem certè benignissimæ humanitatis plenam assignat Apostolus Hebr. 4. dicens: Hebr.4. Teneamus spei nostrę confessionem:non enim habemus Pontificem,qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Et eiusdem epistolæ capit.5. dicit, Hebræ.5. eum didicisse ex his,quæ passus est, obediẽtiam. Quam autem ad miserẽdum valeat experientia miseriæ, satis expressit illa, quę dixit: Non ignara mali miseris succurrere Maro. disco. Quinta causa fuit, vt se Deus nostri vehementer amantem ostenderet, vt qui tam indigna pro nobis pati voluerit, ac proinde nos sibi magis obstrictos, & obligatos redderet. Cum enim beneficia, vt ait Diuus Athanasius, tunc maximè grata Athan. li. de Incarnatione Verbi. esse soleant, quando fiunt cum detrimento benefacientis, voluit Dominus pro nobis tot & tanta pati. Et quia natura humana post peccatum vix sibi persuadere poterat, se non esse despectam, iccirco voluit Deus, vt videremus illum non solum benefacientem, sed etiam compatientem.

Sexta,

Sexta, vt ostendatur grauitas malitiæ, & magnitudo peccati, pro quo delendo Deus mortuus est: & vt discamus, non esse magna mala pœnę, quę Christus ipse passus est, sed ea esse magna mala atque fugienda, ob quæ delenda passus est. Alias causas, & rationes mirabiles afferet quicunque sapiens, & plures etiam sunt, quæ comprehensionem rationis, & angelorum mentes excedunt.

Sed aduersus hæc obijcitur: Quia indignum fuisse videtur, vt Deus istos defectus, doloresque susciperet, & per hæc magis Dei cognitio impediri videbatur, secũdum illud Esai. 53. Desiderauimus eũ despectum & nouissimum virorum, virum dolorum, & sciẽtem infirmitatem, & qua si absconditus vultus eius, & despectus: vnde nec reputauimus eũ. Et prætereà, quia sanctorum patrum desiderium non videtur impletum, qui dicebant: Cõsurge consurge, induere fortitudinem brachium Domini, & congruentius per fortitudinem, quam per infirmitatem videbatur potestas diaboli posse superari. Desiderabat huius argumenti grauitas longiorem tractatum, vt explicaremus quibus rationibus Dominus tam humilis apparere dignatus est. Ac certè, si quanuis Deus pauper, humilis, & mansuetus aduenerit despectus, & nouissimus virorum, tantum tamen valet apud homines bona mundi huius, tamq; tenentur desiderio terrenorum, vt illis fere omnes inhient. Quò processisset obsecro quantumcunque se extendisset auaritia, fastus, ambitio, deliciæ, & voluptates, ac curæ mundi huius, si Dominus ipse cum gloria, & maiestate tẽporali apparuisset? Certè iam Deus mundum ob sua peccata delesset. Nam, vt ait ille semper sapiens, hæc medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari. Quoniam quæ superbia sanari potest, si humilitate filij Dei non sanatur? Quæ auaritia sanari potest, si paupertate filij Dei non sanatur. Quæ iracundia sanari potest, si patientia filij Dei non sanatur? Quæ impietas sanari potest, quæ charitate filij Dei non sanatur? Nolite homines amare temporalia, quæ si benè amarentur amaret ea homo, quem suscepit filius Dei. Nolite timere contumelias, & cruces, quia si nocerent homini, non pateretur homo, quem suscepit filius Dei. Hæc omnis exhortatio, quæ iam vbiq; prędicatur, vbique veneratur, quæ omnem obedientem animam sanat, non esset in rebus humanis, si non essent facta illa omnia, quæ stultissimis displicent. Quem dignatur imitari vitiosa iactantia, vt ad virtutem possit adduci, si erubescit imitari eũ, de quo dictum est, antequam nasceretur, quod filius Altissimi vocaretur? O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia necessaria custodientem, omnia perdita reparantem, omnia deprauatã corrigentem. Hactenus Augustinus.

Esai. 53.

D. August. De agone Christi. c. 11.

Lucæ. 1.

Sed vt ad ea veniamus, quæ sigillatim argumento tanguntur, non fuit indignum Deum ista suscipere, sicut nõ fuit indignum benefacere, & sanare genus humanum, & omnibus patientiæ ac sanctitatis exempla proponere, & ad vitam beatam ducere, nec impediebatur hac via sed parabatur cognitio Dei. Nec enim impediebatur inde, quod inuisibilis Deus apparuit visibilis, vt constat, siquidem nos sequimur, & cognoscimus visibilia: nec, quia pauper, & humilis apparuit, vt declaratum est, & id sentit omnis homo, qui pauper, humilis & afflictus est: nullum enim maius habet solatiũ quam aspicere in authorem & consummatorem salutis. Iudæi verò, qui putant non impletum esse desiderium illud patrum, Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini, nondum intellexerũt illud scripturæ: quia in manu occulta pugnat Dominus. Quod si Apostolus de se ipso dixit, Cum infirmor tunc potens sum, quantò potiori ratione de ipsa potentia, & sapientia Dei dicere potuit, ac dixit: Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiã, ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiã: quia quod stultum est Dei sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei fortius est hominibus. Quem locum interpretans Beatus Augustinus, Quia, inquit, per

Hebr. 12.

Esaie. 51.

2. Cor. 12.

1. Cor. 1.

Lib. 1. de Doctrina Christiana c. 11.

per superbiam homo lapsus est, humilitatem adhibuit Dominus ad sanandum; serpentis sapientia decepti sumus, Dei stultitia liberamur. Quemadmodum autem illa sapientia vocabatur, erat autem stultitia contemnentibus Deum: sic ista, quę vocatur stultitia sapientia est vincentibus diabolum, quem multo fortius, & potentius fuit infirmitate, quam robore superasse. Quod si placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, ô homo tu quis es, qui respondeas Deo? Si tamen hæc omnia sapientia carnis non intellexerit, nõ mirabor, mirandum enim esset si intelligeret. Rom. 9.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Christus assumpserit necessitatem subiacendi his defectibus.

RESPONDEO dicẽdum ex Beato Thoma, quod duplex est necessitas. Vna quidẽ coactionis, quæ fit ab agente extrinseco: & hæc necessitas contrariatur naturæ, quando cogitur natura, & voluntati, quando cogitur voluntas: quorũ vtrũque est principium intrinsecum. Alia autẽ est necessitas naturalis, quæ consequitur principia naturalia; vt formam, secundum quam necessarium est ignem calefacere: vel materiam, sicut necessarium est corpus ex contrarijs compositum dissolui. Secundum igitur hanc necessitatem, quæ cõsequitur materiam, corpus Christi subiectum fuit necessitati mortis, & aliorum eiusmodi defectuum, quia beneplacito diuinæ voluntatis permittebatur carni Christi agere, & pati quæ propria erant. Loquẽdo verò de necessitate coactionis per comparationem ad naturam, distinguendum mihi videtur. Nam quanuis Christus Dominus secundum propriam virtutem, & facultatem naturæ humanæ, non poterat nõ mori, & erat subiectus fami, lassitudini, vulneribus, & dolori, tamẽ vt instrumentum diuinitatis coniunctæ propellere defectus hos omnes posset. Quod certè ipse dicebat Ioan. 10. Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam. Atq; iterum: Potestatem habeo ponendi animam meam. Et tertio; Sciens, quia omnia dedit ei pater in manus. Vnde eos, qui aduenerant ad cõprehendendum eum sola voce prostrauit. Quod si sermo sit de illa necessitate coactionis, qua contra deliberatam nostram rationem, & volũtatem aliquid agere, aut pati compellimur, sic etiam certum est, quod Christus Dominus non coactè, sed maximè voluntariè, & spontaneè pro nobis omnibus mortuus est, quanuis voluntate, vt natura, refugeret mortem. Atque secundum hanc rationem varia scholasticorum dicta conciliare quis poterit alijs asserentibus, quod poterat effugere mortem, ex quibus est Carthusiensis, alijs negantibus, ex quibus est Durandus, Gabriel, & alij. B. Thom. Ioan. 10. Ioan. 13. Ioan. 18 Carthusien. Duran. Gabriel.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm Christus defectus corporales contraxerit.

SVPPONENDVM est in primis pro declaratione huius quæstionis, quod contrahere, vt probe ait Durandus, importat necessariam quandam consequẽtiam vnius ad alterum: est enim contrahere quasi simul cum alio trahere: non aliter, atq; nos eo ipso, quod homines sumus, trahimus discursiuos esse admiratiuos, atque risibiles. Atq; hinc fit, vt qui ex sua ipsorũ origine, & natiuitatis vi atq; natura, habẽt defectus mortalis naturæ, contrahere illos dicantur. Quo posito dicendum est, quod quanuis si naturam humanam quis consideret physicè, atque si in puris naturalibus nati essemus, vnq; eo ipso, quod quis homo esset, mortalis etiam esset, & corruptibilis: sicut ea omnia, quæ infra lunam oriũtur, & intereunt. Si tamen oculos ad superna tollamus, & sacratissimæ nostræ religionis documenta, consideremus, certum est hominem ità conditum fuisse, & eo munere originalis iustitiæ donatum à Deo, vt posset Dur. in. 3. d. 15. q. 1.

nibus hominibus inueniuntur, sed in quibusdam, & alij in alijs pro ratione causarũ. Sunt verò alij defectus corporales, qui vniuersos omnino homines consequuntur, vt fames, sitis, lassitudo, ac defatigatio, mors: B. Damasc. quos B. Damascenus naturales & indetrectabiles passiones appellabat. Naturales quidem, quia illas cũ natura ipsa accipimus & hereditamus. Indetrectabiles verò, quia tristem illam ac miseram hæreditatem recusare omnino non possumus, sed passiones illæ omnes ineluctabiliter mortales vniuersos cõsequũtur. Deo autẽ gratias qui hæc dulcia ac salutifera nobis effecit per Christum Dominum nostrũ. His positis ad quæsita respondeo Christum Dominũ nõ assumpsisse illos defectus, quos ordine primo, secundo ac tertio retulimus, sed ratione, & causa dissimili. Eos enim, quos primo loco enumerauimus nõ assumpsit, quia perfectioni grauæ & scientiæ pugnabant: fuit autem Dominus plenus gratiæ, Ioan. 1. & veritatis sicut dilectum filium decebat. Secundi etiam generis defectus habuisse Christũ valde indecẽs est, nec id piç aures sustinent audire, estq; & dictu & auditu indignum. Præsertim cũ eorum defectuum assumptio nõ faceret ad finem redemptionis, sed potius impediret & obesset. Nec verò vnquam sancti patres quid tale docuerunt: sed potius vel omnino reiecerũt, vel silentio prætererunt, indignum existimantes talem de filio Dei quæstionem haberi. Defectus etiam tertij ordinis, non est dicendum Christum habuisse, quia nec scripturæ nec sancti patres dixerunt, aut inuerunt, eum morbo aliquo, aut ægritudine laborasse, sed potius oppositum. Et quidem aliqui ex illis morbis, qui ad tertium hoc genus referuntur, immundos faciebãt homines in populo illo, vt lepra, ac proinde asserere eos defectus Christum habuisse valde indignũ esset, & alienum. At verò defectus quarti ordinis assumpsit Christus ad redemptione nostram ob illas causas, atq; rationes, quas articulo primo huius quæstionis enumerabamus.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Nam siquidem Christus suscepit infirmitates nostras, vt curaret omnes defectus nostros, & curat ac sanat omnes: ergo debuit assumere omnes. Respondetur, quod Deus suscipiens humanitatem nostram, & humilitatem, famem, sitim, dolores cæterasq; passiones, & mortem, curauit omnes defectus nostros quos vniuersos Christũ suscepisse nec oportuit, nec etiam decuit.

Secundo argumentor: Quia nihil vetabat Christo inferri ab extrinseco cæcitatẽ, aut mutilationem, aut illum incidere in febrim: posset ergo habere istos defectus. Respõdetur, quod Christus ex assistentia, diuinæ virtutis, quæ eum ab eiusmodi malis defendebat, non potuit illis subiacere: id quod ipse etiam sapientia & virtute sua, & vt instrumentum diuinitatis optime erga se ipsum facere poterat.

Tertio argumentor: Quia Christus suscepit mortem: ergo & cæteros defectus, qui sunt minores morte. Respondetur, quod oportebat Christum pati, & mori Act. 17. non tamen oportebat, neq; decebat mancum esse, aut cæcum, aut ægrotum: præterquam, quod mors est defectus communis omnibus hominibus, illi verò qui in argumento tanguntur, non item.

QVAESTIO DECIMASEXTA, DE DEFECTIBVS ANIMAE ASSVMPTIS A CHRISTO.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm in Christo fuerit peccatum.



CRIPTVM est, Talis
enim decebat vt nobis esset
Hebr.7. pontifex, sanctus, Innocens,
impollutus, segregatus à pec
catoribus, & excelsior cœlis
factus, qui non habet necessitatem quoti-
die, quemadmodum sacerdotes prius pro
suis delictis hostias offerre, deinde pro po-
puli: hoc enim fecit semel se offerendo. Et
1.Pet.2. iterum: Qui peccatum non fecit, nec in-
uentus est dolus in ore eius. Et tertiò: Tan
Hebr.1. tò melior angelis effectus, quantò differẽ
tius præ illis nomen hęreditauit. Cui enim
dixit aliquando angelorum: Filius meus
es tu, Ego hodie genui te? Oportebat au-
tem filium Dei nullum omnino habere
peccatum multis de causis. Primò: Quia
venerat de cœlo in terram, vt pro homi-
nibus satisfaceret, & eos ad primum illum
ac gloriosum statum reuocaret, vnde exci
derant: at verò ille status erat expers cul-
pæ omnis, atque peccati: ergo oportuit, vt
in eo nullum omnino esset peccatum. Se-
cundò: Quia Christus fuit exemplar om-
nis iustitię, omniumque sanctorum, etiam
eorum, qui nunquam peccauerunt; quales
fuere angeli, & beata Virgo: igitur in eo
nullum omnino fuit peccatum. Tertiò:
Quia primum lucidorum lucisque fons,
qualis est sol, nullas in seipso patitur tene-
bras: ergo splendidissimum illud iustitiæ
iubar nullum omnino habuit in se pecca-
1.Cor.1. tum. Denique qui erat ipsa iustitia sancti-
ficatio & redemptio, qui filius Dei erat, in
quo omnes sanctificati & electi sunt, qui
de cœlo venerat, & ideò venerat, vt pec- Ephes.1.
cata deleret, quomodo haberet pecca-
tum? Certè nullo modo: cum esset ille
sanctus sanctorum, & iustus per excellen- Esai.53.
tiam, de quo scriptum est: Iustificabit ipse
iustus seruus meus multos. Et iterum: Vi Esai.62.
debunt Gentes iustum tuum, & cuncti re
ges inclytum tuum.

Sed aduersus hæc argumentor primo:
Quia Apostolus 2. Corinth. 5. de Christo 2.Cor.5
loquens dicit: Eum, qui non nouerat pec-
catum pro nobis peccatũ fecit: ergo Chri-
stus suscepit etiam culpam: ergo fuit in eo
peccatum. Respondetur ex Diuo Grego- Nazianz.
rio Nazianzeno, quod quanuis Apostolus
de se ipso dixerit, Factus sum Iudæis tan- 1.Cor.9.
quam Iudæus, vt Iudæos lucrarer, his, qui
sub lege sunt, tanquam sub lege essem, vt
eos, qui sub lege erant lucrifacerem: factus
sum infirmis infirmus, vt infirmos lucri-
facerem, quod tamen Paulus de se ipso di
cere non sustinuit hoc sustinuit Christus.
Non enim solum Iudæis Iudæus, & infir-
mis ac humilibus infirmus & humilis ap-
parere dignatus est, sed quod multo ma-
ius esse quicunque fatebitur, voluit pro no
bis & peccatũ & maledictio nominari. Di-
citur verò Deus Christũ fecisse peccatũ,
non quod haberet in se peccatũ: sed quia
fecit eum hostiã pro peccato. Sicut Oseæ. Osee.4.
4. dicitur de sacerdotibus comedẽtibus ho
stias oblatas pro peccato; Peccata populi
mei comedẽt. Vel dicitur Deus Christum
fecisse peccatũ propter similitudinẽ carnis
peccati, in qua Christus venit ad nos iuxta
illud; Misit Deus filiũ suũ in similitudinẽ
carnis peccati, & de peccato damnauit pec
catum in carne, hoc est, de similitudine car
nis

nis peccati, quæ ipsius erat damnauit peccatũ in carne peccati, quæ nostra est. Sunt autem ambæ istę expositiones B. August. varijs in locis & aliorum etiam doctorum grauiũ. Addit verò hic sanctus ideò Christum dici factum pro nobis maledictum, quia pendens in ligno mortem, quę de maledicto Dei venerat, suspendit in ligno, vt rum vt sit illud, Maledictus omnis, qui pẽdet in ligno.

D. August.

Deuter. 21

Secundo argumẽtor: Quia Psal. 21. scriptum est in persona Christi: Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti, longe à salute mea verba delictorum meorum: ergo in Christo fuere delicta. Respõdetur, quod vt ait B. August. epist. 120. hęc ex persona sui corporis Christus dicit, quod est ecclesia. Hæc ex persona dicit infirmitatis carnis peccati, quam transfigurauit in eam similitudinem carnis peccati, quam sumpsit ex Virgine. Hæc sponsus ex persona sponsæ loquitur: quia vniuit eam sibi. Quomodo & apud Esaiam, vbi dicit. Sicut sponso alligauit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento: alligauit mihi, & ornauit me, vnius vox est, & tamen sponsum & sponsam Christum intelligimus, & ecclesiam. Vnde olim prima Ticonij regula probata à Diuo Augustino fuit de Domino, & eius corpore quando in scripturis sacris capitis & corporis, id est, Christi & ecclesiæ vna persona intimatur, iuxta illud: Saule Saule, cur me persequeris Acto. 9. Et ad Galat. 3. dicitur fidelibus: Ergo Abrahæ semẽ estis cum sit vnũ semen Abrahæ, quod est Christus. Non enim dixit in seminibus, quasi in multis, sed in semine, quasi in vno. Et semini tuo, qui est Christus.

Psalm. 21

D. August.

Esai. 61.

D. August.

Actor. 9.
Galat. 3.

Tertio argumẽtor: Quia Christus propositus est nobis ad exemplũ vitę, sed nos indigemus exemplo, nõ modo ad bene viuendũ, sed etiã, vt peniteamus de peccatis: ergo debuisset in Christo esse peccatũ. Respondetur, quod si exẽplar lucis tenebrosum esset, quid nã esset verè & purè lucidũ? Si exẽplar boni fuisset malũ, quidnam esset verè bonũ? Igitur eo ipso, quod Christus propositus est à Deo in exemplũ vitę omni prorsus vitio & macula & labe peccati caruit. Dedit autẽ peccatoribus sui ipsius illustrissimum exẽplum ad pœnitendũ: siquidẽ imponens eis, vt pro peccatis proprijs pœnam sustineant, ipse pro alienis tam dira passus est.

Quarto argumẽtor: Quia scriptum est Hebr. 2. quod in eo quod Christus passus est, & tentatus potens est & his, qui tentantur auxiliari. sed maximè indigebamus auxilio Christi cõtra peccatum: ergo debuit in eo esse peccatum. Ratio quod nõ fit potens quis ad auxiliandũ eo quod cecidit, sed quia magna & grauia sustinuit, & didicit experientia ipsa, quale & quantũ sit mala pati. & propterea promptus efficitur ad auxiliũ ferendũ alijs. Vnde voluit Dñs dira pati & tentari, vt misericors fieret. Quo circa ad Hebr. 5. hortatur nos idem Apostolus pontificis clementiæ & misericordiæ fidere, qui tentatus est per omnia pro similitudine absque peccato.

Hebræ. 2.

Hebræ. 5

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Christus per naturam assumptam peccare potuerit.



EST quæstio inter scholasticos, vtrũ Christus per humanitatẽ aliqua ratione peccare potuerit, siue beatificata esset ea humanitas, siue secus: id est, vtrùm ex natura rei posset peccare. In quo sit cõclusio, quod Christus nulla ratione peccare potuit. Quæ cõclusio & est de re graui, & videtur mihi verissima: sed eam quidã nõ absq; neglegẽtiæ culpa inopẽ faciũt auctorũ, pluresq; adferũt negãtes, quã asserentes. Ac proinde eam probo primò: Quia antiqui omnes & graues scholastici, quado in hanc quæstionem inciderunt tenuere hanc sententiam. Docuit eam Magister in. 3. dist. 12. & sine dubio ac asseuerãter amplectitur, quod nõ parũ mouere debet eos, qui aduertũt eius viri modestiã in asserendo, Tenuit Altisiodorensis, Alex. & Albert. Magnus, Qui, Christus, inquit, peccare non potuit, quia nobilissimum est nõ posse peccare. Docuit D. Anselmus lib. 2. cur Deus homo, capit. 10. D. Bonauentura, & S. Tho.

Magister.

Altisiodor.
Alexan.
Albert.
Anselmus.
D. Bonauen.

B.Thom. Ricardus. & S. Thom.in.3.diſtin.12. Ricardus etiam de Media Villa, Potentiam, inquit, habet Chriſtus ſimilem in ſpecie potentiæ, qua alij peccant:ſed ipſe peccare non potuit. Chartuſia. Pet. de Tar. Vdalri. Capreo. Idem tenuit Chartuſianus, & Petrus de Tarantaſia, & Vdalricus, & Capreolus in tertio, diſtinct. 12. Oppoſitam ſententiam blaſphemam appellat & erroneam: de qua tamen cenſura viderint ſapientiores. Prima verò ratio, quæ me mouet, vt exiſtimem hanc partem eſſe veriſsimam eſt: Nam, aut ea, quæ per naturam humanam fiunt neceſſariò, & ex natura rei, verificantur de ſuppoſito, aut ſecus. Si non neceſſariò verificantur, ſed ex aliquo accidenti, ruere certe videbitur tota fides catholica, quia non erit neceſſario fatendum, quod Deus pependit in cruce, quod mortuus eſt pro nobis, & redemit nos. Si autẽ neceſſariò hæc verificantur, & conueniunt ſuppoſito, & humanitas peccat tanquam natura atq; ratio, vtiq; ſuppoſitũ Verbi Dei peccabit, tãquã quod peccat, ſuppoſitũ autẽ illud, Verbum Dei eſt, & Deus eſt, & Deus peccare nõ poteſt: ergo noſtra cõcluſio vera eſt. Atq; inſto hac ratione: Nã hãc cauſam & rationẽ habet eccleſia dicẽdi, quod Chriſtus patiebatur, flagellabatur, prædicabat, quia per humanitatẽ iſta faciebat: & certè non aliter Deus paſſus eſt, nec illud eſt intelligibile, niſi ratione humanitatis: ergo ſi humanitas aſſumpta peccaret, Chriſtus peccaret, ergo & Deus peccaret.

Secundo argumentor: Humanitas iuncta eſt Verbo, vt ratio & forma agẽdi operationes humanas: ſed operatio formæ, & rationis agendi tribuitur ſuppoſito: ergo peccatum humanitatis tribueretur ſuppoſito. Tertio argumentor: Ea Chriſti humanitas eſt vnita Verbo ſecũdum eam rationẽ, & tam intimè, ſicut mihi mea, alioqui non eſſet Chriſtus vniuocè homo nobiſcum: ſed locutio mea, ſiue vera, ſiue falſa, & actio mea, ſiue bona, ſiue mala mihi imputantur, nec oppoſitum poteſt intelligi: ergo & actio quæcunq; eius humanitatis, ſiue bona, ſiue mala Chriſto imputaretur. Itaq; ſi meritum eius humanitatis tribuitur Chriſto: ergo & demeritũ tribueretur, ſi eſſet aut eſſe, poſſet in ipſo.

Quarto argumẽtor: Quia ſi mea humanitas peccaret & puniretur, ego & peccarẽ & punirer: ergo poſſet Chriſtus peccare, atque puniri, niſi noſtra ſententia vera ſit. Quod incõueniens quãuis intrepidè ac libeter deuoret Durandus in.3.d.12.q.2. verè tamẽ eſt incõueniẽs. Duran. Quod probo: Nam ſi Chriſtus in eo caſu punitur, aut ideò punitur, quia aliquid aliud, ſcilicet, humanitas peccauit: & hoc eſſet iniuſtũ, ſcilicet, puniri innocẽtẽ ob peccatũ alterius, puniretur-q; perſona Verbi & nõ peccaſſet. Aut ideò punitur, quia verè ſi humanitas peccauit, ſuppoſitũ illud peccauit, ſuppoſitũ autẽ illud peccare nõ poteſt, ergo nec propterea puniri. Et aduertẽdũ eſt, quod ſi humanitas Chriſti peccaret ad illud peccatũ cõcurreret Verbũ peculiari quadã ratione, qua nõ cõcurreret Pater aut Spiritus ſanctus, quia eſſet ab illo perſonaliter: ſed qui hoc modo cõcurrit ad peccatũ, ſcilicet, vt ſuppoſitũ atq; perſona eliciens actũ, tanquam quod, talis vere dicitur auctor peccati: ergo ſi natura aſſumpta peccaret, Verbum ſine dubio author fuiſſe eius peccati diceretur. Vltimo argumentor: Nã ſapientia Dei in operibus ſuis ſemper ſeruauit hũc ordinẽ, vt multa reducãtur ad vnum, & difforme ad vniforme, & imperfectũ ad perfectũ, & variũ atq; mutabile ad ſtabile & firmum: ergo omnis iuſtitia noſtra, quæ imperfecta & varia atq; mutabilis eſt reducitur ad iuſtitiã Chriſti perfectã, firmã & ſtabilẽ, & quæ non poſsit deficere, ſemper enim prima principia firma ſunt, & quæ ſe aliter habere non poſsint.

Sed oppoſitam ſentẽtiam, & quod Chriſtus per naturã aſſumptã poſſet peccare tenuere nõnulli. Ex quibus eſt Dur.in.3.d.12 q.2. Marſil.q.9.art.3. Gabr.ead.d.q.1. quanuis nõ ita aſſeuerãter, & diſt.1.q.2. Scotus, in.3.diſt.2.q.2. Duran. Marſilius. Gabri. Scotus. Arguit autem Durãdus pro ſua ſentẽtia, tã ex vna parte apparẽter, & ex alia improbabiliter, vt neſcias, qua ratione illa duo coniungi poſsint. Et conſtituto, quod humanitas eſſet aſſumpta in puris naturalibus format hanc rationem. Quod non eſt perfectius in eſſendo, nõ eſt perfectius in operãdo: ſed ea natura nõ eſſet perfectior in eſſendo: ergo nec in operando:

operando: ergo posset peccare. Respondeo tamen, quod hæremus in principio: humanitas enim nō nec aut ambulat, sed homo. Et quanuis ei humanitati secundum se ac præcise sumptæ non repugnaret esse principium, quo, peccati, sed repugnabat ratione suppositi, quod non potest male agere: estque illud suppositum & in essendo, & in operando in immensum perfectius, quā suppositum merè humanum. Duran.

Ad formam argumēti dico, quod si sermo sit de ente & operante, vt quod constat discursum esse nullum, nec assumi debuisse in minori naturam, sed suppositum & tunc minor esset falsa, quia illud suppositum est perfectissimum. Si verò sit sermo de ente & operante, vt, quo, nihil efficit argumentum: quoniam non posse peccare non proueniebat ex natura præcise, sed ex vinculo naturæ atque suppositi: ex quo fit, vt non posset ea natura peccare, nisi peccante supposito Verbi Dei.

Arguit secundo: Quia suppositum non dicitur agere alia ratione, nisi eo quod sustentat principia actionum & ea actio non potest plus imputari supposito Verbi Dei, quam si non esset vnitum humanitati: ergo nō cogeremur dicere, quod illud suppositum peccat, licet peccaret per humanitatem assumptam. Respondeo, non esse verum quòd suppositum non alia ratione dicitur agere, nisi quia sustentat naturam, quæ est principium agēdi, nisi esset sermo de eo genere sustentandi, ex quo fiat vt suppositum dicatur agens: suppositum ergo sicut est ens per se primo propriè, & maximè, ità per se primo propriè & maximè dicitur agere, nec sustentat sicut basis atq; columna sustinet arcus, sed ità vt faciat vnum ens substantiale atque per se cum natura, & ei proprie & potissimum tribuatur esse & agere. Quod verò secundo loco addidit Durandus, scilicet, quod actio assumptæ humanitatis non potest magis imputari Verbo Dei, quam si assumpta nō esset, mihi est falsum, & intolerabile propter eas causas, quas in probanda nostra sententia assignauimus. Durandus.

Tertio argumentabantur quidam antiqui, qui Magistrum præcesserunt: Quoniam Ecclesiastici. 31. inter Sapientis laudes enumeratur, quod potuit transgredi, & non est transgressus. Respondetur, quod aliquid pertinet ad laudem inferioris, quod superiori tributum, esset vituperium. Vnde Diuus Dionysius de diuinis nominibus, capit. 4. Furibundum, inquit, laudatur in cane, vituperatur in homine. Et Aristot. 4. Ethicorum, & eius discipulus Calisthenes apud Arrianum, ridiculum esse putant laudes hominum transferre ad Deos: vnde Deus, optimus & sapientissimus cum sit non potest peccare: laus ergo Christi est non posse peccare, quanuis alij possint. Eccles. 31. D. Dionys. Arist.

Quarto argumentor: Quia ea humanitas potuisset ità assumi, vt ignoraret se esse assumptam: ergo nihil prohibet, quin potuisset peccare.

Ad hoc negatur consequentia: Nam impertinens est, quod ea natura sciret vel nesciret se esse assumptam adhoc, vt posset peccare: causa siquidem ob quam non potest est, quia illud suppositum non potest male agere.

Quinto arguit Marsilius: Quia Christus potuit mereri: ergo potuit peccare. Respondetur, quod consequentia nihil valet. Et ratio est: Nam ad merendum satis est, quod sit quis liber ad vtranque partem contradictionis atque viator, & quod adiuuetur à Deo ad bonum. Quo loco aduertendum est, quod quis non eo dicitur liber, quia potest bene agere & male: iam enim Deum non liberum faceremus, siquidem non potest male agere: sed dicitur quis liber ex eo, quod se habet ad vtranque partem cōtradictionis, & potest, verbi gratia prædicare, & non prædicare, loqui & tacere, ambulare & non ambulare. Christo vero rationi suppositi repugnabat aliquid agere aut prætermittere, quod agere aut prætermittere non liceret. Et quemadmodum Deus atq; beati verè ac summe liberi sunt, sed nihil possunt agere, nisi intra limites legis Dei æternæ atq; sanctissimæ, & ea est vere libertas atque potentia non posse seruire peccato atque deficere: ità & de Christo dicendum est fuisse liberum, ad vtrunque intra limites paterni Marsil.

ac diuini mandati,quæ vera libertas est.

Sexto argumentor:Quia Deo per naturam mortalem non repugnat mori: ergo nec peccare. Negatur consequentia, quia mala pœnæ non deuiant à ratione & regula Dei,sicut mala culpæ: vnde Deus infligit pœnam, sed non malè facit.

Septimo:Quia si Deus assumeret naturam ignis,posset comburere domū innocentis:ergo peccaret. Ad hoc quidam dicunt,quod non permitteretur quia dirigebatur ea natura à Verbo. Sed dico, quod per naturam non liberam nec bene ageret suppositum eius naturæ, vt sic nec malè: nec enim male agit ignis,qui comburit innocentem: siquidem vt suppositum eius naturæ,& habens eam vt rationem agendi, non est agens morale.

Octauo:Quia Christus habuit potentiā peccandi:ergo potuit peccare. Respondetur,quod si per potentiam peccandi intelligas liberum arbitrium,quod re ipsa facit ac exercet peccatum, vtique Christus habuit liberum arbitrium eiusdem rationis cū nostro,non tamen potuit peccare. Quemadmodum enim æger habet pedes,sed ob infirmitatem currere non potest:ità Deus & Christus,& beati habent liberum arbitriū, sed tamen ob libertatem ac potentiam deficere ac seruire peccato nō possunt. Et cōsiderare debuissent authores contrariæ sententiæ,quod hoc & alia plura argumenta, quę formant,militant etiam supposita veritate,quod Christus erat simul comprehensor,& viator:quo supposito ipsi fatentur eum non posse peccare, quia beatitudo firmat in bono.

Nono argumentor: Quia Verbum in suam humanitatem non habebat efficientiam alterius rationis ab ea,quam habebat vt Deus: sed Deus alijs naturis permittit malè agere,concurritque cum eis ad actionem,quæ est actio peccati: ergo simili ratione,&c. Ad hoc dico,quod aliud est concurrere ad aliquam operationem, vt suppositum illam eliciens,& exercens, aliud verò concurrere,vt causam vniuersalem. Et quidem defectus causarum particularium atq; operationum earundem non reducitur ad defectum causarum vniuersalium,defectus verò operationum verè est defectus peculiaris suppositi agētis, & edētis illas operationes. Quibus addendum est,quod pura omnis, & mera efficientia operationum humanitatis Christi,Dei cerne erat, vt sic: Verbum autem edebat illas operationes peculiari ratione, scilicet, vt suppositum,quod habet rationem proximi principij,quod, atque formalis;cui principio verissimè tribuūtur operationes cum omnibus suis qualitatibus,vt eius propriæ. Nec enim vllum restat principiū, quod, bene aut male agens præter ipsum, ac proinde non potuit Verbum permittere humanitati coniunctæ, vt male ageret: quoniam procul dubio suppositum ipsum esset male agens,& peccans.

Postremo loco Marsilius,qui nullum putat inconueniens,quod humanitas dicatur agere & non homo, argumentatur: Quia aqua calefacta dicitur calefacere, & certè ipsa non calefacit,sed calor,existens in ea:ergo falsum est, quod actiones sint suppositorum. *Marsilius.*

Ad hoc quidam respondent,quod ea calefactio est ab igne. Qui tamen,vt ego sentio,non satisfaciunt argumento:quia aliud est reducere aliquam actionem ad primum principium mouens in eo genere, quem dicam ad calefaciendum esse ignem: aliud verò reducere operationem in proprium suppositum,& in proximum operans,vt quod.

Dico ergo ad argumentum, quod verè tunc aqua calefacit per formam caloris sibi aduenientem: & sicut ea forma caloris habet tunc esse per illud suppositum, ità habet operari per ipsum. Et de hoc articulo hactenus.

Tractant verò hoc loco quidam, nescio qua ratione moti, vtrum posset Deus assumere naturam humanam,quæ nec haberet gratiam habitualem nec esset beata. De quo Picus in Apologia, conclusione quarta,& Alexand.Hallens.3.parte, quæstione. 11. membro.1. articulo. 1. & Enricus, quodlibet. 16. tenent partem negatiuam. Respondeo tamen breuiter, quod Verbum potuit assumere naturam humanam,quę nec haberet gratiam habitualem *Picus. Alexan. Enric.*

nec

nec gloriam: quoniam terminare naturam humanam & producere in eius mente, & intellectu ac voluntate gratiam habitualem & gloriam sunt valde distincta, nec habent connexionem ad inuicem necessariam, & libere Deus eas qualitates, & actiones infundit & dat: ergo potuit non infundere. Et præterea probatur. Quia quamuis daremus quod ad vnionem hypostaticam naturali sequela sequeretur productio gratiæ habitualis, atque gloriæ in humanitate assumpta, quemadmodum ex essentia sequuntur potentiæ, tamen Deus de sua potentia absoluta posset impedire eiusmodi fluxum, & efficere vt sisteret: quemadmodum impediuit ne gloria animæ Christi redundaret in corpus quandiu in hac vita mortali fuit. Quod si Deus vellet concurrere cum ea humanitate, vt viueret, & non vt videret Deum, nec intelligeret, quis diceret illi, cur fecisti?

Luc. 2.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm in Christo fuerit fomes peccati.



AFFIRMAVERVNT hæretici Pelagiani, motus secũdum fomitis inclinationem esse naturales & bonos, illudque non sine dolendo plausu prædicauerunt; Viuificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem mundam, libidinem bonam, concupiscentiam optimam, &c. Cum tamen Apostolus dixerit ad Coloss. 3. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem immunditiam, libidinem concupiscentiam malam. Contra quos hæreticos videre licet Diuum Augustinũ in libris Hyppoynosticôn, & præcipuè libro. 4. eruditissimè disserentem. Hac tamen impudentia & ignorantia omissa, sciendum est pro huius rei explicatione, quod motus illi cõcupiscentiæ effrænes aduersique rationi non sunt fomes peccati, quamuis ab ipso, tanquam à fonte, oriantur: sed fomes propriè loquendo apud Theologos est inclinatio, siue habitualis concupiscentia carnis partisque sensitiuæ in ea, quę sunt contraria rationi, quæ appellari etiam solet lex carnis, atque membrorum, alijsque nominibus. Nec verò putandum est nomine fomitis intelligi solum inclinationem illã, & principium motus luxuriæ, sed etiam odij, auaritiæ, inuidiæ, & reliquorum omnium malorum; quamuis dicatur lex carnis propterea, quod rebellio partis inferioris ad superiorem magis & clarius ostenditur in motibus carnis. Orta verò est hæc inclinatio & habitualis concupiscẽtia, pro nitasque ad malum ex eo, quod natura destituta est per peccatum iustitia originali, qua in bono continebatur, non tamen est peccatum in renatis verè, & propriè; sed dicitur peccatum, quia à peccato est, & ad peccatum inclinat. Quam veritatem sanctissime diffiniuit Concilium Tridentinum Sessione. 5. canone. 5. & est expressa doctrina Diui Augustini libro. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, capit. 13. vbi sic habet: Sed de ista concupiscentia carnis falli eos credo, vel fallere, cum qua necesse est, vt etiam baptizatus, & hoc si diligentissimè proficit & spiritu Dei agitur pia mente confligat. Sed hæc etiam si vocatur peccatum non vtique quia peccatum est, sed quia à peccato facta est sic vocatur: sicut scriptura, manus cuiusque dicitur, quod manus eam fecerit. Peccata autem sunt quæ secundum carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicite fiunt, dicuntur, cogitantur. Hæc Augustinus ibi, & libro. 1. de Ciuitate, capi. 24. & libro. 14. capit. 10.

Coloss. 3.

D. August.

Conc. Tride.

D. August.

His positis sit conclusio, quod in Christo Domino non fuit fomes peccati, nec de hoc fas est dubitare. Ità docuit D. Augustinus, lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum. cap. 13. Et ratio quã ibi obiter tagit benedictus ille doctor est sufficiens, nimirum, quia illi habent peccati fomitem, & concupiscentiam carnis, qui per libidinem carnis, & originem ab Adam concepti, & generati sunt: at verò Christus non per cõcupiscentiam carnis, sed obũbrante & operante Deo de Spiritu sancto conceptus est: ergo in eo non fuit fomes peccati. Et quidẽ cum fomes claudat duplicem respectum,

D. August.

ad peccatum, scilicet, quod à peccato est, & ad peccatum inclinat, euidenter conuincit hæc ratio esse de fide, quod fomes non fuerit in Christo in quātum est à peccato. Quod vero etiam non fuerit in eo in quantum inclinat ad peccatum, & quod omnino non fuerit, probatur primo: Quia secūdum legem statutam à Deo cum hominibus, nemo vnquā haberet fomitem & concupiscentiam ad peccatum, nisi ex peccato orta esset: sed in Christo non est orta ex peccato: ergo nec fuit ad peccatū. Secundo: Quia ille fomes non fuit in Adā ante lapsum; Christus verò multo honoratior, & perfectior, & sanctior fuit, quam Adam. Tertio: Quia Christus fuit fons ipse & exemplar totius gratiæ iustitiæ, & sanctitatis: ergo dedecebat quod haberet fomitem peccati. Quarto: Quia ille defectus non expediebat ad finem redemptionis: ergo quamuis Christus habuerit corpus passibile vt pro nobis satisfaceret, non tamen decuit vt istum defectum assumeret.

Quinto: Quia nunquam fuit fomes peccati, nisi in eo, in quo posset esse peccatum: sed in Christo non potuit esse peccatum: ergo non fuit in eo fomes peccati. Ratio etiam Sancti Thomæ in hoc articulo docta est, & ingeniosa: Quia quo perfectior fuerit virtus eo magis subijcit appetitum: ergo perfectissima & in summo gradu heroica virtus omnino subijcit temperatque & moderatur appetitum.

B. Thom.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Quia si quo virtus est perfectior, eo magis debilitatur vis fomitis, sequeretur quod in hominibus valde perfectis, vt Ioanne Baptista, prorsus tolleretur fomes. Respondetur quod hoc non est argumentari contra conclusionem, sed contra vnam ex rationibus allatis. Caietanus verò defendens illam rationem, propterea quod est Beati Thomæ dicit, quod quando naturalia non sunt læsa per peccatum, potest sopiri, & extingui fomes per virtutes excellentes: quando autem sunt vulnerata non potest. Quicquid autem de hoc sit, mihi videtur Caietanus doctior se ipso: sequitur enim, quod peius habeat homo post peccatum quam si pure in sua natura constitisset, itaque

Caieta.

firmiorque sit ad bonū & ad malum procliuior. Quod est verissimum. Quoniam quemadmodum secundum fidem iustitia hominis per gratiam Dei collata, est interior quædam, & bona dispositio quoad esse, & operari: ita esse peccatorem, interius quid est & inhærens animæ, & mala quædam ac obliqua mentis dispositio, qua à suo statu deiecta est, & auersa à Deo. Fieri autem non potest, quin quæ in se ipsa malè habet ægreque disposita est non ægre operetur. Oppositum verò docere solent aliqui scholastici istorum temporum sequentes Caietanum in. 1. 2.

Ad propositum verò argumentum respondeo, negando consequentiam. Non enim sequitur, quod si virtus Christi, qui multò sublimior angelis effectus est, eò pertingebat, vt omnino tolleret fomitem pertingeret etiam ad id virtus aliorum hominum, quantumuis perfecta: interest enim complurimum inter vnam virtutem, & alteram. Quando autem res grauis ac purè Theologa agitatur, non multum hærēdum est in congruētijs, quas adferunt viri docti, sed procedendum ex principijs fidei, vt ex eo quod Christus conceptus est de Spiritu sancto, quod erat Deus & homo, quod erat gratiæ fons, quod non descendit ab Adam per carnalem originem. Ad eam enim congruentiam, nisi vrgentes alias causas haberemus, dicere posset quis, quod sicut mali habitus quantumcūque peruersi non possunt extinguere in hominibus bonam inclinationem mentis naturalem, ità nec boni, quantumcunque perfecti eam inclinationem sensus, nisi id ex speciali Dei gratia, & priuilegio proueniat.

Secūdo verò argumētor: Quia in Christo fuit inclinatio sensus in suum bonum sensibile, desiderabat enim cibum fame affectus & lassus quietem: ergo fuit fomes in eo. Respondetur, quod in Christo erat naturalis inclinatio sensus in bonum sibi consonum per gratiam & virtutem subijcientem sensum omnino ac sine vlla repugnātia rationi: negatur ergo consequentia.

Tertio argumētor: Nam ab eodem principio deriuatur fomes peccati, & passibilitas

tas corporis, scilicet, ex subtractione originalis iustitiæ: sed in Christo fuit passibilitas corporis; ergo & fuit fomes peccati: præsertim cùm in eo non fuerit iustitia originalis ad eum modum quo in Adam. Respondetur, quod Dominus assumpsit passibilitatem corporis, vt pro nobis pateretur, & satisfaceret, fomitem verò peccati non assumpsit: quia nec expediens erat ad finē redemptionis, nec decebat eam personam, & sanctitatem, nec descendit ab Adam per carnalem originem, & denique ob causas suprà assignatas. Et quamuis in Christo nō fuerit iustitia originalis quoad omnes effectus, fuit tamen quoad aliquos, & vnus ex eis fuit sublatio fomitis.

Vltimò argumentor: Quia fomes in renatis non est peccatum: ergo sicut potuit Christus assumere naturam in puris naturalibus: ità & assumere fomitem. Respondetur, quod non assumpsit, quia est ex peccato, & inclinat ad peccatum, & ob causas commemoratas. Et quidem omnino repugnabat, habere fomitem, vt causatum ex peccato, quod esset in eo supposito, & multò euidentius repugnabat fomitem exire in actum peccati.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm in Christo fuerit ignorantia.

RESPONDEO, quod triplex est ignorantia. Vna malæ dispositionis, quæ est cum falsitate coniuncta, & opponitur contrariè scientiæ, appellaturque propriè error. Alia priuatiua, quando quis nescit, quæ scire tenetur, vel quæ pro ratione suæ naturæ, & ætatis aptus est scire. Alia negatiua, quæ tantum dicit negationem notitiæ, & appellatur nescientia. Et quidē hoc tertio modo in Christo fuit ignorantia si ità appellanda est, quoniam complura scit Deus, quæ nescit anima Christi. Primò verò, & secundo modo non fuit ignorantia in Christo: quia sicut fuit plenus gratiæ, quæ excludit omne peccatum, vitium & defectum virtutis; ità fuit plenus scientiæ & veritatis, quæ excludit omnem errorem, & defectum notitiæ. Aduertendum autem est, quod cum ignorantia propriè non dicatur, nisi primo & secundo modo, qua ratione non fuit in Christo absolutè loquendo non est dicendum, quod in Christo fuerit ignorantia, sed vera & summa sapientia: aliàs loqui & beatos etiam omnes, & supremum angelum faceremus ignorantes, quia plura non sciunt, quæ nouit spiritus Domini.

Ioan. 1. [margin, beside "rantia in Christo"]

Sed aduersus hæc in duobus authoribus vidi adducta verba B. August. in illud Psalmi. 21. Deus Deus meus, quare me dereliquisti. Vbi ait, Loquitur causam ignorans, quare illū dereliquerit Deus. Et aiunt ij authores ea verba dura esse, durè ve sonare. Ego verò satis mirari nō possum homines tam incautè loquentes præsertim in hisce, quæ omnibus legenda proponūt. Nam aut viderunt Augustinum, aut non. Si non viderunt, quomodo iudicant quæ non vident? Si viderunt, quomodo non intellexerunt euidentissimè interpretantē ea verba, aut de vetere homine, qui simul cum Christo crucifixus est, aut de corpore Christi; adeo, vt cum ad illa verba Psalmi peruenisset, Ego autem sum vermis, & non homo, addat expresse hic sanctus; Ego autem iam non ex persona Adam loquēs, sed ego proprie Iesus Christus? Quid clarius, & euidentius? Qui autem desiderat longam & mirabilem expositionem huius Psalmi in sensu prædicto legat sapientem ipsum Augustinum, epistola. 120. Eos verò, quos offenderunt illa verba, Loquitur causam ignorans, mirum est quomodo non offenderint illa, quæ versu antecedenti præcesserant, Longe factus es à salute mea, quoniam longe est à peccatoribus salus. Quæ siquidem impijssimè de Christo dicuntur deberemus certe alium loquentem introspicere; idque non modo in Augustino, sed etiam in Dauide. Nam quî cōuenit Christo de se ipso propriè dicere: Lōge à salute mea verba delictorum meorū? Hæc dicere me coegit authoritas, & sapiētia Augustini summe omnibus sapientibus veneranda, cum tamen donante Deo, semper ob oculos habeam nostra prospicere, aliena non reprehendere, sed, si accura-

D. August. [margin, beside "Sed aduersus"]

Psalm. 21. [margin, beside "reliquisti"]

tè scripta sint, venerari & sequi: dulce enim est frui labore alieno: sin minus tacite ac si ne iniuria dimittere, nisi fortè aliud veritatis periculum postulauerit.

Esai. 8. Secundo argumentor: Quia Esai. 8. scriptum est de Christo; Antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam auferetur fortitudo Damasci. Respondetur sensum esse, antequam per ætatem loqui liceat, incipiet de inimicis triumphare.

Tertio argumentor: Quia Christus sæpe deciperetur secundum sensum, non aliter atque nos imaginamur solem paruum, fractam virgam in aqua, duas candelas ex reflexione radiorum, &c. ergo in eo fuit deceptio.

Ad hoc dico primo, quod apparere minora ea, quæ distant, non est deceptio, sed naturaliter consurgit ex comparatione obiecti siue basis distãtis ad potẽtiam visiuã.

Dico secundo, quod deceptio sensus circa proprium obiectum non est naturalis simpliciter, sed prouenit ex accidentali aliqua dispositione obiecti, qua ita comparatur ad sensum, vt appareat aliud, quam res habet, & consurgat deceptio in sensu. An autem hunc etiam defectum assumpserit Dominus, non omnino diffinio. Sed videtur mihi, quod siquidem eiusmodi error non esset in statu innocentiæ, nec fuerit etiam in Christo, sed plena potius intellectus Christi sapientia præseruabat sensum ab errore.

Quarto argumentor: Esto, quod aliquis error non esset culpabilis, non haberet ille rationem culpæ: ergo haberet rationem pœnæ: ergo nõ implicabat, quod Christus per naturam humanam eam pœnam sustineret; sicut non implicabat, quod desatigaretur & moreretur, & alios defectus sustineret. Respondetur, quod videtur probabilis, & bene deducta ratio, sed non facit contra doctrinam traditam, quod re ipsa non fuerit in eo talis erroris defectus. Pugnabat autem cum Dei bonitate, & fidelitate aut per seipsum, aut medio errore Christi nos inducere in errorem, & intellectus defectus non faciebat ad redemptionem, nec similem defectum oppositum scientiæ Christus suscepit.

ARTICVLVS V.

Vtrum anima Christi fuerit passibilis.

PATI APVD PHILOsophos generaliter dicitur omne id, quod aliquid recipit, siue illud conueniens sit, siue secus: secundum quam rationem, & sentire, & intelligere est quoddam pati. Secundo modo, & magis proprio ac vulgari sermone pati dicitur id, quod afficitur aliquo disconuenienti. Et quoniam in nobis affectiones sensus, scilicet concupiscẽntia, ira, timor, tristitia, &c. sæpe sunt turbulentæ rationemque repellunt, & feruntur ad illicita, quod homini dissonum est aduersumque rationi; iccircò propriè dicuntur passiones. At verò in Christo, quia affectiones istæ atque motus nec ferebantur ad illicita, nec oriebantur nisi iuxta normam, & dispositionem rationis, nec verò rationem ipsam trahebant ac perturbabant; iccirco iure in eo nomen passionis amiserũt, & propassiones dicuntur. Ac proinde Græcorũ illa, ἀταραξία, id est status animi trãquillus atque pacatus, & liber ab his affectibus, qui contra rationem insurgunt, mentemque perturbant, quem Stoici in suo viro sapiente frustra desiderabant, in Christo Domino inueniebatur. Non tamen erant in eo affectus isti siue passiones sine transmutatione corporis, sicut in beatis, sed cũ transmutatione: nec vero cum transmutatione solum, sed etiam cum perturbatione corporis, qualis in statu innocentiæ minimè fuisset, siquidem factus est Dominus in agonia, & sudauit sanguinem. Luc. 22. Pro maiore verò huius rei declaratione nihil video cõmodius me afferre posse, quam id quod B. Thom. adfert in articulo. 4. huius quæstionis. B.Thom. Dicit ille, quod animam in corpore cõstitutam dupliciter cõtingit pati, vno modo passione corporali, alio modo, animali. Passione quidem corporali patitur per corporis læsionem. Nam cum anima sit forma corporis, consequens est, quod

vnum

vnum sit esse animæ, & corporis: & ideò corpore perturbato per aliquam passionē corporea, necesse est quod anima per accidens perturbetur, scilicet, quantum ad esse quod habet in corpore. Quoniam igitur corpus Christi fuit passibile atque mortale, necesse fuit vt etiā eius anima hoc modo passibilis esset. Passione autem animali pati dicitur anima secundum operationem, quæ vel est propria animæ, vel principalius est animæ quam corporis. Et quā uis secundum hanc rationem, & intelligere & sentire quomodocūque, sit quoddam pati, tamen nobis sermo est de affectionibus sensus, quæ prout sunt in hominibus rationem anteuertunt, atque perturbant, & repellunt, qualis est ira, concupiscentia, timor, tristitia, atque ij affectus fuerunt in Christo sicut & alia, quæ ad naturam hominis pertinent. Vnde Augustinus dicit in libro.14. ciuitatis Dei; Ipse Dominus in forma serui vitam agere dignatus humanam, adhibuit eas vbi adhibendas esse iudicauit. Nec enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus falsus erat humanus affectus. Sciendum tamen est, quod vt in principio articuli tangebamus, huiusmodi passiones aliter fuerunt in Christo, quam in nobis quātum ad tria. Primò quidem quātum ad obiectum, quia in nobis plærunque huiusmodi passiones ferūtur ad illicita, quod in Christo nō fuit. Secundò quātum ad principium, quia huiusmodi passiones frequenter in nobis præueniunt iudicium rationis: sed in Christo omnes motus sensitiui appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis. Vnde August. dicit. 14. de ciuitate Dei, quod hos motus certæ dispensationis gratia itā cum voluit Christus suscepit animo humano, vt cum voluit factus est homo. Tertiò quantum ad effectum: quia in nobis quandoque huiusmodi motus non sistunt in appetitu sensitiuo, sed trahunt rationem: quod in Christo nō fuit, quia motus naturaliter humanæ carni conuenientes sic ex eius dispositione in appetitu sensitiuo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere quæ cōueniebant. Vnde Hieronymus dicit super Matthæ. quod Dominus noster vt veritatē assumpti hominis probaret, verè quidem cōtristatus est, sed ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem dicitur quod cœpit contristari & mœstus esse, vt passio perfecta intelligatur, quando animo id est, rationi dominatur, propassio autem quæ est quidem in appetitu sensitiuo, sed vlterius non se extendit vt aliqua ex parte perturbet rationem. Hæc ex Beato Thoma transcribere libuit, ne inciderem in illud cuiusdam vituperium, qui potiora, & commodiora videns deteriora sequebatur. Pro solutione verò argumentorum, quæ contra hanc doctrinam possent afferri, solum considerandum est, quod passiones, quæ ex concupiscentia fomiteque peccati oriuntur, non ponūtur in Christo, sed affectiones quædam subiectæ conformesque rationi, & has ipsas Dominus propria volūtate suscipiebat & intellectu ac ratione moderabatur. Quocirca in ea quæstione quorundam, an eiusmodi affectiones in Christo præcesserit deliberatio, ita; vt obiectum deliberationis fuerit ipsa affectio secūdum eam moderationem, qua suscipienda erat, immeritò aliqui tenent partem negatiuam. Affirmatiua enim est vera, & est expressa doctrina D. August. lib. 14. de ciuitate, capit. 9. Et possemus illam probare: Quia rationis moderatio præcipuè, & primò versatur circa affectus, non circa res: in affectu enim ipso contingit medium, vel defectus vel excessus ad rationem: affectus ergo est, qui primo ratione regulatur à qua alienum est valde, asserere, quod Christus non dispensabat hos motus, quos etiā apud nos sæpe vir sapiens ex rationis iudicio regit ac moderatur, quantum homini fas est.

D. August. | D. August. | D. Hiero. | Matth. 26. | B. Thom. | D. August.

Sed argumentantur illi. Quia hoc concedere non est necessarium: satis enim esse videtur, quod post deliberationem obiecti atq; materię, vt verbi gratia, quod nummulariorum mensæ euertendę sunt passio consequeretur sponte sua conformis rationi. Sed respondetur, quod consequebatur passio cōformis rationi, & ratione ipsa suscepta & temperata, alioqui non diceretur Christus suos affectus regere & moderari, quod

Matth. 21.

quod eſt inconueniens. Argumentantur vero alij, quia alienum eſt à ratione deſiderare in Chriſto cum verberabatur poſt vnumquęlibet ictum ſuam deliberationē ad alium ferendum moderate. Cæterum hoc frigidum eſt & puerile, nam non iſta dicimus nos. Sufficit enim ad ſimulia vnū propoſitum mentis.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm in Christo fuerit dolor ſenſibilis.

CERTVM eſt, quod Dominus multos, & acerbos dolores pro nobis ſuſtinuit. Nā cùm ad dolorem requiratur ac ſufficiat læſio corporis, & ſenſus læſionis & corpus Chriſti lædi poſſet, quia erat paſsibile atque mortale multiſque modis læſum ſit, & haberet ſenſum læſionis, quia habebat potentias omnes naturales, ſequitur quod in eo fuerit dolor. Imo verò quia delicatiſsimi cuiuſq; & optimè compoſiti delicatiſsimus eſt ſenſus, nō dubium quin fuerit in Chriſto dolor acerrimus: permittebatur enim corpori, & humanitati eius agere & pati quæ erant naturalia. Nulla verò ratione putandum eſt, aut D. Hilarium, quem adferunt Magiſter & ſcholaſtici, aut aliquem alium ſanctorū voluiſſe excludere à Domino veritatem doloris, quando hoc videntur ſonare, ſed neceſsitatem eius doloris ſuſcipiendi. Quāuis autē aliud ſit quærere, Vtrùm in Chriſto ſit dolor, aliud verò quid ſit dolor, in quo vetanquam in ſubiecto recipiatur, ſciēdum tamen eſt, quod dolor nec eſt læſio corporis, nec perceptio lęſionis, ſed eſt paſſio conſurgens ex corporis læſione percepta ſenſu. Quantumcunque enim corpus læderetur, & vel perforaretur clauo, vel feriretur gladio, ſi tamen non perciperetur non conſurgeret dolor, vt conſtat in exanimatis, & cæteris, qui quouis modo extra ſe facti ſunt. Et ruſus quantūcūq; corpus lædatur, & læſio apprehendatur intellectu vel imaginatione, ſi tamen non ſentitur

D. Hilar. Magiſter.

non ſequitur dolor, vt ſi ego aperte viderem abſcindi mihi digitum, ſi tamen non ſentirem non conſequeretur dolor. Et conſtat in his qui calidis adhuc plagis ſuperlæduntur, ij enim quamuis grauiter tunc lædantur, & hoc ipſi ſciant nihil tamen dolent aut perparum, quia fere non ſentiunt dolorem perturbato organo tactus. Requirit, itaq; dolor, & læſionem corporis, & ſenſationem. Si quis verò quærat, in qua parte ſit dolor, ſicut in ſubiecto, reſpondeo videri mihi, quod ſit in parte læſa, vt aliqui Theologi tenuerunt. Ad quod moueor primum experientia: nos enim, quando ſcinditur vena eo in loco ſentimus dolorem. Deinde quia vehementer credo cōmuni modo loquēdi, & quidem homines dicuntur triſtari animo, dolere autem dicimur pede, & capite & brachio, & ſtomacho, & ità loquuntur omnes homines. Si quis autē me in hac deciſione putauerit arguendum, vt artificem ſenſualem, facile patiar, dum tamen ipſe oſtēdat veritatem. Sed præueniam obijciendo breuiter quæ mihi obijci poſſe putò. Primum, quod dolor ſit paſsio, & obiectum eius ſit malum: ergo pertinet ea paſsio ad appetitum. Secūdo, quia delectatio atq; voluptas eſt in appetitu: ergo & dolor, contraria enim ſunt circa idem. Reſpondetur, familiare eſſe atque commune philoſophis ac rhetoribus vnum & idem nomen tribuere cauſæ, & effectui ſecundum analogiam, vel potius attributione. Ac proinde dolor primo accipitur pro affectione quadam, quę conſurgit in tactu, quādo vel ſcinditur, vel pungitur, vel premitur, vel aliquid contrarium ſibi atq; nociuum patitur. Secūdo tranſlatum eſt nomen ad ſignificandam eam paſsionem, & afflictionem appetitus, quæ prouenit ex ipſo dolore, de qua paſsione verificatur, quod habet pro obiecto malum, & quod opponitur delectationi, aut voluptati, quæ capitur ex bona, & ęquabili affectione & diſpoſitione corporis. Quęmadmodum enim in ſenſu odorandi, & audiendi videmus, quod bono odore, & conſonantia bene afficitur ſenſus, quoniam obiectū conſiſtit in proportione quadam, quæ optimè conformatur, & adaptatur ſenſui, & in

In 3. diſt. 15. S. Thom. & Scotus.

de

de sequitur delectatio in appetitu, malo verò odore & dissonantia male afficitur sensus, & inde fit vt ipse appetitus ægreferat dissonantiam aut foetorem: pari ratione dolor est in ipso membro læso, qui ingratam sensationem faciens, affligit appetitum, & ea afflictio etiam appellatur dolor. Et fortasse hæc non distinguere atque aduertere in causa fuit, vt negaretur experientia. Sentimus enim dolorem in parte læsa. Dicere verò, quod dolor quãuis sit in appetitu extenditur per totum corpus omnino est improbabile, loquendo secundum rationem vniuocam doloris. Nam si est passio potẽtiæ appetitiuæ, non potest esse extra illam: nullus siquidem actus, & nulla affectio immanens est extra suam potentiam, vt constat ex definitione actuum & passionum immanentium: & hoc significat nomẽ ipsum, immanens. Ex his autem sequitur, quod verus dolor prout est causa afflictionis appetitus, requirit veram læsionem. Afflictio verò illa appetitus, quam appellamus dolorẽ posset prouenire ex sola imaginatione, vt accidit dormientibus.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm in Christo fuerit tristitia.

CVM istæ passiones tam sint affines, vt & nomen sæpe commutent (nam tristitiam sæpe dolorem appellamus, & ad dolorem necessario consequitur tristitia pro ratione, & quantitate doloris) in promptu est quid respondeamus quæstioni: fuit siquidem in Christo tristitia sicut & dolor. Aduertendum verò est, differre inter dolorem atq; tristitiam, quod dolor propriè dictus causatur ex læsione corporis, sensu tactus percepta; tristitia verò causatur ex quocunque malo, atque nociuo apprehenso per intellectum, vel imaginationem. Cum igitur Dominus tot ac tãta mala pro nobis perpessus sit, & in primis videret hominum pro quibus moriebatur ingratitudinem, ignorantiam atque peccata, non dubium, quin ex apprehensione tantorum malorum valde cõtristatus sit. Vnde, & Luc. 19. fleuit super illam ciuitatem, quæ flere se nesciebat. Et Matt. 26. dicebat: Tristis est anima mea vsque ad mortem. *Luc. 19.* *Matth. 26.*

Sed aduersus hæc argumentor primo: Quia Christus voluntate sua suscipiebat hęc mala, & poterat ea euitare si voluisset: ergo non tristabatur de eis. Respondetur, quod quanuis Dominus pati vellet, erat tamen in eo tristitia: quoniam ea nasci solet etiam ex re quam absolutè volumus, quã do secũdum aliquam aliam rationem nolumus: vt quando quis proijcit merces in mare tempore naufragij imminentis. Sic igitur quãuis Dominus absolutè hæc mala pati vellet, non ideo non tristabatur patiens, quia mala erant.

Secundo argumẽtor: Quia Eccles. 12. dicitur. Non cõtristabit iustum quicquid ei acciderit: ergo in Christũ nõ cadebat tristitia. Respõdetur, quod quando in scriptura aut sanctis doctoribus legũtur similia verba, illa nõ ponũt in iustis insensibilitatem, sed ostẽdunt magnitudinem animi ac spei in Deũ & cõfidẽtiæ, & etiã paruipensionẽ malorũ. Nisi enim mala sentirẽt ac tristarentur, nũquã scriptura tãtopere illos hortata esset, & armasset ad patientiã dicens: Fili accedẽs ad seruitutẽ Dei sustine sustẽtationes Dei, cõiungere Deo & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua. Omne quod tibi applicitũ fuerit accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patiẽtiã habe. Et Apostolus admonebat, vt in lõganimitate, & patientia supportaremus inuicẽ. Quã do ergo iusti irruentibus malis nõ perturbãtur, nec animo cõcidũt, nec succumbũt tristitijs, quod est ipsum cõtristari, nõ ideò est, quod sint alterius naturæ, in quã nõ cadat tristitia, sed quod sunt maioris virtutis, vt ait B. Chrysosto. Et præter hæc omnia, etiam est tristitia secundũ Deũ, nõ modo quãdo dolet iustus ac tristatur de suis peccatis, sed etiã quia sancti tristantur pro malis hominibus, quod tam bonũ Deũ offendẽtes, & tanta amittẽtes bona, & perdẽtes se ipsos, etiã quid perdãt ignorãt, vt ait Basilius pro Martyre Iulitta. Vnde Paulus fleuit inimicos crucis Christi, Dauidẽ tenuit defectio ac tristitia pro peccatoribus derelinquentibus legem Dei; Hieremias flebat super *Eccles. 12.* *Eccles. 2.* *2. Cor. 6.* *D. Chrys.* *2. Cor. 7.* *D. Basil.* *Philip. 3.* *Psalm. 118.* *Thren. 1.*

super his, qui delebantur de populo, & cũ lachrymæ ex natura non sufficerent fontem lachymarum deposcebat, & planctũ extremum. Et deniq; Dñs sæpe fleuisse dicitur in Euangelijs, nõ ob aliud certè, quã ob peccata nostra. Quãuis ergo iustũ non deprimat tristitia, tamẽ iustus Dominus, & ob mala quæ patiebatur, & ob peccata nostra tristabatur.

Ioan. 11. Luc. 19.

Tertio argumentor: Quia vir sapiens, & iustus non cõtristabitur pro delictis & criminibus, in quæ ipse non cadit, nec verò ob corporis & externa bona: quoniam, cũ non sint vera bona indignũ est pro illis tristari. Respõdetur, quod si de nobis miseris loquamur in multis offendimus omnes, ac proinde tristari ac dolere debemus de peccatis, & amissio etiam bonorũ corporis ac eorum, quæ dicũtur fortunæ tristitiam infert viro sapienti, secũdum eam rationẽ ac proportionem, quo illa bona sunt: magis enim tristamur de amissione vitæ, quã famę, & magis de amissione salutis, quam pecuniæ: idq; est conforme rationi. Et prætereà sanctus ipse sanctorum, de quo nobis sermo, tristabatur de peccatis nostris, vt modo dicebamus: amor enim faciebat eum vnum nobiscum. Ac proinde non solum erat in ipso tristitia secundum appetitum sensitiuum, sed etiã secundũ rationẽ.

Iacobi. 3. Daniel. 9.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm in Christo fuerit timor.

Arist.



RESPONDEO, quod Aristoteles ipse, quem vt tam doctum & acutũ scholastici venerantur, solet in metaphysicis magnam libri partem expendere in extendenda alicuius nominis significatione; quod esto ipse non fecisset quilibet vir Sapiens facere debet: quoniam habet hoc hominum sermo, & consuetudo loquendi. Timor autem secundum propriam, & cõmuniorem significationẽ, claudit vna cũ apprehensione mali futuri aliquam spem euadendi: certum verò est, vt timor secundum cõmuniorẽ acceptionẽ claudat spẽ euadendi inde, quod vt in plurimum nos euasuros speramus, vel ob incertitudinem mali imminentis, vel quia fidimus nostræ industriæ, & viribus, vel deniq; quia amor ipse, quo nos prosequimur, efficit, vt vix nobis persuadeamus omnino euẽtura mala illa. Re tamen vera naturalis animi fuga & pauor mali imminentis timor dicitur, quamuis nõ habeat homo viam aut spem euadẽdi. Et ità loquuntur homines & est doctrina D. Damasceni li. 3. fidei. c. 23. Vnde, quãtum ego existimõ, qui certitudinẽ habet mortis imminentis, vt damnatus ad mortem multo magis ac vehementius timet; quoniã minus audet: & nõ dico quod magis propriè, sed dico, quod propriè & vehementissimè timet. Esset autem mirabile si quis ex eorum numero, qui Aristotelis verba vtcunq; arripiũt, & deuorãt, nõ interim attendentes, quid in eis verũ, quid opinabile, quid falsum sit, quid extendendũ, aut limitandũ, persuadere nobis vellet quod dãnati ad mortem nõ timent mortem, cũ videamus eos penè exanimatos prę magnitudine metus: Christus ergo Dominus quãuis sciret euentũ rerũ, & se non euasurũ mortẽ, & alia mala, timuit tamẽ mortẽ, & ità docent sancti, & scriptũ est, quod cœpit pauêre, & tædêre.

D. Damasc. Matth. 26.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Quia Christus poterat euitare ea omnia mala: ergo nõ erat cur timeret. Respondetur, quod quãuis Christus ratione diuinitatis posset illa omnia euitare, sciebat tamen, quod erant euentura, & quod nõ expediebat illa euitare, & quod stante præcepto ac lege statuta à Patre nõ poterant euitari, ac propterea timebat mortem, & alia quæ subiturus erat.

Secũdo argumẽtor: Quia Christus Dñs mortuus est, vt per mortẽ destrueret eum qui mortis habebat imperiũ, & liberaret eos, qui metu mortis obnoxij erãt seruituti, vt ait Apostolus Hebr. 2. Et ipse Dñs dicebat ad suos: Nolite timere eos, qui occidũt corpus animã autẽ nõ possunt occidere. Vnde D. Hilarius nõ putat bene cohærere, vt ex vna parte mori timuerit, qui ex alia sic adhortabatur suos ad gloriam martyrij. Et B. Hiero. in c. 26. Matt. Erubescãt, ait, qui putãt saluatorẽ timuisse mortẽ, & passio-

Hebre. 2. Matth. 10. D. Hilar.

passionis pauore dixisse, Transeat à me calix iste:ergo nō est dicendū,quod in Christo fuerit timor. Respondetur,quod, vt benequidam diuorū ait,in illa Apostoli verba;Cupio dissolui & esse cū Christo, quid est hoc quod miles audet & Dux timet? Certè in Domino cum timet ostēditur naturæ identitas,& infirmitas,in Paulo vero gratiæ magnitudo:vnde & Paulus timebat proculdubio,& dux eius audebat. Et quia quanuis motum naturæ sequens refugeret mortem,ardenti tamē & feruentissima volūtate eam pro nobis oppetijt, adeò, vt ipse diceret Lucæ. 12. Baptisma habeo baptizari, & quomodo coarctor vsq; dum perficiatur. Iccirco ad feruorem hunc, & promptitudinem animi, & anhelans patiēdi desiderium respicientes sancti dicere solent,eum non timuisse.

Philip. 1.

Lucæ. 12.

ARTICVLVS. IX.

Vtrùm in Christo fuerit admiratio.

EADEM ratione & via procedendum est in hoc articulo sicut in præcedēti. Siquidē ex vna parte logici dicunt, quod admirari tunc accidit,quado ignorata causa videmus effectum:& ex alia in euangelijs dicitur Luc. 2. & Matt. 8. quod miratus est Iesus,qui planè omnia norat: quanuis certè verendum esset illa his contraponere. Sed quia quidā ob infirmitatem intellectus hærent in hac re declarāda, sciendum est,vel potius in cōmuni sermone euidentissime videndum,quod nos non vno modo dicimur admirari. Miramur enim, & quādo viso effectu,vt terræ motu, aut inūdatione fluuij ignoramus causam. Et etiā admirari inusitatiore sermone nihil est aliud,quam cum veneratione suscipere,& quasi stupere prę magnitudine rei,quanuis causam nouerimus. Licuit enim aureo illi & iustissimè decātato poëtę dicere de suo AEnea, Artificumq; manus inter se operumq; labores Miratur. Et in sequentibus vtrunq; cōiunxit, mirari & stupere cū ait; Hæc dum Dardanio AEneæ miranda videntur, Dum stupet. Licuit & principi eloquij Romani dicere, Quid faciam Stoico, qui mecum viuit tot annos, quē & admiror,& diligo? Sæpeq; Tullius vtitur ea voce in ea significatione,& nos mirari sæpius dicimus ædificij magnitudinem, hominis ingenium, virtute, puritate angelica. Et cū de ingenti malo ac lamētabili sermo esset, licuit Apostolo dicere ad Galat. 4. Miror, quod sic tam cito trāsferimini ab eo qui vos vocauit in aliud Euangeliū, quāuis nosset causam. Igitur, vt quis verissimè dicatur rem aliqua admirari, nō est necesse, vt causam ignoret. Et quidem in proposito, qui obsecro conuenit quibusda authoribus dicere, vt effugiant illud argumentū, quod scilicet, admiratio est cū ignorātia causæ, & Christus omnia sciebat:ergo nō mirabatur? Qui, inquam, cōuenit respondere, quod non semper Dominus vtebatur scientia indita, & humana, qua cognoscebat occulta? Nūquid etiam tunc ea scientia non vtebatur, quando in Centurione cū voluptate aspiciebat, & mirabatur fidem, quam ipse merito ac voluntate sua infuderat, & effecerat in eo ad cōfusionē aliorū? Illud, inquā, quod ipse peculiari gratia effecerat, ignorabat? Certè hoc est puerile & inane. Sed aduersus hæc obijcitur ex B. August. primo super Gen. c. 8. vbi dicit, quod mirabatur Dns, nobis mirandū esse significat: ergo mirabatur solum ad instructione nostram. Respondeo tamē, quod vtiq; quod mirabatur Dns, nobis valde mirādum est, sed non ideo ipse non mirabatur, sicut quā uis passus sit vt nos pateremur, non ideo non patiebatur.

Lucæ. 2. Matth. 8.

Verg. 1. AEnei.

Cic. 4. Academic.

Galat. 4.

Matth. 8.

D. August.

ARTICVLVS. X.

Vtrùm in Christo fuerit ira.

PRO vltima huius quęstionis parte, & resolutionē dicēdum est, quod iste & alij similes affectus, de quibus nobis sermo habitus est, aliter sunt in nobis, & aliter in Christo. Nos enim subiacemus illis ratione peccati, in quo nati sumus, & sępe in nobis sunt peccata, iungūtur ve cum peccato, & semper aut excæcant aut saltem aliqua ratione perturbāt statū, & trāquillam consi-

QVAESTIO DECIMASEPTIMA, DE HIS QVAE CONSEQVVNTVR VNIONEM, ET CONVENIVNT CHRISTO QVANTVM AD ESSE ET FIERI.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm hac sit vera, Deus est homo.

NONNVLLAM Ecclesiæ Dei mihi viderer iniuriã irrogare, si multis modo conarer ostendere, veram esse hanc propositionẽ, Deus est homo. Hæc enim est ipsissima fides, & fundamentum nostræ religionis, & confessio omnium sanctorum. Siquis vero quærat, qua ratione nos eam propositionẽ intelligamus, & verificemus, respõdeo breuiter, quod supposita veritate catholica, quod natura humana vnita est cũ vera natura diuina in vera persona siue hypostasi filij Dei, hæc est propria & verissima propositio, Deus est homo. Quemadmodũ enim hęc est vera, Homo currit, viuit, est albus, est studiosus, est rationalis, & sufficit ad hoc verificandũ, quod Petrus viuit, est albus, studiosus & rationalis: ita hęc est vera, Deus est homo; quia filius Dei qui vere Deus est, est homo. Et hæc satis esse videtur pro declaranda hac propositione.

Sed controuertitur multis inter scholasticos, Vtrùm hęc propositio, Deus est homo, sit propria, & in qua materia sit, logicorum more loquendo. Pro quo aduertendũ in primis est, quod cũ religiosus Theologus piarum aurium offensionem debeat pertimescere in similibus, quęstionibus, ità est declaranda veritas, vt etiam modi loquendi atq; modestiæ ratio habeatur, atq; ita colenda modestia, vt veritas non periclitetur. Et prætereà quoniã hæc quæstio multum habet admixtum de logica, in veritatẽ enim catholicam omnes quotquot fideles sumus cõuenimus, & logica est de rebus, vt significantur nominibus, aduertendum est, quod subiectum huius propositionis, de qua agimus, potest significari vel nomine Dei, vel nomine Verbi, vt sic atque præcise, vel nomine Verbi in quantum est supposită humanum, vt si dicas, Verbum in quantum suppositum humanum est homo: vel denitq; nomine Christi, atque Iesu. Iam igitur statuo sequentes propositiones. Prima sit, Hæc propositio, Deus est homo, est vera & propria, nec oppositum potest defendi. Probatur, quia alioqui sequeretur, quod propriè Deus nõ est homo.

Secundo argumẽtor: Quia hæc est propria, Petrus est albus, aut homo est albus, quando habet albedinem: ergo & hæc est propria Deus est homo, siquidem Deus suscepit & habet humanitatem.

Secunda propositio: Si in hac, Deus est homo, subiectum accipiatur pro Deo absolutè, hæc propositio est in materia contingenti. In hac consistit tota difficultas, quæ quosdam permouit, ac proinde ea est declaranda: quanuis ego ita existimẽ esse veram & claram, vt nisi à contendentibus pertinaciter negari non possit. Quam tenet Scotus in 3. distinctione. 7. quæstione. 1. *Scotus.* Durand. eadem distinct. & quæst. Gabrie. *Durandus.* ibi, quæst. vnica, Caiet. hoc loco Ferrara. 4. *Caieta.* contra Gent. cap. 46. Probatur: Constituto, *Ferrara.* quod est sermo de Deo absolute, Deus libere factus est homo, &, vt summulistæ

loquuntur, contingenter, atque dimissa humanitate maneret Deus, quod nisi imperitissimè negari non potest. Sed extrema quæ libere, & contingenter iunguntur, faciunt propositionem contingentem: ergo ea propositio est in materia contingenti.

Secundo argumentor: Per id, quod prædicatur substantialiter, & in quid, congruè respondemus ad quæstionem, quæ fit de essentia & quidditate rei: sed quærēti quænam sit quidditas & essentia Dei, incongruè responderemus esse hominē: ergo ea propositio, Deus est homo, non est in materia naturali, & necessaria, quæ requirit, vt prædicatum sit de quidditate subiecti, aut saltem per se illi conueniens.

Tertio: In ea propositione nec prædicatum est de intellectu subiecti, nec subiectum de intellectu prædicati: ergo non est per se.

Quarto: Quia quando propositio est per se prædicatum, dicitur de subiecto, & de quolibet contento sub illo, quod debet esse certum, quando prædicatur aliqua natura creata: sed non quælibet persona diuina est homo: ergo.

Quinto: Quia si ad prædicationem per se sufficeret, vt subiectum indeterminate acceptum supponeret, & verificaretur pro aliquo supposito, hæc esset per se, Animal est rationale, quia homo est rationalis.

Et tandem, vt finem imponam, sic argumentor: Possem enim logicus videri, si contra ista disputarem: Aut hæc propositio, Deus est homo, est naturalis, & necessaria ratione primarij significati illius termini, aut quā accipitur Deus pro Verbo, inquātum est suppositum humanum. Dices quia accipitur pro Verbo, vt persona humana, tunc sic: Ergo si acciperetur pro primario significato, non esset in materia naturali, & ego ita accipio: ergo mea conclusio est vera. Sed eos, qui hæc negant omittamus, non enim attendunt sua illa sententia tacitè auferri misericordias Dei. Nam vbi est misericordia & ineffabilis amor, & dignatio, atq; libertas, qua Deus naturam humanam longissimè distantem suscepit, & habet & est homo, si necessario, & naturaliter est homo: si autem non necessario, nec naturaliter est homo, ergo libere est homo: ergo ea propositio non est in materia naturali, & necessaria: ergo est in contingenti.

Sed aduersus hæc argumentantur quidam: Quoniam species quidditatiuè, & per se prædicatur de quolibet indiuiduo, efficiturque indè propositio in materia naturali: sed Deus siue persona filij Dei verè est suppositum naturæ humanæ: ergo de Deo, vt accipitur pro eo supposito, prædicatur homo quidditatiuè. Respondeo, quod nomen speciei concretum quidditatiuè, & formaliter, & per se prædicatur de quolibet indiuiduo, non tamen prædicatur eo modo de illo, quocunque nomine & ratione significetur. Verbi gratia, hæc propositio est essentialis, Hoc album est album, si tamen indiuiduum illud album significes alio nomine & dicas, Petrus est albus, corpus est album, Musicum est album, iam ea prædicatio est accidentalis, & denominatiua. Quod si aliud exemplum desideratur, certum esse debet apud eos, qui ordinem prædicamentorum intelligunt, quod ens, substantia, corpus, viuens, animal, homo, re ipsa sunt prima substantia, verbi gratia, Petrus, tamen hæc est per se ac naturalis propositio, Petrus est homo, aut rationalis, & hæc est accidentalis, Viuens est rationale, licet possit verificari de Petro. Et ratio est, quoniam rationale nō conuenit naturaliter viuenti in eo, quod viuens, sed in eo quod Petrus, nec necessariò viuens coniunctum est cum Petro, aut rationali, siquidem posset esse in planta, & brutis. Atque ex his constat argumentum illud solum concludere, quod de Deo, vt significatur hoc nomine, suppositum humanum aut accipitur pro illo, homo prædicatur quidditatiuè, quod est certissimum, & nos modo asseremus. Non autem concludit, quod loquendo de primario significato, & de Deo indefinite efficiatur inde propositio naturalis, & per se.

Tertia propositio: Si ille terminus, Deus, accipiatur pro hypostasi Verbi Dei, vt sic, & præcise, hæc propositio,

tio, Deus est homo non est in materia naturali & necessaria, sed libera. Hæc est Caietani hic, & est certa constatque ex dictis. Nam sicut Deus in eo, quod Deus, non habet quod sit homo, ita nec Verbum eo ipso, quod est Verbum est homo, sed libere Dei Verbum suscepit & iunxit sibi humanitatem.

Caiet.

Quarta propositio: Si Deus in illa propositione accipiatur pro supposito Verbi, in quantum est suppositum humanum, illa propositio est in materia naturali. Patet, quia est similis huic, Petrus est homo.

Quinta propositio: Si acciperetur ille terminus pro isto, Christus Iesus, ea propositio est in materia naturali. Probatur: Quia nisi Verbum esset homo, Verbum ipsum Dei non esset Christus: ergo Christus in eo quod Christus claudit, quod sit homo: vnde vt sic non erat antequam nasceretur ex Virgine. Hactenus ea posui, quæ quanuis à multis videam controuerti existimo esse certa. Sed illud restat quærendum, absoluè, quid dicendum est, ea propositio secundum communem concipiendi modum est in materia naturali, an non? In hoc sit vltima conclusio quod ea propositio absolute & secundum communẽ modum concipiendi est in materia libera, & cõtingenti, non in naturali. Hanc sententiam ex scholasticis tenent Scotus, Gabri. Durand. & Marsil. quę. 6. respondendo ad argumenta. Oppositum tenet B. Thom. cum discipulis, à quo non discederem, nisi me ratio conuinceret, aut vehementer persuaderet. Probatur ergo conclusio: Nã si trahitur ille terminus, Deus, in ea propositione, Deus est homo, vt stet pro Verbo in quantum est hypostasis humana, illud erit ex communi modo cõcipiendi, ad quã responsionem confugiunt ex discipulis Beati Thomæ non parum docti: hoc autẽ satis apparet falsum duplici ratione. Primum, quoniam comparatione omnium hominum perpauci sunt docti, qui in Verbo concipiunt personam humanam, & intelligunt esse ponendam: ergo ille non est communis modus concipiendi catholicorum. Quod adeo verum est, vt vir prudens consilio meo vsurpare non debeat hunc sermonem, Verbum est persona humana, nisi apud viros doctos: quia fidelium communitas ac vulgus nec id intelligeret, nec ædificaretur. Semper autem in ore habere debemus, quod Deus factus est homo pro nobis. Secundo, & maximè moueor ad hanc partem tuendam, quoniam qui eo modo respondent, dum pio zelo amplificare nituntur maiestatem eius propositionis, ipsius potius dignitatem deprimunt, & extenuant. Nam piæ, & fideles aures cùm audiunt, Deus est homo, hoc piissime, & fidelissime intelligunt sibi à Deo misericorditer datum, quod Deus omnipotens, immensus, & infinitus est homo. Secundum quam intelligentiam maximè, & Dei misericordia ineffabilis, & nostra dignitas, & eius propositionis maiestas amplificatur: quod non ita lucet sed potius omnino extenuatur, si quis dicat, Hypostasis humana Christi est homo. Quod si inter se se comparauerimus has duas propositiones, Deus est homo, &, Persona humana in Christo est homo, apertissimè videbimus quanto clarius, & augustius prior illa resplendeat, verbis ipsis nobis significantius commendantibus Dei largitatem. Est igitur valde à veritate alienum, quod fideles promiscuè eum sensum accipiant eius propositionis. Sed quia graues rationes exigua ingenia nec ferre possunt, nec intelligere, mutemus stylum, & redeamus ac demergamur in logicam. Et pro declaranda nostra sententia suppono, quod in propositionibus contingentibus veris, vt Petrus est albus, Animal est rationale, subiectum, verbigratia animal, non accipitur pro homine, nec Petrus pro hoc albo: quoniam ea propositio esset necessaria, si sic acciperetur subiectum, vt constat: sed accipiuntur subiecta pro per se significatis, & supponitur coniunctio animalis cum rationali & Petri cum albedine: & quia illa copulatio nõ est necessaria simpliciter, iccirco efficitur propositio cõtinges. Quo posito declaro cõclusione hac ratione. Hæc propositio Deus est homo, nõ est

Scotus.
Gabri.
Duran.
Marsilius.
B. Thom.

in materia naturali, nisi Deus accipiatur pro Verbo, in quantum est hypostasis humana: sed quantum est ex vi & forma eius propositionis, non accipitur eo modo: ergo ea propositio non est in materia naturali. Probatur minor: Nam hæc est similis formæ, Animal est rationale, homo est albus, & tamen animal non trahitur à rationali, vt stet pro homine: ergo nec Deus trahitur à prædicato homine, vt stet pro hypostasi humana. Et certè ad summum si traheretur illud subiectum Deus, traheretur vt staret pro Verbo, vt sic: & tamen hæc, Verbum Dei vt sic, est homo, est in materia libera & contingenti, non in naturali, vt declaratum est: ergo ea propositio, Deus est homo, non est in materia naturali.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Quia hæc propositio, Deus generat, est in materia naturali: ergo & hæc, Deus est homo. Ad hoc negatur consequentia: Quia Deum esse patrem, & patrem in diuinis generare, est naturale ac necessarium, & ipsa necessitas: at verò quod Deus fieret homo non erat ei naturale.

Argumentor secundo: Quia sequi videtur, quod hæc vnio non sit substantialis; siquidem ea propositio nõ est in materia naturali. Respondetur negando sequelam. Quoniam copulatio, qua substantialis natura vnitur supposito, est substantialis, non accidentalis, vnde hæc propositio est in materia naturali, Christus est homo. Et quemadmodum animal ac rationale, & corpus & anima iunguntur substantialiter, & tamen hæc propositio est contingens, Animal est rationale, corpus est animatum, propterea, quòd de intellectu eius subiecti non est tale prædicatum, sed accidit ea coniungi: ita nõ fuit necessariũ, quod Deus iungeretur cum homine, sed summe liberum.

Tertio argumentor: Quia hæc propositio, Deus est angelus est in materia remota: ergo hæc, Deus est homo, non modo non est in naturali, vel libera, sed est in remota. Respondeo illam propositionem esse in materia remota, cuius subiectum, & prædicatum significant formas, siue naturas ità diuersas, vt suapte natura conuenire non possint in vnum suppositũ. Quo circa hæc, Deus est angelus, videtur mihi in remotiore materia, quam hæc, leo est equus. Cæterùm, quia semper scientiæ supponunt suum subiectum, & hæc scientia est de mysterijs fidei, quorum maximum est, Deum factum esse hominem, iccirco supposita omnipotentia Dei, & fidei veritate dici non potest, quod ea propositio, Deus est homo, sit in materia remota. Quia quod est, vtique & esse potest: sed reipsa verum est, quod illæ duæ formæ sunt iunctæ in vna hypostasi: ergo & esse potest: igitur ea propositio non est in materia remota, sed in libera ad vtrunque, & contingenti. Considerata verò solum hominis natura nihil certè remotius à Deo. Sed hæc fuit eius misericordia, vt quia homo per superbiam voluit fieri sicut Deus, Deus ipse verus fieret per humilitate homo: nam exinaniuit semeipsum formam serui accipiens. *Philip. 2.*

ARTICVLVS. II.

Vtrùm hæc sit vera, Homo est Deus.


HAC in parte pro scholasticis nihil aliud scire necesse est, quam quod homo indefinitè sumptum potest supponere pro quocunq; supposito humano: & cum filius Dei sit suppositum humanum & diuinum, cum sit, inquam, homo, & sit ac fuerit semper Deus, consequens est rectè dici, quod homo est Deus. Non tamen ità vt incõmunicabile nomẽ lignis & lapidibus, aut angelis, aut hominibus tribuamus sicut idololatræ faciunt, absit. Sed, quia filius Dei verè est Deus, & verè pro nobis factus est homo iccirco dicimus, quod homo est Deus, non quia homo est & minor patre, sed quia Deus est, & æqualis patri. Cum enim in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualẽ Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Vnde cum nos vnam ac eandem hypostasim Deum ac hominem appellamus, Deum dicimus propter formam

Dei,

Dei, & hominem propter formam hominis.

Sed quanuis hisce Gentilibus responderimus, est tamen aliud argumentum quod obijci posset inter catholicos. Illud est: Nam hæc est vera, Deus est pater: si ergo homo est Deus, & Deus est pater, sequitur, quod homo sit Deus pater, quod est alienum a fide. Respondeo, quod si definiretur Deus, qua Deus, non dubium, quin in ratione & essentia sua clauderetur esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: nihil enim in Deo est accidentale, sed est ibi summa necessitas, & vnitas, & formalitas, excepta distinctione personarum. Vnde hæc est per se & summe necessaria ac verissima propositio, Deus est pater. Sed quanuis filius sit Deus, & homo sit Deus, non sequitur, ergo filius est pater, vel homo est pater. Et ratio est, quia non distribuitur medium, nec quicquid est Deus, est pater.

Aduertendum verò est, quod vera illa, & celebrata regula logicorum in propositionibus per se; Quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur etiam de subiecto, ità habet locum in creaturis, vt semper distribui possit subiectum in hanc formam, homo est animal, & Petrus est homo: ergo Petrus est animal; Paulus est homo: ergo Paulus est animal, & ità de reliquis. In diuinis autem non semper hoc habet locum, vt constat in materia huius argumenti. Atque id credo euenire ex eminentia rationis illius. Non autem hæreat quis in eo, quod cum de Deo immenso, & infinito sermo esset definitionis nomen vsurpauimus: nam balbutiendo, vt possumus excelsa Dei resonamus. Longam hoc in loco aliqui texunt disputationem de hac, Omnis Deus est homo, Quas quæstiones cuperem vehementer ab scholis relegari. Ac propterea solùm dico, quod nos credimus in vnum Deum, & quod valde impropriè dicitur, Omnis Deus, nec id sine horrore audiunt fideles aures.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm Christus possit dici homo Dominicus.



DIVVS Augustinus libr. 1. retractat. capit. 19. sic habet; Non video vtrùm rectè dicatur homo Dominicus, qui est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus; cum sit vtique Dominus, Dominicus autem homo, quis in eius sancta familia dici potest. Et hoc quidem vt dicerem apud quosdam legi tractatores catholicos diuinorum eloquiorum: sed vbicunque hoc dixi, dixisse me nollem. Postea quippe vidi non esse dicendum, quanuis nonnulla possit ratione defendi. Illo tamen loquendi modo vsi sunt plures antiqui. Gregorius Theologus ad Elidonium, Dydimus lib. 3. de Spiritu sancto, Chrysostom. homilia quadam de cruce, Damascenus libro. 3. fidei. Dicendum verò est, quod cum Christus Dominus, in quantum Deus, sit æqualis patri, & inquantum homo minor patre, si de eo sermo fit inquantum est Deus, non est dicendus homo Dominicus, sed homo Dominus, iuxta illud Beati Ioannis, Et simus in vero filio eius, hic est verus Deus. Si verò sermo esset de illo, in quantum est homo, dici posset homo Dominicus; quia vtique Christus, vt homo, Dei est & Domini est, iuxta illud Apostoli; Omnia vestra sunt, vos autè Christi; Christus verò Dei. Et ipse Dominus dicebat discipulis; Vado ad Deum meum, & Deum vestrum. Sed quia rogabit quis, absolutè quà ratione loquendum sit, quis ve vsus fidelibus retinendus? in hoc dico, quod Beatus Augustinus sano prudentique consilio retractat eum loquendi modum, ac dicit, quod dixisse se nollet. Et ratio est manifesta: Quia quemadmodù Christus, vt homo, est minor patre, & quid creatum, & seruus Dei, iuxta illud, Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & iustificabit ipse iustus seruus meus multos, ca. 53. & tamen non

D. August.
1. Tim. 2.
Nazianz.
Dydim.
D. Chrys.
D. Damasc.
1. Ioan. 5.
1. Cor. 3.
Ioan. 20.
D. August.
Esai. 49.

non est dicendum absolutè nec introducẽdum in vsum, Christus est minor patre, est creatura, est seruus, sed dicendum est est æqualis patri, est creator, est Dominus, siquidem verè est Deus, ita non est dicendus homo Dominicus, sed Dominus.

Secunda ratio ad idem est: Quia quemadmodum propositiones modò dictæ, absolutè prolatæ, & in communẽ vsum admissæ fauerent Arrio, ita hæc, Christus est homo Dñicus, insonat nescio quid Nestorianum, aut saltem congrue posset ab eo vsurpari. Ille enim fateretur libenter, quod Christus est homo Dominicus.

Sed aduersus hæc argumẽtor: Quia Christus rectè dicitur homo diuinus: ergo, & potest dici homo Dñicus. Respondetur, quod in his ce, nisi aures consulamus, & vocabulorũ vsum ac significata nouerimus sæpe hallucinabimur. Hoc verò nomẽ diuinus, ita est vsurpatum, & in vsum receptum, vt dicatur de his, quibus deitas conuenit essentialiter, & de his, quibus conuenit denominatiue ac participatiue: siquidẽ dicimus, tres personas diuinas, & diuinus spiritus, & sapientia diuina, & alia multa: & dicimus præterea diuinos homines, diuinus ille Paulus, & Theodoretus solet appellare antiquos patres diuinissimos. Hoc verò nomen Dominicus non vsurpatur nisi de nominatiue, sicut si diceremus, sanguis Dominicus, sed id quod est Domini illud dicitur Dominicũ. Et ob eandem rationẽ dicere possumus homines deificatos, nõ autem rectè diceremus personas diuinas deificatas. Fert verò vsus, vt dicantur personæ deificæ.

Theodor.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm ea quæ conueniunt filio hominis possint prædicari de filio Dei & è contra.

RESPONDEO dicẽdum quod Nestorius vt refert Theodoretus lib. 4. Græcarum fabularum cap. de Nestorio eas voces, quæ Christo tribuũtur in tres quasi classes diuidebat, & alias dicebat significare diuinam humanamq; naturã, vt Christus: alias naturã simplicẽ incorporeã, & diuinã, vt Deus: alias naturã corporeã, & humanã, vt homo & de his, quæ pertinebant ad vtranque naturam prædicabat diuina, & humana, vt de Christo: at verò nec de homine prædicabat diuina, nec de Deo prędicabat humana. Vnde fatebatur Christum fuisse natum de Virgine & fuisse ab æterno: non tamen dicebat, vel Deum natum fuisse de Virgine, vel hominem ab ęterno fuisse. Verba eius sunt, nõ peperit, ô optime Maria Deum; sed peperit hominẽ diuinitatis instrumentum, alioqui nulli esset reprehensioni affinis Gentilis, qui dijs matrem inducit, & in Concilio Ephesino in quo damnatus fuit, hæc eius verba referuntur: Si quis Dei Verbo tentat passiones tribuere anathema sit. Catholici verò posuerunt ea quæ dicuntur de Christo, siue secundum diuinam naturam, siue secũdum humanam, dici posse tam de Deo, quam de homine. Vnde in Cõcilio Ephesino. 1. canon. 4. dicitur: Si quis duabus personis seu substantijs id est hypostasibus eas, quæ in euangelicis, & apostolicis conscriptionibus sunt, diuidit voces vel ea, quæ de Christo à sanctis dicuntur, vel ab ipso Christo de semetipso, & aliquas quidem ex his homini applicandas crediderit, aliquas verò soli Verbo deputauerit, anathema sit. Et huius ratio est, vt ait Beatus Thomas, quia cum sit vna, & eadem hypostasis vtriusque naturæ eadem hypostasis supponitur nomine vtriusque naturæ. Siue ergo dicatur homo siue Deus supponitur hypostasis diuinæ & humanæ naturæ. Et ideò de homine possunt dici ea, quæ sunt diuinæ naturæ, tanquam de hypostasi diuinæ naturæ: & de Deo possunt dici ea, quæ sunt humanæ naturæ, tanquã de hypostasi humanæ naturæ. Sciendum tamen, quod in propositione, in qua aliquid de aliquo prædicatur, non solum attẽditur quid sit illud de quo prædicatur, sed etiam secundum quid de illo prædicetur. Quanuis ergo non distinguantur ea quæ prædicantur de Christo distinguuntur tamen secundum id, secundum quod

Theodor. Cõci. Ephes. B. Thom.

vtrunq; prædicatur: nam ea, quæ sunt diuinæ naturæ prædicantur de Christo secundum diuinam naturam, ea autē, quæ sunt humanæ naturæ prædicantur de eo secundum humanam naturam. Vnde Augustinus dicit in primo de Trin. Distinguamus quid in scripturis sonet, Secundū formam Dei, in qua æqualis est Patri, & quid, secundum formā serui, quam accepit, in qua minor est Patre, & infra, quid, & propter quid & quid secundum quid dicatur, prudes, & diligens, & pius lector intelliget.

D. August.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Quia indignū esse videtur, & etiā blasphemum tribuere Deo ea, quæ ad defectū, humilitatem & abiectionem pertinēt: sed ea, quæ sunt humanæ naturæ in Christo, sunt huiusmodi vt pati & mori, & ad pedes discipulorū prostrari, & iniurias perferre: ergo hæc nullo modo dici possunt de Deo. Respondetur, quod si hæc quæ in argumēto tanguntur tribuerētur Deo secūdum diuinam naturam, id esset indignum & etiā blasphemū; nihil autem Deo derogatur si hæc attribuātur ei secūdum natura assumptā. Vnde in quoda sermone Cōcilij Ephesini dicitur: Nihil putat Deus iniuriā quod est occasio salutis hominibus: nihil enim abiectorum, quæ elegit propter nos iniuriā facit illi naturæ, quæ nō potest esse subiecta iniurijs propria verò facit inferiora, vt saluet natura nostrā. Quando ergo abiecta & vilia sunt diuinā naturā non iniuriātur, sed salutē hominibus operātur, quomodo dicis ea quæ causa nostræ salutis sunt iniuriæ occasionē Deo fuisse? Quocirca persapienter Greg. ille Theologus in eiusmodi homines inuehitur oratione secūda in pascha his verbis. Quid ad hęc nobis sycophātæ dicūt, acerbi, inquam, isti diuinitatis expensores rerum laudandarum reprehensores, circa lucem tenebrosi, circa sapientiā insipientes, & inerudití, ingratæ creaturæ, diaboli figmenta, pro quibus gratis Christus mortuus est? Siccine beneficium crimini tribuis? Eo ne paruus, quia propter te humilis, quia ad ouem errantem venit pastor ille bonus animam suam pro ouibus ponens? Venit, inquam, ad montes, & colles, in quibus sacrificabas, & palantem inuenit, & inuētam iisdem humeris, quibus & crucis lignum sustulit, acceptamque ad supernam vitam reduxit, eoq; subiectam eodem numero atque ordine collocauit, quo eas quæ nunquam ab ouili oberrarunt, quia lucernam hoc est carnem suam accendit, & domum euerrit, mundum, scilicet, à peccato repurgans, & drachmam regiam, videlicet, imaginem fœdis affectibus obrutam, conquisiuit, atque angelos amicos suos ob repertam drachmam conuocat, lætitiæque participes facit, quos incarnationis quoque mysterijs initiauerat. Hæccine obijcis Deo, atque iccirco inferiorem esse censes, quia linteo præcingitur, ac discipulorum pedes abluit, optimamq; exaltationis viam ostendit, nimirum humilitatem? Quia propter humi depressam animam se deijcit, vt peccati mole deorsum vergētem secum attollat. Quin illud quoque obijcis, & reprehendis, quod cum publicanis comedit, & publicanos in discipulos conuertit, vt ipse quoque aliquid lucretur, quid tādem? peccatorum salutem. Velut si quis eo nomine medicum accuset, quod ad corporis morbos se demittat fœtoremque perferat, vt sanitatem ægrotis restituat, atque eum etiam qui humanitatis, & commiserationis affectu permotus in foueam se ipsum inclinat, vt prolapsum iumentum secundum legis pręscriptum seruet. Hactenus Nazianzenus.

Conc. Ephes.

Nazian.

Ioan. 1.

Ioan. 8.

Ioan. 10.

Osee. 4.

Esai. 65.

Ioan. 19.

Luce. 15.

Luce. 5.

Ioan. 13.

Luc. 9.

Luc. 14.

Luc. 13.

Luc. 7.

Luc. 5.

Exod. 23.

Luc. 15.

Secundo argumētor: Quia opposita nō possunt dici de eodem, sed ea, quæ sunt propria humanæ naturæ, sunt contraria his, quæ sunt propria Dei, Deus enim est increatus, immutabilis, & æternus, humana verò natura est creata, temporalis, & mutabilis: ergo ea quæ sunt humanæ naturæ non possunt dici de Deo. Respondetur, quod opposita prædicari de eodem secundum idem est imposibile, sed secundum diuersa sæpe est necessarium: sicut de homine secundum corpus dicitur, quod est materialis, & quantus, & secundum animam, quod est intelligens. Vnde ad hoc ex corpore articuli liquebat responsio.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm ea, quæ sunt humanæ naturæ possint dici de diuina.



DOCET fides catholica, quod in admirabili incarnationis dispensatione duæ naturæ distinctæ, & inconfusæ cōuenerunt in vnam ac eandē hypostasim Verbi Dei. Est autē discrimē inter nomina concreta, & abstracta, quod abstracta solū significant formā, siue naturam, vt albedo & humanitas, concreta verò claudunt etiam suppositum, vt homo, & album. Atque hinc fit, vt concreta humanitatis prædicetur de Deo propter vnitatem suppositi, vt cum dicimus, Deus est homo, Deus pro nobis passus est: abstracta verò non prædicentur de se inuicem propter distinctionem naturarum, quas solum significant abstracta. Nec enim dices quod humanitas est diuinitas, aut diuinitas est humanitas: siquidem realiter & longisimè distinguuntur. Sed vt clarius ista intelligantur placuit ea per sequentes regulas declarare. Prima regula: Si concreta diuinæ naturæ in Christo conferantur cum concretis humanæ naturæ, fit communicatio idiomatum: itaq; catholicè dicimus, Deus est homo, est passus, mortuus, &c. Hæc est verisima, & constat ex ipsa scriptura. Hieremiæ enim. 23. dicitur: Suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex & sapiens erit, &c. Hoc est nomen quod vocabunt eum tetragrammaton: sic enim habetur in Hebræo. Et Zacha. 12. Effundam spiritum gratiæ, quod est proprium Dei, & aspiciēt in me, quē cōfixerūt, quod est hominis: & in ipsis scripturis sacris nunc quidē traditus fuisse dicitur, vt Rom. 4. Nūc verò se ipsum tradidisse, iuxta illud ad Titū c. 2. Qui tradidit semetipsum pro nobis. Nunc suscitatus, iuxta illud 1. Corinthio. 6 Deus autem & Dominum suscitauit, nūc se ipsum suscitans, vt in Euangelio ipse Dominus Iesus dicebat: Soluite templum hoc, & in triduo reædificabo illud. Et iterum: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Et denique de ascensione in cœlum Actorum. 1. scriptum est; Videntibus illis eleuatus est. Et in libr. Psalmorum: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, &, Ascendit Deus in iubilatione. Et tandem in Euangelio; Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.

Hiere. 23. *Zachar. 12.* *Rom. 4.* *Tit. 2.* *1. Cor. 6* *Ioann. 2.* *Ioan. 10.* *Actor. 1.* *Psalm. 67.* *Ioan. 3*

Secūda regula: Si abstracta cū abstractis conferātur, non fit mutua prædicatio: nec enim diuinitas est humanitas nec humanitas est diuinitas, nec diuinitas est creatura, nec humanitas est creator. Hęc satis liquet.

Tertia regula: Si concreta diuinæ naturæ conferantur cum abstractis humanitatis, ita vt concreta diuinitatis de abstractis humanitatis velimus prædicare, non fit cōmunicatio idiomatum: siquidem quanuis Deus sit creator, non tamē humanitas est creator, nec humanitas est infinita, nec primum principium, quanuis Deus sit Infinitus, & primum principium. Denique humanitas non est Deus: ergo regula est vera.

Quarta regula: Si conferantur abstracta diuinitatis cum concretis humanitatis, ita vt prima de secundis prædicemus, non fit communicatio idiomatum. Probatur: Nā homo ille est genitus, & essentia nō est genita, & essentia non est spirans, homo verò ille est spirans; & homo ille fuit expirans ac mortuus, essentia verò nō fuit mortua. In hac quarta regula eruditus aliquis posset hęrere. Et iccircò pro eius intelligentia aduertendum est primò, quod viri graues & antiqui sancti, vt homines decebat eloquentes, non se obstringebant regulis logicorum, sępeque abstracta accipiebāt pro concretis. Ac propterea piè ipsi & verè ac rhetoricè loquentes de Christo & moriente & mortem occidente dicebant, quod viuens mortalium pastu mors moritur, dum deuorat vitā, & perit mors ipsa, quæ perdebat omnes, dum omnium perimere vult salutem, atq; illud, cum in ligno mortua vita fuit: vbi certè concreta humanitatis, scilicet, mori & similia de illa vita dicū tur, qui Deus est. Quem etiam loquendi modum & vsurpare solent, & debent con-

cio-

cionatores, quia rem ipsam magis exaggerat, & exprimit significantius. Hoc tamen non obstat regulæ, vt videtis, quia reducitur ad primam illam, qua concreta de concretis prædicari dicebamus.

Secundo aduertẽdum est, quod in hac regula solum volumus, quod abstracta diuinitatis, & concreta humanitatis non habent, quod inuicem prædicentur, & subijciantur: non tamen dicimus, quod id non possit contingere. Fortasse enim si quis diceret, homo est Deus, & Deus est Deitas, ergo homo est Deitas, nullum committeret defectum.

Quinta regula: Si abstracta humanitatis velimus prædicare de concretis humanitatis, vel diuinitatis, non habet locũ prædicatio, nec fit cõmunicatio idiomatum: nec enim dices, Deus est humanitas, filius Dei est humanitas, Christus est humanitas, aut homo est humanitas.

Sexta regula: Si abstracta diuinitatis prędicemus de cõcretis diuinitatis, aut de persona Verbi, aut de illis nominibus, quę claudunt diuinitatem & humanitatẽ, vt Christus, optime fit prædicatio: Deus enim est deitas, & filius Dei est deitas, & Christus est deitas. Quin etiam, vt supra dicebamus sequi videtur, quod homo sit deitas: siquidem Christus est homo, & Christus est deitas. Non tamen valet: Admittitur prædicatio: ergo fit communicatio idiomatũ: quanuis enim Christus sit deitas, & sit genitus, non sequitur: ergo deitas est genita.

Septima regula: Prædicata, quæ important negationem, cuius opposita affirmatio conuenit Christo, non debent dici de Christo absolutè. Verbi gratia, non est dicendum, Christus incepit esse, Christus non scit, quæ scit Deus: sed debemus dicere, Christus secundum quod homo incepit esse, nec scit omnia, quæ scit Deus.

Aduertendum verò est vltimo loco, quod quanuis aliqua sint, quæ conueniunt naturæ diuinæ, & humanæ in Christo, vt cognoscere futura, esse salutiferã esse sanctam, &c. aliter tamen conueniunt diuinitati, aliter humanitati. Illi essentialiter, huic participatiue: illi, vt primæ formæ, ac principali agenti, huic vt instrumento: illi deni que vt Deo, huic vt communicari potuit creaturæ. Et præterea multa sunt, quæ cõueniunt diuinitati, & non humanitati, vt esse Deum, esse omnipotentem, esse à se.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm hæc sit vera, Deus factus est homo.



CONSTAT hanc propositionem, de qua nobis sermo, esse veram, & certam, esseque fundamentum fidei catholicæ, & continere thesauros misericordiæ Dei. Propter nimiam enim charitatẽ suam misit Deus filium suum, factum ex muliere. Et Ioan. 1. dicitur: Verbũ caro factũ est, hoc est, Deus homo factus est, vt explicat Athanasius, & ecclesia vniuersa. Atque illam propositionem esse veram cõstat euidenter supposita fide. Nam id quod est, & nõ semper fuit, factum est: sed Deus est homo, & non semper fuit homo: ergo factus est homo. Siue ergo dicamus, Deus factus est homo, siue, Deus homo factus est, vera est propositio: quoniam semper intelligitur ea factio verificari non ex parte Dei, sed secundum quod Deo conuenit esse hominem ex tempore per assumptionem humanæ naturæ, & non ab æterno. Gala. 4. Ioan. 1. D. Athan.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Fieri hominem, est mutari: sed Deus non potest esse subiectum mutationis secundum illud Malach. 3. Ego Dominus, & nõ mutor: ergo illa videtur falsa, Deus factus est homo. Respondetur, quod quando humana natura, & eius suppositum incipit esse de nouo, sicut accidit in rebus creatis, tũc suppositum quod fit vere mutatur, Verbum autem Dei copulans sibi humanitatem, non iccircò mutatur nec ea copulatio fit per mutationem ipsius, sed per mutationem naturæ, quæ subsistit, & continetur per suppositum. Itaque præexistentem Dei personam fieri hominem nõ importat mutationem in persona, sed in natura iuncta personæ. Et ratio huius rei est; Quia quando suppositum fit, tunc per Malach. 3.

transmutationem sui acquirit esse humanum: sed persona præexistens, quæ fit homo, sola terminatione naturæ humanæ fit homo, & habet esse humanum, terminare verò aut personare nunc primo naturam humanam non est mutari, sed subsistere nunc primo in illa: & ideò filius Dei prius non erat homo, quia non personabat naturam humanam, & in tempore factus est homo, quia incepit personare naturam humanam: ac propterea cum dicitur; Deus factus est homo, Deus non solum est subiectum propositionis; sed etiam factionis hoc est personationis. Hac enim ratione fieri, nihil est aliud quam Verbum Dei personare nunc primo, & subsistere in natura, in qua ante non subsistebat.

Secundo argumentor: Quia Deus absolutè non est factus: ergo non est factus homo: à superiori ad inferius negatiue. Sicut non est animal: ergo non est homo. Respondeo, quod id non est argumentari à superiore ad inferius negatiue quod valet; sed à simpliciter ad secūdū quid quod non valet. Quanuis enim Petrus non possit fieri homo, fit tamen musicus.

Tertio argumentor: Quia fieri hominē est fieri substantiam: ergo est fieri simpliciter: ergo si Deus factus est homo, factus est simpliciter. Respondetur, quod in rebus creatis, quando producitur substantia, semper ea absolutè fit, quia absolutè ante non erat: at verò in hac mirabili dispensatione filius Dei, æternus Deus, in tempore factus est homo. Et iccirco Deum fieri hominem, nō est fieri simpliciter; sicut apud nos, quicquid Petro existenti adueniat, nūquam ille tamen fit simpliciter.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm hæc sit vera: Homo factus est Deus.



IN hunc articulum deueni non parum labore defessus, & multo amplius me defatigauit legere cōtendentes authores, & se ipsos atq; lectorem excruciantes circa propositionē, quā satius esset pacifice declarare, in quo sensu falsa sit, in quo vera: cum & in falso & in vero sensu accipi possit à doctis: indocti verò non penetrent, & consequenter eo, modo accipiant, quo ipsis fuerit declarata: ergo sine strepitu argumētorum dicam breuiter quod sentio. Ea propositio, de qua nobis sermo, absolute loquendo, est falsa. Probatur: Quoniam sicut hæc, Deus factus est homo, bene sonat atque catholicè quia in communi modo concipiendi facit hunc sensum, quod Deus præexistens factus est homo: ita hæc; Homo factus est Deus, non bene sonat, neque catholicè; quia facit hunc sensum, quod homo præexistens factus sit Deus. Si autem dixerit aliquis, eum non esse germaniorem & magis communem modum cōcipiendi eam propositionem, mihi non restat alia ratio aduersus eū, nisi dicere, quod ingenia sunt diuersa, mihi autem facit eum sensum.

Secūdo probatur: Quia hæc de præsenti est falsa; Homo fit Deus, supponente homine, vt supponit, pro persona filij Dei, vt sustinet humanitatem: ergo illa de præterito est falsa; Homo factus est Deus. Probo antecedens: Quoniam ille homo semper fuit Deus.

Tertio probatur: Quia nisi hic esset cōmunis eius propositionis sensus, ac proprios, nunquam Beatus Damascenus dixisset lib. 3. de fide; Non hominem Deificatū dicimus, sed Deum humanatum: idē enim est fieri Deum, quod Deificari. Et Beatus Cyrilus dicit, Deum hominem esse factū, sed non è cōtra, hominem factum Deum. B. Damasc. B. Cyril.

Dico secundo, quod si homo in ea propositione supponeret pro persona diuina, vt sic, multo certius esset, quod ea propositio esset falsa: siquidem ea persona semper fuit Deus: propria tamen suppositio est ea, quam declarauimus.

Dico tertio, quod si illud, factus, accipiatur, vt determinatio compositionis hæc erit vera: homo factus est Deus: quia est sensus, per Incarnationē factum esse, quod homo sit Deus. Sed hic sensus est improprius, & quem vix aliquis possit penetrare. Alios plures sensus eius propositionis fingunt, & imaginantur scholastici, quos con-

sultò, & iure omitto, quia confundunt ingenia & nihil adferunt vtilitatis. Concedit etiam B. Tho. quod si homo faceret suppositionem simplicem hæc esset vera: Homo factus est Deus, quia non semper homo fuit Deus. Cæterum hæc etiam est impropria acceptio in hac propositione circa materiam huius articuli. Quidam existimat pia indigere interpretatione illa verba Diui Augustini. 1. de Trinitate capit. 13. Talis erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum, nimirū quasi id nō esset verè & propriè & catholicè dictum, aut quasi negari posset factum esse per illam susceptionem, & Deum esse hominem, & hominem esse Deum.

B. Thom.

D. August.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm hæc sit vera: Christus est creatura.



IN hac quæstione est aliquid certum, & aliquid in controuersia positum. Receptum est non esse absolutè dicendum, ac sine determinatione aliqua, quod Christus sit creatura. Nam cum Arriani Christum facerēt creaturam & minorem Patre, non dubium quin eo modo loquendi eorū hæresi fauere videremur, ac proinde ea propositio vsurpanda non est nec introducenda in vsum. Illud tamen scholastici controuertunt ac versant in vtranque partem; an secundum proprietatem sermonis hæc sit vera, Christus est creatura. Partem affirmatiuam tenet Caietanus, & Gabrie. in. 3. d. 11. q. 1. & Almaynus ibidem. Sed oppositum, & quod ea propositio absolutè loquendo falsa sit, tenuit Magister, in. 3. d. 11. Albertus Magnus, ibi. B. Thom. in. 3. d. 11. q. 1. art. 2. B. Bonauentura. q. 2. Durand. q. 3. Capreol. q. 1. Enricus in sua summa, & Vdalricus lib. 5. suæ summæ, cap. 12. Marsil. in. 3. q. 9.

Caiet. Gabrie. Almabin. Magister. Albert. B. Thom. D. Bonauen. Duran. Enric. Vdalri. Marsil.

Mihi autem dicendum videtur, quod ea propositio; Christus est creatura est neganda, non solum ne conueniamus cum Arrianis tribuentibus rationem creaturæ etiam personæ filij Dei, sed etiam quod absolute sit falsa. Pro cuius explicatione illud præmitto, quod stando in proprietate, & rigore, vt aiunt, logicæ, quemnam sensum faciat apud homines aliqua propositio considerandum est. ex communi modo concipiendi, non autem eruendum vel potius occultandum argumentis contortis, & sophismatibus, renuente sensu communi. Exempli gratia, deambulans quis aliena rura dicere solet. Hæc herba nascitur in horto meo. Si quis verò logicus cōcludere vellet sensum esse, quod illa eadē numero herba nascitur in horto alterius, quoniā hic est pronomē demōstratiuum, non esset ille commendus argumentis, sed vt inscius repellendus, cōmmuni concipiendi modo: sunt enim aures consulendæ. Igitur quod ea propositio falsa sit probo in primis. Nam eam constantissime negat D. August. lib. 1. de Trinitate. capi. 6. & 13. & lib. 83. quæstiones. q. 67. Et si quis consulat Diuum Augustinum Christum appellantem creaturam, videbit, vel quod expresse contraponebat in eo increatum creato, vel explicitam determinationem apposuit in oratione ipsa, vel saltem paulò ante illam apposuerat, & hoc semper est in sanctis doctoribus considerandum. Et eandem propositionem negat Beatus Ambrosius lib. 1. de fide c. 6. 7. 9.

D. August.

D. Ambros.

Secundo argumentor: Quia ea propositio absolute dicta, Christus est creatura, certè offendit pias & synceras aures, sonatque Arrianum aliquid, quod non esset, nisi nomine creaturæ sic dictæ, cōciperetur de Christo aliquid alienum ab eius suppositi æternitate, & maiestate. Vnde cum Arrius Maximo & præclarissimo viro Alexādro Episcopo Alexandriæ prædicanti æqualitatem & consubstantialitatem filij restitisset satis se contradixisse putauit vocans Christum creaturam. De quo vide Theodor. lib. 4. hæretic. fabularum cap. 1.

Alexan.

Theodor.

Secundo argumētor: Quia nomine creaturæ concipimus & intelligimus id, quod aliquādo nō fuit: sed Christus semper fuit: ergo non est creatura. Alioqui absolutè diceretur de Christo, quod fuit, & non fuit.

Tertio: Quia omnis creatura re ipsa incepit

cepit esse, itaque habuit esse post non esse & non est à se. Hæc vero non conueniunt Christo: Christus enim heri, & nudius tertius ab æterno, vt ait Apostolus: ergo non est creatura. Hebræ. 13.

Quarto: Quia illud prædicatum, quod si simpliciter dicatur, excludit à Christo personam atque naturam diuinam nõ potest de illo prædicari simpliciter: sed creatura sine determinatione apposita est eiusmodi: ergo nõ potest de illo prædicari simpliciter. Probatur minor: Nam creari apud Theologos est produci, & fieri ab alio secundum se totum, nulloque subiecto præsupposito: igitur ei, cui tribuitur simpliciter ratio creaturæ, tribuitur etiam, quod secundum se totum sit productum, sitque ex nihilo: persona verò filij Dei cum sit Deus non est creata nec natura diuina est producta: ergo dici nõ potest, quod filius Dei, in quo hæc sunt, sit creatura. Quod autem quidã opponunt, res naturales modo produci, & generari, non tamen ex nihilo; id non modo non obstat, sed etiam fauet huic rationi. Nam creaturam appellamus id, quod secundum se totum est acceptum & dependens à Deo, & existens cum posset non existere: quales sunt cœli, & terra, & angeli, & homines, & cætera omnia à Deo in quibus suppositum, & materia, & forma, & natura, & accidentia, & esse, sunt accepta, & libere facta à Deo.

Vltimo quò finis principio respondeat, argumentor. Nam acceptio nominis sumenda est ex communi vsu loquendi: at verò nos communi vsu loquendi creatorem contraponimus creaturæ, dicentes: Quicquid est aut creator est, aut creatura; & existimamus creaturam, absolutè loquendo, nõ esse creatorem, & oppositum vt blasphemum repellimus, & execramur: ergo cum Christus sit creator, nõ est dicendum absolutè; Christus est creatura.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Nã Christus est homo, & homo est creatura: ergo Christus est creatura. Respondetur ad minorem: Homo est creatura, in eo quod homo, concedo. Si vero sumatur homo distributiuè, omnis homo est creatura, negatur. Hæc enim fuit Dei admiranda dignatio, vt aliquis homo esset creator: quanuis in eo, quod homo creatura sit. Secundo vt respondeam, suppono, quod vis argumenti consistit in eo, quod homo & creatura habent se sicut inferius, & superius: vnde si homo dicitur de Christo debet dici creatura. At verò si rectè cõsiderauerimus, inueniemus, quod etiã apud Dialecticos ipsos accidit, vt quanuis duo se habeãt sicut superius & inferius, aliquẽ tamẽ ordinẽ & modũ significandi dicat, aut habeat superius, quem nõ dicit inferius. Verbi gratia: Sapientia, vt sic, aut albedo, non dicũt ordinem ad subiectum: at verò tam habitus, quam accidẽs, quæ superiora sunt dicunt ordinem ad subiectum. Et quidem scientia est scibilis scientia, & metaphysica non dicitur metaphysicabilis metaphysica. Dico igitur, quod homo est creatura secundum essentialia naturæ creatæ: at verò secundum illum ordinem, quo creatura dicitur id, quod secundum se totum dependet ab alio, & ante non erat, non verificatur creatura de homine Christo. Et vt hæc magis declarem dico tertio, quod si quis formaret hanc rationem; Filius Dei est homo, & homo est creatura, ergo filius Dei absolutè, & simpliciter est creatura, cõclusio esset falsa, & nõ ob aliud, nisi propter ordinẽ, quẽ dicit creatura, & nõ dicit homo. Alioqui sicut Deus dicitur homo, aut substãtia animata diceretur creatura.

Secundo argumentor: Quia si hæc propositio non esset vera, Christus est creatura, sequeretur quod nec ista esset vera; Christus secundum quod homo est creatura. Nam quando prædicatum repugnat subiecto, nunquam verificatur de subiecto, etiam secundum determinationem appositam, nisi determinatio diminuat de prædicato: sed determinatio in ea propositione nec tollit nec minuit rationẽ prędicati, homo enim verè est creatura: ergo nec ea propositio esset vera. Respõdetur satis esse, quod propositio, quæ ante erat falsa, fiat vera per determinationẽ, secũdũ quã prædicatum conuenit subiecto: vt in hac; Homo secundum quod est corpus, nõ habet animam rationalem; Petrus, secũdum quod homo est natura communis. Dico

prę-

præterea, quod in ea propositione determinatio verè temperat ac moderatur prædicatum: quoniam creatura vniuersaliter accepta dicitur etiam de supposito secundum se: efficit autē determinatio in ea propositione, vt dicatur de supposito solum ratione naturæ.

Tertio argumentor: Nam creator non præscindit creaturam: vnde sancti dicunt, quod creator sit creatura ergo creatura nō præscindit creatorem. Respondeo, quod loquendo de creatura sine determinatione & simpliciter dicta, falsum est assumptum. Hoc enim est quod asserimus, quod Christus atque creator, non est simpliciter creatura; sed est creatura ratione humanitatis. Nec obstat, quod sancti illa duo coniungunt & contraponunt: nam contrapositione ipsa satis exprimunt, atque declarant, secūdum quam naturam vnūquodque illorum ipsi tribuendum sit. Nam si creatorem esse Christum præmiseris sustu listi certè periculū omne addendi statim creaturam, & appellandi Christum limitatum, finitum, infirmum, mortalem: intelliguntur enim hæc ratione humanitatis assumptæ.

D. August. Quarto argumentor: Nam Beatus Augustinus de fide, & Symbolo, ca. 4. vtitur eo modo loquendi, vt Christum absolutè appellet creaturam: ergo possumus id nos facere. Respondeo antecedens esse falsum, quod attinet ad eum locum. Et in vniuersum loquendo, si quis cōsulat Diuum Augustinum, Christum appellantem creaturam, videbit, vel quod expresse contraponebat in eo increatum creato, vel explicitam determinationem in oratione ipsa apposuit, vel saltem paulò ante illam apposuerat. Non aliter atque Dominus etiam

Ioan. 14. dixit apud Ioan. c. 14. Pater maior me est; sed cum hoc dixerit, vt redderet rationem eius, quod immediate præmiserat, nempe, Vado ad patrem, quod conuenit ipsi ratione humanitatis, satis colligitur ex antecedentibus determinatio: & hoc quidē semper est in sanctis doctoribus considerandū: Et in vniuersum tenendum, quod ea quæ iuxta vulgarem concipiendi modum possunt ingerere dubitationē, an Christus sit Deus, non sunt dicenda: quæ vero modo ipso loquendi, & communi consuetudine ità receptasunt, vt intelligatur, secundum quam naturam Christo tribuantur, illa dicenda, & vsurpanda sunt.

ARTICVLVS. IX.

Vtrùm hac sit vera: Christus incepit esse.



QVANVIS in hoc articulo non parum difficultatis inuenerim; tamen re considerata omnino videtur mihi idem esse iudicium de hac propositione, Christus incepit esse, & de illa, Christus est creatura. Nam si absolutè & propriè diceremus, quod Christus est creatura, etiam diceremus, quod incepit esse: & si absolutè diceremus, quod incepit esse, diceremus esse creaturam: creatum enim est, quod incepit esse. Huc accedit, quod cum Arriani affirmauerint, Christum etiā quatenus Verbum creatum, quid esse, & accepisse esse cum non fuisset, non dubium, quin admittenda & vsurpanda non sit illa propositio; Christus incepit esse. Ratio verò metaphysica, quæ fundat hanc sentē tiam, est: Quia id dicitur incipere esse quod antea nō fuit, absolutè loquendo, & sine determinatione: at verò absolutè loquēdo, Christus ante fuit & semper fuit, quamuis non semper fuerit homo: ergo non est dicēdum, quod incepit esse. Sicut quando corpus incipit esse album nō dicimus, hoc album incipit esse, si anteà præcesserat corpus illud: & quando vas deauratur, aut intexitur auro, non dicimus quod incipit esse tunc, sed incipit esse deauratum.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Quia Christus, vt sic, claudit naturam diuinam & humanam in vnum suppositū, & secundum hanc rationem ante nō erat, sed factus est: ergo incepit esse. Verbi gratia: Si æs incipit esse sphericum, sequitur bene: ergo sphera ænea incipit esse: ergo cū Deus inceperit esse homo, & nomē Christus significet Deum & hominem, sequitur

tur, quod Christus inceperit esse. Respondetur, quod quanuis nomen Christus, significet suppositum habens naturam diuinam & humanam, & vt habens naturam humanam inceperit esse, tamẽ quia supra modum excedit suppositum illud, ac natura diuina naturam humanam, icirco tãtùm propendet eius dignitas, vt siquidem hac ratione semper fuit, non dicatur incipere esse. Ad illud autem simile dico, quod in eo ex modo significandi sphera habet rationem principalem subiecti: & icirco cum antea non esset sphera incepit esse. Dicere verò possemus, quod illud æs sphericum ante erat, quanuis non vt sphericum: at verò in nomine, Christus, principaliter supponitur, & significatur natura diuina, & suppositum.

Secundo argumentor: Ad idem, Christus est Deus, & homo, Deus & homo ante non erat: ergo Christus ante non erat. Respondetur, quod quanuis illud copulatum ante non esset, verè tamen erat Deus Verbum, qui modo est homo: & hoc sufficit vt dicatur Christus fuisse. Tenet enim ista sententia, quod quando aliquid absolutè, & sine determinatione ante erat, per, est, de secundo adiacente (vt dicitur in schola) quicquid ipsi postea aduenerit, siue substantiale fuerit, siue accidentale, non ideo dicitur incipere esse. Et propterea quanuis Christus secundum esse humanum, quod est esse substantiale inceperit esse, non sequitur, quod incepit esse, quoniam ante fuit.

Tertio argumentor: Christus generatur: ergo incipit esse: fit enim quod generatur. Respondetur, quod si sermo sit de generatione æterna nulla est consequentia; quoniam ibi non est processus de non esse ad esse. Si autem est sermo de generatione temporali, iam illud prædicatum, generatur, trahit subiectum, vt stet pro Christo, inquantum est homo; & vt sic incepit esse.

Quarto argumentor: Quia Beatus Augustinus tracta. 105. in Ioannem ait, Prius quam mundus esset, nec nos eramus nec ipse mediator Dei & hominũ homo Christus Iesus: ergo, &c. Respondetur, quod procul dubio Augustinus loquebatur de Christo inquantum est homo, satisque existimauit se declarauisse illis verbis: quod si alicui non ita videatur nihil id refert. *D. August.*

Placet autem in hoc articulo Theologos admonere & obsecrare, vt semper grauitatis & modestiæ Christianæ meminerint. Videre enim est, quendam in Scotũ, & Durandum oppositum tenentes inuectum iam totam miseri Scoti machinam ruere facientem, iam eius dicta figmenta appellantem, trasonem agentem, & parum interim aut nihil dicentem. Hoc verò omisso, qui nonnulla dixit minus probabilia, dum aliorum argumenta conaretur refellere, efficit aliorum non iam immodestia sed ignorantia, qui vix Scotum liberant ab errore vt respondeam eorum indoctæ rationi ad tam temere loquendum, & definiendum de opposita opinione. Aiunt in primis verè & catholicè dici: Hic homo, demonstrato Christo, creauit omnia: ergo accipitur ibi, hic homo, pro Verbo Dei, vt sic: ergo non potest dici; Hic homo incepit esse: quia Verbum Dei non incepit esse. Respondetur, quod quemadmodum apud rectè loquentes admittitur hæc propositio. Hoc album est quoddam corpus, atque substantia, vbi, hoc album, supponit pro subiecto materialiter accepto, & admittitur etiam tanquam essentialis, & propria & vniuoca hæc propositio, Hoc album est album, atque quale, vbi, hoc album, supponit pro subiecto, vt subest tali formæ: eodem modo dicere possent illi authores, quod in hac, Christus incepit esse, supponit Christus pro Verbo Dei, vt est Deus simul & homo, secundum quam rationem nõ fuit ab æterno. Illa ergo argumenti consequentia nihil valebat. Obijciunt secundo, Christum ipsum Dominum dixisse ad Iudæos: Antequam Abraham fieret, ego sum: ergo dici non potest, Christus incepit esse. Respondetur, quod qui dixit, Antequam Abrahã fieret ego sum, vt Deus, etiam dixit: Vado ad Deum meum, & Deum vestrum, vt homo: & qui dixit ratione diuinitatis: Ego & pater, vnũ sumus, dixit ratione humanitatis: Pater maior me est, & ego man- *Ioan. 8.* *Ioan. 20.* *Ioan. 10.* *Ioan. 14.*

data

data eius seruo, & denique sicut scriptum
Hebre.13. est ab Apostolo de Christo, vt Deo, Christus heri, & nudius tertius ab æterno: ità
1.Cor.11. scriptum est de Christo, vt homine; Caput autem Christi Deus. Quæ loca & alia similia, mirum est, authores illos non contulisse, sunt enim innumera.

Dicere etiam tertio loco, quod sancti nonnunquam negant illam propositionem, nihil concludit. Quoniam authores contrariæ sententiæ non volunt facere sanctos incautos, & imprudentes; sed potius sapientissimè negantes tales propositiones: quia possunt accipi in sensu Arrianorum: atque in hoc omnes conuenimus, id que ipsum facerent Scotus atque Durandus. Nec est nobis quæstio, an similes propositiones sint in vsum introducendæ, sed, an secundum proprietatem, & exactam rationem acceptæ essent veræ. Vnde quæ quidam refert audiuisse se, de Alexandro tertio illam propositionem respuente, ego credo esse vera: prudenter enim Papa noluisset propositionem illam approbare, quam non expediebat in vsum introduci. Miror autem, quomodo hic idem author neget hanc, Christus incepit esse, quoniam oportet attributum supposito, non repugnare supposito materialiter accepto, & tamen concedat in rigore hanc, Christus est creatura: quasi magis minus ve repugnaret Verbo Dei incipere esse quã esse. Hęc efficit, vt respõderē pro Scoto, quo rundã ingeniũ, qui eius sententiam vix ab errore liberabant, quibus eo solo sapientior sum, quod meam ignorantiam non ignoro, rationumque mearum defectum, vt par est timeo, & mihi, vbi quæstionē aliquam disputaui, persuadeo, fore alios qui rem, & acutius videant, & prudentius tractent, & diligentius euoluerint.

ARTICVLVS. X.

Vtrùm hæc sit vera, Christus, in quantum homo est creatura.



SENSVS quæstionis est, vtrùm hæc propositio sit vera; Christus secundum quod est homo est creatum quid. De qua nulla est difficultas. Docet enim fides catholica, quod Christus factus est ex semine Dauid secundum carnem, & cepit esse in tempore, & vt homo est minor patre: ergo est creatum quid, & nõ increatum: & Christus in quantum homo non est creator: ergo est creatura. Et denique supposita fide, quod Christus est Deus & homo, euidentissimum est lumine naturæ, quod secundum quod est homo non est Deus. At verò cum tam varia sint hominum ingenia, non desunt, qui affirment, quod ea propositio est falsa, Christus secundum quod homo est creatura, si illud, in quantum, sumatur reduplicatiuè. Ac proinde siquidem iniuria temporum effici, vt hæc effugere non possimus, cum reduplicatiuis logicorum congrediar. Sciendum autem est in primis, quod apud eos illud, in quantum, solet sumi specificatiuè, & reduplicatiuè. Specificatiuè, quando specificat, siue designat rationem, secundum quam aliquid alicui conueniat, quamuis non sit præcisa, & generalis causa: sicut quando dicimus, Petrus secundum quod homo est musicus, non secundum quod animal, Christus secundum quod homo est humilis, & subiectus Deo, est crucifixus, &c. Reduplicatiuè autem sumitur, quando facit sensum causalem, ita vt terminus, siue subiectum, quod afficitur reduplicatione, sit causa prędicati sibi attributi: vt si dicas, Leo secundum quod est animal, est sensitiuus, homo in quantum est discursiuus, est admiratiuus. Et quidem quando dicimus, quod Christus in quantum homo est quid creatum, illud, in quantum, sumi potest specificatiuè, vt constat, & etiam reduplicatiue: quoniam esse hominem est sufficiens, & necessaria ratio & causa, vt sit quid creatum: essentialiter enim hoc requirit eius natura, vt fi est creatum quid, sit in quantum homo. Sumpto verò illo, in quantum, reduplicatiuè, dixi asseruisse quosdã, quod ea propositio sit falsa; Christus in quã tum homo, est creatura. Et ratio eorum est, quia sua præiacens est falsa, scilicet, Christus est creatura. Pro cuius explicatione secundò sciendum est, solenne esse neote-

neotericis summulistis reduplicatiuam propositionem exponere per quatuor exponentes. Verbi gratia, propositionem hanc, Homo in quantum est admiratiuus, est risibilis, exponunt hisce, Homo est admiratiuus, &, homo est risibilis, &, admiratiuum est risibile, & quia est admiratiuum, est risibile. His luminibus vel, si mauis, tenebris illi propositionem eam vel illustrant, vel obscuram reddunt, quanuis hoc secundum magis videantur assecuti. Cęterum quidam docti prę terquam quod vident hoc medio nihil effici minus, quã similes propositiones elucidari, negant prę terea sophistis suas illas tam celebres expo nentes. Quo infortunio nullum vt credo maius sophistis potuit accidere: nec enim sine dolore, & fletu deserere poterunt quas tam longo tempore nutriuerunt. Ac certè in proposito siquidem hæc est vera, Christus secundum quod homo est creatura: dicere ego non possum, quod hæc sit eius exponens, & præiacens, Christus est creatura, quam existimo esse falsam. Ne verò necesse sit regredi huc, dico quod licèt propositio reduplicatiua, vt in plurimum, sustinere possit & pati quatuor illas exponentes, est tamen angusti satis ingenij, existimare id fore in omni casu inuiolabile. Sunt enim in logicis aures consulendæ, & attendendus concipiendi modus, & vt supra dicebamus, male sonat illa propositio absolute prolata, Christus est creatura. Piè autem atque catholicè prædicatur, auditur, & creditur, quod Christus in quantum homo, est creatura: nec enim, vt sic, est creator. Atque vt credo, quod attinet ad istorum rationem doctis ista sufficiunt. Præterquam, quod, vt supra articulo præcedenti dicebamus, cum de specificatione ageremus, sufficit ad reduplicatiuam, vt terminus affectus reduplicatione reddat causam prædicati, siue præiacens sit absolutè vera, siue secus. Vt si quis diceret, Homo in quantum est quid continuum diuidi potest in infinitũ: & tamen homo non potest diuidi in infinitum.

Sed argumentor secundo aduersus principalem nostram positionem: Quia quicquid prædicatur de quocunque homine sę cundum quod homo, prædicatur de illo per se & simpliciter: sed hæc est falsa, Christus est creatura: ergo & hæc, Christus secundum quod homo, est creatura. Propter hæc & similia argumenta aduertendum est, quod quanuis humana natura diuinitati comparata, tenebræ dici possit, & non modo diminutum aliquid, sed quasi ipsum nihil, cæterum, si humanitas Christi comparetur ad ea prædicata, & proprietates, quæ conueniunt Christo in quantum est homo non est censendum, quod ei, vt homo est, conueniant secundum diminutam aliquam rationem. Et hoc est certum, & euidens. Nam quanuis humanitas diuinitati comparata tantum distet, quantum creatura distat à Deo, quæ est supra quam dici potest immensa, & infinita distantia, tamen in ordine ad sua prædicata naturalia vel accidentalia, quid obsecro demeretur humanitas Christi, cum verissima & perfectissima sit, quominus eius proprietates secundum absolutam rationem de illa dicantur, & ratione illius de Christo, in quantum est homo? Certè nihil. Verum est tamen, quod cum indifferenter ea prædicata possent intelligi tributa ratione personæ & naturæ, tunc si solius humanitatis ratione conueniant tribui non debent sine specificatione, alioqui reddent sensum falsum, & periculosum, vt si quis dicat Christus est creatura. Quo præmisso, dico ad argumentum, quod cum generaliter omni homini non conueniat aliud esse, nisi secundum humanam naturam, consequenter quidquid prædicatur de illo secundum humanam naturam, prædicatur per se, & simpliciter. At verò cum Christus non solum sit suppositum humanæ naturæ, sed etiam diuinæ, secundum quam habet esse increatum, & sempiternum, non sequitur, si secundum quod homo, est creatura, aut incepit esse, quod absolutè sit creatura, aut inceperit esse. Pro cõplemẽto verò articuli illud addedũ est, quod terminus affectus reduplicatione habet vim accipiturq; secũdũ ratiõnẽ prędicatũ verò tenetur formaliter, idest, tribuitur subiecto ratione formæ. Hoc cõstat: Nã si dicã, homo

mo in quantum albus diſgregat viſum, ſenſus eſt homo, quia eſt albus, diſgregat viſum.

ARTICVLVS. XI.

Vtrùm Chriſtus ſecundum quod homo, ſit perſona, vel hypoſtaſis.



IHI in hac re videtur dicendum quod cum Chriſtus ſecũdum fidem ſit Deus & homo, ſitq; vna & eadem perſona ſubſiſtens in natura diuina, & humana; ac proinde ſit vna & eadem perſona diuina & humana quod hæc ſit abſolute concedenda; Chriſtus ſecũdum quod homo eſt perſona. Quod probo: Quia ſubſiſtens in humanitate, illamq; habens eſt ſuppoſitum humanum: ſed Chriſtus ſecũdum quod homo, eſt ſubſiſtens in humanitate, illamque habens ergo eſt ſuppoſitum humanum: ergo eſt perſona.

Secundo probo: Quia Chriſtus eſt perſona humana, & non eſt perſona humana vt Deus, ergo eſt perſona humana vt homo.

Tertio. Quia ea propoſitio; Chriſtus ſecundum quod homo eſt perſona humana, ſolum eſt falſa in eo ſenſu, in quo intelligatur quod in Chriſto eſt perſona humana realiter diſtincta ab hypoſtaſi diuina, & cauſata ex principijs humanæ naturæ. Ille verò non eſt communis cõcipiendi modus eius propoſitionis: norunt enim omnes Theologi quod ratio perſonæ humanæ in Chriſto non requirit vt re ipſa ſit diſtincta, ſeorſumque ſubſiſtens ab alia; ſed ſolum, quod ſubſiſtat in humanitate.

QVAESTIO

QVAESTIO DECIMAOCTAVA, DE HIS QVAE PERTINENT AD VNITATEM IN CHRISTO.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus sit vnum, vel duo.



NON est hoc loco quæstio, an in Christo sint duæ personæ, vel supposita sed supposita fidei veritate, quod in Christo est vna tantum persona, habet autem duas naturas, est quæstio de modo loquendi, vtrum, scilicet, sit dicendus vnus propter vnam hypostasim, vel duo propter duas naturas. Ad quod respondeo, quod Nestoriani ponentes in Christo duas personas, dicebant ipsum esse duos masculine. Quidam autem, qui, vt refert Magister, ponebant vnam personam, sed duo supposita, dicebant esse vnum masculine, sed duo neutraliter. Nos autem, cùm videamus suppositum in natura rationali esse omnino idem, quod persona, & catholice fateamur in Christo vnum suppositum, & vnam personam, subsistentem in duabus naturis, dicere omnino debemus, quod Christus est vnus & vnum. Ita nos docuerũt sanctissimi & sapiẽtissimi patres, Athanasius in Symbolo, dicẽs de Christo; Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus: Gregorius Nazianzenus in epistola ad Cledonium, magnifice vt cætera. Vt paucis, inquit rem complectar, aliud quidem atque aliud sunt ea, ex quibus Seruator constat (nisi vero id quod cerni non potest idem est cum eo, quod in oculorum aspectum cadit, & quod temporis expers est cum eo, quod tempori subest) non tamen alius atque alius, absit. Ambo enim hæc copulatione vnum sunt. Deo nimirum humanitatem atque homine diuinitatem suscipiente, aut quocunque tandem alio verbo quispiam eam rem duxerit exprimendam. Augustinus contra Fœlicianum capite 11. In mediatore, ait, Dei & hominum, aliud, Dei filius, & aliud, hominis filius: aliud, in quam, pro discretione substantiæ, siue naturæ, non alius pro vnitate personæ.

Magister. D. Athan. Nazianz. D. August.

Probatur autem hæc doctrina primò: Nam quod est vnum supposito atque numero illud simpliciter dicitur vnum non plura, sed Christus est vna persona vnicumque suppositum: ergo dici debet vnus atque vnum.

Item secundo. Nam ad hoc, vt Christus duo esse diceretur, exigebatur, vt prædicata, que de ipso dicuntur ponerẽt in numerum: sed prędicata quę affirmãtur de Christo non ponunt in numerum: non enim sunt duo habentis humanitatem & diuinitatem in Christo, sed vnum & idem numero, & hoc est, quod significare voluit B. August. 1. de trinitate, dicens vtrunque scilicet Deus & homo, Deus propter suscipientem Deum, & vtrunque homo propter acceptum hominem: quod non esset verum, nisi Deus & homo essent vnum quid in Christo.

D. August.

Aduersus hæc autem non habeo quid opponam, nisi verba eorum Doctorum qui dicunt, quod Christus est natura diuina, & humana: sed hæc sunt duo: ergo Christus non est vnum quid. Respondeo

quod solent viri graues abstracta vsurpare pro cōcretis. Vnde sensus est, quod Christus est Deus & homo: vel certe est sensus, quod in Christo erat diuinitas, & humanitas. Alioqui certum est, quod persona Christi nec formaliter nec re ipsa est humanitas. Aduertendum verò est in hoc articulo, quod cum sancti dicunt in Christo esse aliud & aliud, sensus est, quod habet aliam & aliam naturam: naturæ verò ac formæ differentes non efficiunt plura, sed vnum, quando sunt in vno supposito. Videmus enim, quod corpus, & anima, & artes omnes & formæ, quæ sunt in Petro nō efficiunt nisi vnum, nempe Petrum.

ARTICVLVS. II.

Vtrum in Christo sit tantum vnum esse.

PRO intelligentia huius quæstionis aduertendum est, quod esse quoad propositum attinet, accipitur tripliciter. Vno modo pro esse essentiæ, id est, pro quidditate rei, & specie atque natura, sicut esse hominis appellamus eius definitionem, hoc est, animal rationale. Secundo modo potest accipi pro subsistentia, hoc est, ratione illa peculiari, quam dicit suppositum condistinctam cōtra naturam, in quātum suppositum subsistit omnibus, quæ insunt. Tertio accipitur pro actu essendi, siue existentia, qua res cum actu non existeret actu existit. Et quidem in homine, verbi gratia, duplicem actum substantialem esse videmus. Primus est actus essendi, quā tertio loco existentiam appellabamus. Secūdus actus siue effectus supposito maximè proprius & naturæ minimè conueniens, est terminare, complere, & suppositare naturam, siue naturas substantiales. Hoc verò constituto in hac quæstione in primis est certum, quod si loquamur de esse essentiæ in Christo est duplex esse, id est, sunt duæ naturæ diuina & humana, quod est ipsa fides. Secundo est certum, quod sicut in Christo est vnica persona, vnumq; subsistens: ita est vnū subsistere, id est, vnum suppositare, & terminare, atq; cōplere, quæ in ipso sunt, qui est proprius actus siue proprietas suppositi. Itaq; hęc sunt certa. Sed illud vehemēter agitatur, an in Christo sit duplex existentia, vna, scilicet, diuinitatis, & alia humanitatis, vel potius existentia diuinitatis sit etiā existentia humanitatis formaliter loquendo: sicut eadem est existētia animæ & corporis hominis. Faciet autem nō parum ad huius rei intellectū scire, quod de existentia sunt variæ sententiæ. Quidā enim docti existimāt, quod sit idē cū personalitate, siue subsistentia. Quod tamē ego existimo esse falsum. Nam etiam in diuinis vbi summa simplicitas est, sunt tres personæ, & vna existentia: quod magnū signum est, quod in creaturis persona, & existentia sunt distinctæ: sicut ex eo, quod ibi sunt tres relationes, & vnū absolutum, sequitur, quod in creaturis relatio distinguitur ab absoluto. Alij existimauerunt, quod existētia re ipsa sit essentia. Atq; hoc etiā mihi videtur falsum. Na cū essentiæ sint ęternæ, & existētia producatur vi agētis, recipiaturq; in essentia, ob quā ratione esse creaturarū dicitur esse receptū, cumq; tantū in essentia faciat existere, quantū interest inter esse, & non esse, sitque existentia proprius actus essentiæ, tāquā potētiæ suæ; cū hæc inquā vera sint alienū esse videtur asserere, quod essentia sit ipse actus essendi. Alij verò, ex quibus est Caietanus dicūt, quod existētia distinguitur & ab essentia & à persona. Et mihi quidē ità videtur. Caieta.
Nec verò dicere effugiā, quod hac in parte sentio; vt si minus alicui verū esse videatur, ingeniosus & doctus adiuuet deficientē. Ego igitur existimo, quod ex essentia & actu essēdi cū omnibus illis, quę sunt & cōflātur in Petro resultat vltimū quoddam totale, atq; perfectū, terminās, quæ in eo sunt, à quocunq; alio diuisum & separatū, quod appellamus per se subsistēs atq; suppositū: in quo in existētia accidētium est actus ipsorū accidentiū. Existētia vero simpliciter est actus naturæ, per quā, scilicet, & natura, & Petrus ipse existit. Et quoniā hæc existentia est entis per se, atq; substātiæ; iccirco appellatur existentia per se,

& nonunquam etiam dici solet subsistentia. Si quis tamen ex hoc inferat, quod est idem cum subsistentia accepta pro supposito vel suppositalitate, magna certe illi accidet æquiuocatio.

Vltimò aduertendum est, quod peculiariter de hac quæstione quilibet sapiens debet sobriè modesteq; sentire, non modo ob rei difficultatem, quæ ex ipsis metaphysicæ penetralibus eruenda est, verũ etiam ob periculum imminens vtrinq;. Et ratio est ex vna parte, quoniam si proprius actus integræ, & perfectæ essentiæ atq; naturæ est existentia, sicut actus voluntatis est velle; tunc proculdubio, sicut qui à Christo tolleret proprium velle humanũ tolleret voluntatem humanã: ità qui tolleret existentiam humanam tolleret ignoranter humanitatem, incideretq; in Manicheũ. Econuerso vero atq; pro alia parte est etiam timenda Charybdis. Nam si forte hoc habet natura rerum, vt omnes naturæ substantiales, etiam integræ, quæ in vnum suppositum conuenerunt, existant per vnam & eandẽ existentiam idest actum essendi, qui eam vnitatem existentiæ negat incidit per ignorantiam in Nestorium. Ac proinde, cum ego non magis sed minus alijs rem hanc arbitter me comprehendisse, dicam planè quod sentio, alijs relinquens suam sententiam, qui se existimant rem intellexisse. Igitur, quod in Christo non sit tantum vna existentia, sed duæ, diuina, scilicet, & humana defendit B. Bonauen. in 3. dist. 6. Scotus eadem dist. quæst. 1. Durand. quæstio. 2. Ricardus eodem loco, & vt opinor B. Thom. tertia parte, quæstione. 2. articulo. 5. ad tertium, & articulo sexto, ad secundum. Et de vnione Verbi incarnati articulo quarto, ad primum. Et in hoc articulo si attente legatur solum concludit, quod subsistere personaliter est vnum in Christo, non solum secundum naturam diuinam, sed etiam humanam, quod est verissimum & supra à nobis positum, & declaratum. Probo autem hanc sententiam primo, quia in corpore & humanitate Christi erat vita formaliter, distincta à Verbo: ergo erat esse existentiæ distinctum ab existentia Verbi, siue Verbo ipso. Consequentia constat: quia viuere viuentibus est esse, vt aiunt philosophi. Probo autem antecedens: Nam Verbum eaque vita, quę est ipse Deus, non est vita formalis essentiæ alicuius creatæ, sed principium effectiuum omnis vitæ omniumq; bonorum. Itaq; si in Christo est duplex vita: ergo est duplex existẽtia. Si enim vna & eadem forma dat esse corporis & viuentis & animalis & hominis, vtique dat etiam existere corporis & viuentis. Existere autem viuentis est viuere. Vnde principium illud philosophorum, Viuere viuentibus est esse, negari non potest, non quia ipsi dicunt, sed quia est euidens.

D.Bon. Scot. Dur. Ricar. B.Tho.

Secundo argumentor: Quia intimius & naturalius sequitur esse ad essentiam, quam agere ad potentiam: sed in Christo quia duplex potentia est duplex actio: ergo duplex existentia, quia duplex natura. Quia verò hoc argumentum apud me est graue, & neruosum, placet vim illius declarare. Ego igitur certum esse puto, quod sicut in naturalibus materia se habet, vt potentia, & forma se habet, vt actus: ità in metaphysicis essentia se habet, vt potentia, & esse vt actus eius potentiæ. Et quemadmodum forma actuat materiam tanquam subiectum quo, ens autem naturale est, quod habet formam & materiam tanquã quod, ità existere actuat essentiam, tanquam subiectum quo subiectum vero, quod est suppositum ipsum. Ex quibus sic formo rationem. Tam intime & certè magis intime, & naturalius se habet existentia ad essentiam, quam velle ad voluntatem: sed ad duas voluntates in Christo consecuta est duplex operatio, ad duos intellectus duplex intellectio: ergo ad duas essentias atque naturas duplex existentia. Ad eos verò, qui negant consequentiam, quia velle est in voluntate, sicut in subiecto, quo, iam dixi, quod etiam existentia est in essentia, sicut in subiecto, quo: estque ibi propria ratio, & prima potentiæ & actus. Et iuuat ad hoc ratio B. Bonauen. quod actus secundi proportionantur, & conse- D.Bon.

quun

D Bon. quuntur ad actus primos: sed in Christo sunt actus secundi proprij vniuscuiusq; potentiæ atq; naturæ: ergo, & actus primi: ergo quemadmodum ibi est vnum agens, ratione verò plurium potentiarũ sunt plura agere; ita est vnum subsistens, sed ratione duarum naturarum est duplex existentia, & non dico subsistentia, siue personalitas, sed existentia.

Sed aduersus hæc obijcitur primo, quod in sexta Synodo gener. Actor. 11. dicitur, quod in carne Christi est vna existentia, cum Verbo: ergo & c. Respondetur quod Conc. Gen. hac in parte aliqui scholastici ignari linguæ Græcæ hallucinantur. Quado enim in antiquis concilijs, aut authoribus Græcis legitur quod in Christo erat vna subsistentia, aut existentia, non est sermo de actu essendi, sed de hypostasi vt liquet ex originalibus, & præterea quod eo loco dicatur esse vna existentia non reperi: vna vero subsistẽtia pluries, & verissimè dicitur, idest vna hypostasis.

Secundo argumentor: Nam sequitur ex opposita sententia, quod Verbum diuinum existat per existentiam creatã, quod est inconueniens. Respõdetur, quod Verbum Dei, vt Verbum, & subsistit & existit per esse Dei increatum; vt homo autẽ subsistit etiam per suppositum æternum; sed sicut intelligit intellectione creata, & vult volũtate creata, & viuit per animam & per vitam creatã: itã necesse est vt existat per existentiam creatam, quia vita est existentia viuentis.

Tertio argumentor: Nã sequitur quod existentia creata sit perfectio Verbi, quod est inconueniens. Respondetur, quod sicut anima, & vita, & sapientia & sanctitas humanitatis Christi sunt perfectiones existẽtes in ea formaliter, non autem perfectiones Verbi, qua Verbum est: itã de existentia dicendum est, nullam enim adfert aliã difficultatem existentia humana, quã virtus aut sapientia, aut vita.

Quarto argumentor: Quia sequitur ex opposita sententia Beatam Virginem non esse matrem Dei: quia terminus generationis esset aliquid creatum. Respondetur id minimè sequi: beata enim virgo peperit Christum, qui erat Deus & homo. Sicut autem vt homo viuebat per animam: itã existebat per eã, subsistebat autẽ ea humanitas in persona filij Dei. Terminus verò generationis Christi fuit Deum esse hominẽ: estq; quoad suppositũ, increatũ, quoad totũ illud cõplexum, factum atq, creatum.

Quinto argumẽtor: Quia existere est proprietas personalis; conuenit siquidem personæ per se primo: sed proprietates personales non multiplicãtur in Christo, sicut nec ipsa persona: ergo. Respondetur, quod sicut viuere & sapere & velle & loqui, sunt personæ atq; suppositi, vt quod viuit & sapit, naturæ verò vt principij, quo, ita & existere. Asserere autem, quod illa non multiplicantur in Christo alienũ est à fide. Hæc argumenta in contrarium fecere vt referrem aliquorum hominum ingenia, qui dicunt esse euidentia. Satius autem fortasse fuisset illa nec referre, quia nullam habent apparentiã. Ego autem fateor me ob eam, quæ modestia appellatur vnicuiq; relinquere suã probabilitatẽ. Mihi autẽ certũ videtur & euidens, quod si in Christo erã operationes vitales humanæ: ergo vita humana formaliter effecta à Verbo qui est fons vitæ, & distincta ab ipso: ergo & existẽtia humana: nam viuere nihil est aliud, quam vitaliter esse. Quod si dixeris, Christus erat vnus existens: ergo erat in eo vna existentia: dicã & ego, Christus erat vnus sapiens, vnus volens, vnus viuens. Et si tu ipse intuleris: ergo erat in eo vna sapientia, vna voluntas, vna vita, videbis defectum tuæ consequentiæ. Nam antecedes est verum ob vnitatem personæ, & consequens hæreticum ob diuersitatem formæ atq; naturæ. Sed hæc sententia inde orta fuit, quod putarent aliqui subsistentiam, de qua in concilijs, esse actum essendi cum tamen sit persona.

QVAESTIO DECIMANONA, DE VNITATE CHRISTI QVANTVM AD VOLVNTATEM.

ARTICVLVS. I.

Vtrum in Christo sint duæ voluntates.

IN hoc articulo principium quoddã vniuersale ponemus quo vti posimus ad dissoluendos reliquos huius quæstionis articulos. Pro quo sciendũ, quod tẽpore Agathonis papæ fuit Macharius quidã Episcopus Antiochenus, qui asseruit in Christo vnam tantum fuisse voluntatem scilicet, diuinam: cuius hæresis fautores dicti sunt Monothelitæ, quasi vnius assertores voluntatis. An autem primus eius auctor fuerit iste Macharius non est præsentis disputationis excutere: & forte aliquis alius præcesserat. Nam D. Damasc. qui fuit multo tempore ante Macharium disputat cõtra eam sententiam li.3. fidei cap.14. Igitur hanc hæresim supposita incarnationis fide ratione euidenti possumus conuincere. Quoniam sicut vnius naturæ intellectualis, aut rationalis vna est volũtas: ita duarum naturarũ duæ voluntates. Præterea: Si vna est in Christo voluntas, aut illa erit diuina, aut humana, aut tertia ex illis composita. Si diuina tantum: ergo Christus non habuit integram & perfectam humanitatem: perfecta enim hominis natura non est sine voluntate: si verò est humana tantum, ergo Christus non erit Deus, quoniam Deus sine voluntate diuina esse nõ potest. Si verò est tertia ex illis cõposita, cũ eiusmodi volũtas cõsequatur ad naturã cõpositã, cõstat, quod illã ponere est Euthichianũ. Et si hoc verum esset, quod aiũt isti veritatis inimici, vbi erit illud Lucæ.22. Pater si vis, transfer calicẽ hunc à me. Verum tamen nõ mea voluntas, sed tua fiat? Et illud Phil.2. Factus est obediẽs vsq; ad mortẽ? Obediẽtia verò voluntaria quædã subiectio est, quæ in Christo intelligi nõ potest, nisi secundum voluntatẽ humanã. Et Dñs Ioan.3. cum dixit, Descẽdi de cœlo, nõ vt facerẽ voluntatẽ meam sed voluntatem eius, qui misit me patris, suã certè & propriam appellauit voluntatẽ, quę erat carnis eius, iuxta sapiẽtißimum Athanasiũ & diuinißimos patres coactos sexta Synodo Generali: in qua sub Agathone papa contra hanc hæresim diffinitũ est act.17. his verbis: Iuxta quod olim prophetæ de eo & ipse nos Dñs Iesus Christus erudiuit, & sanctorũ patrũ nobis tradidit symbolũ, duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indiuise, inconuertibiliter, inseparabiliter, incõfusẽ, secundũ sanctorũ patrum doctrinã adæque prædicamus, & duas naturales voluntates nõ cõtrarias, absit, iuxta quod impij asseruerunt hæretici, sed sequentẽ humanã eius voluntatem, & non resistentem, vel reluctantem, sed potius subiectã diuinæ eius atq; omnipotenti voluntati. Atq; pro hoc artic.1. omnino vide epist. Agathonis act.4. eiusdem cõc. Cõst.6. vbi exprimitur egregia forma asserendi dogmatis catholici ad quam remittere vellem aliquos scholasticos, vt videant, vnde petenda sint argumẽta in doctrina fidei, scilicet ab scriptura, & patribus. Et hæc pro art.1. Quæritur autẽ secundo loco an in Christo fuerit aliqua voluntas sensualitatis, vel, vt cõgruentiori nomine vtamur, fuerit in eo appetitus sensitiuus eiusq; motus. Nec enim prudẽter sic loqueremur; In Christo fuit sensualitas. Ad hoc igitur respõdetur ex dictis, q̃ sicut ad naturam hominis sequitur appetitus

[Margin notes: D. Damasc. — Lucæ.22. — Philip.2. — Ioan.3. — D. Athan. — Conc. Gen.]

tura, quia malum secundum se erat, & oppositum bono vitæ, id ipsum amplectebatur voluntas rationis: quia nobis erat ad æternam salutem necessarium. Quæ duo inter se se conferre atq; respicere & illud, quod omnibus consideratis propenderet amplecti, & sequi nec ad sensum pertinebat, nec ad voluntatem, vt naturã. Nec vero sensus, aut voluntas, vt natura in Christo impediebat, aut retardabat rationis voluntatẽ: quia in eo non erat cõtrarietas carnis ad spiritum. Quod si sensus fecisset aut volũtas vt natura, certè dicerentur in Christo esse volũtates contrariæ. Ob quam causam
D.Bon. D.Bonau. & Diony. Chart. vere dicunt esse falsum, quod ad contrarietatem voluntatum requiratur, vt quod vna acceptat alia respuat, secundum rationem eandem alioqui non esset contrarietas carnis ad spiritũ. Sensus vero noster est, quod vbi fuerit ea oppositio secundum rationẽ eandem, ibi erit contrarietas voluntatum eaq; proprijssima. Quotiescũq; aũt inferior non sequitur id quod superior, vult sequi eo modo, quo vult, non dubium quin sit contrarietas & repugnantia inter eas volũtates vel appetitus. Sed quia, vt omnes huius quęstionis articulos, quos videbã, quasi communi quodam vinculo copulari, cõtinenti stylo dictarẽ, atq; percurrerẽ, quæstiones aliquas intermisi scitu dignas, iccirco eas huc reuocemus oportet. Igitur circa. 3. art. huius quæstionis, quæri solet, an in Christo fuerit aliquis actus voluntatis indeliberatus, qua in re multa solent dici. Ego vero eam sic intelligo. Existimo inprimis quod in Christo Dño & sensus & voluntas, vt natura permissa sunt agere, quæ propria sunt vt docet cõmunis sentẽtia. Dico secundo, quod illæ potentiæ, vt natura, ita permissę sunt agere, & pati secũdum propria, vt tamen ea omnia essent disposita secundum dispositionem rationis,
D.August. hæc est sententia D. Aug. 14. de ciuit. c. 9. Vbi sic habet. Etiã ipse Dñs in forma serui adhibuit affectiones, siue passiones, vbi adhibendas esse iudicauit. Verum ille hos motus certæ dispensationis gratia ità cum voluit suscepit animo humano, sicut cum voluit factus est homo. Dico. 3. quod Christum Dñm habere hos motus non fuit ex infirmitate conditionis humanæ, sed quoniam ità ipse voluit atq; disposuit. Hoc tertium si bene cõsideretur est cõsequẽs ad. 2. & est expressa sententia D. Aug. eo in loco, quam ipse sufficientissime probat vnico verbo, quia infirmitas omnis Dñi ex potestate fuit, qua voluit suscipere, & leuare infirmitatem nostram. Et hæc quidem tria debent esse certa. An vero ea dispositio, & moderatio illorũ omniũ motuũ ortũ habuerit ab aliquo actu humanitatis habẽte eã vim disponendi & moderãdi vel ex mero aliquo dono collato illi humanitati vel ex heroico & summo gradu virtutũ, quæ efficiebãt vt ea moderatio redũdaret in appetitũ sensitiuũ; & in volũtatẽ, vt naturã, vel ex omnibus his, aut aliquibus eorum, ego nõ iudico omnino, quoniã ignoro. Arbitror autem omnino esse dicendũ, quod humanitas Christi vt instrumẽtũ diuinitatis, habuit eã potestatẽ disponẽdi, & moderãdi motus illos. Atq; ex his dico ad dubiũ hęc duo simul stare, & quod illi motus essent naturales, quia permittebatur natura agere secundum propria: & præterea, quod omnes illi essent secundum dispensationem, & moderationem rationis, terminos prefigentis, & modũ eis actibus.

Est alia quæstio, an Christus Dñs potuerit pręuenire omnes eos actus, essentq; liberi libertate contradictionis. In quo multi multa dicunt, & aliqui sibi fortasse aduersa atq; pugnantia. Si tamen quæ modo diximus, vera sunt, non est difficilis huius solutio quæstionis. Ergo partem affirmatiuam existimo omnino esse veram. Et probo primum. Quia qui potest disponere, & moderari aliquos actus certè liber est absolute loquendo respectu illorum, nec enim moderabitur quis quæ non sunt sita in eius potestate; sed Dñs disponebat & moderabatur eos actus: ergo liberi erãt ipsi, poteratq; absolutè vitare.

Secundo argumentor: Quia vt supra dicebamus ex sapiẽtissimo Augustino, Christum Dominum habere hos motus, non fuit ex infirmitate, sed ex potestate, qua voluit suscipere infirmitatem, ergo poterat pręuenire & nõ habere. Tertia ratio est,

quia quod illi motus non possint præueniri, accidit ex aliquo defectu rationis, qui nō est ponendus in Christo. Tandem concludo: Quia ea impotentia non ponebatur in statu iustitiæ originalis, ergo nec est ponenda in Christo: igitur hi actus & dicebātur naturales, quia permissis viribus agere secundum propria, naturaliter producebantur; & erāt nihilominus liberi libertate cōtradictionis, quia illos Christus poterat præuenire & non habere quos vellet. Sed quanuis hæc, quæ diximus consentanea rationi esse videantur, nunquam tamen effugiemus argumenta. Quorum primum sit: Quia illi actus, siquidē liberi sunt, meritorij erūt. Respōdetur quod sunt vtiq;, quoniam Dñi bonitas omnia sua pro nobis obtulit. Erunt vero tales ratione præcedentis imperij & dispositionis.

Secundo argumentor: Quia in Christo Dño fuit appetitus sensitiuus sicut in nobis: ergo habuit actus indeliberatos, & nec præuentos, nec qui præueniri possent & anteuerti iudicio rationis, sicut nos habemus. Respondetur cōsequentia negata: Quoniā aliud est loqui de substātia actuū aliud de moderatione, & modo, siue dispositione illorū: in qua nostra infirmitas deficit, Christi vero potestas non deficiebat. Tertio: Quia volūtas, vt natura anteuertit deliberationē rationis quod si illā sequatur, iā habebit volūtas rationē liberi arbitrij: ergo motus volūtatis vt naturę in Christo nulla ratione erant liberi, nec deliberati. Respondetur non dicere nos quod motus voluntatis, vt naturæ habeant vt sic se qui moderationem rationis, sed dicimus, quod id quod non habent in quantū tales habent ex potestate Christi. Itaq; inter voluntatem, vt naturam, atq; ipsam, vt est rationalis & vocatur liberum arbitrium, hoc interest, quod motus volūtatis vt est libera sequitur deliberationem rationis, & ex ea deliberatione libere & volūtarie suscipitur: vt quādo quis studere deliberans, applicat se ad studendū. Motus vero volūtatis, vt naturę, nascitur quātū est de se sine deliberatione rationis ex sola connaturalitate aut incompactione, & contrarietate obiecti apprehensi. Malū enim atq; nociuū eo ipso quod malū est refusat naturaliter & fugit voluntas, prosequitur vero bonum. Quod autē ij motus voluntatis atq; appetitus sensitiui, sint antecedente quadam ratione præuisi & dispositi, cōstituto illis termino & moderatione ab eo, qui cūcta gubernat & moderatur, & qui pro bona voluntate sua illos assumpsit, nullum certe est inconueniens. Producebantur autē per modum, quo voluntas naturaliter mouetur ex connaturalitate, aut cōtrarietate obiecti simpliciter apprehēsi & cōsequenter non dicebantur procedere ex delibera tione vnituoce, & secundum eandem rationem cum actibus formaliter & in se ipsis deliberatis. Quarto argumentor: Quia ad apprehensionem sensus sequitur motus in appetitu sensitiuo sine moderatione rationis in nobis: ergo & in Christo. Ad hoc iā patet, quod his omnibus erāt termini cōstituti & præfixi modo exposito. Itaq; disponebat Dñs, vt illi actus tali ratione & modo producerentur. Quinto argumentor: Nam Dñs non poterat per potentiam humanitatis vitare dolorem quā do crucifigebatur: ergo saltem motus appetitus sensitiui erant naturales, & sine deliberatione aut libertate. Quidam doctus ad hoc, totum concedebat. Sed quia hæc sentētia stare nō pōt cū doctrina D. Aug. superius adducta, & à Theologis merito, &, vt ego arbitror, necessario recepta, ꝙ illi motus essent secundum dispositionē & moderationem Dñi ab eoq; libere & volūtarie suscepti, Ad argumentū dico, ꝙ aliud est loqui de Christo, in quantum sibi ipsi libere & volūtarie imposuit necessitatē talia & tanta patiendi, permissis eius viribus agere & pati, quæ natura ferebat iuxta præscriptos terminos: aliud verò est loqui de eo, quod absolute facere potuit. Absolute enim liberè suscepit & tolerabat omnia illa, adeò, vt Dñs & esurierit, & sitiuerit, & dolores sustinuerit, atq; lędentia senserit volūtarie, volūtate humana: tū ap, pbatiuē, vt cōstat; quia elegit, & dignū duxit sentire dolores: tū etiā causaliter, siue imperatiuē; quia illi dolores erāt subditi D. August.

ti volũtati humanę Christi,in quantũ voluntas eius erat instrumentum diuinitatis. Nec verò ego mente cõsequi possum cur tantum aliquos scholasticos claui, lancea, flagella, dolor perterrefecerint, vt cum cætera omnia Christi potestati subijciant, vnum tamen excipiant dolorem, quasi vel difficilius fuerit dolorem subditum habere, quam alia quæcunque, siue quæ in cœlo, siue quæ in terra sunt, vel non esset Domino dignum dolori posse præcipere, aut nobis non esset non modo vtile sed etiam summis laudibus celebrandum, libere & voluntariè pro nobis dolores eos fuisse susceptos. Igitur sicut vno verbo disturbauit cohortem, & ceciderunt omnes in terram: ita potuit terrere & propulsare dolorem (absolutè loquendo, & quantum est ex vi potestatis sibi datæ.) Nec hoc potest negari, quia est euidens sententia sanctorum vide Diony. Carthus. in.3. de hac quæstione.

Vltimò argumentantur aliqui: Quoniam aciei oculorum Christi opposito obiecto, omnino necessariũ erat, & nõ liberũ Christo illud videre: ergo non omnes eius affectiones & motus liberi erant libertate cõtradictionis. Hoc argumentũ & similia propria sunt quorundã hominũ, quos nihil tã fatigat, quã proprij angustia ingenij. Dico ergo, quod aliud est oculos ad sensibilia leuare eaq; intueri & aspicere, aliud vero cõstituto, quod aciei oculorũ opponantur, obiecta apprehendi. Et primũ quidẽ ita præueniebat atq; moderatus est Redẽptor noster, vt tẽplum ingressus oculos ad eius pulchritudinẽ contuendã non leuauerit, adeo vt mirati discipuli dicerent, Magister aspice? Sæpeq; in euãgelio non sine causa describitur Dñs aut intuens, aut oculos cõuertẽs, & leuans. Ad secundũ verò, qui aliquã præuentionẽ & moderationẽ, aut libertatẽ desiderat, satis ipse imprudens & ineptus est, quia nulla omnino desideratur, nec in ea apprehẽsione, vt sic aliqua moralitatis ratio inueniri potest, sed in actu aspiciendi, vel non aspiciendi tota cõsistebat. Alioqui opponãt etiã si placet, ꝙ obiecto posito, & applicato intellectu ad intellectionẽ non poterat non intelligere.

Marc. 13.

Accersiri autẽ hic solet ex Scot. in.3.d.15. quibus modis causetur tristitia in volũtate, & dici quod quatuor modis. Primus ex nolitione, siue refutatione absoluta læsiui, & mali quod patimur. Secundus ex cõditionata, vt quãdo nollẽ dilectũ amicũ relinquere, & relinquo: nec de his duobus potest dubitari. Tertius modus, inquit Scot. est, quãdo aliquid accidit volũtati cõtra naturalẽ inclinationẽ eius, tũc enim, quãuis nullã habeat volũtas nolitionẽ, nec absolutã, nec cõditionatã, causatur in voluntate tristitia. Hic modus est mihi dubius, & eũ negabat Ochã, & Gabriel, & Victoria. Atq; ego existimo, quod tristitiæ affectio in voluntate, & quælibet alia est passio actꝰ, sicut & delectatio & iocũditatis affectio actũ aliquẽ cõsequitur, nisi illa affectio habeatur habitualiter. Quartus modus est quãdo aliquid accidit in sensum valde appetitui sensitiuo: tunc enim ex colligantia appetitus sensitiui cũ volũtate, in eodem supposito tristatur volũtas. Et quãuis hũc etiã modũ supradicti auctores nõ probẽt, mihi videtur quod eũ negare, sit negare id quod experimur. Quid enim cõpertũ magis quã itã nõnunquã vehementer affici sensum, vt prius vna cum illo rapiatur voluntas, quã ratio incauta prouiderit? Præterquã, quod etiã quãdo mens se colligit, & cõsiderat læsiuum, quo afficitur homo ipse, redundat ex dolore tristitia in voluntate, vel inuita etiã & repugnãte ratione. Sed circa art. 6. pressius examinandum est, an in Christo fuerit aliqua cõtrarietas voluntatũ. Pro quo supponẽdum est in primis, quod proprijssime cõtrarietas voluntatum tunc inuenitur, quando quod vna voluntas amplectitur alia refutat, secundum rationem eandem, vt si vnus vellet cõservare bonum publicum puniendo malefactorem; alius autem vellet impedire bonum publicum, & quod nõ puniretur, aut vnus vellet, vt quis iter faceret ad subueniendum amico, alius nõ vellet. Ex quo efficitur, vt quando voluntas vult aliquid secundum deliberationem rationis, quia bonum & honestum est, & sensus secundum se appetit aliud, atque oppositum, non est ibi propter hoc solum contra-

Scot.

Gabr. Victoria.

contrarietas voluntatum, quia nec eadem est ratio obiecti. Atque ex hoc primo colligitur secundus quidam apparentis contrarietatis modus. Ille est, quando quod vna voluntas vult alia refutat consideratione & ratione diuersa. Itaque est contrarietas in volito materialiter sumpto: Sicut quando quis ex parte vult cōseruare merces, quia ipsi vtiles sunt, & ex parte vult proijcere ad euadendum periculum. Atque diuersitas hæc non est vera contrarietas. Tertius contrarietatis modus accidit quando duæ voluntates feruntur ad opposita, & quanuis non ferantur ad ea secūdum idem tamen vna retardat aliam, & impedit. Atque hæc, vt existimo, non incongrue dicitur contrarietas. Nam quæ voluntates inter se se de aliquo obiecto prosequendo, vel non prosequendo concertant & pugnant, vnaque aliam vel omnino impedit, vel etiam retardat, non dubium, quin inter se aduersæ & contrariæ sint; nisi quis non velit contrarietatem aliquam constituere inter duos homines inter se digladiantes, & contendentes, aut neget contrarietatem & rebellionem carnis ad spiritum.

Hoc posito prima conclusio est: Potuit Dominus secundum voluntatem absolutam velle mori, & secundum aliam voluntatem conditionatam refugere mortem. Verbi gratia, potuit per voluntatem diuinam velle absolutè mori, & per humanam subconditione velle non mori, scilicet, si non esset necessarium. Hæc propositio est certa, nec de ea licet dubitare, cum scriptum sit: Pater si fieri potest, transeat à me calix iste. Quin verò, & posset per voluntatem, vt naturam, refugere mortem, per voluntatem vero sequentē deliberationem, & imperium rationis oppetere mortem quod supra etiam declaratum est, & expositum, qua ratione hæ voluntates non sint contrariæ, quia non sunt secundum idem. Si vero quis roget, an potuerit esse in eo absoluta contrarietas voluntatum, circa volitum materialiter sumptum, ita quod vna eius voluntas absolutè velit oppetere mortem, & alia absolutè refutet mortem ratione diuersa, respondeo, quod de hoc variæ fuerunt sententiæ. Quia à parte affirmatiua stat, quod per voluntatem, vt dicunt, sensualitatis, siue per appetitum sensitiuum, refugiebat mortem absolutè, quam deliberata voluntate appetere volebat: ergo erat ibi absoluta contrarietas, &c. Probatur antecedens: Quoniam ad sensum non spectat ponere, & adhibere conditiones. Facit verò pro parte negatiua: Quia videtur, quod vna voluntas tunc retardaret aliam, durumque esse videtur eiusmodi contrarietatem absolutè ponere, etiam circa volitum materialiter sumptum. Cæterum, vt opinor, hac in parte conueniunt, & qui aiunt, & qui negant. Pro quo supponendum est, quod voluntas potest dici conditionata dupliciter. Vno modo quando explicitè atq; distinctè volumus sub conditione: vt quando quis vellet studere, si vacaret. Secundo modo voluntas cōditionata solet dici ab aliquibus ea, quæ fertur in rem secundum se, & simpliciter sumptam, non verò consideratis omnibus, quæ circunstant, quanuis nulla tunc explicetur conditio, sed sit simplex prosecutio rei, vel refutatio. Hanc igitur voluntatem aliqui conditionatam appellant, & meritò: quia quanuis actus sit tunc absolutus, re tamen ipsa æquiualet conditionato. Atque huius signum est, quod quando hic actus iungitur in voluntate cum suo opposito tunc is est conditionatus respectu alterius. Verbi gratia, quando imminet tempestas, si seorsum mihi offeratur proiectio mercium, simpliciter illam refuto. At vero cum omnia tunc quæ circunstant perpenduntur, iam tunc habeo voluntatem absolutam proijciendi merces, conditionalem vero non proijciendi, scilicet, nisi immineret periculum. Igitur, quia huiusmodi simplicem voluntatem, verbi gratia, non proijciendi alij absolutam vocauerunt, alij conditionatam, iccirco videtur inter eos esse dissensio; cum tamen conueniant in eo, quod istæ duæ voluntates fuerunt in Christo. Dic ergo, quod in Christo fuit contrarietas voluntatum cōditionata, si placet tibi hic loquendi modus, sin minus dic, quod etiam fuit absoluta

Matth. 26

ta contrarietas circa volitum materialiter sumptum, sed vide vt rectum sensum teneas iuxta modum explicatum, quia contrarietas circa volitum materialiter sumptum non est contrarietas. Et quidem in hac quæstione sæpe voluntatis nomine actum ipsum voluntatis accipimus.

Secunda conclusio: Quamuis hæc ita sint quod quæ diuina voluntas Christi & humana absolutè volebant id refugiebat caro, si tamen applicentur singula singulis, & commodè comparentur eo modo, quo nos comparabimus, dico quod hac ratione nulla fuit contrarietas in voluntatibus Christi, etiam quoad volitum materialiter. Declaro hanc propositionem. Nam in primis, si sensus & voluntas humana, vt natura, ex vna parte, & voluntas diuina, vt auctor harum naturarum ex alia comparentur, certum est, quod conueniebant in volito, non modo formaliter, sed etiã materialiter sumpto. Probatur: Nam diuina voluntas volebat, quod tam voluntas humana, vt natura, quam sensus sequerentur ità suos motus naturales, vt haberent odio, siue refugerent mortem: ergo secundum hanc comparationem erat conformitas in volito.

Item secundo probatur: Quia istæ inclinationes naturales voluntatis humanæ atque appetitus sensitiui sunt à Deo: ergo tribuuntur Deo: ergo nõ potest dici, quod sint contra eius voluntatem, quoniam ipse non facit, nisi quæ vult. Item tertio valet; Hoc est bonum: ergo & factum & volitum à Deo. Si tamen quis velit de absoluta, & deliberata voluntate sermonem habere quæ elicit actum omnibus consideratis certum est, quòd sicut voluntas diuina disponebat, vt Christus pro nobis peccatoribus moreretur, ità hoc ipsum Dominus per voluntatem humanam accepiabat: & sensus etiam huic voluntati morigerum & obedientem se præbebat, rationemque Dominam & imperatricem sequebatur proprio timore posthabito. Igitur hæc propositio negari non debet.

Tertia conclusio. Impium est asserere, voluntatem diuinam & humanam in Christo absolutè & verè esse contrarias: probatur, ex diffinitione sextæ Synodi Constantinopolitanæ act. 4. & 17. vbi sic habetur. Conc. Const.
Prædicamus duas naturales volũtates nõ cõtrarias, iuxta quod impij asseruerũt hæretici, sed sequentẽ eius humanã voluntatẽ, & nõ resistentẽ, vel reluctãtẽ, sed potius subiectã diuinæ eius atq; omnipotẽti volũtati. Quã veritatẽ nõ modò sancti, sed etiã sacræ literæ cõtestãtur euidẽter. Quãdo enim Psal. 39. dicitur de Christo; Sacrificiũ & oblationẽ noluisti, aures autẽ perfecisti mihi, quacunq; ratione hic versus intelligatur describitur summa Christi obedientia, & cõformitas ad volũtatẽ paternã: Psalm. 39
Si enim quis accipiat hoc modo; aures perfecisti, id est, perfodisti, siue perforasti mihi; tunc intelligitur allusio esse ad id, quod Exod. 21. legimus præceptũ fuisse de seruo Hebræo, qui in anno remissionis seruitutẽ prætulit libertati: eius enim aurẽ iussit Dñs per herum perforari subula in signũ perpetuæ seruitutis. Igitur, si ad id præceptũ Spiritus sanctus respexit, sensus est, Addixisti me tibi in seruũ perpetuũ. Si verò, vt alij dicũt, idq; frequẽtius & cõmunius, aures perfecisti mihi, idẽ est quod aperuisti mihi, vt idem hic significetur, quod cũ dicit Esai. c. 50. Dñs Deus aperuit mihi aurẽ; tũc idẽ sensus efficitur: nã Deus aperire aurẽ dicitur, cũ animũ ità illuminat, vt ad auscultandũ & obediẽdũ adaptet. Tãdẽ, si cũ Græcis legamus corpus autẽ adaptasti mihi eundẽ sensum colligemus. Nã cum quis se totũ tradit obedientiæ Dei, tũc corpus eius ad obsequiũ Dei formatur, eiq; se tradit & adaptat. Euidẽs, ergo est, quod si quidem teste Apostolo Hebr. 10. hoc testimoniũ intelligatur de Christo, eius certè voluntas humana cõformis erat voluntati diuinæ. Item teste Apostolo. Acto. 13. locus ille Esai. c. 49. Parũ est, vt sis mihi seruus, ad suscitandũ semen Iacob, & fæces Israelis conuertendas, & illud modo citatum, Dñs Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij, intelliguntur de Christo Domino: ergo eius volũtas humana cõformabatur diuinæ iuxta illud, Ego quæ placita sunt patri meo facio semper & Matthæi 26. dicitur; Pater si fieri potest, transeat à me calix

Exod. 21.
Esai. 50.
Hebr. 10.
Actor. 13.
Esai. 49.
Esai. 50.
Matth. 26.

lix iste, verumtamen non ficut ego volo sed ficut tu. Quibus verbis Dominus expressit obedientiam, & partis interioris, siue sensus, & voluntatis vt naturæ. Si vero sanctorum testimonia quærantur, ea sunt innumera. Quis enim sanctorum negaret id, quod tam euidenter sacræ literæ testantur. Quod adeò verum est, vt duo sola testimonia sanctorum inuenire potuerit quidam hæreticus Macharij discipulus, quæ in suum errorem posset detorquere. Vnum Gregorij Theologi libro secundo, de filio. Alterum sancti Cyrilli. Quæ tamen duo testimonia concilium Constatinopolitanum sextum actione nona, euidenter ostendit perperam ab hæretico inducta esse, euidenterque asserere nostram veritatem. Iam vero, si placet, eam comprobemus rationibus, quæ fide supposita omnino eamcant. Prima: Quia omnis, qui est amicus Dei, & dilectus ab eo, habet voluntatem illi conformem: ergo & Christi voluntas, in quantum homo, erat conformis voluntati diuinæ.

Ioan. 8.

Nazianz. B. Cyril.

Conc. Const.

Secundo; voluntas serui obedientis domino est conformis voluntati domini: ergo & voluntas humana Christi erat conformis diuinæ. Antecedens est euidens & consequentia euidentissima. Nam ille qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, plenissime in ea forma obediebat Patri.

Philip. 2.

Item tertio arguit recte D. Bonauent. in tertio hac distinctione. Quia quando voluntas subiecta vult, non quidem idem quod superior, sed illud, quod voluntas superior vult eam velle, tunc illę duæ voluntates formaliter & absolutè sunt cōformes: ergo cum semper voluntas humana Christi voluerit id, quod diuina volebat illa velle, certū est, quod erāt conformes.

D. Bon.

Quarta: Nam sicut verum consonat vero, ita & bonum bono: ergo & voluntas humana Christi consonabat diuinæ. Vltimo, quia opposita siue contraria non se compatiuntur simul: ergo si illæ duæ voluntates erant contrariæ, quando implebatur siue fiebat humana, nō implebatur diuina, sed efficiebatur id, quod diuina voluntas effici nolebat: hoc autem dicere est impium ergo impium est asserere, quod absolute loquendo illæ duæ voluntates fuerint contrariæ. Si tamen alicui occurrat quod ad Galat. c. quinto dicitur, quod caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, & consequenter est contrarietas voluntatum quando spiritus vnum concupiscit, & caro aliud: ergo cum hoc fuerit in Christo, nam per voluntatem charitatis volebat passionem, secundum illud Esai. 53. Oblatus est, quia ipse voluit, secundum carnem autem refugiebat pasionem, sequitur, quod fuit in eo contrarietas voluntatum: respondetur, quod in nobis per concupiscentiam carnis impeditur, aut retardatur cōcupiscētia spiritus, quod in Christo nō fuit, & ideò in eo nō fuit contrarietas carnis ad spiritum: sicut in nobis. Vltimo loco quæritur, an per voluntatem deliberatam potuerit Christus nolle vel velle aliud, quam Deus. Quidam author existimat partem affirmatiuam esse probabilem. Et ratio eius est, quia poterat considerare rationes humanas præcise, & secundum eas exire in actum absolutum nolitionis moriendi. Hæc tamen sententia mihi est valde improbabilis, quia Christus habebat præceptum moriendi: ergo non potuit exire in talem actum deliberate. Probo consequentiam, quia non vacat culpa, quando tenens præcepto diuino ad aliquid, considerare tunc solum rationes humanas, & secundum eas pręcise exire in actum deliberatum, & absolutum oppositum præcepto. Et confirmatur. Quia in nobis culpa est exire in similem actum: ergo actus ille in Christo non potest nisi absurdissime poni.

Gal. 5.

Esai. 53

Victoria.

Secundo argumentor. Quia cum Dominus semper dū deliberabat aduerteret, & præsentes haberet rationes diuinas & æternas, quam habet probabilitatem asserere, quod exiret in talem actū oppositū pręcepto secūdum rationes humanas, aut quæ prudentia esset inspectis rationibus diuinis, absolute deliberare, & exire in actum secundum humanas? Certe esset ea imprudentia multo maior, quam si rationes diuinas non consideraslet.

Et

Aristot. Et ratio est, quia secundum Aristotelem in ethicis, quamuis in artibus non vituperetur is qui errat sciens & volens, in moralibus tamen tantò quis imprudentior est, quantò magis sciens peccat. Teneo ergo cum sententia communi Doctorum quod per voluntatem deliberatam non potuit Christus absolutè velle aliud, quam Deus. Si verò loqueremur de voluntate quadam conditionata, illud mihi videtur nec debere, nec posse negari. Nam inter alia quando apud Lucæ. *Lucæ.19.* 19. videns ciuitatem fleuit super illam, quæ flere se nesciebat, ego non dubito, quod id fecerit misertus gentis suæ, & antiqui populi, quem secundum aliquas rationes, quas considerabat nollet excindi. Nec verò aut ista voluntas conditionata, aut voluntas vt natura, aut quę dicitur sensualitatis contrariebantur in Christo simpliciter loquendo, eius voluntati diuinæ, & humanæ, nec eas aut impediebant aut retardabant. Quod certè fecissent si essent contrariæ, quia contraria non possunt bene se compati in eodem subiecto. Colligitur ex his omnibus dogma catholicum, quod duæ naturales voluntates Christi, diuina, & humana, non fuerunt contrariæ.

QVAESTIO

QVAESTIO VIGESIMA, DE OPERATIONIBVS CHRISTI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in Christo sit vna tantum operatio vel duæ.

PRO explicatione supponendum est, quòd in hoc articulo operatio accipitur in genere. Est enim quæstio. Vtrùm præter operationem diuinã fuerit in Christo operatiõ humana realiter distincta, an verò istæ operationes humanæ sint plures numero, vel etiam specie, nõ disputamus. Secũdo est supponendũ, quod omnes illi hæretici, qui in Christo posuerunt solum vnã volũtatẽ, etiã posuerũt solã vnã operationem. Arrius enim, & Apollinarius, quia nõ posuerũt in Christo animã intellectualẽ, sed quod Verbũ esset loco animæ, atq; mẽtis, negabãt cõsequẽter operationẽ mentis, & volũtatis humanæ. Euthices etiam, & omnes, qui posuerunt vnam naturam in Christo compositam, & conflatam ex duabus, cogebantur ponere vnam etiam operationem. Theodorus Mosuestenus, & eius discipulus Nestorius, si rectè illorum sententia consideretur, posuerunt Christum esse purum hominem. Et consequenter cum in eo solum esset natura humana, non diuina nisi secundum affectum quendam, & habitationem, sicut in homine, maximè sancto, & grato Deo, certum est, quod secundum eos non erat in Christo, nisi vna operatio, nempe, humana. Post modum verò Macharius patriarcha Antiochenus sententiam rogatus in concilio Constantinopolitano sexto semper negauit, & nũquam fateri voluit duas naturales voluntates, & operationes in Christo tanta pertinacia, vt diceret & protestaretur se id non concessurum, licet proijceretur in mare aut discerperetur in membra. Quam hæresim secuti sunt Sergius, & Cyprus atque alij. Contra hos tamen hæreticos omnes sit conclusio catholica, quod in Christo fuere duæ operationes naturales, diuina, & humana. Probatur conclusio ex diffinitione concilij Constantinopolitani sexti, vbi sic habetur: Iuxta quod olim prophetæ de Christo, & ipse nos erudiuit, & sanctorum patrum nobis tradidit Symbolum duas naturales operationes in eo prædicamus. Et actione quarta diffinitur in hæc verba: Duas naturales operationes indiuisẽ, inconuertibiliter, inconfusẽ, in separabiliter in eodem Domino Iesu Christo Deo nostro glorificamus.

Conc. Const. (margin, left) · Conc. Const. (margin, right)

Item Leo papa in epistola ad Flauianum, quæ est recepta, Agit, inquit, vtraque forma tam, scilicet, diuina, quam humana, quod proprium est, nempe Verbo operante, quod verbi est, & carne exequente, quod carnis est. Sed comprobemus hanc veritatem rationibus deductis ex principijs fidei. Et prima ratio pro conclusione, atque fundamentalis sit: nam opposita sententia tollit incarnationem Verbi: ergo tollit fidem catholicam: ergo est hæretica. Probatur assumptum: Nam vnaquæ libet natura, & maximè rationalis habet propriam operationem: sed in Christo erant duæ naturæ differentes diuina & humana: ergo & duæ operationes, diuina & humana.

B. Leo. (margin)

Secundo argumẽto: Nã in Christo fuit, atq; est natura diuina perfecta, per quam substan-

substantialis est Patri, & humana natura perfecta, secundum quam est homo eiusdem atque vniuocæ rationis nobiscum: sed diuina natura in eo habet suam operationem: ergo & humana habet suam operationē: ergo in Christo sunt duæ operationes.

Tertio: Quia si in Christo fuit vnica tantùm operatio, illa esset diuina: operatio autem diuina præcise, & formaliter non potest esse meritoria, cum meritum sit alicuius ad perfectionem, atque finem tendentis: ergo operatio Christi non fuit meritoria: hoc autem est contra fidem: nam meritis Christi redempti sumus, & cum Deus ob sua merita exaltauit ac dedit illi nomen, quod est super omne nomen. *Philip. 2.*

Quarto: Nam in Christo fuit vna operatio sibi ac patri communis, cum ipse dicat Ioannis. 5. Quæcunque pater facit hæc similiter & filius facit, nec hoc negabant plures ex illis hæreticis, quos retulimus. Est autem in eo, & alia operatio, quæ non conuenit Patri, vt orare, esurire, & alia eiusmodi, quæ euangelistæ tradunt, cum vel fecisse, vel fuisse passum: ergo non fuit in eo vna tantum operatio. Et certè, si Christus Dominus, vt homo, non habuisset operationem liberam suam, & voluntariam, nunquam se proposuisset nobis imitandum, nec dixisset, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Matth. 11. & Ioannis. 13. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ità & vos faciatis. Possemus etiam hæreticos obruere complurimis sanctorum Patrum testimonijs. Sed non existimaui consentaneum esse scholasticæ resolutioni in re manifestissima grauare lectorem, præsertim cum facile sit Concilium Constantinopolitanum consulere, vbi plures referuntur scriptores ecclesiastici pro sententia catholica. *Ioan. 5.* *Matth. 11.* *Ioan. 13.* *Conc. Const.*

Sed contra eam arguebat Macharius, vt constat ex Concilio Constantinopolit. act. citata auctoritate Beati Dionysij episcopi Athenensis, qui secundo capite, libri de diuinis nominibus dicebat: Discreta autem est benignissima circa nos Dei operatio per hoc, quod secundum nos ex nobis integrè verèque humanatum est Verbum, quod est supra substantiam, & operari, & pati quæcunque humanæ eius diuinæque operationi congruunt. Vbi humanam, & diuinam vnam operationem nominauit, vnoque nomine illam expressit. Nam quanuis interpres verterit, diuinam, & humanam, à Beato tamen Dionysio vno nomine dicta est Theandrica, hoc est diuina, & virilis, dictione vnica composita ex duabus, θέος & ἀνήρ, quod Græcis familiarissimum est. *D. Dionys.*

Ad hoc argumentum Concilium sufficientissimè respondet, in primis quidem sincere, & verissimè interpretans illud testimonium. Beatus enim Dionysius videns, quod in Christo humana operatio participabat virtutem diuinæ, operationis, & diuina operatio, videbatur humana, iccircò operationem Christi humanam appellauit Theandricam, id est, diuinam virilem. Atque hæc interpretatio constat ex eius epistola quarta ad Caium; vbi de Christo loquitur in hæc verba: Super hominem operabatur ea, quæ sunt hominis, quod monstrat virgo supernaturaliter concipiens, & aqua instabilis terrenorum pedum sustinens grauitatem. Manifestum est autem, quod quamuis & concipi, & ambulare sit hominis, vtrumque tamen tam agere, quam pati supernaturaliter, & diuinitus in Christo fuit. Deinde ostendit Concilium euidenti eiusdem Dionysij testimonio, quod posuerit in Christo duas operationes, diuinam, & humanam. Dicit enim secundo capite, de diuinis nominibus, quod his quæ pertinent ad humanam eius operationem Pater, & Spiritus sanctus, nulla ratione communicant. Nisi quis dixerit secundum benignissimam, & misericordem voluntatem, quia, scilicet, Pater, & Spiritus sanctus, ob suam misericordiam voluerunt Christum agere, &

pati humana. Et pro maiori explicatione dicendum est, quod quia eius modi actiones sunt Dei, & hominis, & quia suscipiunt à natura diuina, & à supposito operante infinitatem, & diuinitatem quandam, iccircò dicuntur Dei viriles, siue diuinæ viriles. Quemadmodum enim instrumentum ab artifice motum accipit ab artifice vim quandam, & impulsum, perficiturque ea instrumenti operatio, atque eleuatur, & dirigitur in proprium finem artificis: pari ratione natura humana in Christo, voluntasq; eius creata à diuinitate mota accipiebat in se vim quandam suppositi Verbi Dei, atque deitatis perficientis, & eleuantis operationes hominis Christi, & dirigentis ad finem redemptionis: voluntas siquidem diuina vtebatur humana, vt instrumento quodã agente ex libero rationis iudicio.

Secundo argumentor: Quia Cõcilium Constantinopolitanũ, loco citato docuit, quod operationes Christi erant indiuisæ: ergo erat vnica tantum operatio. Hoc argumentum nullam habet apparentiam, sed illud formaui, propter quosdam qui vix intelligunt verba Concilij. Conci.Cõst.

Aduertendum ergo est, quod Concilium cum ageret contra illud idem hæreticorum dogma, contra quod ante Diuus Athanasius pugnarat acerrimè allusit ad eam fidem atque verba, quæ Diuus Athanasius expresserat in symbolo suo, iam olim ab ecclesia recepto. Ait ergo, quod in Christo glorificamus duas naturales operationes inconfusè, quoniam incarnatio facta est non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Ac propterea, & operationes diuina, & humana non erant confusæ, sed distinctæ; quia nec erat confusa natura: & erant etiam indiuisæ propter vnitatem personæ. Et dicitur tertio, quod erat inconuertibiles. Nam quemadmodum Christi incarnatio facta est, non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, pari ratione operatio diuinitatis non est conuersa in operationem humanitatis, nec operatio humana versa est in diuinam: sed sunt illæ operationes prædicandæ incõuertibiliter. Quarto dicitur inseparabiliter, quod, & verissime dictum est, & clarissimè. Nam si non fuit nec erit aliquod tempus vel instans, in quo sanctissima illa humanitas separata fuerit à diuinitate, consequens est, quod nec eius operatio est separabilis. Prædicamus ergo cum ecclesia catholica duas operationes in Christo inconfusè, indiuisè, inconuertibiliter, inseparabiliter. Et hæc pro secundo. D.Athan.

Tertio argumentor: Nam principalis agentis, & instrumenti vna, & eadem est operatio, sed humana natura in Christo fuit instrumentum diuinitatis: ergo erat in eo eadem operatio diuinæ naturæ, & humanæ. Hoc argumentum erat vnum ex eis, quæ formabat Macharius, & alij hæretici. Fatebantur enim ipsi præter operationem diuinam in Christo operatum quoddam humanum; negabant tamen humanam operationem: quemadmodum si faber faciat scamnum, vna vtique operatio erit, resultabit tamen operatum. Operationes itaque humanas, quas Christus gerebat, operata ipsi appellabant, non operationes.

Pro explicatione huius argumenti aduertendum est, quod operationes Christi, diuinę & humanę, ità considerari possunt, vt distinguantur in tria genera. Quædam enim ità se habent, vt in eis concurrat sola natura diuina sine consortio humanæ, vt in motione corporum cœlestium, & conseruatione rerum naturalium. Quædam verò sunt eiusmodi, vt eas Christus, vt homo, ageret ratione propriæ formæ, & virtutis inhærentis, vt quando considerabat, quando videbat, quando ambulabat ad quæ omnia proprium principium, & formam habebat naturalem. Quod si de his duobus operationum generibus loqueremur, euidentissimum est eas fuisse atque esse distinctas in eo, qui habeat formam Dei, & formam hominis. Sed erat tertium quoddam operationum genus, in quibus natura diuina concurrebat cum humana ad operandum, ita tamen, quod natura diuina concurrebat, vt prin-

principium principale actiuum, humanitas verò non concurrebat per propriam aliquam formam, quæ esset naturale principium earum operationum, sed solum per modum instrumenti, vt quando Dominus mirabiliter sanabat ægrotos; quando illuminabat cæcos; quando mortuos suscitabat. Atque operationes istius generis fuerunt, vt credo, hæreticis nonnulla occasio errandi. Tum quoniam omnes operationes hominis, Christi similes harum, atque eiusdem omnino rationis esse putauerunt. Tum etiam, quia & has operationes, & alias quascunque hominis Christi negauerunt esse operationes, solumque concedebant esse operata quædam.

Hoc constituto, pro explicatione argumenti respondetur, quod instrumentum est duplex, vnum inanime, quod non agit, sed agitur. Alterum animatum, anima rationali liberoque vtens arbitrio, quod ita agitur, vt etiam agat. Et ita sequitur intentionem principalis agentis, atque primi, vt etiam habeat propriam intentionem. Et tale instrumentum erat humanitas Christi: ipsius ergo erat vera operatio humana, taliśque dicenda est tum ea, ad quam habebat propriam formam, vt ad amandum Deum, atque orandum; Tum etiam illa, ad quam sine propria forma, & naturali, eleuabatur à diuinitate coniuncta, qualis erat miraculorum operatio. Et quanuis in hoc secundo operationum genere magis propriè seruaretur instrumenti ratio, vt constat, tamen humanitas Christi in omnibus suis operationibus dicitur à sanctis diuinitatis instrumentum. Atque ità syncere est prædicandum, quia in omnibus illis, & agebatur, & eleuabatur, & perficiebatur à Deo. Et quanuis ad eas operationes, quæ sunt secundi generis haberet propriam formam, tamen hoc non efficit, quominus dicatur instrumentum, siquidem & Plato ipse apud Philosophos mundi huius merito celebratus, atque vt ipsi dicunt, & sentiendi, & rectè loquendi grauissimus author fatebatur causas creatas esse instrumenta diuinitatis, quod certè est verissimum. Nam comparatione Dei illæ non tam causæ, quam instrumenta quædam dici debent: Christus verò, vt homo, eiusmodi instrumentum erat, vt etiam esset agens liberè, & voluntariè suas operationes. Alij in summa respondent, quod sicut in artificialibus factio scamni est operatio artificis, secare verò operatio serræ, quæ disponit ad illam priorem: ità in operibus miraculosis Christi tangere, verbi gratia, ægrum, erat operatio Christi hominis, sanare verò operatio diuinitatis. Sed ij nisi magis se explicent non videntur aduertisse in quod periculum incidant. Sequitur enim, quod sanatio leprosi, vt sic, illuminatio cæci, vt sic, non fuerit Christi hominis operatio, quod est vehementer falsum: nam erat operatio Christi humana libera, & voluntaria, quanuis non haberet ad eam humanitas formā, & principium naturale, sicut ad ambulandum.

Plato. — Matth. 8. Ioann. 9.

Quarto argumentor: Quia vbi est vnum tantùm operatum, ibi est vna tantum operatio: sed vnum, & idem erat operatum humanitatis, & diuinitatis, verbi gratia, suscitatio passiua Lazari: ergo vna sola erat operatio: ergo diuina, & non humana.

Ad hoc argumentum nego primam propositionem: euidens enim est, quod vnus effectus producitur à pluribus causis agentibus ordine suo.

Vltimò loco, posset quis desiderare, vt illi argumento satisfaceremus: In Christo propter vnitatem suppositi est vna existentia: ergo & vna operatio propter eandem rationem, quoniam & esse & operari, est suppositi.

Dico tamen, quod hæc ratio nullam habet difficultatem, nisi supposita sententia illa, quod sit vnica existentia in Christo. Quid vero de hoc dicendum esset supra tractauimus.

(?)

P 2 Articulus

ARTICVLVS. II.

Vtrùm in Christo sint plures operationes humanæ.


VAESTIONEM hanc mouere necesse fuit propter modum loquendi antiquorum patrum, qui operationẽ humanam Christi vnam appellabant: alio qui res erat clara, & quæ quæstione peculiari non indigebat. Ponendum ergo est in primis, quod propriè loquendo, ea operatio dicitur humana, quæ est hominis in quantum homo; ea vero dicitur à philosophis moralibus esse hominis in quãtum homo, quæ procedit à ratione per liberam eius voluntatem. Quæ verò operatio à ratione, & voluntate non procedit, illa conueniet quidem homini secundum superius aliquod aut naturale prædicatum, atque ratione nõ vero quatenus homo est.

Secundo ponendum est, quod in Christo nullus erat motus sensitiuæ partis, qui non esset ordinatus à ratione, quia voluntas rationales in Christo volebat eos motus certos quosdam terminos attingere, & non transilire illos.

Tertio ponendum est, quod motus naturales partis vegetatiuæ, & elementaris dicuntur in Christo voluntarij, voluntate humana, & approbatiuè, quia dignum ducebat illos habere, & causaliter siue imperatiuè; quia subditi erãt voluntati humanæ Christi, in quantum voluntas eius erat instrumentum diuinitatis.

Quarto ponendum est id, quòd ex dictis sequitur. Nimirum, quod cum non modo actus mentis, sed etiam actus partis sensitiuæ, atque vegetatiuæ, & elementaris in Christo essent voluntarij, consequens est, vt si operationes consideremus ex parte principij operationis humanæ, scilicet, rationis, & voluntatis multo magis erat vna operatio Christi, quam cuiuscunque alterius hominis: quoniam in puris hominibus nec operationes partis elementaris, nec vegetatiuæ, nec primi aliqui, & ineuitabiles partis sensitiuæ motus subduntur rationi, & voluntati. Quanuis autem hac ratione Christi esset vna operatio, tamen, absolutè loquendo, & ex parte obiecti certum est, quod in eo erant plures operationes, & numero, & specie, & genere differentes, quemadmodum in cæteris hominibus.

Et hæc pro isto articulo sufficiant: nam quæ in eo difficilia miscentur non sunt huius loci.

QVAESTIO

QVAESTIO VIGESIMAPRIMA, DE MERITO CHRISTI.

ARTICVLVS. I.

Quod Christus, & sibi meruerit, & nobis.

SICVT Christi æterni Dei & veri hominis, benignitas, & bonitas fuit, vt simul eisdemque actibus,& sibi mereretur,& nobis: ità visum est catholicæ huius veritatis vtranque partem simul elucidare. Hæc ergo catholica propositio, quod Christus Dominus, & sibi meruerit,& alijs probatur primo, ex c.2. epistola ad Philipp. Humiliauit semetip-
Philip.2 sum Dominus noster Iesus Christus factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Quo loco ea dictio, propter quod, significat, obedientiam atque humilitatem Christi tanti meriti apud patrem cœlestem extitisse, tantumque valuisse apud eum, vt propter eam exaltauerit eum Deus ad summam celsitudinem, & donauerit nomine, quod est super omne nomen.

Hebr.5. Item Hebræo.5. dicitur de Christo: Qui in diebus carnis suę preces, supplicationesque ad eum, qui posset illum saluum facere à morte cum clamore valido,& lachrymis offerens, exauditus est pro sua reueren-
Apoc.5. tia. Et Apocalyp.5. Dignus est agnus, qui occisus est accipere gloriam, & virtutem. Atque in eundem sensum explicatur illud
Ephes.4. Ephes.4. Quod autem ascendit quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ.

Item Psalm.109. dicitur Dominus de torrente in viabibisse,& propterea exaltauisse caput. Hoc est ea erit strages hostium Mesiæ, vt eorum sanguis inundans, & in torrentis modum fluens potum in via pręberet, satians abunde victorum iram. Et quia Dominus merito virtutis suæ tam insignem de hostibus victoriam reportabit, iccircò exaltabit caput. Intelligendum enim est, quod quemadmodum in alijs psalmis per lauare manus, vel tingere pedes in sanguine occisorum declaratur hebraica phrasi insignis victoria: ita & hic per bibere sanguinem occisorum, iuxta illud Num.23. Ecce populus quasi leæna cō Numer.23.
surget,& quasi leo erigetur, non accubabit donec deuoret prædam,& sanguinem occisorum bibat. Et Psalm. 44. Dilexisti Psalm.44
iustitiam,& odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ: quo loco psaltes epithalamium canit Christi,& ecclesiæ. Et primò quidem statuit, atque proponit decantaturum se Christi laudes egregias: Eructauit cor meum verbū bonum,&c. Deinde sequitur narratio: speciosus forma præ filijs hominū, diffusa est gratia in labijs tuis: propterea,&c. Hoc est gratissima mihi est tua doctrina, sanctissimaq; verba exeunt de ore tuo: propterea benedixit te pater in æternum, ac voluit vt semper præstares noua opera, per quæ agnoscaris plenus gratia. Et, Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, id est, honor vnctionis datus est tibi propter tua merita, & virtutes excellentes. Et Esai.53. si posuerit pro peccato Esai.53.
animam suam videbit semen longæuum. Et paulò inferius, pro eo quod laborauit videbit, & saturabitur. Estque diffinita hæc veritas in Concilio Tri- Concil.Trid.
dentino, Sessione sexta, capite septima. Quod vero nobis etiam meruerit

gratiã,& remissionẽ peccatorum constat: nam tota scriptura plena est testimoniis hoc comprobantibus,atq; clamat gratiam & remissionem peccatorum iustificationem & vitam æternam esse effectus humiliationis & passionis Dñi nostri Iesu Christi,nec aliud esse nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri,& Deum propitium esse humano generi per Dñm nostrũ Iesũ Christũ,& eundẽ Dominum nostrum Iesum esse mediatorem & reconciliatorem,qui pacem fecit inter Deum & hominum genus. Recõciliatorem dico,non talem solum modo qualis est medius inter aliquos discordes amicus,qui innititur soli gratiæ, qui porrigens preces solas,& supplicationes pacem facit: sed qualis est,qui emit,qui satisfacit,qui pretium exoluit. Atque hoc est, quod sancti dicunt Apocaly.5. Redemisti nos Domine in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua,& populo. Et ad Gala.3.dicitur, quod Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Et ad Colossen.1.dicitur,quod est pacificans per sanguinẽ crucis eius, siue quæ in cœlis, siue quę in terris sunt. Facileq; erit vnicuiq; plura alia inuenire, & adferre testimonia. Et quidẽ licet iam mihi dabit lector, si ab adducendis sanctorum auctoritatibus abstinuero,tum, quia nulli existunt hæretici, nec verò extiterunt nisi perpauci, qui hãc veritatem negarent,de quibus inferius cõmodiori fortasse loco dicemus:tum verò, quia vbi omnes conueniunt, non est necesse peculiarem aliquem nominare.Quis verò sanctorum negaret Christum nobis meruisse? igitur catholica hac veritate cõstituta,eam scholastico more & ratione declaremus oportet. Supponendum est in primis,quod meritum est opus liberum, & studiosum,cui de iustitia debetur merces.

Act. 4. Apoc. 5. Galat. 3. Coloss. 1.

Ad hoc autem,vt aliquis mereatur, tria sunt necessaria,scilicet,agens, quod meretur,merces,quã meretur, & actio per quã meretur. Atque hinc fit, vt ad meritũ tria requirantur. Primum est debita proportio merentis ad mercedem, vt, scilicet, qui meretur sit in statu acquirendi mercedem. Quapropter qui sunt omnino in termino non merentur,quia nihil valent acquirere, nec verò vnquam vlterius procedit,qui in termino est,alioqui non esset in termino. Secundum est talis comparatio, & habitudo agentis ad actionem, vt sit Dominus suorum actuum. Aliter enim non posset agens aliquid mereri,nec dignum fieri,cui operanti,& laboranti merces rependatur. Quocirca quæ agunt necessitate naturæ, aut per violentiam nihil merentur. Tertio requiritur proportio actionis ad mercedẽ, vt,scilicet,æquiparetur mercedi, non quidem secundum quantitatem absolutam, quæ proportio requiritur in emptionibus, & venditionibus,sed secundum æqualitatem proportionis. Actio verò hoc modo proportionata ad æternum præmiũ, quod nobis in cœlo promittitur,est ea, quæ ex fide & charitate proficiscitur. Tria ergo hæc inueniebãtur in Christo,ac propterea ille mereri potuit. Primo enim status, & proportio ad mercedem nõ deerat illi. Nã quamuis qui habet munus gloriæ, si omnino sit in termino non faciat opus remunerabile,quando verò non,tantum est in statu patriæ,sed etiam viæ, opus eius potest esse remunerabile propter statũ viæ. Atq; hoc reperiebatur in Christo. Nam quemadmodum anima ex perfecta coniunctione cum Deo statum habuit patriæ: sic ex coniunctione cum carne passibili atque mortali habuit statum viæ. Et sicut fuit viator ac comprehensor:ita habuit & gloriam ad fruendum,& gratiam ad merendum.

Item secundo,& liber erat,& Dominus suorum actuum. Atque tertio eius operationes ex charitate proficiscebantur:nihil ergo deerat,quominus mereri posset. Ex his, quæ ex sanctis doctoribus Bonauentura, atque Thoma desumpta sunt, colligere quis poterit , & formare plures rationes. Prima: Nam cuicunque redditur merces pro suis operibus,ille meretur:Christo est reddita merces propter suam humilitatem,& obedientiam,iuxta illud , Propter quod & Deus exaltauit illum,& donauit illi nomen,quod est super omne nomen, ad Philip.2.ergo Christus meruit. Secũda: Si-

D. Bonau. B. Thom. Philip. 2.

Sicut fruitio est atio comprehensoris: ita meritum viatoris: sed Christus fruebatur, in quantum comprehensor: ergo merebatur, vt viator. Et declaratur hęc ratio: Quoniam in Christo & erat passibilitas ratione cuius erat viator, & facultas naturæ, quia erat liber, & facultas gratiæ, quia erat gra- 1.Ioan.2. tus: ergo merebatur. Tertia: Quia satisfactio sine merito non potest esse: sed Christus satisfecit pro nobis, scriptum enim est Ioan.1.can.c.2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: ergo habuit meritũ. Alias similiter cõficere quisq; poterit, sumpto pro-medio ipso Dño & mediatore nostro Iesu Christo in ratione redemptoris, pacificatoris, recõciliatoris, sacerdotis, & hostiæ, humilis, obedientis, iusti, &c. Velut qui redimit sanguine suo meretur captiuorũ libertatẽ: Christus nos redemit sanguine suo: ergo, &c. Et rursus: Qui est viator, obediẽs, atq; iustus meretur per actus studiosos, & Dan.9. procedẽtes à gratia: Christus Dñs, & viator fuit, & iustus, atq; sanctus sanctorũ, & obediẽs vsq; ad mortem: ergo merebatur per actus studiosos.

Secũda huius articuli propositio sit: Quãuis meriti Christi valor infinitus ex supposito ipso & deitate redũdaret, meruit tamẽ nõ vt Deus, sed vt homo specifice. Prima pars est certa: quia quo maior est offerentis dignitas, eò magis æstimatur opus: infinitus ergo ille valor ex infinita proueniebat dignitate personæ. Sed & secunda pars est euidens supposita fide. Primùm: Nã formaliter ille merebatur, qui obediebat patri, qui se humiliabat, qui patiebatur dira, qui moriebatur pro populo: sed hæc præstitit Christus, vt homo, nõ vt Deus: ergo meruit nõ vt Deus, sed vt homo.

Secũdo argumẽtor: Quia mereri vt sic, est nõ habẽtis: sed hoc nõ cõuenit Christo, vt Deo, sed vt homini: ergo meruit vt homo. Tertio: Quia mereri, vt sic est inferioris ad eũ, à quo meretur, Christus verò secundũ diuinitatẽ æqualis est patri, secundũ humanitatẽ verò minor est patre: ergo nõ meruit vt Deus, sed vt homo. Itẽ quarto: Si Dei Verbum ità in sua substãtia sola permãsisset, vt nõ fieret homo, nec mereri posset, nec satisfacere: assumpsit verò humanitatẽ, in qua mereretur, & satisfaceret: ergo meruit vt homo. Quinto: Christus vt Deus, erat nõ modo beatus, sed & beatitudo ipsa atque fœlicitas: sed qui meretur, vt sic, est viator: ergo Christus non meruit vt Deus, sed vt homo.

Tertia propositio: Christus meruit secũdũ legẽ ordinariã. Probatur: Nã omnis iustus vere viator, meretur secũdũ lege ordinariã: Christus fuit vere viator: ergo meruit secũdũ legẽ ordinariã. Itẽ secũdo probatur: Nã qui videt oculo accepto ex dispẽsatione aliqua secundũ lege naturæ videt: ergo quãuis Christus fuerit viator, ex dispẽsatione tamẽ secũdũ legẽ merebatur ordinariã, & non per miraculũ, sed potius ea suppositione facta miraculum esset, si non mereretur.

Sed cõtra primã propositionẽ argumentor primo: Christus nõ potuit peccare: ergo nõ potuit mereri. Probatur cõsequẽtia: Nã libertas ad meritũ requisita in hoc cõsistere videtur, quod homo posit facere, & nõ facere id, quod sibi est præceptũ, iuxta illud, Qui potuit trãsgredi, & nõ est trãs- Eccles.31. gressus. Ad hoc negatur cõsequẽtia: Nã licet voluntas Christi esset determinata ad bonũ, nõ erat determinata ad vnũ bonũ: poterat enim hoc, vel illud bonũ facere, & non facere. Et hæc est vera & perfectissima libertas, siquidẽ summus Deus maximè liber est, & tamẽ non potest male agere. Hæc ergo libertas in viatore iusto sufficit ad meritũ: sciendumq; est, quod libertas ad obseruandũ præceptũ non consistit in eo, quod quis posit frãgere præceptum & non frangere: sed in eo quod actus, qui cadit sub præcepto sit liber: ità quod absolute potuerit Christus non hæc pati atque illa non mori, non hoc facere, quanuis haberet præceptum, quod hæc faceret siue pateretur: simul verò non stabat habere præceptum patiendi, & non pati. Estque in similibus regula Generalis, quod quanuis cum actu libero ponatur quodlibet extrinsecum, siue scientia Dei sit, siue voluntas efficax, siue præceptum, aut propositio de præterito vera, nunquam tamen hæc inducunt absolutam necessitatem in actum.

Secundo argumentor: Sicut Christus ante passionem habuit gloriam animæ & nõ corporis ità & sancti, qui nunc sunt in gloria: ergo sicut illi non merentur, nec Christus meruit. Ad hoc negatur consequentia: quoniam illæ animæ sunt omnino extra statum viatorum: quoniam & beatæ sunt, & impaßibiles.

Tertio argumentor: Omne meritum est ex charitate: sed meritum Christi non potuit esse ex charitate: ergo ille non potuit mereri. Probatur minor: Quia fieri nõ potest, vt idem sit principium meriti, & terminus, siue merces: at charitas, quæ erat in Christo, pertinebat ad eius præmium: ergo non poterat esse principium merendi.

De hoc argumento lattùs dicemus arti culo.3. huius quęstionis: Breuiter autem dico, quod merebatur per charitatem profectam à scientia infusa: charitas verò, quæ est merces consequitur ad visionem.

Dico secundo, quod non est inconueniens, quod mereretur charitate consecuta ad visionem, nec sequitur, quod idem sit principium, & terminus, siue præmium. Et ratio est, quia merces, & præmium eius meriti Christi non erat illa charitas, nec enim ipse meruit sibi animæ beatitudinem, sed merces erat, verbi gratiȩ, gloria corporis.

Quarto argumentor: Remoto priori, remouetur posterius: sed à Christo remouetur meritum gloriæ animę, quæ prima est: ergo remouendum est quodcunque posterius, quale est, verbi gratia, meritũ gloriæ corporis.

Ad hoc argumentum dico primo, quod si meritum beatitudinis animæ remoueretur à Christo ob defectum gratię atque iustitiæ, sequeretur vtique & cætera, quæ sequuntur esse remouenda: hoc autem est falsum; & ideo ratio non sequitur.

Sed dico secũdo, quod remoto priori remouetur id quòd posterius est, quãdo posterius istud non est natum consequi ad aliud prius: meritum verò, verbi gratia gloriæ corporis, potest prouenire & ab anima iusta merente gloriam animę, & rursus potest prouenire ab anima comprehendente per visionem, & existente in via per consortium ad carnem paßibilem: & hoc secũ do modo erat in Christo meritum gloriæ corporis, & similium, licet non mereretur animæ beatitudine. Deniq; meritum gloriæ animæ, & meritum gloriæ corporis ac aliarum rerum non habent ordinem essentialem, & ideò ratio non sequitur.

Quinto argumentor: Meritum consistit potißimum in actu charitatis: sed actus charitatis in Christo nõ fuit liber: ergo nec meritorius: ergo Christus nil meruit. Probatur minor. Quia qui vident Deum, cum ille cõtineat ratiõe omnis boni in cõmuni, & in particulari, & voluntas naturaliter feratur in suũ bonũ plenũ atq; perfectũ sequitur, quod necessario, & nõ libere amãt.

Ad hoc argumẽtum quis fortasse negaret, actum charitatis Dei in beatis esse necessarium quoad exercitium: diceretque solum esse necessarium quoad specificationem: quæ est sententia S. Thom. de verit. quęst. 22. art. 6. Sed existimo eum actum naturaliter, & necessario consequi visionem, & apprehensionem summi boni, atque veræ illius antiquæ & inenarrabilis pulchritudinis. Et respondeo, quod Deum libere Christus amabat, vt is amor consequitur scientiam infusam, & vt consequitur scientiam acquisitam, atque fortasse etiã actus charitatis consequens visionem per comparationem ad proximum est meritorius in viatore. Quę res cõsiderãti mihi efficitur probabilis, tum, quia iste actus in ordine ad proximum in particulari liber videtur, quoad exercitium: tum secũdo, quia si alia angelorũ obsequia, quibus Deo ministrãt, ponerentur in viatore, ego non video cur non essent meritoria: ergo pari ratione loquẽdum est in proposito. B. Thom.

Sexto argumentor: Qui habet plenitudinem gratiæ, non potest mereri: sed Christus habuit plenitudinem gratiæ: ergo non potuit mereri. Probatur maior: Nam meritum auget gratiam: ergo qui habet plenitudinem gratię non potest mereri.

Ad hoc negatur maior: Nam plenus gratia potest mereri alia etiam sibi. Et ad probationem dico, quod non est necesse, vt meritum augeat gratiam gratum facientẽ in eo, qui meretur. Nam cum gratia Christi

stisit in summo, non potuit amplius crescere. Meruit verò alijs, & gratiam & augmentum gratiæ. Sed, quia propositio illa catholica continebat vtrunque, & quod sibi meruit, & quod meruit nobis contra hanc secundam partem argumentor primo: Quia vt dicitur Ezechiel. 18. Anima, quæ peccauerit ipsa morietur: ergo & anima, quæ meruerit ipsa remunerabitur: ergo Christus non meruit alijs.

Ezech. 18.

Ad hoc dico, quod peccatum singularis personæ non nocet, nisi sibi ipsi: sed peccatum Adæ, qui constitutus est à Deo principium & caput naturæ, deriuatur ad alios per propaginem carnis, & similiter meritum Christi, qui est constitutus à Deo caput omnium hominum, quantum ad gratiam, se extendit ad omnia eius membra.

Secundo argumentor: Quia quicunque alij homines à Christo non possunt alijs mereri, cum scriptum sit Ezech. 14. Si fuerint in ciuitate Noe, Daniel, & Iob filium & filiam non liberabunt, sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas: ergo nec Christus potuit aliquid nobis mereri.

Ezech. 14.

Ad hoc dico, quod alij homines, atque angeli gratiam habent, vt participes effecti non vt capita atque principia, ex quibus ad alios transfundatur gratia: in Christo verò est gratia, sicut in capite & fonte, à quo omnes accipimus gratiam pro gratia.

Ioan. 1.

Tertio argumentor: Merces, quam quis meretur debetur ei secundum iustitiam, vt constat Roma. 4. Si ergo Christus meruit salutem nostram, sequitur quod salus nostra non sit ex gratia Dei, sed ex iustitia. Et quod iniuste agat Deus cum eis, quos non saluat, cũ meritũ Christi ad omnes se extendat. Ad hoc dico, quod sicut peccatũ Adę nõ deriuatur ad alios, nisi per carnalẽ generationẽ: ita meritum Christi non deriuatur ad alios, nisi per spiritualem generationem, quæ fit in baptismo, per quam homines Christo incorporantur, iuxta illud ad Galat. 3. Quicunque in Christo baptizati estis Christum induistis. Vnde nulla eis irrogatur iniuria, qui accedere ad Christũ nolũt per baptismũ & fide, & charitatẽ, vt regenerẽtur. Hæc verò regeneratio per cõparationẽ ad eos qui generantur

Rom. 4.

Galat. 3.

in Christo est gratia, quoniam hoc ipsi nõ meruerunt. Et etiam ea generatio est gratia si consideremus, quod Christus Dominus gratuita Dei voluntate prædestinatus est Redemptor hominum. Iustificatio autem eorum, qui Christo adhærere volunt debita est Christo de iustitia. Atque hac ratione Apostolus hæc omnia solet coniungere dum dicit: Iustificati gratis per gratiã ipsius, per Redẽptionem, quæ est in Christo Iesu. Gratis ait, quia non nostris meritis iustificamur. Addit per gratiam ipsius iustificatio, quia est donum Dei. Subiungit; per Redemptionem, quæ est in Christo Iesu, propterea quod Christus pro nobis satisfecit, & meruit nostram iustificationem.

Quarto loco argumẽtor: Quia sicut meritum consistit in actu virtutis: ità & laus, sed nemo laudatur ex opere alterius: ergo nec meretur ex opere alterius: ergo Christus non meruit alijs. Pro declaratione huius argumẽti suppono, quod Christus Dominus dupliciter intelligitur meruisse nobis. Primum, quia meruit, vt nobis aliquid conferretur, verbi gratia iustitia. Secundo quia opera bona, quæ nos facimus per merita ipsius sortiuntur & valorem, & ordinationem ad talem finem. Quo posito dico, quod actus virtutis habet rationem laudis per comparationem ad proprium agentẽ, qui se laudabiliter gerit: ac proinde non potest vnus laudari propter actum alterius. Sed ratio meriti sumitur in ordine ad finem, atque præmium: ac proinde & mihi dari potest aliquid propter meritum alterius, & rursus valor operum meorum, meritum & ordinatio in finem effici potest, & prouenire ex merito alterius.

Quinto argumentor: Quia gratia est sufficiens principium meriti: ergo superfluit meritum Christi. Ad hoc respondent docti quidam, quod reatus naturæ non tollitur omnino per gratiam. Cuius signum afferunt, quia antiqui patres gratiam habentes non poterant peruenire ad gloriã propter reatum naturæ. Sed dico ad argumentum, quod ea gratia, quæ est merendi principium, confertur mihi per Christum.

S. Tho. q. de grat. Christ. artic. 7.

Sexto argumentor: Aut Christus meruit

ruit nobis sufficienter, aut insufficienter. Si sufficienter, meritum nostrum non requiritur ad salutem. Si insufficienter, hoc est insufficientis gratiæ. quorum vtrunque est inconueniens.

Ad hoc dico, quod meritum Christi sufficienter operatur, vt quædam causa vniuersalis salutis humanæ: sed oportet hanc causam applicari singulis per sacramenta, & per fidem formatam, quæ per dilectionem operatur. Et ideò requiritur aliquid aliud ad salutem nostram præter meritum Christi, cuius tamen causa est meritum Christi. Et adiungẽda est hæc solutio quin to argumento.

ARTICVLVS. II.

Quibus nam operationibus Christus meruerit?



QVO clariùs tractemus rem hanc, faciliusque illa comprehendi possit, visum est operationes atque passiones Christi Domini, vt hominis, in quatuor classes siue ordines distribuere. Primus ordo est earum operationum, quę vel eliciebantur à virtutibus moralibus, vel ab intellectualibus: itaque respectu earum, & habebat propriam formam, & earum erat Dominus: erantque illæ operationes liberæ, & humanæ, natura & genere suo; quales erãt actus obedientiæ, humilitatis, charitatis, oratio atque ieiunium, &c. Atque de his sit prima conclusio: Quod hisce operationibus Dominus merebatur, nec hac in parte est cur immoremur: nam opera virtutis & studiosa hominis iusti viatoris profecta à gratia, vtique meritoria sunt: tales erant eæ operationes: ergo erant meritoriæ.

Hebre.5 Philip.2. Secundo: Quia fides catholica est, quod Christus Dominus per humilitatem, & obediẽtiam clamore valido, & lachrymis seipsum offerens Deo exaudiri meruit pro sua reuerẽtia, & exaltari; par autẽ & ęqualis ratio est de cæteris eius generis operationibus: ergo in dubium verti non potest, quin illis meruerit. Atque obsecro, quibus nam actibus Dominus merebatur, si istis non mereretur?

Secundus ordo est earum operationum quarum comparatione Dominus se habebat non vt agens per propriam formam, sed vt instrumentum, diuinitatis, vt in sanatione leprosi, in suscitatione Lazari, alijsq; operibus mirabilibus, & excedentibus facultatem ac proportionem naturæ creatæ. Et de his sit secunda conclusio. Quod istæ erant etiam meritoriæ. Et quanuis aliĩ qui nescio quam philosophiam confingãt de ratione instrumenti, iuxta quam istæ operationes, vel vix, vel nulla ratione possint esse meritoriæ formaliter acceptæ, dicendum tamen est omnino, quod sint meritoriæ. Probatur: Nam isti actus erant boni, & formaliter liberi, ac voluntarij: & tales actus sunt meritorij in homine iusto: ergo & in Christo erant meritorij. Secundo: Isti actus, quibus Dominus benefaciebat, & mirabiliter sanabat ægrotos, erant ex electione, & à charitate profecti: ergo erant meritorij. Tertio: Iustus quis & amicus Dei si talia apud nos operetur per gratias gratis datas, illæ operationes erunt meritoriæ: ergo & operationes istæ Christi. Math. 8. Ioan. 11.

Quarto: Definitio meriti conuenit his operationibus: ergo sunt meritoriæ. Probatur, Quia meritum est opus bonum hominis iusti, ac viatoris, profectum à gratia Dei: nihil horum deficit his operationibus: ergo sunt meritoriæ.

Sed contra hæc est argumentum: Nam in eo, qui meretur debet esse principium eius operis: in Christo non erat principiũ talium operationum: ergo illis non merebatur. Probatur minor: Quia non est illi collata aliqua forma, quæ ex sui natura esset facultas edendi miracula, quod modo supponimus: ergo non erat in eo principiũ illarum operationum.

Hoc argumentum nullam omnino habet difficultatem, si intelligatur secũdum quam rationem debet esse principium merendi in eo, qui meretur. Sciendum ergo quod principium merẽdi requiritur in merente secundum eam rationem, qua principium boni actus & studiosi requiritur in agente, vt eius opus sit bonum. Tunc autem

tem iuxta veram philosophorum moralium doctrinam principium actus est in agente, quando actus est in eo, vt in sciente, quid qualeque & quomodo faciat, &
Arist. eligente agere propter finem: non autem requiritur forma, quæ sit quasi habitualis, & naturalis, ac propria facultas illorum actuum, qualis est calor calefaciẽdi, & charitas amandi.

Ex his ad argumẽtum negatur minor. Et ad probationem dico, quod committitur in ea non subtilis, sed aperta & magna æquiuocatio. Esse enim in Christo merendi principium, non est esse in eo illam formam, quam requirunt: sed est operationẽ meritoriam esse in eo sicut in sciente, & eligẽte, &c. supposita gratia: sic enim intelligendum est.

Tertius ordo est earum operationum, quas philosophi morales affectus vocant, atque passiones, quæ erant in Christo in quantum eius vires sensitiuæ, & naturales permittebantur in Christo agere & pati, quæ natura ferebat & postulabat. Atq; ad hos affectus reducitur motus etiam voluntatis, vt naturæ. Atque de his sit tertia propositio: Istæ operationes, quantum existimo, erant meritoriæ. Probatur conclu-
D. August. sio: ex Theologia atque doctrina Diui Augustini. Sapientissimus enim ille vir. 14. de
Marc. 3. Ciuitate. c. 9. sic habet: Cum de Domino
Ioan. 11. in Euangelio ista referuntur, quod super
Luce. 22. duritia cordis Iudæorum contristatus sit
Matth. 26 cũ ira, quod dixerit; Gaudeo propter vos, vt credatis, quod Lazarum suscitaturus, lachrymas fuderit, quod concupiuerit cum discipulis suis manducare Pascha, quod propinquante passione tristis fuerit anima eius vsque ad mortem, non falsò vtique referuntur: verum ille hos motus certæ dispensationis gratia ità cum voluit suscepit animo humano, vt cum voluit factus est homo: ergo si ij motus voluntarij fuerunt certoque rationis iudicio temperati, sequitur, quod fuerunt meritorij.

Secundo loco argumentor: Ex ipso Di-
D. August. uo Augustino in eod. lib. 14, capit. 10. Docet enim ibi diuinus ille doctor, primos homines in paradiso constitutos nullis perturbationibus nec affectibus priusquam deliquerint, aut agitatos fuisse aut affectos. Ex quo sic argumentor: Si primi parentes in ea vita fœlici tantùm poterant, vt his affectibus non subiacerent, partemque sensitiuam ità tranquille & pacate tenebant, vt nulla ne minima quidem affectio, aut motus contra rationis imperium oriretur, quomodo dubitabit quis, quin secundus
ille Adam de cœlo cœlestis, cui omnia de 1. Cor. 15.
dit pater in manus, esto, affectus illos susce Ioan. 13.
perit, ità tamen tenuerit & temperauerit, vt & vere illos habuerit, quo verus homo omni ex parte hominibus appareret, concederetque naturæ quę sua sunt, & rursus eorum omnium absolutè Dominus, & rector extiterit, ne potentiæ suæ & dignitati derogasse videretur? Teneo ergo, quod siquidem liberè suscipiebantur, regebanturque certo rationis iudicio, & imperio, erãt illi motus meritorij. Est verò aduertẽdum hoc loco, quod de lachrymis gaudio, & tristitia similibusque affectibus dupliciter loqui possumus: vno modo in quantum procedunt liberè, & in genere moris à virtutibus existẽtibus in viribus sensitiuis; atque de his certissimum est esse meritorios nec vero ij pertinent adhũc tertium ordinem sed ad primum: in hoc enim tertio genere solum ponuntur motus procedentes à viribus sensitiuis, & voluntate vt naturæ, quædam sunt quæ est alia eorum consideratio. In quarto ordine collocantur illi motus qui erant in Christo ratione partis vegetatiuæ vt digerere alimentum & augmentari, & siqui alij conueniunt ipsi ratione alicuius alterius superioris atque vniuersalioris naturæ. In quo sit quarta propositio: quod ij motus non erant meritorij. Probatur: Nam isti motus à natura sua habent vt in se ipsis ita per modum naturæ producantur, vt sint etiam extra genus liberi, & voluntarij & participantis rationem: ergo non erat meritorij, nec verò quisquam quod ego sciuerim posuit illos meritorios. Sed dicet quis: Liberè & volũtariè isti motus erant suscepti, & poterant taxari atque commensurari sicut motus partis sensitiuæ: ergo etiam erant meritorij:

Ad hoc dico existimare me (quicquid alij dicant) posse Dominum vt instrumentum

mentum diuinitatis ea præſtare quæ in antecedenti continentur data eſt enim illi
Matth. 28. etiam ante paſsionem, omnis poteſtas in cœlo, & in terra quamuis ea poſt reſurrectionem declarata ſit: ergo admiſſo antecedenti conſequentia eſt neganda, quoniam pars ſenſitiua eſt particeps rationis, nataq; ipſi obedire menti in omnibus ſuis motibus per gratiam Dei, vt conſtat in primis parentibus. Cùm ergo iſti motus trahi poſſint ad genus rationalium motuum ita, vt non ſint extra genus liberi, & voluntarij intelligibile eſt, quod in Domino eſſent meritorij, quamuis permitterentur per modum naturæ produci. Poterant enim quantum eſt ex vi, gratia, & poteſtate Domini produci per modum actuum moralium, & voluntariorum nec id pugnaret cum illis actibus. Hæc vero omnia non habent locũ in parte vegetatiua, quocirca illi motus ſolum poterant eſſe materia meriti, quia Dominus voluntariè, & humiliter illos ſuſcipiebat & tolerabat: in hac verò difficultate ego mihi timeo, & fortaſſe fallor patienter. Sed quoniã in Domino non modo erant actus conuenientes viatori, ſed etiam operationes comprehenſoris cõuenientes ipſi, vt agebat vitam diuinam in æternitate aduertendum propterea eſt, quod in beatis ſunt aliqui actus liberi, quos ipſi habent in illa vita beata nec enim quia beatiores iccirco minus liberi: ſed potius multo liberiores ſunt, exempti, & abſoluti ab hac vita in qua ſeruimus etiam legi
Rom. 7. peccati, ſeruiq́ue ſumus doloris, famis, & anguſtiæ aliorumq́ue incommodorum, & neceſsitatum huius vitæ. Itaque ſunt in beatis actus liberi, ſunt & neceſſarij in quibus numeratur dilectio Dei.

Sit itaq; ordine quinta cõcluſio: Quod actus qui erant liberi in Chriſto etiam ij quos habebat ſecundum quod agebat vitam beatam erant meritorij in eo. Hæc cõcluſio inde efficitur mihi probabilis, quia conſtituto, quod illi actus erant liberi, & in homine viatore non video quid obſtaret quominus eſſent meritorij.

Si vero dicat quis, quod quia comprehenſor non meretur iccirco actus qui ſunt comprehenſoris, vt ſic non ſunt meritorij defectu proportionis agentis ad progrediendum vlterius in merito, qui enim eſt in termino non progreditur; dico ad hoc primum, verum eſſe comprehenſorem mereri nõ poſſe per actus neceſſarios. Poſſet vero mereri per actus liberos ſi ſimul eſſet viator, & comprehenſor, qualis fuit Dominus.

Dico ſecundo, concludere illam rationem, quod illi actus non erant meritorij, vt erant comprehenſoris formaliter, ſed vt referebantur à viatore in Deum, viator autem proportionem habet ad merendum etiam per eos actus.

Dico tertio, id quod multo verius eſt nimirum, quod ego hac in parte ſicut in alijs compluribus non comprehendo veritatẽ. Fortaſſe enim aliquid latet myſterij propter quod quæcunque operationes conueniunt alicui ratione vitæ beatæ, non ſint meritoriæ quamuis accidat eſſe in viatore, & fortaſſe etiam non eſt tale myſterium, humiliemus ergo ſenſus noſtros, & comprimamus alas mentis quouſq; euolemus, & videamus.

Sexta propoſitio: Chriſtus non meruit per viſionem beatificam nec per dilectionem beatam quæ inde conſequitur. Probatur: Quia vt prouerbio dicitur, ex Ariſtote Ariſt.
le neceſſarijs, nec meremur, nec demeremur: ſed illi actus ſunt neceſſarij: ergo illis non meremur. Item lucet hac in parte ordo mirabilis, aliquæ vt operationes ſint quæ ob ſui imperfectionem non ſint meritoriæ, aliæ quę eleuentur ad meritum; tertiæ, quæ ſeſe multo altius efferentes cœlumq́ue ipſum penetrantes tranſcendant ordinem meritoriæ operationis, & indigẽtis, quo enim iam indigeat bono, qui omni no iunctus eſt fonti bonorum potanti iuſtos torrente voluptatis ſuæ? Non tamen Pſalm. 35.
ità me conuincit hæc ratio, vt aſſeram non poſſe eam dilectionem etiam per potentiam Dei abſolutam, eſſe meritoriam quoniam à prudentia, & modeſtia didici non metiri Dei potentiam infinitam meis aut opinionibus aut tortis ſyllogiſmis, qui vt multum erunt ſyllogiſmi, & opiniones hominum viliumq; noctuarum. Facillimè verò intelligitur etiã ab hominibus, quod

operationes necessariæ possint esse meritoriæ referrique ad præmium, vt dependentes à liberis. Atque fortasse Apostolus raptus vsque ad tertium cœlum, & visione atque intelligentia Dei perçque atque angeli dignus effectus meruit ea visione, & charitate excellenti. Alijque electi, & peculiariter amici Dei qui remoti ab hominum tumultu, velut quædam Cherubim ardent in terris fortasse, quando per estecasim fiunt extra se atque rapiuntur, merentur, & omnino credo, quod merentur, alioqui conducibilius esset ipsis non ardere aliquidque illis demereretur de præmio propterea, quòd tam fuissent charitate incensi, & inflammati, vt extra se fierent, & dilecto numine absorberentur, quod qui diceret nō ipse certè lumen hauriret numinis illius. Et prætereà, cum potentius sit bonum, quam malum, & plura fateamur esse mala in sua causa, vt incestus Loth, cur impossibile nobis videtur, si qua sint bona, & meritoria prout dependent à tali causa. Et hæc de hoc articulo, de quo iccirco, vt ego existimo, fœlicius est disputatū, quod non ingruerit in eum argumētorum tempestas.

2. Cor. 12.

Genes. 19

ARTICVLVS. III.

Quidnam Christus meruerit sibi?



CHRISTVM Dominū & sibi, & nobis meruisse, quæ fides catholica est, supra artic. 1. constituimus: de eo vero quid nam sibi meruerit inter catholicos partim cōuenit partim vero est dissensio. De eo in quod omnes conuenere sit prima propositio. Christus Dominus meruit sibi gloriam corporis, & nominis exaltationem atque ea omnia, quæ ad hæc reducuntur. Hæc quod attinet ad scripturæ testimonia satis comprobatur ex illis, quæ adduximus supra, sufficiatque modo illud cōmemorare Philippens. 2. Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomē: & Ioan. 12. Cum clamaret Dominus clarifica me pater claritate, quā habui priusquam mundus fieret iustam pater vocem, & responsionem reddens ait, clarificaui, & iterum clarificabo, quam secundam clarificationem necesse est intelligamus de exaltatione nominis, & resurrectionis claritate. Probatur prǽterea cōclusio: Quoniam est expressa sententia D. Augustin. tracta. 104. in Ioannem: vbi tractans illud, clarifica filiū tuum ait, quod humilitas claritatis est meritum, & claritas humilitatis est præmium atque vt Christus resurrectione, clarificaretur prius humiliatus est passione. Et D. Ambros. tractans illud idem testimonium docet ibi ostendi, quid & quantum mereatur humilitas? eadem est sententia Magist. in 3. distinct. 18. Altisiodor. lib. 3. tracta. 1. Alberti Magni, in 3. distinct. 18. D. Thom. ibi, & quæst. 19. tertiæ partis, artic. 3. Et quibuscunque alijs locis suæ doctrinæ D. Bonauent. atque Scoti in ea distinctione, communis omnibus Theologis, Thomæ de Argentina, Dionysio Carthusia. Ricardo, Durando, Capreolo, & certè omnibus nec enim aliter credendum est quin omnes cō sentiant in tam vera & iusta causa.

Philip. 2.

Ioan. 12.

D. August.

D. Ambros.

Magister.
Altisiod.
Albert.
D. Thom.
D. Bonau.
Scotus.
Tho. de Ar.
D. Dionys.
Ricardus.
Durandus.
Capreo.

Et ratione probatur conclusio: Primū, quia necesse est concedere Christum meruisse per sua merita, atque passionem omne illud quod ante passionem non fuit ab eo habitum, nec naturæ debitum, & erat pertinens ad beatitudinem. Sed gloria dotesque corporis nominisq; exaltatio sunt eiusmodi: ergo ea Christus meruit. Declaratur maior: Quod enim quis aliquid mereri non possit iuste operans, & sanctè aut ideo erit, quia erat iam habitum ab eo, & meritum debet præcedere præmium saltē natura. Aut quia erat naturale, aut quia nulla ratione faceret ad beatitudinem. Sed impassibilitatem corporis cæterasque dotes certum est spectare ad beatitudinem easque non habuisse Dominum ante passionem. Item exaltatio nominis eius super omne nomen non dubium quin faciat ad eius fœlicitatem: nam, & philosophi fatebuntur, quod gloria est pars aliqua fœlicitatis, vt fœlix, & clarus habeatur, & viuat in honore apud omnes. Cōstat autē quod

quod hanc exaltationem, & nominis claritatem non habuit Christus ante passionem: ergo meruit eam. Quæ exaltatio in tribus potissimum consistere videtur, primo in notitia cordis, vt cognoscatur esse verus Deus, & verus homo. Secundo in reuerentia externa atque corporea. Tertio in confessione oris, atque hæc tria tetigisse videtur Apostolus ad Philip.2. quando dixit propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt scilicet, cognoscatur, non modo verus homo sed etiam verus Deus nomen enim facit rei notitiam. Secundo dicit, vt in nomine Iesu omne genu flectatur quantum ad externam reuerentiam. Tertio, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus, in gloria est Dei patris quoad oris confessionem.

Philip.2.

Item argumentor secundo, ex illo Apocaly. 5. Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem, & diuinitatem, & gloriam, & fortitudinem, in hunc modum, omne opus, per quod operans est dignus accipere præmium à Deo est eiusdem pręmij meritorium. Sed de agno illo immaculato dicit Ioānes, quod dignus fuit mortem, & sanguine suo accipere virtutem, & gloriam, & diuinitatem: ergo ea meruit: quæ eadem omnino ratio confici potest, ex illo, factus est obediens, vsque ad mortem, propter quod, & Deus exaltauit illū, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Apoc.5.

Tertio argumentor: Quoniam alij homines iusti prius, non habentes gloriam corporis illam merentur: ergo nulla omnino ratio est, cur hoc sancto sanctorum denegetur.

Quarto argumentor: Quia nobilius est habere aliquid per se, quam habere illud per aliud, semper enim causa, quæ est per se potior est ea, quę est per aliud, vt dicitur 8. Physic. text.39. Hoc autem dicitur aliquis habere per se ipsum, cuius est aliquo modo causa, hoc vero modo habet rem aliquam quisillam meretur: ergo nobilius est habere aliquid per meritum, quam sine merito. Omnis vero nobilitas, & perfectio Christo tribuenda est: ergo consequēs est, quod ipse per meritum habuerit omne id quod alij per meritum habent. Nisi tale sit, vt illo aliquando caruisse magis dignitati Christi, & perfectioni præiudicet quam per meritum accrescat. Quę ratio & causa fuit, vt nec beatitudinē animæ nec sciētiā nec gratiam, nec vnionem hypostaticam meruerit, vt infra dicemus, quia cū meritum non sit, nisi eius quod nondum habetur, oporteret, quod Christus aliquando istis caruisset, quibus carere magis diminuisset dignitatem Christi, quam illam auxisset meritum.

Arist.

Sed formari solent in contrarium apparentes rationes. Prima est: Quia nullus meretur id, quod est sibi debitum: sed Christo ex eo, quod est filius Dei per naturam debetur hæreditas æterna: ergo Christus nō potuit sibi mereri.

Ad hoc dico breuiter, quod Christo, vt Verbo Dei per naturam debetur ipsa fœlicitas. Vt homini vero debitum est habere gloriam aliqua ratione sine merito, & per modum naturæ, vt si consideres animæ beatitudinem, aliqua vero ex parte cū merito, vt si gloriam corporis spectes. Atque hæc clariora fient his, quæ infrà dicenda sunt. Atque si instes, quod etiam, quia illa gloria corporis debita erat filio Dei: ergo non poterat illam mereri, respondetur negando consequentiam, quia mereri est facere simpliciter, & de nouo debitum aut alio titulo debitum: quemadmodum id quod meruit Dominus in instanti suæ conceptionis fecit debitum alijs titulis per alias actiones subsequentes.

Secundo argumentor: Quia gloria corporis consequitur ad gloriam animæ naturali consecutione nisi impediatur, sed Dominus non meruit gloria animę, quod modo supponimus: ergo nec gloriam corporis.

Ad hoc argumentum quidam respondent, quod gloria corporis non sequitur, naturaliter gloriam animæ: sed ex diuina ordinatione iuxta congruentiam humanorum actuum, & ideo potest cadere sub merito, existimantque hanc esse respōsionem S.Thom.3.part.q.19.art.3.ad.3. Qui tamen doctissimus vir fortasse longè aliter respōdet

S.Thom.

det: videtur enim velle, quod Deus hanc quasi proportionalitatem, & congruentiã posuit, & ordinauit, vt sicut anima operatur in hac vita, & meretur per corpus, ita ex gloria animæ redundaret gloria corporis, atque vtrunq; caderet sub merito. Constituto vero, quod gloria corporis caderet sub merito, non est inquit S. Tho. cur quis existimare possit Christum non meruisse illã. Quicquid vero sit de interpretatione vera huius sancti Doctoris, prima illa solutio mihi non placet, quoniam existimo cũ D. August. Beato Augustino, quod gloria naturali quodam fluxu redundat in corpus nisi impediatur. Et ad rationem dico, quod siquidem Dominus in hac vita mortali, verè non habuit gloriam corporis potuit illam mereri, & verè meruit. Vnde neganda est consequentia, quia gloria corporis nõ erat consecuta ex certa dispensatione. Et dico secundo, quod gloria corporis, etiam quando actu iam est consecuta potest considerari, & vt fluens ab animæ gloria consecutione naturali, & vt habita per meritum.

Tertio argumentor: Nam Christo est tribuendum id, quod est perfectius, & dignius: sed nobilius est habere gloriam per modum naturæ, & ab intrinseco, sine merito, quam cum illo: ergo hoc est Christo tribuendum, ergo Dominus non habuit per meritum gloriam corporis.

Ad hoc dico, quod certè habere beatitudinem sine motu, & merito perfectius est, & nobilius quam habere per meritum, atque tanto certè melius, quanto melius est finem, & bonum habere coniunctum quã habere necessitatem tendendi in illud, quo circa Deus optimus maximus habet perfectionem omnem, fundaturq; hoc in vera quadam antiquorum philosophia, quã Arist. Aristoteles tangit in libris de cœlo. Dominus autem, & habuit gloriam corporis, vt fluentem ex animæ gloria quam per modum naturæ habuerat. Quod dico intelligi quandiu sapientia Dei non ordinauit, vt sisteret ea gloria in anima, & rursus habuit eam per meritum, & vtroque titulo habere perfectius est quã vno solo. Cæterum, vt hæc res melius intelligatur, aduertendum est, quod tota perfectio, quæ est habere corporis gloriam ab intrinseco, & naturali quadam consecutione competit Christo, siquidem ad hoc satis est, quod ea gloria sit debita ex vi naturitatis, quãuis speciali dispensatione factum sit, vt ei non redderetur statim. Atque huic perfectioni accessit alia, quod scilicet, eam gloriam proprijs meritis assecutus est Dominus. Vnde in Christo potest considerari duplex perfectio, prima, quod habuit virtutem communicandi gloriam suo corpori. Altera, quod actu eam communicauerit, primam habuit ab instanti conceptionis, eo ipso, quod filius Dei, & videns Deum fuit ab eo instanti. Secundam habuit post modum duplici ratione, tum quia sublatum fuit impedimentum, ac proinde animæ fœlicitas naturali fluxu redundauit in corpus. Tum etiam quoniam eius merita hoc merebantur à Deo. Nec vero dignitati Christi derogat non habuisse illam gloriam statim à principio, quoniam Christo non sunt tribuenda ea, quæ obstant finire demptionis, qua redemptione maximè eius bonitas, & virtus declaratur: nec verò nobilius aut perfectius esset Christo statim gloriam corporis recepisse, quam detenta gloria redemisse genus humanum: per corpus passibile, per ærumnas, & mortem acerbam. Imo verò hoc secundum multo perfectius, & illustrius est primo. Et magis dignum bonitate Dei, qua dilexit nos.

Quarto argumentor: Quia gloria corporis inesset Christo à principio ex vi gloriæ animæ nisi appositum esset impedimentum: ergo Christus non meruit gloriam corporis directe: sed amotione solum impedimenti. Ad hoc dico, quod ego hac in parte non assentior cuidam doctori, cuius est hoc argumentum, atque sententia in distinct. 18. tertij, & nego consequentiam. Nam quamuis captiuus nisi teneretur, captiuus non esset, non tamen dicor ego; quã do redimo captiuum, id per se quærere, vt tollantur vincula, sed per se primo quæro libertatem alia vero secundario. Itaq; hæc Scoti sententia nõ videtur vera, quod pro Scotus. bo primum, quia testimonia scripturæ, quæ affirmãt, quod Dominus merito obedientiæ suæ meruit, & gloriam corporis, & no-

& nominis exaltationem non indigent ea interpretatione, vt intelligantur, quoad remotionem impedimenti solum, nec vero illam patiūtur, nec hoc poterit Scotus probare sufficienter, aut ex patribus aut ex ratione. Et præterea argumētor: Quia cum Dominus à principio natiuitatis non habuerit gloriam corporis, quid vetat quominus ad eam dirigeret suum meritum, aut quæ potius ratio patitur oppositum? Et præterea Dominus suis operibus sanctissimis dignus fuit accipere gloriam corporis, quis neget? & vnusquisque meretur à Deo id quod accipere dignus est: ergo meruit gloriam corporis, vt sic, & directè. Quibus accedit, quod videmus agētia naturalia actione sua directè, & per se spectare atque respicere formam introducendam tanquam finem: non vero intendunt ita per se primo remotionem impedimentorum, quanuis & ea curent remouere: igitur necessario, dicendum est, quod etiam in moralibus præcipuè ordinatissimis, per se primo respicitur finis, & beatitudo, & non sola nec per se primo amotio impedimenti.

Philip. 2.

Vltimo argumentor: Quia Christus nō meruit habitus infusos, eo quod sunt proprietates, quæ consequuntur ex vnione hypostatica, & lumine gloriæ: ergo nec meruit gloriam corporis, quæ consequitur ad gloriam animæ. Ad hoc dico, quod communior sententia scholasticorū nō ponit, quod Christus meruerit ea quæ habuit à principio, idque rationabiliter, vt articulo sequenti dicemus. Habuit vero Dominus à principio gloriam, habitus infusos nō verò gloriam corporis, cuius ratio est, quia habere à principio gloriam corporis obstabat. Fini redemptionis: in habendis vero habitibus infusis, & nullū inerat impedimentum redemptionis, & maxima præterea congruitas elucebat, quia faciebant ad finem redemptionis: siquidem illæ virtutes principia erant merendi. Et Domini dignitatem illustrabant, & decebat, vt qui secundum mentem erat comprehensor, omnibus animi dotibus, & ornamentis prædi tus esset. Atque hæc de hoc articulo.

ARTICVLVS. IIII.

Quidnam Christus non meruerit sibi.



MIRABERIS fortasse Lector cur cum maximus fere totius operis splendor, & pulchritudo in ordine, & recta dispositione consistat, deliquisse tamen hac in parte videar volens, & disiunxisse ea, quæ ratio postulabat, vt vna eademque quæstione, & stylo consequenti disputarentur. Scito vero me in rebus tractandis prolixitatem fugere supra modum, vt quę, & grauet ingenium, & molestię adferat complurimū. Ac proinde cum animaduerterem si quæstiones horum duorum articulorū iungerentur, vnum effecturas longiorem, malui parum molestus videri, quam nimium curans illud, affirmatio, & negatio ad vnum, & idem reducuntur. Sed ad rem veniamus.

Prima conclusio: Christus non meruit sibi vnionem hypostaticam. Probatur manifestè: quia aut intelligitur, illam meruisse ante vnionem, aut post vnionem. Non ante, quod probo. Tum, quia ante vnionem hypostaticam non intelligitur esse Christus, quoniam vnio est de intellectu Christi: ergo ille qui merebatur per aduersarium ipsum non esset Christus, tum secundo, quia euidentissimum est, quod nō posita vnionis hypostaticæ dignitate non cadit sub merito, tam excellens bonum. Tum præterea tertio: quia receptum est, quod vnio hypostatica supponitur, atque est principium in merito Christi: ergo non cadit sub merito, quia principium merendi non cadit sub merito. Quod vero nec illam meruerit post ipsam vnionem constat, hoc eodem argumento tertio, quod certè continet doctrinam catholicam.

Secundo argumentor: Testimonio D. Augustini, qui dicit: quod ea gratia fit homo iustus, qua ille homo factus est Christus, sed homo fit iustus, sine meritis antecedentibus, gratuita Dei voluntate (de hac

D. August.

enim

enim erat ibi sermo Diuo Augustino)ergo & Christus gratuita Dei voluntate ac sine meritis factus est Christus, & quoniã de hoc egimus supra sufficiat ista dixisse: præsertim cum de hoc nemo dubitare posit.

Secunda conclusio. Christus Dominus non meruit sibi animæ beatitudinẽ. Probatur primo ex illo Ioan.1. vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis, quo loco insinuatur eam gloriam atq; gratiã propterea fuisse datam quod erat vnigenitus à Patre ergo non ex meritis. Sed ex vnione hypostatica atq; ex præsentia deitatis sequebatur in anima Christi visio & gratiarũ plenitudo. Ioan.1.

Secundo argumentor: Si Christus Dñs meruit beatitudinẽ animæ sequitur, quod habuerit virtutem spei. Quod est falsum. Probo autem sequelã: Quia spes est respectu beatitudinis animæ, quam meremur sicut respectu principalis obiecti, nec verò illam meretur qui non sperat: ergo Christus habuit spem, si illam meruit.

Tertio argumẽtor: Nam si eam meruit sequi videtur, quod à principio nõ habuerit visionem illam & beatitudinem, quod dici non potest: ergo nõ meruit eam. Item argumentor: Quia cõtradictionẽ inuoluere videtur, quod qui habet animæ beatitudinem mereatur illam: at Christus à primo instanti suæ incarnationis, habuit animæ beatitudinem quod est certum: ergo cõtradictio est, quod illam promeruerit. Declaratur maior: nã contradictionem inuoluit, quod creatura sit in termino suæ fœlicitatis, & moueatur ad eundẽ terminũ habendũ: sed beatus, per beatitudinẽ animæ est in vltimo termino suæ fœlicitatis: ergo fieri nõ potest, vt moueatur simul ad illũ habendũ. Quinto argumẽtor: lumen gloriæ atq; visio est principiũ charitatis quæ ad illam cõsequitur, item est principiũ scientiæ atq; virtutum infusarum in Christo: ergo ea visio est principiũ vtriusq;, charitatis scilicet, & æternæ atq; beatæ, & eius quæ sequitur ad sciẽtiã infusam. Tũc vltra: Nihil potest esse principium & terminus meriti, sed ea visio erat principiũ omnis charitatis quæ erat in Christo: ergo erat principium omnis meriti: ergo non poterat esse terminus alicuius meriti. Sexto: Ea visio est prima gratia concessa Christo, sed prima gratia non cadit sub merito: ergo ea visio nõ cadit sub merito. Septimo argumentor: Quia meritum beatitudinis non est nisi viatoris. Si ergo Dominus meruit beatitudinẽ animæ: ergo fuit viator respectu eius.

Octauo argumẽtor: Quia perfectius est aliquid habere per modum naturæ, quam per meritum: ergo cum Christo tribuendum sit id, quod est perfectius: ratio postulat vt dicamus, quod habuit beatitudinem per modum naturæ. Hic si instes, quia perfectius esset vtroq; modo ac titulo eam habere; respõdeo esset vtiq; perfectius si fieri posit, sed videtur in hac re vnus titulus pugnare secundũ legẽ statutã cum alio.

Vltimò loco, quoniã istæ rationes quas formaui nõ cõuincũt meũ intellectũ apertiã breuiter quæ me impulerit causa, vt teneã hãc sentẽtiam. Illa fuit duplex. Prima, quia cõsideraui quod semper forma, quæ absolute est ante meritũ nõ cadit sub merito, & gloria animæ Christi certè natura præcessit meritũ absolute loquẽdo. Secundo causa fuit quia cũ viderẽ esse de hac re duas sentẽtias cõtrarias, & me tã sublimẽ veritatẽ attingere nõ posse, prudẽter me facturũ putaui si vbi deficiebãt mihi antiquorũ patrũ testimonia, aut euidẽs ratio succederet in eorũ locũ prudẽtia & accederem pluribus atq; vt credo sine præiudicio doctioribus. Hãc vero nostrã sentẽtiã docuere Mag.in.3.d.18.S.Tho.3.p.q.19.ar.3.Scot. & Dur.& Palud.& Capre.& Caieta. Nec vero dubiũ quin S.Tho.& Scot.plures alij sequãtur sui discipuli. Et D.Bonau.d.18.2.part.eius distinctionis.q.1. dicit esse cõmuniorẽ sentẽtiã: & tenet Tho. de Arg.illa d. 18.& Gab.ibi quæst.vnic.Marsil.in.3.q.12. Oppositã autẽ tenet in primis doctus Alb. in 3.d.18.art.7.& tenere dicuntur Guillelmus quidam de Rubione, & Basolis, & Maior illa dist. & Altisiodor.3.libro.tracta.1.capite.7. id autem quod dictum est de animæ beatitudine, de eius etiam continuatione, & de scientia etiam infusa atque virtutibus, reliquisque eius humanitatis donis & ornamẽtis intelligẽdũ est, & quæ

Magist. B.Thom. Scotus. Durand. Paludan. Capreo. Caieta. Albert. Guillel. Altisiodor.

& quæ omnia habet Dominus ex vnione ipſa hypoſtatica, & viſione Dei deriuata: nam qui dat formam aliquam dat vtique conſequentia ad formam. Et quidem ad explicandum quid nam Dominus meruerit ſibi, quid non meruerit, hæc ſatis pro ſcholaſtica reſolutione viderentur. Cæterum temporum abuſus eo nos deduxit, nihil vt ſcire videamur, niſi ſimus inſipientes, & continuo Dei potentiam in litem euocemus, & contendamus nō poſſe illā facere ea quæ nos miſeri animæq; viles intelligere nō poſſumus.

Sit itaque quanuis certè inuiti iſta tractemus, Tertia concluſio. Loquendo ſecundum potentiam Dei abſolutam, Chriſtus mereri potuit animæ beatitudinem. Hæc eſt certa, & euidens in Theologia. Nam ſi quid per aliquos obſtat, quominus mereri poſsit beatitudinem, illud eſt, quia habet illam: potuiſſet autem Dei potentia efficere, quòd non haberet illam, non infundendo illi humanitati lumen gloriæ, nec ſe ſe vniendo intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis: ergo potuiſſet efficere; quod mereretur, vnico illo merendi impedimento ſublato, adiunctiſque requiſitis ad merendum. Sed in re moramur manifeſta. Nam quilibet iuſtus per fidem, & charitatem meretur gloriam: ergo in caſu poſito iuſtus iuſtorum potuiſſet, & cognoſcere Deum per fidem, vel ſcientiam infuſam, & illum per charitatem diligere atq; mereri beatitudinem.

Quarta concluſio. De potentia Dei abſoluta fieri potuit, vt quanuis Dominus habuerit à principio gloriam animæ, illam tamen meruerit. Probatur primo; Quia quod Dominus in inſtanti ſuæ conceptionis meruit, meruit etiam poſteà, fecitque ſibi alijs titulis debitum: ergo pari ratione quod habuit à principio ſuæ conceptionis, potuit ſuum facere alio titulo, illudque mereri: ergo potuit mereri beatitudinē, quam habebat.

Item ſecundo: Quia meritum, & præmium poſſunt eſſe ſimul: ergo potuit fieri, vt Dominus mereretur in inſtanti conceptionis gloriam, quam in illo inſtanti habuit. Probatur antecedens: Nam re ipſa conſequitur quis augmentum gratiæ eo temporis momento, quo illud meretur: ergo meritum & præmium poſſunt eſſe ſimul. Et quanuis quis reſpondere poſſet, quod ſtant quidem ſimul præmium & meritum, non tamen tale præmium, & tale meritum dico, quod nihil obſtat quominus tale hoc præmium ſtare poſsit cum merito, vt ex ſequentibus apparebit.

Tertio argumentor: Hoc eſt intelligibile: ergo poteſt fieri à Deo. Declaro antecedens. Nam in inſtanti, quo quis meretur augmentum gratiæ, eſt ibi meritum, & eſt præmium, graduſque gratiæ, non quidem vt principium eius operis meritorij, cuius fuit præmium, ſed vt terminus & merces: ergo poſſumus pari proportione intelligere, quod ſit in aliquo inſtanti gloria, & ſit opus meritorium, & non ſit gloria vt principium eius operis, ſed vt præmium meriti à gratia, & charitate profecti. Hic ſi reſpondeas eam gloriam neceſſario futuram principium eius operis meritorij, nam conſequitur ad eam charitas; & ſcientia infuſa, quæ erant principium meriti, hæc, inquam, ſi dicas nihil dices omnino. Nam fac (fingere libet quoniam tibi) quod Deus cuius virtuti nituntur omnia, tollat conſecutionem illam ſiue reſultantiam ſcientiæ infuſæ & charitatis à viſione, infundat vero ei humanitati eam ſcientiam infuſam cognitionem, & amorem: iam certè tibi nulla patebit via effugiēdi argumenti vim; quoniam non erit gloria principium eius operis, ſed erit præmium concomitans meritum.

Quarto: Abroget Deus legem illam, qua rationem operis meritorij terminis huius vitæ concluſit ac definiuit, & ſiquidem in damnatis ſunt plura mala opera, ſint illa demeritoria, opera autem bona beatorū ſint meritoria, nihil enim prohibet cùm & libera ſint plurima illorum, & voluntaria & ſtudioſa, & ſublata ſit ea lex, quod extra hanc vitam opera bona, aut mala non ſint meritoria, nec demeritoria. Tunc ſic: Illa bona opera, & libera intelli-

telligi possunt esse meritoria: ergo intelligi possunt esse meritoria gloriæ. Probo consequentiam: Primum, quia illa gloria posset non esse principium, sed terminus eorum operum, vt modo dicebamus. Tum secundo: quia quod vna ratione erat in illis iustis poterant alia ratione, & titulo facere suum, & mereri. Quod vt melius intelligatur, argumentor quinto: Id quod habeo, & mihi debetur vno titulo possum facere debitum alio titulo: ergo quamuis qui vident Deum habeant beatitudinem, possunt tamen secundum potentiam Dei absolutam eam facere suam nouis titulis, & meritis. Consequentia est legitima, & declaro antecedens. Quoniam re ipsa gloriam corporis habet Christus ex vi, & dignitate vnionis hypostaticæ, & secundo ex meritis, ergo vnum & idem potest haberi duplici titulo. Hic tu mihi dicis. Habet quidem Christus gloriam corporis etiam ex meritis, sed quando illam meruit, non erat glorificatus secundum corpus, eratque in statu merendi. Sed insto: quia iam supposueramus Deum abrogare posse illam legem de non merendo eos, qui sunt extra hanc vitam: fuisset ergo tunc beatus in statu merendi: quod si fuisset in eo statu posset vtique nouis titulis mereri beatitudinem. Dicere vero eos, qui sunt apud Deum, illumque vident non posse etiam de potentia Dei absoluta edere opera meritoria, valde absurdum est; cum illi & liberiores sint, & gratissimi Deo, & maximè voluntariè ac studiose operentur. Sed tandem argumentor:
Lucæ.1. Quoniam Deo non est impossibile omne verbum. Id est omne quod intelligibile est quocunque intellectu: ergo non caret imprudentia negare potentiæ Dei id, quod tu intelligere non possis. Nisi fortasse putes incōueniens esse, quod Deus plus possit facere, & maius quam tu possis intelligere.

Sed quanuis de hac conclusione dubitare, alienum sit valde à prudentia, fortasse tamen alicui difficilia videbuntur ea, quæ quidam aduersus eam machinantur. Primum vero eorum argumentum est, quia ad meritum præsupponitur cognitio fidei, & fides non stat cum visione: ergo nec meritum. Ad hoc respondeo. Mirabile est, quod quis opponat omnipotentiæ Dei, quod meritum non possit esse sine fide omnino immemor, quod hic tractatus est de merito Christi, qui non habuit fidem; potest igitur esse meritum sine fide. Dico ergo quod sufficit cognitio Dei per scientiam infusam siue alia ratione, quarum innumeras sciet Deus: est enim tam puerile rationes, & vias aliquid faciendi occludere Deo velle, vt ego certè sola necessitate opinionum coactus ista tractem. Replicas autem, quia lumen gloriæ atque visio beatifica est principium eius cognitionis infusæ efficitque ipsam: ergo non potest esse terminus meriti.

Ad hoc dico breuiter: Si est principium non sit principium, si ab ea fluit ea scientia infusa non fluat, & efficiat hoc Deus, qui iam nobis manifestare dignatus est, quid nam inhibere possit, siquidem gloriam corporis naturaliter fluentem & redundantem ex animæ beatitudine continuit, & quasi coercuit in Christo intra mentem ipsam ne se se effunderet vlterius & complecteretur corpus vniuersum.

Secundum argumentum est: Quia non potuit in Christo esse spes simul cum visione: ergo nec meritum. Probatur antecedens: quia quod videt quis, quid sperat? Rom.8. Ad hoc dico, quod certissimum est etiam re ipsa & de facto Christum sperauisse gloriam corporis, licet videret Deū: vtrum autem processerit ille actus ab habitu spei an non, nihil refert ad propositum. Dico igitur ad antecedens, quod licèt habitus spei non possit esse nisi in ordine ad Deum non habitum tamen nihil obstat, quod quis speret actu aut habere gloriam corporis, aut animæ debitam alio titulo. Dici potest secundo, quod licet secundum legem statutam, vnusquisque beatus respiciat beatitudinem, vt præmium quod in alia vita, scilicet præsenti meruit, sitque iam in termino, tamen secundum absolutam Dei potentiam fieri

poſſet, vt videns Deum ſe referat ad eam viſionem, vt ad præmium, quod eodem inſtanti eſt habiturus per meritum; & ſic haberet ſpem, quod re ipſa & de facto accidiſſe in angelis fatetur D. Bonauent. in tertio, diſtinctione. 18. & Caietanus. Prima harum ſolutionum diſtinguit ſpem in habitum, & actum. Secunda verò abſolutè fatetur ſpem. Cum autē dixi, quod vnuſquiſque beatus reſpicit beatitudinem, vt præmium quod meruit in vita præſenti, generali ratione locutus ſum; nec volui cōprehendere Chriſtum.

Bonauent. Caiet.

Tertio argumentor: Quia meritum eſt à gratia imperfecta, beatitudo à gratia perfecta: ſed gratia perfecta & imperfecta non poſſunt eſſe ſimul: ergo nec beatitudo, & meritum. Hoc argumentum eſt ſufficiens ad probandum, quod ſecundum legem ſtatutam non poſſunt eſſe ſimul in homine puro beatitudo & meritum. Loquendo tamen de potentia Dei abſoluta, nihil valet omnino, quia quo perfectior eſſet gratia poſſet eſſe perfectius meritum. Tamque ea ratio obijcitur incaute, vt re ipſa in Domino ſit fides catholica, quod fuerit meritum. An verò fuerit etiam in eo perfectiſsima gratia, tu videris, & dubita ſi potes. Memento verò, quod nihil poſſumus, niſi quod licite iureque poſſumus. Summa reſponſionis eſt, ſatis eſſe alienum, ſi quis diceret ex perfectione gratiæ prouenire, quod quis mereri non poſſit. Atque ex hoc conſtat ſolutio ad quoddam aliud quartum argumentum, quod deducunt ex connaturalitate & perfectio ne gratiæ.

Quinto arguunt: Quoniam præmium beatitudinis extrahit hominem à via, & ideo non poteſt eſſe ſimul cum merito, quod eſt opus viatoris. Ad hoc dico breuiter, quod ſi præmium beatitudinis extrahit hominem à via hoc eſt, ſtatu merendi, non extrahat faciatque Deus hoc decretum, vt qui vident Deum mereantur ſuis bonis operibus, & liberis. Præter quā, quod ſicut modo concedunt Theologi, quod actus pœnitentiæ atque fidei concurrentes in iuſtificatione peccatoris in vno genere antecedunt gratiam & charitatem, & vt ſic non ſunt meritorij, in alio conſequuntur gratiam & charitatem, & vt ſic ſunt meritorij: ità diceremus in præſenti quod beatitudo habita iam vt præmium extrahit hominem à via. Conſiderata verò in quantū, licet ſit præſens, actus tamen liberi arbitrij & meritorius tendit, & terminatur ad eam, in illo priori nō erat præmium habitum nec extraheret hominem à via.

Sexto arguunt: Quia fœlicitas habet rationem quietis, meritum autem eſt motus liberi arbitrij tendentis in fœlicitatem: fieri autem non poteſt, vt quis quieſcat & moueatur ſimul: ergo non poteſt eſſe meritum ſimul cum beatitudine. Hoc nō habet aliam difficultatem à ſupradictis. Dicā enim primum, quod quieſco in quantum habeo, moueor in quantum alio titulo, & ratione acquiro, & meum facio. Dicam ſecundo, quod in illo vno inſtanti temporis, quo & mereor beatitudinem, & habeo, quieſco in beatitudine, vt iam per meritū parta: moueor verò ordinando meritum ad eam. Sicut concedunt Theologi, quod in eodem inſtanti homo habet gratiam, & operatur per illam: & ruſus in eodem inſtanti ſe diſpoſuit auxilio Dei ad illam habendam. Sed traducamus hæc ad aliam materiam, ſi placet; & fingamus (liberæ enim ſunt cogitationes hominum) quod calor, vt decem exiſtens in aere ſit nō modo diſpoſitio, ſed meritum formæ ignis. Et ponamus iuxta ſententiam Peripateticorum, quod in illo eodem inſtanti eſt in ea materia forma ignis & operatio. Ecce vbi in eodem inſtanti eſſet & meritum formæ, & forma, & operatio per formam ſecundum communiorem philoſophorum ſententiam. Quid ergo mirum tibi videtur, ſi poſſit Deus facere, vt meritum, & forma illa quæ cadit ſub merito ſint ſimul tempore: ſiquidem re ipſa facit, quod diſpoſitio ad formam & ea forma ſit ſimul? Si enim dixeris, quod meritum debet ante cedere, dicā etiā, quod debet præcedere diſpoſitio. Et hęc ſufficiāt pro aſſerēda quarta noſtra concluſione, quæ veriſsima eſt. Conſiderandum verò eſt hoc loco, quod principium merendi, ex quo ratio & valor & digni-

& dignitas meriti sumitur eo ipso, quod est eiusmodi non cadit sub merito, qualis est in nobis gratia, & in Christo Domino vnio hypostatica. De principijs vero alterius generis facilè intelligitur, posse Deum statuere, vt aliquis faciat sibi debitum gratia, & bonis operibus, id, quod Deus ante dederat, vt cognitionem ipsius, quæ requiritur ad eliciendum opus meritorium.

ARTICVLVS. V.

Quod Christus Dominus meruerit nobis gratiam, & liberationem à peccato.



DICEBAT hac temporũ tempestate Caluinus Christum Dominum nihil sibi meruisse, nobis autem omnia. Petrus autem Abailardus referente Diuo Bernardo epistol. 190. D.Bern. Dicunt, inquit, doctores, quod hac necessitate incarnatus est filius Dei, vt homo qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis iure liberaretur à iugo diaboli. Sed vt nobis videtur, nec diabolus vnquã ius aliquod in homine habuit, nisi fortè Deo permittente, vt carcerarius, nec filius Dei, vt hominem liberaret carnem assumpsit. Hæc Abailardus. Pelagiani etiam docuerunt, Christum nullam gratiam nobis promeruisse, nec à peccato genus humanum vnquam liberasse, sibique soli suam virtutem profuisse; & eundem ad hoc solum venisse, vt demonstraret nobis viam salutis, & documenta traderet æternæ vitæ. Primus verò auctor huius hæresis fuisse videtur quidam Bassus sub tempore Apostolorum, qui vt refert Philaster, negabat sperari salutem in Christi maiestate. Simonem verò in præsenti referre nõ est necesse, qui non Christum, sed se ipsum fatebatur. Dicebatque se venisse, vt per agnitionem suæ sapiẽtiæ salutem præberet hominibus. Erat autem eius mens atque sapientia insignis quædam, quæ stabat in prostibulo meretrix nomine Helena, quã vna secum fecerat habitare, de quo videte Theodor. lib. 1. hæret. fabul. Quidam autem eius discipuli angelos dicuntur accersisse ad reconciliandum homines. Vt videatis, quæ furiæ in hæreticorum pectore versentur. Nec vero mirabiles videri debent tam discrepantes sententiæ, solaque sui deformitate, & falsitate conformes. Nam quod obsecro, aliud monstrum ex hæresi, & discordia gigni potest, quã quod sibi soli meruit, vt dicũt Pelagiani, & quod solum sibi non meruit, vt ait Caluinus, & quod nihil nobis meruit, vt cum Pelagianis sentit Abailardus. Et est hæc sententia conformis illi eorum hæresi, quod pueri non nascuntur in peccato originali. Hæc itaque hæresis, quod Christus nil nobis meruit, nec nos à peccato liberauit, destruenda & euertenda est argumentis deductis ex locis Theologorum. Et in primis, quoniam non omnes hæretici ea impudentia sunt, vt concilia omnia etiam antiqua, & illa quatuor, quæ D. Gregor. venerabatur vt quatuor euangelia reijciant, & aspernẽtur, iure enim possemus postulare, & obtinere etiam à petulantissimis & insolentissimis eorum, vt altem audiant, ea tanquam quosdam patres antiquos declarantes, quid de fide sentirent: videamus ergo, quid cõcilia senserint, & nobis tradiderint. In symbolo fidei edito in Concilio Niceno dicitur de Christo: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis & incarnatus est, passus & mortuus est. Hæc Nicenum. Et eadem ferè verba ponuntur in symbolo Concilij Constantinopolitani, quæ dicitur secunda synodus. Concilium verò Ephesinum, quod appellatur tertia synodus in vltimo capite suorum decretorum sic habet: Ineptum est & stultum dicere, quod is, qui ante omnia sæcula est consempiternus Patri, secundæ generationis eguerit, vt esse inciperet: sed quia propter nostram salutem naturam sibi copulauit humanam, & processit ex muliere, iccirco dicitur esse natus carnaliter. Et idem dixit Concilium Chalcedonense quarta, scilicet, synodus. Et cõc. Trid. ses. 6. c. 7. & 3. diffiniuit, quod ex meritis Christi iustificamur. Liquet ergo ex concilijs, quod merita Christi

Theodor. D.Greg. Conc. Nice. Conc. const. Con. Ephes. Conc. Chal. Conci. Trid.

nobis profuerunt, & quod siquidem propter nostram salutem mortuus est, saluos certè nos fecit, & redemit morte sua. Eademque veritas catholica, & quod Christus Dominus nobis meruerit gratiam, probatur primo. Nam Ioann.cap.1. dicitur, quod de plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia, id est, omnem gratiam. Omnis ergo nostra gratia ab ipso deriuata est. Hocque ipsum sonat ea vox, paterna, crebro in euangelijs repetita: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Quicquid enim gratum est Patri, per Christum gratum est, & placet. Et Ephes.4. ait Apostolus: Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, propter quod dicit: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem; dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ. Qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia. In quibus verbis planè asseritur, quod omnis gratia quæ datur hominibus, datur secundum mensuram donationis Christi. Et id quod sequitur mirum in modum confirmat hanc sententiam: Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui, in charitate. Nihil potuit significantius dici, ad explicandum, quod omnis operatio, omnis motus, omnis vis & efficacia & energia, quam habent fideles habent à Christo, & per Christum: quemadmodum membra à capite vitam, & motum recipiunt, quo & agunt, & viuunt. Eademque veritas confirmatur efficacissime ex illo Pauli ad Roman 5. Non sicut delictum, ità & donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Et paucis interiectis: Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum; multo magis abundantiam gratiæ & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Iesum Christum: igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ità & per vnius obeditionem iusti constituentur multi. Et quid clarius, quam id, quod dixit Apostolus principio huius capitis quinti: Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Christus ergo est, qui nos deduxit ad Patrem, & dedit, vt filij Dei nominemur, & simus. Vnde paulo inferius dicitur: Gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem reconciliationem accepimus. Et idem docuit Apostolus ad Ephes.ca.2. dicens, quod Christus fecit pacem reconcilians ambos populos Deo in vno corpore per crucem, interficiens inimicitias in semetipso, & veniens euangelizauit pacem vobis, qui longe fuistis, & pacem ijs, qui prope: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrem. Et capit.3. repetit, quod in Christo habemus fiduciam, & accessum in confidentia. Et cap.1. eius epistolæ dixerat Apostolus: Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, id est, qui maxima nobis bona contulit, & summis beneficijs affecit in omni benedictione spirituali; quæ spiritualis benedictio vniuersam donorum multitudinem complectitur: & inter cætera remisionem peccatorum, donationem iustitiæ, adoptionem in filios. Cuius in epistola sua posteriori c.1. meminit Apostolus Petrus, consortium diuinæ naturæ illam nominans. Illa verò clausula, in Christo Iesu, adiecta est propter eos, qui alios inducebant mediatores, sicut de schola Simonis modò dicebamus, & videre licet apud Diuum Epiphanium, secundo

Ioann.1. Matth.17 Ephes.4. Rom.5. 1.Ioan.3. Ephes.2. Ephes.3. Ephes.1. 2.Pet.1. D.Epiphan.

do tomo, libro primo contra hæreses. Et ea propositio, in, posita est loco, per. Estque sensus; Deus pater contulit nobis omnem benedictionem spiritualem per Christum, non per Simonem, qui se prædicabat venisse, vt salutem afferret hominibus, non per Menandrum, aut angelos. Et rursus capit. 2. dicitur, quod Deus cum essemus mortui peccatis conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati, & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo. Et paulò inferius dicitur, quod sumus creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus: ergo sicut esse, & viuere debemus ei qui nos fecit, & produxit: ita ipsum rectè viuere debemus ei, per quem creati sumus in operibus bonis, atque esse spirituali. Et prætereà ca. 1. dicitur, quod proposuit Deus instaurare omnia in Christo, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt, & quod ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius, qui omnia in omnibus adimplet: ergo omnia dona, & gratiæ veniunt à Christo, & per Christum. Sed dum hæc & similia adfero, quæ plurima sunt video eos, qui dixerũt virtutem Christi sibi soli profuisse eumque nihil aut contulisse suis meritis, aut meruisse nobis, nihil fecisse aliud, quam negauisse illum esse redemptorem, & saluatorem hominũ. Si enim nihil mihi sua obedientia, passione, & sanguine profuit, nihil meruit, nihil contulit, vtique nec me redemit. Qui enim redemit plurimum, & confert captiuis, & meretur, vt in libertatem vindicentur. Dicere vero, quod Christus non redemit nos, non tam est hæreticorum more testimonia scripturæ torquere, & ex proprio cerebro interpretari, quam impudentissimo ore atque Sathanico oblatrare scripturæ vniuersæ. Quid enim sibi volunt illa verba: Factus est nobis iustitia sanctificatio, & redemptio? Et alio in loco: Qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis? Et illud Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum? Venit dare animam suam in redemptionem pro multis? Visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ. Et sancti cane-

Ephes. 2.

Ephes. 1.

1. Cor. 1.
1. Tim. 2.
Galat. 3.
Matt. 20.
Luc. 1.

bant agno Apocaly. 5. Redemisti nos Domine in sanguine tuo. Et Lucæ. 19. Filius hominis venit quærere, & saluum facere, quod perierat. Et Matth. 1. Ipse saluum faciet populum suum. Et Ephes. 5. Christus caput ecclesiæ, ipse est saluator corporis, &c. Atque ille, qui exterioris hominis acerrimo bello petitus inter luctam exclamabat; Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, idest, peccatis, quæ generat corpus hoc morti, & corruptioni subiectum? quid respondeat audiamus Spiritu sancto plenus. Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrũ: ergo per Iesum Christũ liberamur à peccatis. Aliaque sunt eiusmodi innumera testimonia, quæ recensere non est necesse, sed concludere solum veritatem quidem ipsam purissimo sole clarius splendere. Minimè verò mirandum esse, si qui per peccatum tenebantur adhuc in captiuitate Babylonica, & tartareis tenebris circunfusi erant, redemptionem venientem à Deo non agnoscerent. Sed eorum ingratam cæcitatem, & ingratitudinem cæcam augeamus testimonijs sanctorum Patrum; quanuis certè ægrè, & inuitus ferè referã nonnulla, eo quod satius videretur admonere lectorem, vt cuiuscunque Doctoris Ecclesiastici codicem aperiat: nulla enim erit eius scripti pars, quæ hanc veritatem non doceat, atque contineat. Et in primis spectemus quid illud Theologiæ culmen, sidus carne vestitum, Lucifer inter sidera, Gregorius inquam Theologus sentiat. Illa ergo rosa inter flores oratione secũda in pascha sic habet: Enim verò, alienum non fuerit rem ac doctrinam inquirere, à multis quidem neglectam meo autem iudicio studiosè perquirendam: cui nam sanguis ille pro nobis exhaustus, & quam ob causam fusus est, ille, inquam, nobilis sanguis Christi, & Pontificis, & sacrificij. Nos enim à diabolo detinebamur, vt pote qui venundati essemus sub peccato. Quod si redemptionis pretium non cuiquam alij, quam detinenti persoluitur, quæro cui tandem, oblatum est, & quam ob causam.

Apoc. 5.
Luc. 19.
Matth. 1.
Ephes. 5.
Rom. 7.
Nazianz.

Si diabolo, ô indignam contumeliam, si non à Deo solum, sed Deum quoq; pro redemptionis pretio accepit latro, adeoq; insigne, & excellens tyrannidis suæ præmium, cuius causa nobis quoque parci æquum erat. Si autem patri: primum quo modo id factum est: nec enim ab ipso tenebamur. Deinde quæ ratio afferri potest, vt vnigeniti sanguine pater oblectetur, qui ne Isaac quidem Patri oblatum acceperit, sed ariete substituto in rationalis victimæ, locum sacrificiū permutarit. Perspicuum vtique est patrem quidem pretium accepisse, non tamen quod petierit, aut eo opus habuerit: verum, quia diuina dispensatio ità ferebat; & quia per humanitatem à Deo assumptam homini sanctitatem afferri oportebat, atque vt tyranno per vim superato nos liberaret ad seque inter media filij opera reduceret. Multa dixit Theologus scitu dignissima. Primum supposuit sapienter, quod sanguis ille pro nobis fusus fit, sistens, & reconcilians nos Deo, quoniam id scripturæ omnes, omnes sancti, omnis ecclesiæ sensus, hæc ipsa vox Iesus sonat: nisi forsasse, & eam nobis isti hæretici volunt eripere. Deinde declaraauit, homines sub diaboli potestate detentos per peccatum. Quod nisi verum esset nunquam eum in euangelijs Dominus appellasset principem mundi huius, nec dixisset: Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam: cum præmisisset nonnulla de potestate Sathanæ in homines. Et hæc contra illum alterum errorem Petri Abailardi, de quo in principio huius articuli. Tertio adiunxit Gregorius Christum sanctitatem hominibus attulisse, eosque asseruisse in libertatem: quod certe fecit meritis, & sanguine suo. Sed sapientissimum Augustinum audiamus, Deum sic alloquentem capi. 14. suarum Meditationum: Desperare vtique potuissem propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas; nisi Verbum tuum Deus caro fieret, & habitaret in nobis. Sed desperare iam non audeo: quia cum inimici essemus reconciliati sumus per mortem filij tui: quanto magis reconciliati saluierimus per eum. Omnis nanque spes, & totius fiduciæ certitudo mihi est in pretioso sanguine eius, qui effusus est propter nos, & propter nostram salutem. In ipso respiro, & in ipso confisus ad te peruenire desidero, non habēs meam iustitiam, hoc est, naturæ viribus aut legis, partam. Hanc enim Augustinus appellat iustitiam hominum: sed eam, quæ est ex filio tuo Dño nostro Iesu Christo. Et capit. 14. sequenti: O immensa pietas, ô inæstimabilis charitas, vt liberares seruum, filium tradidisti. Deus factus est homo, vt perditus homo de potestate dæmonum erueretur. Consonat ergo sapientia sapientiæ, hoc est, Augustinus Gregorio contra Abailardum. Est ergo Christus meritis suis iustificator, & reconciliator hominum. D. Cypr. lib. 2. ad Quirinum contra Iudæos, hanc ipsam veritatem comprobat ex Esai. cap. 35. ibi, Deus noster ipse veniet, & saluos faciet nos. Et Esai. 41. Ipse redimet eos. Et rursus, tu es Deus Saluator. Et Psal. 24, Doceme, quia tu es Deus Saluator meus. Et Matth. 1. dicebat Angelus ad Ioseph. Pariet filium (loquitur autem de Virgine) & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Et Lucæ. 1. Angelus nunciauit pastoribus, quia natus est vobis hodie saluator. Idem docet D. Theodor. vna cum Apostolo. 1. Tim. 2. ibi, Vnus & mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Et tractat etiam lib. 6. Græcarū curationum, & multis prosequitur D. Bernard. in sermonibus de Annūtiatione. Sed de his hactenus. Satisque sit scire, nullum scriptorem Catholicum non supposuisse hanc veritatem. Ac propterea contra oppositum errorem per pauci disputant ex professo.

Sed contra hanc veritatem catholicam est primum argumentum: Prima gratia, qua iusti sumus, & reconciliamur Deo, nō datur nobis per Christum, nec per eius merita: ergo Christus non meruit nobis gratiam. Probatur antecedēs ex Apostolo dicente: Si gratia non ex operibus, id est, non ex meritis, alioqui gratia iam nō est gratia. Ad hoc dico, quod licet prima gratia nō sit ex meritis nostris, est tamē ex meritis Christi,

Marginalia: Gene. 22. Ioann. 14. D. August. Rom. 5. Philip. 3. D. Cyprian. Esai. 35. Esai. 41. Psalm. 24. Matth. 1. Luca. 1. Theodor. 1. Tim. 2. D. Bern. Rom. 11.

sti, vt constat ex auctoritatibus sanctorum inductis. Et hoc apertè docet D. Paulus ad Rom. 3. cũ ait: Iustificati gratis per gratiã ipsius per redẽptionẽ, quę est in Christo Iesu, quẽ proposuit Deus propiciatorẽ per fidẽ in sanguine ipsius ad ostẽsionẽ iustitię suæ. Quo loco aduertendũ est, quod postquam Apostolus dixit, quod eramus iustificati gratis per gratiam Dei, adiunxit per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit, &c. Quibus verbis declarauit ad iustificationem nostram aliquid concurrere ex parte Dei, scilicet, gratiam. Et ideò dixit; Iustificati gratis per gratiam ipsius. Et aliquid ex parte Christi, scilicet, redemptionem: & ideo dixit per redemptionem quę est in Christo Iesu. Et aliquid ex parte nostra, nempe fidem, quæ per dilectionem operatur: & propterea tertio adiecit, per fidem. Ostendit etiam Apostolus finem, propter quem Deus voluit in iustificatione nostra, & gratiam simul concurrere & redemptionem, quæ est in Christo Iesu, dicens: Ad ostensionem iustitiæ suæ, id est, vt se ostenderet, non modo misericordem, sed etiam iustum. In nullo enim alio opere tam Deus suam iustitiam declarauit, atque in hoc. Cum enim semper eius misericordia superexaltet iudicium, & cũ peccatoribus leniter agat, multumque remittat de iure suo, maiorem tamen pœnã expetijt à Christo, quam hominũ delicta meruerant. Et ideò dicitur, copiosa esse apud eum redemptio. Vnde persapienter quidam auctor huc aduocauit illud Iob. c. 6. Vtinam appenderentur peccata mea in statera, quibus iram merui, &c. vt mysticè dictum à Christo in cruce pendente. Volens enim Iob Dominicæ passionis grauitatem ostendere, Vtinam, inquit, appenderentur in lance diuinæ iustitię peccata mea non per culpam, sed per assumptionem pęnæ, quibus iram patris merui, & calamitas quã patior, quasi arena maris hæc grauior appareret. Gratis ergo iustificati sumus, quia Deus sine vllis meritis nostris bonis nos iustificat, non tamen sine meritis Christi. Et quanuis tam pro peccatis satisfactionem exegerit, gratis tamen redemptorem, & satisfactorem ipse nobis misit, &

Rom. 3. · Galat. 5. · Iacob. 2. · Psalm. 129 · Iob. 6.

vtrunque in nostra iustificatione inuenitur, & gratia, & pretiosissimum pretium comparatione diuersa. Et hoc est quod dicebat diuinissimus Petrus, 1 can. ca. 1. Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra cõuersatione, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi. 1. Pet. 1.

D. August. Secundo argumentor ex Diui Augustini verbis, in enchirid. cap. 53. Quicquid gestum est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione, in ascensione in cœlum, in sede ad dexteram Patris, reliquisque mysterijs, ita gestum est, vt his rebus non mysticè tantum dictis, sed etiam gestis configuraretur vita Christiana, quæ hic geritur. Nam, vt à primo incipiamus, propter natiuitatem dicit Petrus: Quasi modo geniti infantes lac concupiscite, propter crucem. 1. Pet. 2. Galat. 8.
Et Paulus: Qui autẽ Christi sunt carnem crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs suis. Et propter sepulturã, consepulti enim sumus cũ Christo per baptismum in mortem, propter resurrectionem. Vt quemadmodum Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris: ità & nos in nouitate vitæ ambulemus: propter ascensionem verò in cœlum, sedemque ad dexteram Patris. Si autem consurrexistis cũ Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, nõ quæ super terram. Et ipse Dominus dicit: Exemplum enim dedi vobis: vt quemadmodum ego feci, ità & vos faciatis. Et Apostolus Petrus ait: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Et Paulus: Estote imitatores mei, sicut & ego Christi. Et illud: Apparet benignitas, & humanitas saluatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè & iustè & piè viuamus in hoc seculo. Consequens ergo est, vt Christus venerit in mundum non ad liberandum hominem, sed ad docendum, ostendendamque viam salutis.

Rom. 6. · Ibidem. · Colos. 3. · Ioan. 13. · 2. Pet. 2. · 1. Cor. 11. · Tit. 2.

Ad hoc argumentum dico, quod qua parte assumit, quod actio Christi est nostra instructio, & quod qui Christum sequitur debet, quomodo ille ambulauit, & ipse 1. Ioan. 2.

ambulare, cõtinet certè id, quod eſt ipſiſſima fides, ac propterea illud fideles omnes ſuſcipiunt, amplectuntur, venerantur. Cum autem poſt longam, quæ poſſet adduci, teſtimoniorum phalangem, ad illam conſequentiam ventum eſt; ergo Chriſtus venit ad docendum homines, non ad liberandum, nec redimendum, ventum eſt certè ad hæreticam conſequẽtiam. Quid enim obſecro habet conſequens illa ratio: Chriſtus venit ad docendum homines, & oſtẽdendum eis viam ſalutis: ergo non venit ad liberandum, & redimendum eos? Certè nihil. Intelligere enim debent homines iſti in ſuum redemptorem ingrati, & infœlices, pro quibus gratis Chriſtus mortuus eſt, quod quemadmodum in veteri legum latione ea fuit Dei noſtri ſapientia mirabilis, vt vnaquælibet lex tam conueniret ſtatui eius reipublicæ tẽporali, atque ſi nullam aliam ob cauſam lata eſſet, & tam informaret mores, ac ſi ad hoc ſolum eſſet inſtituta, & ità ſignificaret futuri Chriſti myſteria, ac ſi poſita fuiſſet ad hęc ſolum ſignificanda: pari ratione hæc fuit Dei noſtri in opere redemptionis admiranda dignatio, vt quoniam vtroque indigebamus, ideò vno eodemque opere, & nos inſtrueret, & pro nobis ſatisfaceret, ac redimeret eos, quos inſtruebat.

Tertio argumentor: Quia ſi Chriſtus nos redemit, atque iuſtitiam meruit, & liberationem à peccato; nullis ergo modo nos indigemus meritis, nullaque eſt in nobis requirenda iuſtitia & rectitudo, qua & liberemur formaliter à peccato, & mereamur æternam beatitudinem. Ad hoc dicimus, quod aliud eſt pretium redemptionis actu eſſe ſolutum, & exhibitum pro genere humano: aliud verò omnes homines actu & re ipſa exẽptos eſſe à ſeruitute peccati. Primum eſt verum: hoc enim fecit ſemel ſe offerendo Dñs noſter Ieſus Chriſtus: atq; hoc volumus catholici ſignificare cum dicimus, quod Chriſtus ſufficienter redemit genus humanum. Ad ſecundum verò requiritur, vt Chriſto adhæreamus, & ei incorporemur per fidem ſalutiferam, & ſacris literis commendatam, hoc eſt per fidem, quæ per charitatem operatur. Quemadmodum enim peccatũ originale non hæreditauerunt, qui non fuerũt filij Adam per carnalem generationem: ita nec ſalutem & iuſtitiam, quæ in Chriſto eſt aſſequuntur, niſi qui regenerantur in Chriſto, eique adhærẽt per fidem, & amorem. Hanc autem reſponſionem iccircò ità diſtinxi, quoniam hæretici huius temporis triumphare ſibi videntur de nobis, ſi comprobent Chriſtum efficaciter nos redemiſſe, id eſt, actu ſoluiſſe pretium, quaſi nos diceremus oppoſitum. Dicimus vero, quod quanuis hoc ita ſit, tamẽ omnes auari, & homicidæ & ſuperbi, & fornicatores, & adulteri, maliq; omnes homines in quibus principem locum tenent hæretici, nõ habent hæreditatem in regno Chriſti, & Dei, quoniam Chriſto cuius ſanguis pro eis fuſus eſt, non conformantur. Latius vero de hiſce dicemus alio loco, ſi Dominus dederit.

Hebr. 7.

Galat. 5.

Ephes. 5.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm ea omnia bona ſupernaturalia vocationeſque & auxilia, quæ antecedunt iuſtificationem meruerit nobis Chriſtus.


LIQVI ſcriptores eccleſiaſtici iſtorum temporum verè & catholicè aſſerentes iuſtitiam, & gratiam nobis dari per Chriſtum, exiſtimant tamen ea, quæ gratiam & iuſtitiam antecedunt ordine naturæ, qualia ſunt vocatio, illuminatio, fides, dulcis virtutis affectus, aut etiam gehennæ horror, aliaque eiuſmodi ita dari gratuita Dei voluntate, vt non etiam proueniant nobis ex merito Chriſti, ſicut prouenit gratia, & iuſtitia. Et quoniam hæc res grauis eſt, & ego longè aliter ſentio, iccirco in primis animaduertendum duxi, qui nam ſint præcipui auctores huius ſententiæ. Eam tenuit Driedo lib. de captiuitate, & redemptio. generis humani, tract. 2. cap. 4. Ruardus Taper tomo. 1. articulo. 6. Conradus. 12. quæſtio. 114. art. 6, Capreo. in 3. diſtinct. 18. quæſtio. vnic. in reſp. ad argumenta

Driedo. Ruard. Conrad. Capreo.

Ferrara. menta Scoti, contra quartam conclusionem Ferrara. 4. cõtra Gent. cap. 55. Et certè quamuis homini sapienti supra modum colenda modestia sit, & fugienda temeritas, quæ à sapientia dissidet plurimùm, dicere tamen audeo hanc sententiam nullã omnino probabilitatem habere præter eã, quam illorum doctorum auctoritas, & in fide synceritas conciliat, ac me pœnitere eos in talem fuisse mentem inductos. Igitur, quoniam religiosum, & sanctum est omnibus præferre veritatem, eam præsertim, quæ & facit ad honorem Christi, & sacris literis, ni fallor, tradita est, & ecclesiæ diffinitione constat: sit in hoc conclusio. Omnis gratia, siue supernaturale donum collatum hominibus à Deo faciensque ad eorum salutem, datur ex meritis Christi.

Ioan. 1. Probatur primùm ex illo Ioan. c. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Ex quo loco D. Aug. & Chrysost. colligunt, quod omnia bona spiritualia deriuãtur ad nos per Christum. D. August. D. Chrys. Et certè id liquet ex illis verbis; gratiam pro gratia. Est enim hebraismus, quo significatur à prima vsque ad vltimam gratiam, id est, omnem gratiam accipere nos ex plenitudine Christi. Cuius simile est illud Iob. 2. Pellem pro pelle dabit homo pro anima sua. Id enim perinde est, ac si dixisset: A primo vsque ad vltimum, & à minimo bono vsque ad maximum, & pretiosissimum, permittet homo spoliari se, vt vitam tueri possit. Iob. 2.

Secundo argumentor ex illo loco Apostoli ad Ephes. cap. 1. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, hoc est, affecit omni spirituali munere, & beneficio per Christum: quæ expositio est omnium patrũ, & interpretum Diui Pauli: ergo quodcunque beneficium spirituale nobis prouenit per Christum: at vocatio, auxilium, fides, &c. spiritualia sunt: ergo dantur nobis per Christum. Ephes. 1.

Tertio argumentor: Certum est, quod scriptura & sancti patres nomine gratiæ nõ intelligunt solum illum habitum, quem scholastici nomine gratiæ iustificantis appellant, faciuntque nonnulli essentiæ inhærentem non voluntati. Hoc, inquam, certum est: nam omne bonum spirituale, siue donũ, gratia rectissimè vocatur: ergo cum gratia & veritas per Iesum Christum facta sit, vt constat Ioan. 1. sequitur quod omne donum spirituale datur per Christum. Ioan. 1.

Quarto argumentor: Nam omne bonum procedit in nos ex dilectione bona volũtate Dei: sed Deus nos diligit in Christo, qui est filius dilectionis, in quo sibi cõplacuit, & in quo elegit nos, vt habetur expresse ad Ephes. c. 1. ergo omne bonum spirituale, &c. Ephes. 1.

Quinto argumentor: Nam in illo cap. 1. expresse habetur, quod vocati sumus in Christo: ergo per merita Christi vocamur: nec potest oppositum defendi.

Item sexto: Si per Christum regeneramur in filios Dei, vt omnes catholici supponimus, cur eripimus Christo regenerationis principia, si per eum instaurãtur omnia, estque caput corporis ecclesiæ; atque ipse in euangelijs seipsum comparat viti, quomodo stabit cum his principijs fidei, Ioan. 15. quod aliquod bonũ spirituale habeamus, nisi per ipsum? Nec enim aliquid habet palmes, quod non fluxerit à vite, nullus, vel motus, vel influxus est in corpore nisi à capite: nõ diceretur omnia instaurari per ipsum, si fides in nobis non instaurãtur per ipsum. Nec verò ego intelligere possum, qua ratione vel apparenti, cum Paulus dicat: Vobis datum est, non solùm, vt in eũ credatis, sed etiam, vt pro illo patiamini: & Philip. 1. alio in loco; In Christo sorte vocati sumus dicere quis audeat, pati quidem datum esse nobis per Christum, charitatem dari per Christum, vocationem autem ad fidem, fidemque ipsam non dari per Christum? Ephes. 1. Item scriptum est: Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me: vocatio autem ad fidem, fidesque ipsa, & aliæ dispositiones viæ sunt ad veniendum ad patrem: ergo illa omnia conferuntur per Christum. Complura alia formari possunt ex varijs scripturæ locis argumenta nõ cõtemneda, nisi ab eis, qui etiam dum disputant, dogma catholicum nihil aut afferre, aut aliquo pretio ducere consueuerunt; ni Ioan. 14.

si

si inertes quosdam syllogismos,& sophismata horrida,quasi reuelata veritas humano ingenio niteretur,& tali ingenio. Quanuis autem ex his,quos commemoraui,Ioãnes Driedo in quacūq; disputatione Theologa,& in hac præsenti ex scriptura sanctisque patribus,vt virum sapientem decet, conficiat argumēta,& probare nitatur suā sententiam; illud tamen ego ferre nō possum, quod cum adduxisset locum illum Pauli ad Ephes.1. Benedictus Deus,& Pater Domini nostri Iesu Christi qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Christum Iesum in ipsum, secundum propositum voluntatis Dei,in laudem gloriæ gratiæ suæ,in qua gratificauit nos in dilecto filio suo,in quo habemus redemptionem per sanguinem eius,&c. distinguit inter esse gratos adoptionisque filios, & esse prædestinatos. Atque addit primùm quidem,scilicet,nos habere gratiam iustificantem,id per Christum atque eius merita nobis conferri; secundum verò illud,scilicet, esse prædestinatos,easque dispositiones, & dona,quæ gratiam & charitatem antecedunt,non prouenire nobis per Christum, aut eius merita,sed ex sola voluntate Dei, sine meritis, & intercessione mediatoris, atque hoc voluisse Apostolum, quando postquam dixit; Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Christum Iesum,adiecit,secūdum propositum volūtatis Dei: quasi dicat nos esse quidem filios adoptionis per Christum;illa verò omnia,quę gratiam iustificantem anteceduut,& in summa prædestinationem ipsam nostram non esse per Christum. Debuisset autem homo sapiens cōsiderare,quod quanuis Apostolus duas ibi prædestinationis nostræ causas commemorauerit,primam Dei misericordem voluntatem,secundam mediatorem Christum Iesum,non tamen distinxit effectus alios mediatori tribuens alios Dei voluntati. Sed potiùs,quemadmodū, quando dixit, Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Christum,non exclusit Dei voluntatem:ità quando adiecit,secundum propositum voluntatis suæ non exclusit mediatorem;sed dixit quod Deus secundum propositum volūtatis suæ prædestinauit nos,& gratificauit in dilecto filio suo Christo Iesu;ità vt effectus omnes prædestinationis nostræ bonaque spiritualia vniuersa à Deo nobis proueniant per Christum. Ex quo aliud sumitur argumētum pro nostra sententia: Nam si in Christo prædestinati sumus,certè omnis prædestinationis effectus nobis prouenit per Christum:de quo latius diximus cum de prædestinatione Christi ageremus. Sed ad eam sententiam,quam patres Concilij Tridentini,nobis expressam reliquerunt, veniamus. Qui sessione.6.cap.5.declarauerunt iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse: ergo non modo iustificatio, sed & eius initium atque exordiū sumendum est per Christum. Quod nam verò hoc initium,& dispositio sit, synodus ipsa declarat conclusione. 6.&.7.&.8. Est timor, quo vtiliter peccator concutitur,est antecedens fides,est spes,est pœnitentia peccati: omnia ergo hæc sunt per Christum,iuxta Cōcilij Decretum. Id verò in Driedone laudo,quod oppositum cū modestia dicebat, sentiens quam dissonaret scripturæ testimonijs. Quocirca subiunxit tandem. Demus fidem in nobis esse primam gratiam,cadentem sub merito Christi. Donet autem,siue potius fateatur, necesse est,non modo habitum gratiæ iustificantis, sed fidem etiam, timorem, pœnitentiam,cæteraque spiritualia dona dari nobis per Christum Iesum, à quo accepimus gratiam pro gratia:id quod euidēter scriptura loquitur.

Sed sit contra hæc primum argumentum ex Driedone: Fides datur ex gratia,id est,ex gratuita Dei voluntate, qua ipse trahit hominem ad iustitiam, in qua iam est particeps meritorum:tractio ergo illa omnis,& præuentio,atque vocatio,nō est per Christum,sed per solam voluntatem Dei, iuxta illud Ioan.6. Nemo venit ad me,nisi Pater meus traxerit illum. Quibus verbis innuit putat Driedo, quod ea præuentio,& vocatio sit sine meritis Christi. Cæterum debuisset vir sapiens meminisse scriptum esse Ioan.14. Ego sum via, veritas,& vita:nemo venit ad patrem,nisi per me.

Secun

Marginal notes: Driedo. Ephes.1. Conc. Trid. Driedo. Ioan.1. Driedo. Ioan.6. Ioan.14.

Secundo idem auctor arguit ex Diuo Augustino libro de prædestinatione sanctorum dicente, quod homo quisque ab initio fidei ea gratia fit Christianus, qua filius Dei ab initio factus est Christus: sed Christus ex sola prædestinatione, & absq; vllo suo merito factus est Christus: ergo, & vnusquisque homo ex sola Dei voluntate & prædestinatione sine meritis Christi habet, vt sit prædestinatus, & conditus, præparatus, & dispositus ad re ipsa assequendam efficaciam meritorum Christi. D. August.

Ad hoc dico, sensum sapientissimi Augustini esse, quod sicut Christus voluntate gratuita Dei, sine proprio merito factus est Christus; ita vnusquisque hominum voluntate misericordi Dei, sine suo merito fit Christianus. Et quia hoc erit euidens consulenti Augustinum, ideircò non immoror. Et certe incautè Driedo videtur vsus esse hoc testimonio. Nā, si omnis homo per Augustinum, gratia Dei fit Christianus, sine meritis Christi, cum D. August. ibi nomine Christiani claudat bonos Christianos numero, & merito, vt dicitur; sequitur, quod isti boni Christiani fiant sine meritis Christi, quod catholicè neget ipse Driedo. Et certè nomine fidelis, atque Christiani, patres, nisi aliud ipsi declarēt, intelligunt habentes fidem operantem per charitatem. Cuius rei locupletissimus testis potest nobis esse OEchumenius. Qui interpretans illa verba Diui Iacobi, Abraham nonne ex operibus, &c. dixit, nihil esse certius, quam veram fidem non esse in peccatoribus. Quod certè ideò dixit quoniam plures patres eum appellabant fidelem, qui haberet fidem in ea recta dispositione, quæ ipsi consona est & debetur, fidem, inquam, operantem per charitatem. OEcumen. Iacob. 2.

Tertio argumentor: Quia prædestinatio est summa gratia, & beneficium nobis concessum à Deo: non tamen est ex meritis Christi: ergo nō omnis gratia est ex meritis Christi. Minor probatur: Quia sæpe in scriptura dicitur, quod sumus prædestinati secundum propositum voluntatis suæ, & quod non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis. Ephes. 1. Rom. 9.

De hac re latius diximus alio loco. Modò dico, esse vehementer falsum, quod nō simus prędestinati in Christo: in ipso enim sumus dilecti, & electi, & prædestinati, & vocati. Et istæ omnes sunt manifestæ scripturæ voces. Nec ista, similiaque argumēta sunt alicuius ponderis, nisi apud eos, qui putant Dei gratiam, & beneplacitum pugnare cum ea voluntate, qua voluit Deus propter suam misericordiam, vt assequeremur salutem in Christo Iesu.

Quarto argumentor: Quia non est necesse, vt qui meretur aliquid mereatur totum id quod requiritur ad illud: quilibet enim iustus meretur vitam æternam, & tamen non meretur fidem, nec primā gratiam, nec alia, quæ necessario requiruntur, & antecedunt: ergo quamuis Christus meruerit nobis gratiā, non est necesse fateri, quod etiam meruerit dispositiones, quę antecedunt. Ad hoc dico, quod quamuis non sit necesse, vt qui aliquid meretur, mereatur omne id, quod antecedit ipsum, necesse tamē est concedere secundū scripturas, quod Christus Dominus meruit nobis nō solum gratiam, & charitatem, & ea, quæ consequuntur, sed etiam omnes dispositiones, & bona spiritualia, quę antecedūt: quoniam in ipso electi & dilecti sumus. Sed de argumentis hactenus: satis enim leuia sunt quæ contra hanc veritatem opponuntur. Ephes. 1.

Potest tamen fieri argumentum, de aliquibus operibus præclaris, quæ fecerunt aliqui infideles; de quibus nec credi potest quod sine Dei auxilio ea fecerint, nec quod id auxilium detur per Christum.

Ad hoc ego existimo cum Philone ea vt in plurimum opera non fuisse bona, sed mala, & vitiata aliquibus circunstantijs. Si qua tamen bona fuerunt, credo sine numinis impulsu effici non potuisse, vt dicebat Plato. Effecta vero esse speciali auxilio Dei dato per Christum, cuius charitatis latitudo immensa est, nec est qui se abscondat à calore suę misericordiæ. Ita tenet Vega lib. 4. c. 7. Philo. Plato. Psalm. 18. Vega.

Sed quoniam catholici variè hac in parte loquuntur, & non vno modo se explicant, ideircò animaduerto, quo omnes eorum sententias comprehendam, quod aut vo-

volunt præuia auxilia interiores illuminationes timorem Dei & fidem nō conferri hominibus propter merita Christi, sed solam gratiam & charitatem, & ea quæ iustitiam consequuntur, atque hoc iam diximus & probauimus esse falsum. Aut dicūt secundo, hæc quidem omnia Christum meruisse, sed applicationem eorum meritorum non esse ex meritis Christi: & hoc etiam est falsum. Nam quando vocamur, atque vtili timore concutimur, & præueniente gratia excitamur, id fit ex meritis Christi: meruit enim Christus, vt Deus ei daret aliquos homines, in quibus regnaret. Aut dicunt tertio meruisse Dominū, vt sua merita applicarentur hominibus, sed quod applicarentur his ideum nō meruisse: ac propterea cum huic dantur, id nō esse ex meritis Christi, sed ex sola voluntate Dei. Et tertiū, hoc etiam credo esse falsum: quoniam Christus Dominus sciebat futura, & videbat, quinam in eum essent credituri: & orabat pro eis. Vt manifestè constat Ioan. 17. vbi ait; Ego pro eis rogo, non pro mundo; sed pro his, quos dedisti mihi: & pro eis ego sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Et paulò inferius Apostolos respiciens loquitur in hæc verba: Non pro eis tātùm rogo, sed & pro eis, qui crediturí sunt per verbum eorum in me. Quis autem credat Christum fudisse orationem pro his, quæ non cadebant sub merito eius? ergo vere cum pro his peculiariter orauerit, vt pater eos custodiret, & sanctificaret, & inter se se, ac cum ipso Christo vniret, id totum Christus meruit. Et certè, si Dominus redemptionem suam nō applicuit alicui, nec pretium soluit pro Paulo, non videretur proprie redemisse Paulum contra id, quod ille fatetur ad Galat. 2. Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Nec verò Christo tantum deberent redempti, quantum debent, nisi peculiariter eos redemisset. De quo ingenti beneficio ipsi magnificè gratias agunt dicentes Apocalyp. 5. Redemisti nos Domine ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum. Aut dicere possunt quarto loco id, quod quis vix intelliget, nisi persæpe in eo cogitationem posuerit, Christum Dominum meruisse electis peculiariter, vt eis applicarentur sua merita. Sed cum ad salutem vniuscuiusq;, & Dei bona voluntas, & Christi meritum, tanquam causa secunda concurrant, dicere quis posset, prius intelligi, quod Pater æternus gratuita volūtate sua hos homines peculiariter, quasi obiecerit, & proposuerit meritis Christi, quam meritū Christi eos peculiariter respiciat efficaciter liberandos. Itaque logicorum more loquendo, hæc causalis est vera. Hos homines peculiariter respicit meritum Christi: quia eos dedit ei pater, cum quibus regnaret, & de quibus verè, & cum lætitia diceret; Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus. Hæc autem causalis est falsa: Hi peculiariter eliguntur à Deo, quoniam eos peculiariter, & non alios respiciebat meritum Christi cum effectu. Atq; hoc quod quarto loco dixi, mihi videtur necessàrio verū. Primum: Quia alioqui prius intelligeretur in sanctificatione nostra, iustitia atque redemptio Christi, quam Dei misericordia, nec esset verum, quod superexaltat misericordia iudicium. Secundo: Quia causa prima prior est, quam secunda: ergo, quia Dei beneplacitum peculiariter hos respicit, ideò eos respicit meritum Christi. Et hoc ipse videtur significasse, cum ait, Tui erant, & tu mihi eos dedisti. Tertio: Quia in intelligibile est, quomodo Christus, quo nondum nato patres veteris testamēti extiterunt, ordinauerit sua merita, & eorum applicationem ad Abraham. Intelligendum ergo est, quod Deus proposuit Abraham meritis Christi, & propter ipsa præuisa eum vocauit & iustificauit Deus. Itaq; stant hæc duo simul, & quod Christus meruerit applicationem suorum meritorum his, quos pater elegit, & proposuit, & quod pater elegerit eos propter merita Christi sui, & per merita saluandos, & quod nihilo minus in eius beneplacito fuerit, aut hos liberare, aut illos per eius merita.

Quanuis autem leuia sint, quę opponuntur huic applicationi factę per merita Christi, sed vnum eorum eligamus, illud est; quia sicut peccatum Adæ deriuatur in homines

Ioan. 17. Galat. 2. Apoc. 5. Hebr. 2. Iac. 2.

mines per naturalem generationẽ:ita meritum Christi per spiritualem regenerationem: sed peccatum Adæ non fuit causa, quod generarentur homines naturaliter, sed quod geniti nascerentur in peccato: ergo pari ratione meritum Christi non fuit causa, quod aliqui regenerentur, sed quod regenerati iustificẽtur. Ad hoc dico, quod si quis tam premere velit hanc similitudinem ipse viderit in quod periculum incidat. Nam sequitur: Peccatum non est causa generationis nec naturæ posterorum: ergo meritum Christi non est causa regenerationis, & gratiæ regeneratorum.

Item sequitur: Peccatum non est causa, nec quod isti nascantur secundum naturalem generationem, nec quod aliqui in generali nascantur: ergo meritum Christi nec est causa, quod isti generentur, nec quod aliqui generentur, quicunque illi sint, nec aliqua ratione est causa iustitiæ, & regenerationis eorum, quod est absurdum. Ad rem ergo dicitur, quod vt testatur Apostolus Roma. 5. Non sicut delictum, ità & donum, multoque efficacius fuit meritum Christi ad nostram salutem, quam peccatum Adæ ad perditionem: quoniam peccatum procedit ex infirmitate humana, gratia verò ex immensitate bonitatis diuinæ. Potentior verò est voluntas Dei ad saluandum, quam voluntas humana ad perdendum: atque iccircò quanuis Adam peccando solum fuerit causa peccati originalis, quod contrahunt, qui ab eo descendunt, tamen Christus per sua merita, & est causa gratiæ ac beneficiorum omnium, quibus regenerantur electi: & rursus est causa, quod regenerentur.

Rom. 5.

S. Tho. lec. 5 ad rom.

ARTICVLVS. VII.

An Christus meruerit in ipso primo cõceptionis suæ instanti.



IN hac quæstione supponendum est, quod non quærimus, an Christus ab instanti conceptionis mereri potuerit habitu & potestate: hoc enim est certũ, cùm Dominus à principio conceptionis fuerit perfectus vir, quoad habitus scientiarum atq; virtutum, & facultatem vtendi libero arbitrio, secundum quam rationem sancti interpretantur illud: Fœmina circundabit virum. Sed hoc constituto, est quæstio, vtrum Christus non modo habitum, & facultatem merendi, sed etiam vsum, & actũ merendi habuerit in ipso primo conceptionis instanti? De quo sunt oppositæ sententiæ D. Thom. 3. part. quæst. 10. 34. articul. 3. & Scotus in tertio, distinctio. 18. quæstione vnica, tuentur affirmatiuam partem, quos cum nomino eorum etiam discipulos ferè omnes me nominare certum est. Alex. & Albertus Magnus, & Vdalricus tenent partem negatiuam: Diuus Bonauentura, & Durand. & Ricardus ea modestia fuerunt, vt nollent diffinire quod ipsi probè sciebãt ab hominibus ignorari. E contrario verò quidam auctor scriptum reliquit partem affirmatiuam, ità esse certam, vt oppositũ sit periculosum. Sed hæc relinquamus: nã multo periculosius est qualificare quod nescias. Dico ergo, quod ea sententia, quæ dicit Dominum in ipso primo suæ conceptionis instanti meruisse, videtur rationabilior esse. Et ratio, quæ me ad hoc mouet est: Nam Domino tribuenda est maxima perfectio in omnibus, in quibus, vel auctoritas, vel ratio euidens non obstiterit: sed nulla vel auctoritas est, vel ratio, quæ obstet, quominus dicamus, quod Dominus in eo instanti habuit actum merendi: ergo id dicere debemus. Et de auctoritate quidem certum esse puto. Sed probo, quod nulla etiam sit impediens ratio. Quia omne agens habens actum primum perfectũ, & obiectum præsens in ratione obiecti, si non impeditur, nec actus eius est successiuus, potest agere pro quocunque instanti: sed in Christo Domino in eo instanti erat gratia, erat obiectum præsens, ille non impediebatur agere, nec actus voluntatis est successiuus: ergo nihil obstat, quominus dicamus, quod tunc meruit. Et hanc rationem, quæ sumpta est ex Scoto loco citato, remq; hanc vniuersam sic declaro ex D. Thom. Nam quod in aliquo instanti meritum esse non possit, dupliciter potest cõtinge-

Hier. 31.

B. Tho.
Scotus.

Alexan.
Albert.
Bonauent.
Durand.
Ricar.

Scot.
B. Tho.

tingere, vno modo ex parte operantis, alio modo ex parte actus (Deus ſiquidem, & obiectum nunquam deficiet.) Ex parte quidem operantis poteſt hoc contingere propter defectum duplicis facultatis, ſcilicet gratuitæ. Sicut ſi diceremus, quod in inſtanti, quo quis peccauit mortaliter, non poteſt mereri, quia non habet gratiam, & ſecundo ex defectu facultatis naturalis, ſicut puer in tempore inſtanti, quo non habet vſum liberi arbitrij non poteſt mereri; quia non habet arbitrij vſum. Neutrum tamen in propoſito dici poteſt. Chriſtus enim in primo inſtanti habuit facultatem gratiæ, vt conſtat, & facultatem naturæ; quoniam vſum liberi arbitrij habuit: alioqui non potuiſſet eſſe comprehenſor: ergo ex parte Chriſti operantis nihil deerat ad meritum in illo ipſo temporis inſtanti, atque momento, ſimiliter nec ex parte actus meritorij. Quod enim aliquis actus in aliquo inſtanti eſſe non poſsit, poteſt contingere dupliciter. Vno modo per hoc, quod in actu illo ſucceſsio inuenitur: & ſic in inſtanti compleri non poteſt. Secundo per hoc, quod actus ſupponit quædam, quæ præcedere in inſtanti non poſſunt: ſicut non poteſt eſſe, quod ignis ſi eſt extra locum ſuum generatus, in primo inſtanti ſuæ generationis ſit in proprio loco, quia præexigitur motus, qui non poteſt eſſe in inſtanti. Neutro vero iſtorum modorũ impeditur, quin Chriſtus in primo inſtanti meruerit. Primo quidem, quia motus liberi arbitrij, in quo meritum cõſiſtit, non habet ſucceſsionem, ſed eſt ſimplex & inſtãtaneus. Secundo verò, quia ad motum voluntatis non præexigitur, niſi actus apprehenſiuæ virtutis, qui quidem motus in eodem inſtanti eſt cum actu voluntatis, eo quod bonum actu apprehenſum mouet voluntatem, ſimul autem eſt motio mouentis & motus mobilis. Ipſa vero apprehenſio boni in Chriſto non præexigebat aliquam inquiſitionem ad hoc, quod eſſet certum iudicium de bono: quia Chriſtus ſtatim de omnibus verum & certum iudicium habuit: cõſtat ergo, quod nihil prohibet Chriſtum in primo inſtanti meruiſſe, & quod id debet concedi.

Et præterea ſic argumentor: Beati verè & maximè liberi ſunt: cum enim in Dei imaginem transformentur, verè ſunt domini principes, & liberi, completumque eſt in eis illud. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis: ſed Dominus ipſe ab inſtanti conceptionis fuit beatus: ergo fuit verè & maximè liber: ergo potuit tunc habere actum liberum, & meritorium: ergo habuit eum. Valet enim hæc conſequentia à poſſe ad eſſe in hac materia. Vlterius ſic procedo: D. Auguſt. ſuper Geneſ. ad literam fatetur de angelis, quod in inſtanti ſuæ creationis intellexerunt: & ſi philoſophos reſpiciamus Auicena & Algazel putabant, quod intelligentiæ ſunt coæuæ, & tamen quod vna earũ eſt producta ab altera per actũ intelligẽdi alterius: ergo hoc non eſt in intelligibile: ergo intelligere debemus, quod in Chriſto ità factum ſit, quod in primo inſtanti intellexit, & amauit Deum & meruit. Amauit, inquam, non modo neceſſario, vt beatus, ſed etiam liberè, omnia referendo in ipſum. Quod probo: Nam vidimus, quod anima in eodem inſtanti ſentit, & ſentit ſe ſentire: ergo cum mens ſit multo altior, & ſubtilior in eodem inſtanti poteſt & amare, & exercere quancunque comparationem requiſitam ad merendum. His adde, quod potentia rationalis in Chriſto non fuit minus perfecta, quam potentia naturalis alterius creaturæ: ſed aliqua potentia naturalis in inſtanti, in quo incipit eſſe, habet ſuam operationem, ſicut D. Auguſt. dicit, quod lumen in inſtanti, in quo eſt, illuminat, ergo Chriſti potentia rationalis habuit actum in eodem inſtanti.

Ioan. 8. *D. August.* *Auicen.* *Algaz.* *D. August.*

Sed contra hanc ſententiam argumentor primo: Quia ad meritum requiritur deliberatio, ſed deliberatio requirit tempus: ergo anima Chriſti non potuit mereri in primo inſtãti ſuæ creationis. Ad hoc dico, quod diſcurſus omnis & inquiſitio deliberantis requiritur ad certitudinem iudicij, & concluſionis de re agenda: quocirca in intellectu ità perfecto, vt ſit in fine cognitionis, non requiritur illa inquiſitio ad actũ voluntatis: hæc verò perfecta diſpoſitio rationis fuit in Chriſto à principio, & ſic potuit

tuit tunc esse actus meritorius. In summa dico, quod deliberatio accepta pro certitudine iudicij, & conclusionis, hæc requiritur ad actum meritorium, sed potest esse in instanti, & ita fuit in Christo: sed deliberatio accepta pro inquisitione, & consultatione dubia non fuit in Christo nec requiritur ad meritum.

Secundo argumentor: Quia sicut meritum consistit in actu liberi arbitrij, ita & demeritum: sed Angelus non potuit peccare in primo instanti suæ creationis, quia sic in primo instanti suæ creationis fuisset malus, quod est falsum: ergo nec anima Christi potuit mereri in primo instanti suæ creationis. Ad hoc dicitur, quod voluntas rationalis naturæ naturaliter inclinatur in bonum, non autem in malum: & ideò in primo instanti suæ creationis, nisi aliquid impediat, potest ferri in bonum, non autem in malum, in quod non fertur nisi per errorem, aut defectum aliquem, qui non est genitus cum natura. Ac proinde dici solet, quod angelus non potuit in primo instanti peccare.

Tertio argumentor: Quia quando sunt duo motus ordinati, impossibile est, quod in eodem instanti terminetur vterque: sed creatio animæ Christi, & motus liberi arbitrij eiusdem, sunt duo motus ordinati, quia motus liberi arbitrij supponit creationem: ergo impossibile est, quod motus liberi arbitrij terminetur in eodem instanti, in quo creatio terminatur. Ad hoc nego maiorem in motibus instantaneis: nam illuminatio, & visio in eodem instanti terminantur. Habet autem locum in successiuis. Verum est tamen, quòd in illo eodem instanti prius natura est animam esse, quam operari, & vna operatio poterit esse ordine suo prior natura, quã alia.

Quarto argumentor: Sicut se habet natura ad actum naturæ; ita gratia ad actum gratiæ: sed natura non potest in actum gratiæ: ergo gratia non potest in actum naturæ: ergo Christus non potuit per gratiam habere actum naturæ, qui est eligere. Ad hoc negatur consequentia prima. Et ratio est, quia cum gratia sit perfectio naturæ, fieri non potest, vt sicut se habet gratia ad naturam, ita natura se habeat ad gratiam. Aliud enim est perfectio, aliud perfectibile. Et ad formam argumenti dico; quod ea proportio non est legitime commutata: solum enim inde posset inferri, quod sicut se habet natura ad gratiam, ita actus naturæ ad actum gratiæ.

Vltimo argumentor: Quia imbecillitas organorum impedit vsum liberi arbitrij, vt constat in infantibus: sed Christus hanc imbecillitatem assumpsit, sicut & alias: ergo non potuit mereri in primo instanti. Ad hoc dico, quod Christus non assumpsit defectus, qui redundare possent in imperfectionem gratiæ & scientiæ; qualis defectus fuisset ineptitudo organorum ad actum animæ; vnde hunc defectum Christus non assumpsit. Erant itaque organa Dei munere idonea ad operationem animæ. Sicut etiam in statu innocentiæ sapientissimus Augustinus arbitrabatur non fore in pueris recenter natis tantam ineptitudinem, & ignorantiam, quanta modo est. D. August.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm merita nostra, gratia, & bona omnia spiritualia dependeant à gratia & meritis Christi.



PRO huius intelligentia præmittendum est, quod dupliciter intelligi potest gratia nostra cum meritis, cæterisque bonis dependere à gratia, & meritis Christi. Vno modo, tanquam ex radice, ex qua in nos deriuatur gratia, & tanquam ex fundamento, cui innituntur nostra merita. Alio modo ita, vt & in fieri, & in esse nostra gratia dependeat à gratia Christi, & ad nostra merita peculiari concursu concurrat Deus per merita Christi, & ex quantitate concurrant ipsa merita.

Hoc constituto prima conclusio sit certa secundum fidem, quod ad hoc, vt opus sit meritorium necesse est, vt ad eum concurrat meritum Christi tanquam

prima radix, & fundamentum, cui innituntur merita nostra, & gratia. Hæc constat. Nam nullum opus est meritorium, nisi sit ex charitate, & gratia profectum, vt constat ex Apostolo. 1. Corinth. 13. sed gratia non datur nobis nisi ex meritis Christi: ergo ad hoc, vt opus nostrum sit meritorium necesse est vt concurrat meritum Christi, saltem hoc modo, quo diximus.

1. Cor. 13.

Secunda conclusio etiam certa: Quotiescunque augetur nobis gratia, & diminuitur pœna temporalis virtute alicuius sacramenti actu suscepti; illud augmentum gratiæ, & diminutio pœnæ non est sine nouo concursu, & applicatione meritorum Christi & satisfactionis eius. Probatur. Nam sacramenta sunt instrumenta quædam, quibus mediantibus nobis applicatur meritum, & satisfactio Christi: ergo quãdo digne ab aliquo suscipiuntur, verè ei applicatur meritum Christi. Et declaro hanc rationem: Quia in digna susceptione sacramenti in omni sententia, vel ex attritio fit homo contritus, vel si sit contritus ei confertur maior gratia ex vi sacramenti: est ergo ibi actualis concursus, & applicatio meritorum Christi.

Sit tertia conclusio in quam vir doctus Ruardus Taper non vult conuenire in articulo septimo, de satisfactione, mihi tamen vera videtur. Illa est: Quod gratia opera bona, & omnia spiritualia munera dependent ex meritis Christi, non solum in fieri, sed etiam in esse, & in conseruari, estq; in quocunq; bono opere actualis cõcursus, & applicatio meritorum Christi: & quotiescũq; operatur homo aliquod opus meritorium, Christus operatur in illo & facit vt faciat homo. Quam sententiam ego inde mihi persuadeo, quia existimo, quod statuit pater cœlestis pro ea beneuolentia, quã dilexit vnigenitum suum, ità eum extollere, & honorare, vt sicut nihil in natura facit, nisi per Verbum, ita nihil, nisi propter illum, vt homo est faciat ex his, quæ ad nostram iustificationem, & reparationem spectant. Et quemadmodum primum mobile est vniuersale agens, cui forma omnis & natura corruptibilis, omnesque corporei motus subijciuntur: ità

Ruard.

existimo Christum Iesum esse vniuersale agens, & causam bonorum spiritualium. Atque sicut omnia noua beneficia Dei nouam eius beneficentiam requirunt: ita requirunt nouam applicationem, & concursum, atque imputationem meritorum Christi. Et eos etiam, qui plura atque maiora beneficia acceperunt à Deo non dubito plus de Christi meritis participare, ac proinde nouas Christo gratias debere, cùm nouum aliquod donum, & munus assequuntur. Atque hæc omnia luculenter mihi probat celebris ille locus Pauli ad Ephesios, 1. vbi pater dicitur elegisse nos, vocauisse, gratificasse, & benedixisse omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, per ipsum instaurans omnia, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt. Atque illa etiam perpetua eiusdem Apostoli analogia, quod sumus corpus Christi, & membra de membro. Humani autem corporis membra pendent à capite perpetua quadam & iugi ratione influente vitam, & operationem. Quod idem etiam constat ex similitudine palmitum & vitis repetita in euangelio Ioannis. 15. Et peculiariter de bona operatione de qua erat maior difficultas argumentor: Nam ad operationem meritoriam duo requiruntur, forma supernaturalis, & auxilium: sed forma, siue gratia ipsa, est in me per actualem applicationem meritorum Christi: ergo & auxilium supernaturale est in me per actualem applicationem meritorum Christi. Sed certum est quod auxilium hoc ad singulos actus datur, vt diffinierunt concilia: ergo ad quenlibet actum concurrunt merita Christi. Quocirca non modo rhetoricè, sed etiam, vt proprissime dictum accipio, & syncerisimè audio illud Beati Cypriani, de laude Martyrij, vbi martyrem inducit secum cogitantem, quod in ea crudelitate carnificum, plus pro quo patitur, Christus ipse patiatur. Et quod necesse sit eum videri cuncta tolerare cui victoria debetur, & pugna. Quod optimè interpretabimur iccirco dictum, quod Christus tunc eiusque auxi-

Ephes. 1.

1. Cor. 12.

Ioan. 15.

D. Cypria.

auxilium, & vis pro illo, & cum illo militet pugnet.

Sed contra hanc doctrinam argumentor: Nam merita Christi non existunt modo in rerum natura: transierunt enim: gratia etiam gratum faciens qualitas est absoluta, & videtur omnino mansura ipsa anima & subiecto disposito manente: ergo nostra gratia & merita non dependent à gratia & meritis Christi. Ad hoc dico, quod licèt meritoriæ operationes Christi transierint in esse naturæ, quemadmodum cæterorum hominum operationes, semper tamen eas respicit Deus, & manent in acceptatione diuina: quod est manere in genere causæ moralis. Gratia verò nostra dico, quod dependet à gratia Christi, vt gratia est: & quod quemadmodum radius absente sole desinit esse, micat verò per illū, ita gratia nostra desineret esse, nisi fulgore radiaret gratiæ Christi. Et quemadmodum oculis corporis videmus nullum lucis radiū refulgere, nisi mediāte sole: ità si oculos mentis illuminatos haberemus, videremus vtique spiritus nostros non fulgere lumine gratiæ, nisi per Christum.

Secundo argumentor: Quia gratia, vel ex natura talis qualitatis, vel saltem ex lege constituta habet quod subiectum faciat gratum: ergo non indiget illa irradiatione gratiæ & meritorum Christi: ad hoc dico, quod cum Deus sapienter & suauiter cuncta disponat talem nobis contulit gratiæ rationem, vt sicut Deus neminem habet acceptum nisi in ordine ad Christum ita nec gratia nos faciat ei acceptos nisi in ordine ad gratiam & iustitiam Christi. Et in naturalibus videmus, quod radius lucis ex natura sua illuminat: & tamen id facit per solem, inquantum dependet ab eo in fieri, & in conseruari: & ita est in nostro proposito.

Sed insto in hunc modum: Quia si gratia daretur, & non propter Christum, illa esset eiusdem speciei, atque naturæ cum gratia, quæ nunc confertur: ergo hæc gratia non dependet in esse à gratia Christi. Ad hoc ego admitterem antecedens, & negarem consequentiam. Nam & lux modò dependet à sole; & si Deus illam crearet sine sole, esset rationis eiusdem, & non dependeret à sole. Verum est tamen, quod antiquorum gratia non potuit dependere à gratia Christi in esse causæ efficiētis naturalis, quia ea gratia tunc non erat. Semper tamen gratia omnis, iustitia & bonum supernaturale fuit ex acceptatione, & meritis Christi.

ARTICVLVS. IX.

Vtrùm Christus meruerit & satisfecerit secundum perfectam, & exactam rationem iustitiæ.



HAEC res est difficilis intellectu, & plurimis quæstionibus inuoluta: donet Dominus, vt dilucidè illam tractemus, &, quod multò maius ac pretiosius est, veritatem attingamus. Et primo quidem doctorum sententias statuemus: deinde præmittemus quædam pro intelligentia quæstionis: tertiò ei respondere curabimus. Sunt autem de illa duæ sententiæ. Prima Scoti in tertio, distin. 20. quæstione. 1. & distinctione. 19. quæstio. 1. & in quarto, distinctione. 15. & Gabriel. in quarto, eadem distinct. Durandi in tertio, distinctione. 20. quæstione. 2. Medinæ codice de pœnitentia, tract. 3. quæstione. 1. Ij dicunt, quod Christi Domin. meritum, & satisfactio nō fuit de toto rigore (vt aiunt) iustitiæ. Contrarium verò docent Sanct. Thom. in quarto, distinctione. 15. & quarto contra Gent. cap. 54. B. Bonauent. in tertio distinctione. 20. quæstione. 3. & 4. Vega li. 7. cap. 8. & 9. Osius in confessione fidei. ca. 1. & 48. Driedo de captiuitate, & redemptione, gene. humani. fol. 37. Ruardus Taper articulo. 6. Burgens. in scrutinio, dist. 5. cap. 9. 10. 11. & est sententia communis Caietano, Capreolo, Ferrariensi, Dominico de Soto, libro. 3. de natura & gratia, capit. 6. & in quarto, distinctione decimanona, quæstione prima. Et quidem qui asserunt Christum Dominum non satisfecisse de rigore iustitiæ, sed ex suppositione gratiæ, dupliciter se possunt explicare.

Scotus. Gabriel. Durand. Medina. B. Tho. Bonauent. Osius. Driedo. Ruard. Burgen. Caieta. Capreo. Ferra. Soto.

Vno modo ità, vt dicant opera Christi & merita formaliter non fuisse tanti valoris, vt nostris demeritis adæquarentur, sed bona voluntate Dei fuisse acceptata pro peccatis hominum; ac si illis æquarentur. Quod si hoc modo aliqui doctores se explicent videtur ea sententia omnino improbabilis, & indigna: quoniam iustitiæ, & sanctitati Christi omnino debetur longe vt superet nostra peccata. Possent verò secundò dicere, opera & satisfactionem ac merita Christi, non modo esse æqualia secundum formalem, ac inhærentem bonitatem nostris demeritis, sed ea longe excedere, nihilominus tamen eum nō satisfecisse de rigore, quoniam quæcunque habebat debebat Deo, & ipsi accepta referebat. Et si hoc modo se explicent relinquẽda est illis sua probabilitas. Hæc de sententijs. Aduertendum autem est pro intelligentia quæstionis, quod satisfactio est recompensatio iniuriæ illatæ; & differt à restitutione in hoc, quod restitutio reparat detrimenta illata in alijs bonis; satisfactio vero honoris, & dignitatis damna resarcit. Et quidem aliquando accidit, vt is, cui satisfactio fit multum de iure suo remittat, & liberaliter agat cum eo, qui satisfacit. Atque hæc satisfactio dicitur imperfecta. Nō quia animus satisfacti sit imperfectè placatus; sed propterea quod talis satisfactio aliqua ex parte nititur liberalitati eius, qui offensus est. Multipliciter autem contingit, vt satisfactio fundetur in liberalitate eius, cui fit, nimirum quia id, quod redditur pro iniuria minus est eo, quod debetur; vel quia licet sit æquale, est tamen alio titulo debitum, aut alienum, vel quia non habet ex se valorem, sed ex dono & gratuita æstimatione eius, cui fit satisfactio: vel denique quia satisfactio non fit ab eo qui deliquit, sed ab altero. Ex quibus fit, quod ea satisfactio est plena atque perfecta, in qua nihil illorum reperitur. Vnde satisfactio perfecta est compensatio pro illata iniuria æqualis, non ex alieno, aut alioqui debito habens ex se valorem, & facta ab eo, qui vel ipse iniuriam intulit, vel pro eo, qui intulit habet ius satisfaciẽdi.

Secundo præmittendum est ne ob ignorãtiam nominum hallucinemur, quod licet satisfactio plena atque perfecta, & ea, quam scholastici appellant, de rigore iustitiæ, sint idem, tamen satisfactio ad æqualitatem non est idem, quod satisfactio perfecta. Nam satisfactio ad æqualitatem dicitur ad differentiam eius, in qua redditur minus, quam debebatur. Atque iccirco ille dicitur non immerito adæqualitatem satisfacere, qui tantum reddit, quantum debet, siue sit alioqui debitum, siue secus. Hæc vero dixi secundum magis communem acceptionem scholasticorum huius temporis. Re enim vera, si æqualitas esset absoluta, & nulla ex suppositione, in idem incideret satisfactio ad æqualitatem, & satisfactio perfecta. Et ità loqui solebat Aristoteles in moralibus de æqualitate, quę inuenitur in iustitia. *Aristot.*

Tertio loco illud præmittam: Quod si rectè vereq; supposuero, complurimum faciet ad huius rei intelligentiam. Illud vero est, quod in Christo, & erat meritum ac satisfactio & infinitus valor meriti, ac satisfactionis. Et quidem meritum ad satisfactio reducebantur in eum, qua homo erat: valor autem illius in dignitate personæ. Ac proinde Christus merebatur, & satisfaciebat infinitè, non solum secundum quod homo erat; sed quia Deus & homo erat. Nec enim satisfaceret ac mereretur, ni si homo esset, nec esset illud meritum, & satisfactio infiniti valoris, nisi Deus esset. Itaque differt inter mortem, & satisfactionem Christi, quod quãuis eius mors in particulari accepta non abstraheret à persona diuina, erat enim mors Dei, & hominis, siue Christi, non tamen Christus mortuus est secundum quod Deus, sed præcise secundū quod homo. At verò infinita Christi satisfactio, & valor illorum operum nō conuenit Christo præcise, qua homo erat, sed quia Deus & homo erat.

His positis prima conclusio: Christi Domini satisfactio non modo fuit æquiualens, sed etiam longè superans nostra peccata, & offensam. Hæc tam debet esse certa apud catholicos, vt probare nō sit necesse. Filius enim Dei, & sanctus sanctorū, in quo oẽs dilecti & electi, & prædestinati *Dan. 9.*

sumus,

ſumus, & qui factus eſt nobis iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio habet iuſtitiam, & gratiam, & ſanctitatem altioris ordinis, quoad quantitatem, quam nos miſerrimi peccatores. Quod ſi virtutes omnes rerum inferiorum nulla ratione poſſunt adæquare virtutem Solis, quanto magis intelligere debemus omnes fideles, quod nec iuſtitia omnis, & ſanctitas hominum & angelorum pertingere poteſt ad ſanctitatem, & puritatem lucis illius, cuius participatione ſancti, & puri ſunt, quicunque ſancti & puri fuerunt ac erunt? Nec rurſus eorum malitia & offenſa adæquabit incarnati Verbi Dei merita, & bonitatem.

Ephef. 1.

1. Cor. 1.

Secunda concluſio. Si conſideretur in Chriſto præciſa ratio merendi, & ſatisfaciendi, illa conueniebat ei, qua homo erat: & quicquid ei conuenit, qua homo eſt debitum Deo eſt.

Probatur prior pars: Quia mereri & ſatisfacere eſt non habentis, & inferioris: meretur enim quis, & facit ſibi debitum, quod non habet: & meretur apud eum qui habet, & redditurus eſt præmium.

Probatur vero ſecunda pars: Quia Chriſtus, vt homo, eſt quid creatum ac factũ: Miſit enim Deus filium ſuum factum ex muliere: ergo vt ſic dependebat à libera voluntate Dei.

Gala. 4.

Item, vt homo, erat ſeruus iuxta illud: Parum eſt vt ſis mihi ſeruus, &c. ergo quicquid eſt, Domini eſt. Tertio: Vt ſic erat ſumme humilis, atque dicebat, Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: ergo quicquid boni habebat gratum ferebat Deo, & intimè ac ſummè ipſum recognoſcebat, & ſubdebatur ei. Quarto: Vt homo eſt prædeſtinatus: ergo accipit gratiam à Deo liberaliter. Tandem, quia quicquid vt homo habuit per gratiã habuit, non per naturam: ergo illud omne debitum erat Deo.

Eſai. 49.

Matth. 11.

Tertia concluſio, Chriſti Domini ſatiſfactio fuit de toto rigore iuſtitiæ: itaque ſatisfecit Deo pro nobis ſecundum perfectam, & exactam rationem iuſtitiæ. In hac concluſione probanda, quanuis pluribus teſtimonijs ſcripturæ & ſanctorũ non abuteremur, quibus Chriſti iuſtitia, & ſatisfactio commendata & amplificata eſt. Qualе eſt illud: Empti enim eſtis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. Et illud: Et tu in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu. Et illud: Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtẽſionem iuſtitiæ ſuæ. Et iterum: Si vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ, accipientes regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Quibus verbis ſignificatur, quod multò maius & potentius, & efficacius fuerit meritum Chriſti, quam delictum Adæ. Fuit autem Adamus ob ſuum delictum factus reus cum poſteris ſecundum perfectam rationem iuſtitiæ: ergo Chriſtus Dñs perfectã iuſtitia ſatiſfecit. Et tandem illud: Exauditus eſt pro ſua reuerentia. Et Beatus Auguſt. dicit 13. de Trinitate capit. 13. quod cum diabolus vitio peruerſitatis ſuæ factus ſit amator potentiæ, & deſertor oppugnatorque iuſtitiæ, & homines tanto magis eum imitentur, quo magis neglecta iuſtitia, atque etiam peroſa, potentiæ ſtudent, placuit Deo, vt propter erudiendum hominem non potentia diabolus, ſed iuſtitia vinceretur. Et eadem eſt ſententia Gregorij Theologi oratione ſecunda in paſcha. Poſſent tamen authores contrariæ ſententiæ reſpondere hæc teſtimonia, ſolum probare primam concluſionem ſupra poſitam, quæ non niſi abſurde negatur. Ac proinde ab adducendis teſtimonijs abſtinebimus. Probatur verò ſcholaſtico modo concluſio: Nam, vt ſupra poſitum, & deductum eſt, meritum, & ſatisfactio Chriſti conueniebat ei, non modo qua homo erat, ſed etiam qua Verbum Dei, ſiue Deus erat: alioqui non fuiſſet tam immenſi valoris, & dignitatis. Sequitur ergo, quod ea ſatisfactio fuerit perfecta, & exacta ſecũdũ omnẽ ratione & ſeueritatẽ iuſtitię. Probo ſimul, & declaro cõſequẽtiã: Quia huic ſatisfactioni conueniunt omnes qualitates perfectæ ſatisfactionis: fuit ſi quidem æqualis, ac longè ſuperans, vt dictum eſt, non aliena, quia Deus ſatisfaciebat,

1. Cor. 6.

Zachar. 9.

Rom. 3.

Rom. 5

Hebr. 5.

D. Auguſt.

Nazianz.

bat,& omnia sunt Dei,nec alioqui debitã, quia ipse nihil debebat. Quis enim prior dedit illi,& retribuetur ei? Et habebat in se valorem ac dignitatem immensam, quia erat immensa dignitas personæ offerentis. Et tandem erat ea satisfactio facta ab eo, qui quamuis ipse non peccauerit, nec dolus inuentus fuerit in ore eius, habet tamen in nos omne ius, quod excogitari potest;& ex consequenti habet ius pro nobis satisfaciendi: ergo ea satisfactio fuit omnino perfecta in ratione iustitiæ. Ac certè victa quodam modo Dei sapientia à malitia videretur; si volens nobis suscitare redemptorem,is tamen non secundum perfectam iustitiam,nos liberauisset; cum per vnum hominem secũdum perfectam iustitiam rei facti essemus. Et hæc pro hac conclusione.

Rom. 11.

1.Pet.2.

Sed quia prudentium virorum est ità extollere excellentia merita Christi, nihil vt detrahant maiestati Dei, & authores contrariæ sententiæ dicent, se tribuere Christo, vt homini, & eius merito ac satisfactioni quicquid rei creatæ tribui potest;dare verò Deo quicquid ipsi debetur, deberi autem ei omne,quod factum, & creatum est, iure suo expostulabunt, vt eos audiamus modestè, atque patienter. Sunt enim multa,& fortia ac grauia, quæ opponunt.

Primum igitur argumentantur: Quia Christus,vt homo,est seruus Dei, & humilis:ergo quicquid habet debet Deo, & ipsi acceptum fert:ergo eius satisfactio habet vim ex liberalitate & gratia Dei. Respondetur negando vltimam consequentiam. Quoniam argumentum solum probat,quod ea quæ conueniunt Christo præcise, vt homo est, fundentur in gratia & liberalitate Dei:mereri autem, & satisfacere infinite conueniunt ipsi, qua Deus, & homo est.

Secundo argumentor:Quia Christus,vt homo,& opera eius & merita,& satisfactio & valor siue dignitas eorum, omnia sunt quid creatum: ergo debentur Deo: ergo hæc satisfactio est ex debitis. Respondetur quod illa quidem omnia sunt quid creatũ: sed filius Dei, qui per illa merebatur, increatum quid est,& Deus est & nihil vlli debet,quod ipse non habeat per naturam. Et ab ipso habet hęc satisfactio,quod sit de rigore iustitiæ.

Tertio:Quia satisfactio est ad alterum, vt verè docent philosophi morales : sed Christus est Deus:ergo nõ potest,propriè loquendo, satisfacere Deo. Hic quidam respondent,quod filius per passionem satisfecit patri,& ex consequenti hæc satisfactio est ad alterum suppositum. Quæ tamen euasio mihi nũquam probata est:quia peccator per se primò offendit Deum, & per se primo tenetur satisfacere Deo, & cum satisfacit illi primo satisfacit. Vnde ad argumentum dico, quod satisfactio Christi est ad Deum,siue se ipsum per alteram naturam. Et quod hoc non sit vllum inconueniens declaro. Nam quemadmodum secũdum philosophos ipsos,& logicos,vnũ non est maius,aut minus se ipso simpliciter,nec aliquid est seruus ac Dominus sui ipsius(hæc enim sunt ad alterũ) Christus verò,vt homo,& minor est se ipso,vt Deo, & seruus sui ipsius: pari ratione in nostro proposito dicendum est.

Aristot. in prædic.

Quarto argumentantur Duran.& alij: Quia inter patrem & filium non est iustitia perfectè,nec parentibus possunt filij reddere æquale:ergo,&c. Ad quod dico,quod etiam in humanis inter filium sui iuris, & emancipatum,atq; patrem potest esse iustitia.Et filij quidem in humanis debent parentibus,quod sunt;quoniam liberè, & voluntariè eos genuerunt,ac sunt causæ efficientes illorum. Filius verò æternus tam est ex natura sua Deus,quàm pater:quamuis sit à patre.Nec ibi est ratio causæ & effectus,nec prioris,& posterioris:nec ibi est aliquid maius,aut minus. Ac proinde potest filius apud patrem per humanam naturam mereri,& satisfacere de iustitia.

Durand.

Quinto argumentor:Quia quotiescunque solutio est alterius rationis à debito, liberum est creditori acceptare solutionem: nec enim tenetur creditor pecunias accipere, si sibi debetur triticum, sed satisfactio redemptoris fuit alterius rationis à debito, scilicet, à peccato& iniuria:ergo nõ tenebatur pater eã acceptare. Respõdetur, quod

maior

maior propositio habet locum in restitutione, non semper, sed vt in plurimum; at verò in satisfactione in vniuersum est verum, quod solutio est alterius rationis à debito; quia debitum est iniuria; solutio verò opus studiosum.

Sexto argumentor: Quia si meritum Christi fuit infinitum, & valor satisfactionis eius inæstimabilis, sequi videtur inter alia; quod nec Deus potuerit præmiare condignè merita Christi: siquidem nec fuere, nec erunt infiniti homines, quibus culpam remittat, & gratiam largiatur per Christum. Respondetur, quod aliud est mereri gratiam infinitis hominibus, si essent, aliud verò mereri, vt Deus illos produceret in esse. Primum meruit Christus, non secundum. Nec verò decuit, vt hoc secundum mereretur. Vnde sufficienter eius merita præmiat Deus, cum gratiam tribuit, & gloriam omnibus, qui Christo suo volunt adhærere per fidem, & obseruationem mandatorum eius. Et quamuis non tot detur gratia per Christum, quin pluribus posset conferri, non tamen aliqua ex parte manet Christus sine præmio: quia non meruit ipse, nisi, vt accedentibus ad eum daretur gratia pro ratione dispositionis subiecti, quam ipsa gratia efficit homine cooperante per liberum arbitrium.

Septimo argumentor: Quia opera Christi erant finitæ entitatis ac perfectionis: ergo non erant valoris immensi. Respondetur, quod illa opera finitæ entitatis ac perfectionis erant, siquidem creatum quid erant: sed quod ea offerret Verbum Dei pro nobis, valoris erat, & meriti inæstimabilis, propter personæ infinitatem.

Octauo argumentor: Christus satisfecit ratione gratiæ vnionis, & habitualis existentis in anima, siue mente: ergo non satisfecit ex proprijs, sed ex gratis acceptis. Et quidem quod Christus fuerit, gratia fuit: ergo hoc totum debetur Deo. Respondetur gratiam vnionis (quod est Christum esse) non esse factam supposito Verbi Dei, sed naturæ humanæ. Similiter gratia habitualis est facta naturæ, non supposito. Et tandem omnia bona gratis collata Christo in ordine ad humanitatem, talia dicuntur, non in ordine ad suppositum. Ac propterea, si natura humana satisfecisset, non satisfecisset ex proprijs. Veruntamen, quia Verbum Dei satisfaciebat, satisfaciebat ex proprijs. Et quidem, si humanitati Christi collata sunt immensa beneficia per gratiam Dei, debeat gratiæ Dei humanitas cõplurimum; filius autem, qui natura Deus est, nihil debet gratiæ.

Nono: Iudex non tenetur acceptare satisfactionem vnius pro alio, nec etiam patris pro delinquente filio, nec Domini pro seruo: ergo Deus non tenebatur de rigore acceptare satisfactionem oblatam à filio pro nobis peccatoribus. Respondetur, quod iudex non tenetur acceptare satisfactionem, nisi vel eius, qui deliquit, vel illius, qui pro delinquente habet ius satisfaciendi: & Verbum, quando humanitate assumpta ouem errantem quæsiuit, & satisfecit pro nobis peccatoribus per vitam ærumnosam, & mortem acerbam, vsum est iure suo. Si verò quæras quodnam sit illud ius satisfaciendi, quod habuit filius Dei, paternum ne an dominatiuum, quod tandem? Nam pater non habet ius satisfaciendi pro filio, nec Dominus pro seruo; respondeo breuiter, quod Verbũ patris habet in nos omne ius, quod excogitari potest.

Decimo argumentor: Quia si quodlibet opus Christi erat infinite meritorium, sequitur, quod ab ipsa natiuitate, & conceptione Christi erat solutum pretium per actum meritorium ipsius. Respondetur, quod in fonte bonorum bona superabundant, & effluunt. Ac proinde quamuis gutta sanguinis Christi fusi pro nobis suffecisset ad redemptionem hominum, hæc vero fuit Dei admiranda dignatio, vt omnes suos actus, labores, & dolores incredibiles, & passionem obtulerit Deo pro nobis: vnde in passione consummata est redemptio: & illa omnia oblata sunt, vt vnum pretium.

Vltimò argumentor: Quia si Christus Dominus satisfecit, de toto rigore iustitiæ, ergo non poterat pater æternus non acceptare satisfactionem.

Quod videtur esse falsum: quia nihil est quod necessitatem possit inferre Deo. Ad hæc quidam respondent distinguendo cõsequens. Non poterat pater non acceptare ex rigore iustitiæ, quæ attenditur secundũ rationem dati, & accepti: nego consequentiam. Non poterat non acceptare propter vnitatem voluntatis diuinæ patris & filij, ratione cuius fieri non potest, vt filius offerat, & pater non acceptet: concedo consequentiam. Hæc tamẽ solutio mihi nõ probatur, quia diuertit ad id, quod se habet, vt accidens ad quæstionem, & nõ saluat meritũ de rigore iustitiæ in satisfactione Christi. Vnde quamuis Christus offerret satisfactionem finitam & non æquiualẽtem esset verum, quod non poterat pater non acceptare propter vnitatem voluntatis. Posset ergo secundo dici, quod sufficit ad hoc, vt Christus dicatur satisfecisse de rigore iustitiæ, quod dedit æquiualens, atq; etiam exuperans in rigore: non verò eo quod pater omnino teneretur acceptare. Et tunc ad argumentum: Satisfecit de rigore iustitię, cõcedo: ergo non poterat pater non acceptare: distinguo consequens. Ex parte pretij oblati, concedo: quoniam nullus in eo erat defectus. Ex parte acceptantis, nego, quia ille est liber, etiam cum æquiualens offertur. Atq; hæc solutio omniũ maximè probabilis videretur, nisi tacitè supponeret, quod filius non habebat ius satisfaciendi pro nobis. Si enim habet ius satisfaciẽdi, & reddit æquiualens, non potest non acceptare is, cui facienda satisfactio est. Concedo ergo, quod secundum hanc sententiã, stante prædestinatione & passione Christi, & oblata ab illo, pater non poterat non acceptare, & alioqui faceret iniuriam Deo filio. Absit autem à Deo, facere vt possit alicui iniuriam. Bonitas enim non male faciet. Quamuis autem multis contenderim, hãc partem tueri, longiorq; fuerim, quam par esset, vt vides, humanissime lector, vtra verò harum sententiarum vera sit, mihi est valde dubium. Nam, licet valor operum sumatur à dignitate personæ, & nunquam Christus tantundem meruisset, nisi Deus esset, hæc tamen omnia nõ offerebat Christus, vt Deus, sed vt homo: ergo & ipse offerẽs, & illa omnia debita erãt Deo largiẽti per gratiã, & omnia bona quę Christus habuit, & vt ipse Christus esset Christus, hominumque redemptor. Dicent vero alij, quod ipse offerens erat infinitæ dignitatis.

ARTICVLVS X.

Vtrùm purus homo potuerit satisfacere de rigore iustitiæ, vel ad æqualitatem pro peccatis omnium, vel pro proprio.



QVONIAM in hanc quæstionem defessus perueni disputatione præterita, dico breuiter, quod si de homine absque gratia Dei sermo sit, certum est secundum fidem, quod nec potest suis viribus reconciliari Deo, nec pro se, nec pro alijs satisfacere. Si tamen iuuetur gratia Dei, tũc nõ quidẽ poterit, aut mereri apud Deum, aut ipsi satisfacere de toto rigore iustitiæ: quoniam quicquid habet debet Deo non modo ratione creationis, sed multis alijs nominibus: & quò plura recipit beneficia tanto in maiori debito & obligatione est. Si verò meritum, & satisfactio ad æqualitatem dicatur, quando tantùm merui, quãtum mihi datur, & tantundem soluo atq; offendi, siue id fundetur in gratia, siue secus, tũc dico quod per gratiam Dei potest esse tam bonus actus formaliter, quo merear, quantũ malus ille, quo demerui. Erat siquidem ille malus actus, quia defuit ei perfectio ac bonitas, quam potuisset, & debuisset habere. Nõ tamen posset purus homo satisfacere ad æqualitatem pro peccatis totius mundi per gratiam, quæ datur secundum legem ordinariam. Quod absque ratione liquet. Nam quomodo satisfactio vnius hominis æqualis erit omnibus culpis omnium hominum, nisi ea gratia esset alterius ordinis quoad essentiam, vel quantitatem ab ea, quæ datur puris hominibus? Si tamen Deus vellet illam acceptare, ac si esset æqualis, quis dicet ei, cur fecisti. Est verò inter meritum, & satisfactionem cõsideranda differentia, quod si quis seruiat Iob.9.

Regi,

Regi, non ideò minus meretur, quod bono & magno Domino seruit: ac proinde iure accipiet præmium æquale labori. Si quis autem vel leuiter verbo offenderit Regem, vix recompēsabit offensam morte acerba; longissimèque aberit à satisfaciendo, si verba verbis recompenset, aut facta factis: quia quo maior est persona, in quam peccatur, tanto maior est offensa, & maior requiritur recompensatio, si æqualis futura est. Ac proinde, quāuis quis per gratiam Dei possit mereri aliquid apud Deum, secundum æqualitatem; quomodo autem possit satisfacere Deo ad æqualitatem pro offensa graui in ipsum commissa, non dicam pro alijs, sed etiam pro se, non intelligo. Scimus autem, quod pœnitens remissis iam peccatis ex diuina misericordia gratis, satisfacit per gratiam Dei in hac vita pro culpis, vel satispatitur in futura.

Conci. Trid. sess. 6. c. 9.

Sed aduersus hæc argumentor: Quia homo iustus est membrum Christi, eiusque meritum & satisfactio nititur, & coniungitur meritis, & satisfactioni Christi: sed Christi satisfactio fuit perfecta, & ad æqualitatem, etiam considerata seuera ratione iustitiæ: ergo & satisfactio puri hominis. Ad hoc argumentum negata in primis cōsequentia: Quoniam quando ego satisfacio gratia se tenet ex parte acceptantis, & communicatio satisfactionis Christi misericorditer mihi fit, non transferendo æqualitatem in meam satisfactionem sed participationem quandam: sicut ignita ab igne habent esse & posse. Dico præterea pro maiore declaratione, quod aliud est dicere, Satisfactio mea coniuncta cum satisfactione Christi, & simul accepta est æqualis, & perfecta simpliciter, quod est verisimum, & de illo dubitare, nec est sapientiæ, nec artis, posito & constituto, quod satisfactio Christi est perfecta: aliud verò, & longè diuersum est dicere, quod satisfactio mea, vt sum membrum Christi, est perfecta simpliciter, & superexcedens. Hoc enim est falsum: Nam, vt rectè docet Caietanus, quanuis ea satisfactio capiti Christo innitatur, non tamen recipit eandem cum satisfactione Christi æqualitatem: sicut imperfecta participant quidem à perfectis esse, & posse; non tamen illis æquantur. Nec verò digitus, quanuis recipiat influxum à capite, plenam eius vim & perfectionem recipit. Et quidem, si satisfactio hominis iusti, vt est membrum Christi, est perfecta simpliciter, & superabundans, & omnis iustus est membrum Christi; sequitur, quod cuiuscunque hominis iusti satisfactio est in rigore perfecta, & quidem pro omni culpa & pœna, quod est vehemēter falsum. Cōsiderare ergo debemus, quod aliud est aliquam operationem vniri Deo, vt personæ propriè, & non mysticè loquēdo: ea enim operatio erit infiniti valoris, & satisfactionis, ac meriti: aliud verò & longe diuersum est aliquam operationē vniri Deo, vt causæ vniuersali, atq; personæ mysticæ. Tunc enim ea operatio pro quantitate influxus habet vim, & efficaciam, & semper supponit gratiam misericorditer concessam operanti.

Caiet.

QVAESTIO VIGESIMA SECVNDA, DE SVBIECTIONE CHRISTI AD PATREM.

ARTICVLVS. I.

Quod Christus sit subiectus Patri, & vtrum debeat dici eius seruus.



CONSTITVTA fide catholica, quod Christus Dominus sit & verus Deus, & verus homo, mihi videntur ea, de quibus est præsens disputatio, valde plana, ipsissimaque fidei fundamenta. Sed antiquorum hæreticorum improbitas, & quorundam catholicorum, qui se Theologos profitentur, ignorātia efficiet, vt hæc illis declaremus. Sufficere autem alioqui videretur, rogare dubitātem fidelem, an credat Christum esse verum Deum, & verum hominem? Dicet ille firmissimè credo. Rogo iterum, an verum sit, quod alia ratione est Deus, & alia homo? Quod vtique non negabis, nisi sis insipiens. Tunc vltra quæro, qua ratione est homo, est æqualis Deo patri, an non? Respondebis, est inæqualis, & minor patre. Igitur tandē interrogo, si vt sic est inæqualis, & minor Deo, est ne exemptus à subiectione Dei, aut eius inimicus, & inobediens, aut amicus seruus & obediens? Non exemptus à subiectione Dei, quia omne factum à Deo subiectum est ipsius ditioni ac Dominio. Nec verò Deo est inimicus, & inobediens (auertat Deus iam immanem sacrilegamque dementiam) restat ergo vt Dei seruus sit, Deoque & amicus, & subiectus, & consequenter sibi ipsi, vt Deo. At verò, si de Christo loqueremur, vt Deus est, nec Deo patri est subiectus, quia est ipse Deus, nec sibi propter rationē eandem, quia Deus est, sufficienterque soluta hęc omnis quęstio est de subiectione Christi ad patrem, sed iam illam in suas partes distinguamus. Habet natura humana quid commune cum omni creatura, quia est quid creatum, & habet prӕterea quid ipsi peculiare, quia rationalis est: & secundum vtranque considerationem. Christus, vt homo, est maximè subiectus patri. Si enim de illo loquamur secundum id, quod humanitas habet commune cum omni ente creato, certum est, quod omne ens creatū Deo est subiectum in quantum & est, atque dependet ab ipso, & est inferius Deo, & subditur quoad esse & operationem potentiæ Dei. Atq; his omnibus modis Christus ratione humanitatis, vel in quantum homo subiectus est patri. Primum, quia ab ipso factus est & iomundum missus. Scriptum siquidem est, Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere. *Galat. 4* Et illud: Ego hodie genui te. *Psalm. 2.* Quod non modo de æterna generatione, sed & de temporali natiuitate, & de gloriosa resurrectione scriptura ipsa, & sancti interpretantur. Secundo: Inferior est quò ad gradum bonitatis. Et hoc est quod Dominus dicebat ad quendam Matth. 19. *Matth. 16.* Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus, Deus. In quæ verba Diuus Hieronymus dicit: *D. Hiero.* Qui magistrum vocauerat bonum, & non Deum, vel Dei filium confessus erat, discit hominem, quanuis sanctum in comparatione Dei non esse bonū. Per quod voluit significare, quòd ipse secundum humanam naturam non pertingebat ad gradum bonitatis diuinæ. Atque hoc ipsum est, quod Dominus significat, quando dicit: Pater maior me est, hoc est, *Ioan. 14.* & ma-

& maior & melior: quoniam in his, quæ
non mole magna ſunt, idem eſt maius,
D. August. quod melius, vt dicit D. Aug. lib. 6. de Tri-
nitate. c. 8. Certumq; eſt, quod Deus eſt ip
ſa eſſentia bonitatis. Natura verò omnis
creata eſt participatio quædam bonitatis
illius. Tertio Chriſtus, vt homo, ſubiacuit
diuinæ diſpoſitioni, & potentiæ Dei, cui
ſubijcitur omne quod factum eſt. Vnde
D. Diony. Diuus Dionyſius. 4. cap. cœleſtis hierar-
chiæ dixit, quod Chriſtus ſubijcitur Dei pa
tris ordinationibus: quia quęcũq; circa hu-
manitatem Chriſti acta ſunt diuina diſpo-
ſitione acta ſunt. Et ſecundum hanc ratio
Sapient. 16. nem omnis etiam creatura Deo ſeruit, iux
ta illud Sapiētiæ. 16. creatura tibi factori de
ſeruiēs. Sed ſi loquamur de humana natu-
ra peculiariter, in quantum rationalis eſt,
atq; illi eſt lata lex à Deo, voluntarièq;, &
libere obedit mandatis eius. Hac ratione
Chriſtus, vt homo, fuit maximè obediens
Ioan. 8. & ſubiectus patri. Vnde ipſe dicebat Ioan.
8. Ego noui eum, & ſermonem eius ſeruo.
Et iterum: Quæ placita ſunt ei facio ſem-
Philip. 2. per. Et ad Philip. 2. dicitur: Factus eſt obe-
diens vſq; ad mortem. Atq; hinc eſt, quod
in ſacris literis Chriſtus non modo dicitur
1. Cor. 15. ſubiectus patri, vt liquet, 1. Cor. 15. Sed etiā
Esai. 42. ſæpe dicitur, ſeruus, vt conſtat Eſai. 42. Ec
ce ſeruus meus ſuſcipiam eum, electus
meus complacuit ſibi in illo anima mea:
dedi ſpiritum meum ſuper eum. Qui lo-
cus euidenter cōgruit cum illa voce pater
Matth. 17. na: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mi-
Esai. 43. hi bene complacui. Et cap. 43. Verè vos te
ſtes mei, dicit Dominus, & ſeruus meus,
quem elegi. Et cap. 53. exprimitur hæc ſen-
Esai. 53. tentia ibi: Iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruos
meos multos. Nam aliæ vulgatæ non mo
do antiquæ, ſed & nouæ & emendatæ le-
gunt: Iuſtificauit ſeruus meus multos. Et
expreſſe. 70. legunt: Iuſtificare iuſtum be-
ne ſeruientem multis. Et alij legunt: Et cō
gnitione ſui multos iuſtificabit iuſtus ſer-
Esai. 49. uus meus. Et illud: Parum eſt, vt ſis mihi
ſeruus. Ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæ-
ces Iſrael conuertendas dedi te in lucem
gentium, vt ſis ſeruus meus, vſq; ad extre-
mum terræ. Et illud: Hæc dicit Dominus
formans me ex vtero ſeruum ſibi. Et Eze-
Ezech. 34.
chi. 34. dicitur: Et ſuſcitabo ſuper eas paſto
rem vnum ſeruum meum Dauid. Et ſub-
ditur, Ego autem Dominus ero eis in Deū;
& ſeruus meus Dauid princeps in medio
eorum. Et Pſalm. 39. cum dicitur; Aures au *Psal. 39.*
tem perfeciſti mihi; negari nō poteſt, quod
ibi loquatur Dominus ad patrem. Et ſiue
legatur, Aures perfeciſti, ſiue, Corpus ad-
aptaſti, ſiue, Aures perforaſti, vel aperuiſti
certū eſt ibi ſignificari ſeruitutem & obe-
dientiam Chriſti. Et Zacha. 3. dicitur; Ad- *Zachar. 3.*
ducam ſeruum meum Orientem. Et ad
Philip. c. 2. dicitur, quod exinaniuit ſemet- *Philip. 2.*
ipſum, formam ſerui accipiens. Et in epiſt.
ad Romanos dicitur: Miniſter circunci- *Roma. 15.*
ſionis. Et quidem mirum, ſi ſeruus in ſcri-
pturis voluerit appellari is, qui de ſe ip-
ſo dicebat; Ego autem ſum vermis, & *Psal. 21.*
non homo, opprobrium hominum; &
abiectio plebis. Cuiuſque fuerit tam admi
randa dignatio, vt voluerit etiam appella
ri, ſeruus hominum, vt conſtat ex illo te-
ſtimonio capitis. 53. citato, iuxta verſionem *Esai. 53.*
70. Et Dominus ipſe Matth. 20. dicebat: Fi *Matth. 20.*
lius hominis non venit miniſtrari ſed mi-
niſtrare. Et Lucæ. 22. Scriptum eſt: Ego in
medio veſtri ſum, ſicut qui miniſtrat. *Luc. 22.*
Quod ſi corporaliter etiā ſeruiēbat lauans *Ioan. 13.*
pedes diſcipulorum; cur humilis Domi-
nus dici nollet id quod facere dignabatur?
Et expreſſe ad Hebræos. 8. dicitur, Chri- *Hebr. 8.*
ſtus ſanctorum miniſter & tabernaculi ve
ri. Et D. Auguſt. explicans illud Pſal. 103. *D. August.*
Producens fœnum iumentis, & herbam *Psal. 103.*
ſeruituti hominum, Bene, inquit, Chriſto
ſeruis, ſi ſeruis, quibus Chriſtus ſeruiuit: de
quo ſcriptum eſt, Bene ſeruientem multis:
Qui eſt locus citatus Eſai. 53. Quem ſic in- *Esai. 53.*
terpretabatur etiam Diuus Hieronymus, *D. Hier.*
& D. Theod. in ea verba Ezech. 34. Suſcita *D. Theod.*
bo, qui paſcat eas ſeruum meum Dauid. *Ezech. 34.*
Sic habet cum ſupra dixerit: Ego paſcam;
hic tamen ipſum Dauid paſtorem fore ait,
quem etiam ſeruum appellat. Quis autem
hic eſt? an perſpicuum eū eſſe Dñm Chri-
ſtum? Et videndus eſt D. Chryſ. in oratio- *D. Chrys.*
ne, quod Chriſtus ſit Deus, atque ad idem
ſpectat, quod ad Hebræos cap. 3. appellatur *Hebr. 3.*
Chriſtus Apoſtolus, & Pontifex, ſiue ſacer
dos noſter.

Sed

Sed quæ huic veritati opponũtur videamus. Et primum sit ex Diuo Damasceno ca 21. libri tertij fidei, quo loco humanam naturam non vult agnoscere seruam,& ignorantem, nec vult concedere, quod Christus sit subiectus alicui: ipse enim est Dominus omnium: ergo Christus, etiam vt homo, non potest dici subiectus patri, nec seruus Dei. Pro explicatione huius rei notandum est id, quod plurimum conducet ad intelligenda aliqua testimonia Diui Gregorij Theologi, Diui Cyrilli, Damasi, & patrum, qui floruerunt tempore Concilij Ephesini primi. Est ergo aduertendum, quod ea synodus coacta est contra Nestorium impiè & hæreticè diuidentē in Christo supposita, ac proinde semper magnificantem,& in ore habentem voces illas, Christus est subiectus Patri, est seruus, est minor, asserentemque has denominationes respicere supposita, ac proinde intelligi aliud non posse, quin vnus esset homo, de quo hæc dicebantur, atque alius esset vere filius Dei,& æqualis patri, qui nõ rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Contra hunc ergo pugnantes diuini viri atque catholici semper in disputationibus respiciebant suppositum. Et quoniam illud suppositum secundum se est æquale patri, iccircò plures scripturæ voces sonantes in Christo aliquid inferius ita interpretabantur, vt nihil detrahi videretur dignitati suppositi. Ex quo ortũ esse credo illud D. Hilarij interpretãtis illud: Pater maior me est. Donantis, inquit auctoritate pater maior est, sed minor nõ est filius, cui vnũ esse donatur. Quē doctorem sanctũ videtis, nec in illis verbis, pater maior me est, agnoscere voluisse minorem esse filium hominis, ne scilicet, ansam daret suspicandi esse duo supposita, nec cum Nestorio, vel solo modo loquendi conuenisse videretur. Igitur D. Damasc. loco citato primũ considerat naturam humanam secũdum se facitque illam seruam, & ignorantem.

D. Damasc. — D. Hilar. — Ioan. 14 — D. Damasc.

Secundo considerat eam vt iunctam Verbo: & sic facit eam luce & radijs diuinitatis splendentem liberam,& cognoscentem futura.

Tertio cõsiderat suppositum, ac Verbum secundum se, quod videt esse apud Deum,& æquale Deo,& quod omnia per ipsum facta sunt. Et quoniam hoc nomē, seruus,& dominus, vbi natura est in supposito non denominat naturam, sed suppositum; iccircò noluit concedere, quod filius qui est Dominus, sit seruus etiam & subiectus. Quanuis autem hæc omnia rectissimè dicta sint, potuisset tamen addere hic sanctus, vt sæpe addit Diuus Augustinus, & peculiariter primo de Trinitate capit. 7. aliam considerationem, scilicet, suppositi non secundum, se sed vt homo est, siue vt habens humanitatem. Et sic dicendum est quod filius, vt homo, & se ipso, vt Deo,& Patre, & Spiritu sancto minor est. Non quod distinguamus supposita, sed rationes atque naturas. Nam & quilibet nostrum melior est vt rationalis, quam, vt corporeus. Atque hanc declarationem summus Theologus Gregorius Nazianzenus verissimam esse fatetur oratione secunda de Theologia his verbis: Nam quod ratione humanitatis pater filio maior intelligendus sit, vere quidem dici potest: sed nõ perinde honorificè. Quid enim mirum Deũ homine maiorem esse? Vbi satis declarat & verum esse, quod dicimus,& quę illum ratio mouerit, non vtendi tunc hac solutione.

D. August.

Secundo argumētor: Quia quod est subiectum Deo,& patri, est creatura: Christus non est creatura: ergo non est subiectus patri. Ad hoc dicendum est, quod sicut non est intelligendum, quod Christus absolutè,& simpliciter sit creatura, sed solum secundum humanam naturam, siue apponatur determinatio, siue non: ita non est intelligendum, quod Christus simpliciter & absolutè, sit subiectus patri eiusque seruus, sed solum secũdum humanam naturam. Et quanuis hanc determinationem satis claudat & innuat nomen, Christus, recte intelligenti, tamen vt caute loquamur, & Nestorium, atque Arrium euitemus, semper ea determinatio explicanda est. Ad minorem ergo argumenti dico, quod Christus, vt Verbum, atque Deus creator est;& fecit omnia, & non est subiectus patri: Cæterum ipse, vt homo, quid factum &

& creatum est. Et hæc est fides catholica: alioqui non esset verus homo.

Tertio argumentor: Nam in prima epistola ad Corinth. ca. 15. dicitur. Cum autẽ
1. Cor. 15. subiecta illi fuerint omnia; tunc ipse filius subiectus erit ei, qui sibi subiecit omnia. Sed sicut dicitur ad Hebræos ca. 2. Nunc
Hebr. 2. necdum videmus omnia subiecta ei: ergo nondum ipse est subiectus patri, qui ei subiecit omnia. Ad hoc respondent D. Augu.
D. August. 1. lib. de Trinitate ca. 8. & Greg. Theolog.
Nazian. oratione secunda de Theologia, quod tũc Christus tradet regnum Deo, & patri quãdo iustos, in quibus nunc regnat per fidem perducturus est ad speciem, vt scilicet, videant ipsam essentiam communem patri & filio. Et tunc totaliter erit patri subiectus, non solum in se, sed etiam in membris suis per plenam participationem diuinæ bonitatis. Et tunc etiam omnia erunt ei plene subiecta per perfectã adimpletionem suæ voluntatis de eis, secundum quã rationem modo non omnia illi subiecta sunt: sunt vero subiecta quantum ad potestatem, iuxta illud Matth. vltimo: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.

Matth. 28. Vltimo vero loco pro complemento huius articuli admoneo, cauendum esse, ne frequenter vsurpetur, & introducatur hic modus loquendi, Christus est seruus. Quoniam, vt piè, atque sapienter aduertit, & ponderat Adrianus Papa, in epistol. quæ præmittitur ad Concilium Francophordiense tomo tertio, concil. nouæ impressionis, nunquam in nouo testamento inuenietur, aut, quod pater Christum appellauerit seruum, aut quod ipse Christus patrem ipsum Dominum suum vocauerit, quanuis appellet sæpe patrẽm & Deum suum. Nos vero semper ad certam mensuram loqui debemus, nec existimare id sine Dei consilio factum esse respicientis Nestorij labem, Arrij, & aliorum.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Christus sit subiectus sibi ipsi.



MOVETVR hic articulus sicut & præcedens propter Arium, & Nestorium perperam interpretantes subiectionem Christi ad patrem diuidentesque & separantes supposita, quanuis hoc ipsi facerent ratione & modo diuerso; de quo non est hic locus disputandi. Mouetur etiam ad declarandum Concilium Ephesinum primum coactum contra Nestorium. Quanuis autem habeat hæc disputatio eandem omnino rationem cum præcedẽti apud catholicos rectè intelligentes: tamẽ quo magis nobis caueamus aduertendum est primo cum B. Tho. 3. p. q. 20. art. 2. quod esse B. Thom. Dominum, vel seruum attribuitur personæ, vel hypostasi secundum aliquam naturam. Quocirca cum Christus dicitur esse Dominus, vel seruus sui ipsius, vel quod Verbum Dei est Dominus hominis Christi hoc potest intelligi dupliciter. Vno modo, vt intelligatur hoc esse dictum ratione alterius hypostasis, vel personæ, quasi alia sit persona Verbi Dei dominantis, & alia hominis seruientis. Et hoc pertinet ad hæresim Nestorij. Ac proinde in synodo Ephesina. 1. in condemnatione Nestorij canone. 6. dicitur: Si quis dicit Deum, vel Dominum esse Christi ex Deo patre Verbũ, & non magis eundem ipsum confitetur, & Deum esse & hominem, vt pote Verbum factum carnem secundum scripturas anathema sit. Atq; in hoc sensu negant sancti, qui tunc floruerunt; & omnino negare etiam nos debemus, Christum esse minorem, se ipso, vel esse sibi subiectum. Alio modo potest intelligi Christus subiectus esse sibi, atque se ipso minor secundum cõsiderationem naturarum diuersarum cõuenientium in vnam hypostasim. Et sic dicere possumus ac tenemur eum secundum eam naturam, qua cum patre conuenit simul cum patre præesse & dominari, secundum vero alteram naturam, in qua nobiscum conuenit, subesse & seruire, atque esse se ipso minorem. Sed secundo loco maximè aduertendum est, quod cum hoc nomen, Christus, sit nomen personæ, sicut & hoc nomen, filius, illa per se & absolutè possunt dici de Christo, quæ conueniunt

Con. Ephes.

niunt ei ratione suæ personæ, quæ æterna est, & vt æterna est, vt quod sit æqualis patri, Deus, Verbū, per quod facta sunt omnia. Sed ea, quæ conueniunt ei secundum humanam naturam, sunt attribuēda cum determinatione, vt videlicet, simpliciter dicamus Christum esse maximum, & Dominum, & præsidentem. Quod autem sit subiectus, vel seruus, vel minor attribuendum ei est cum determinatione, scilicet, secundum humanam naturam. Sed super est, vt eam, quæ ex his colligitur conclusio, comprobemus, scilicet, Christum, vt hominem, esse subiectum sibi ipsi, vt Deo, vnus cum sit mediator Dei, & hominum, verus homo, & æternus Deus.

Ioann.1.

1.Tim.2.

Probatur ergo cōclusio primum: Nam filius secundum diuinitatem est æqualis patri, vt constat ad Phil.2. Et pater est maior filio secundum humanam naturam, vt constat ex euangelijs: ergo & filius est maior se ipso secundum humanam naturam.

Philip.2.

Ioan.14.

Secundo argumentor: Nam Christus secundum humanam naturam est seruus Dei patris, secundum illud Ioann.20. Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum: sed quicunque est seruus patris, est seruus filij: alioqui non omnia, quæ sunt patris, essent filij: ergo Christus secundum humanam naturam est seruus sui ipsius, vt Dei. Sed iam sapientiam ipsam Augustini audiamus de hac re ita disserentem.1.de Trinitate ca.7. Errauerunt homines minus diligenter seruantes, aut intuentes seriem vniuersam scripturarum, & ea, quæ de Christo Iesu secundum hominem dicta sunt ad eius substantiam, quæ ante incarnationem sempiterna erat, & sempiterna est, transferre conati sunt. Et illi quidem dicunt, minorem filium esse, quam pater est: quia scriptum est ipso Domino dicente, Pater maior me est Ioan.14. Veritas autem ostendit secundum istum modum etiam se ipso minorem filium. Quomodo enim non etiam se ipso minor factus est, qui semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens? Nec enim sic accepit formam serui, vt amitteret formā Dei,

Ioan.20.

D. August.

Ioan.14.

Philip.2.

in qua erat æqualis patri. Si ergo ità accepta est forma serui, vt non amitteretur forma Dei, cum & in forma serui & in forma Dei idem ipse sit filius vnigenitus Dei patris, in forma Dei æqualis patri, in forma serui mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, quis non intelligat, quod in forma Dei etiam ipse se ipso maior est, in forma autem serui etiam se ipso minor est. Non itaque immerito scriptura vtrunque dicit, & æqualem patri filium, & patrem maiorem filio: illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam serui sine vlla confusione intelligitur. Et hæc nobis regula per omnes sacras scripturas dissoluendæ huius quæstionis ex vno capite epistolæ Pauli Apostoli promittitur, vbi manifestius ista distinctio commendatur. Ait enim: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualē Deo, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Est ergo Dei filius Deo patri natura æqualis, habitu minor. In forma enim serui, quam accepit minor est patre. In forma autem Dei, in qua erat etiam, antequam hanc accepisset, æqualis est patri. In forma Dei Verbum, per quod facta sunt omnia, in forma autem serui factus ex muliere, factus sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret. Proinde in forma Dei fecit hominem, in forma serui factus est homo. Nam si pater tātum sine filio fecisset hominem, non scriptum esset; Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Ergo; quia forma Dei accepit formam serui, vtrunque Deus, & vtrunque homo: sed vtrunque Deus propter accipientem Deum: vtrunque autem homo propter acceptum hominem. Hactenus sapiens Augustinus. Cuius verbis, si placet, claudamus riuos, nec eius limpidissimæ vndæ quid nostrum immisceamus.

1.Tim.2.

Philip.2.

Ioan.14

Ioan.1.
Galat.4

Genes.1

Sed more solito adferamus ea, quæ huic doctrinæ obijciuntur. Et in primis OEcumenicam Synodum Ephesinam declaremus, à qua recepta sunt hæc verba Cyrilli: Nec ipse Christus sibi seruus est, nec Domi-

Conc.Ephe.
D. Cyril.

Dominus: fatuum enim est, vel potius impium hoc sentire vel dicere. Et D. Damascen. libro. 3. fidei. cap. 21. dicit: Vnum ens cum sit Christus, non potest seruus esse sui ipsius, & dominus. Videtur ergo, quod Christus nulla ratione sit subiectus sibi ipsi.

D. Damas.

Ad hoc argumentum vt respondeam, quanuis eius declaratio satis constet ex doctrina articuli, placet tamen nonnulla perstringere ex his, quæ diximus supra cum de satisfactione Christi ageremus. Dico ergo, quod quanuis vnum suppositum, & in vna sola natura perfecta subsistens nō possit dici se ipso maius, ac minus simpliciter, & absolutè, tamen vnum suppositum habens duas naturas realiter diuersas integras, & perfectas in suo genere, potest dici secundum vnam se ipso maius, aut minus, secundum alteram: & hoc verissimè & proprissimè loquendo. Quocirca Christus vt homo verissimè, & proprissimè loquendo, est minor se ipso, vt Deo: certè tam propriè sicut in quantum Deus verissimè fuit ab æterno, & in quantum homo in tempore, & sicut in quantum Deus pati, aut mori nō potuit, & in quātū homo passus & mortuus est, & sicut in quantum homo minoratus est paulo minus ab Angelis, & in quātum Deus æqualis est patri. Et hoc constituto ad Synodum Ephesinam, & sanctos patres, qui tunc scripserunt, dico, constare euidentissimè, quod ipsi solum negabant Christum sibi esse subiectum, ac seruum in illo sensu hæretico, quod aliud atque diuersum suppositum esset illud, cui dominium ab eo, cui seruitus tribuebatur, soloque amoris vinculo aut alio simili copularentur. Quocirca semper instabant illi patres in eo, quod Christus esset vnum ens, ac proinde non posset seruus esse sui ipsius: nimirum ad eum sensum, secundum quem hæretici interpretabantur ea verba. Cæterum Diuus Augustinus non agens inter Nestorianos, non modo rei veritatem explicuit; sed etiam admittebat eam vocem, Christus est subiectus sibi ipsi, & similes. Et certè ità sapienter, & sufficienter scripturæ verba exposuit, & declarauit mysterium, vt quanuis Nestorium ipsum, & Nestorianos omnes præsentes haberet, potuisset, imò & debuisset libera voce clamare, & contestari homines vniuersos, quod Christus, vt homo, minor est se ipso, vt Deo, atque vt homo, sibi, vt Verbo, subiectus est. Hæc enim est ipsissima fides, quam negare poterit nemo, nisi qui primum initiū, & fundamentum fidei (mysterium dico incarnationis) non nouerit. Quoniam si Christus verus Deus, & verus homo est, vtiq; intelligi aliud nō potest; quin, vt homo, minor sit se ipso vt Deo: at & est verus homo & Deus benedictus in sæcula, &c.

Hebr. 2.

D. August.

Secundo argumentor: Quia vt Athanasius dicit in suo Symbolo, sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ità Deus & homo vnus est Christus: sed homo non dicitur subiectus sibi ipsi, vel seruus sui ipsius, aut maior se ipso propter hoc, quod corpus eius subiectū est animæ: ergo nec Christus dici potest subiectus sibi ipsi, propter hoc, quòd eius humanitas subiecta est diuinitati ipsius. D. Atha.

Ad hoc argumentum dico, quod etiam homo vere dicitur imperfectior, vt corporeus est, se ipso vt rationalis est: atque in illo si sit rectè constitutus mens imperat, sensus obedit. Quocirca sapienter Plato posuit inter hominis partes genus quoddam iustitiæ. Sed est peculiaris ratio in nostro casu. Quoniam in homine non est aliqua natura totalis integra, & perfecta, cui existenti in subiecto tribuatur imperare: alia verò & diuersa realiter totalis integra, & perfecta, cui existenti in subiecto tribuatur obedire, quæ est causa philosophis moralibus, aut saltem debet esse existimandi, quod eiusdem ad se ipsum, etiam consideratis partibus diuersis, non est obedientia atque iustitia simpliciter. At verò in filio Dei, & est diuinitas, & est humanitas: quæ sunt duæ naturæ realiter diuersæ, integræ, atque perfectæ. Est ille verus Deus, & verus homo. Ac proinde dico, & credo firmissimè, quod ille homo obediebat Deo, ità proprie, sicut quilibet alius iustorū. Quod si quis discrimē aliquod requirat, Plato.

illud

QVAESTIO VIGESIMATERTIA, DE ORATIONE CHRISTI.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Christo competat orare?

NON est propositum meum insumere verba, cum id rei difficultas non postulauerit. Atq; iccirco in hac disputatione pono in primis, quod Christo in quantum Deus est, non competit orare. Tum quoniam oratio est ad superiorem. Tum quia eiusdem ad se ipsum secundum naturam eandem non est oratio. Hoc autem accideret, si Christo, vt Deo, conueniret orare. Tum tertio; quia, quid obsecro orabit, vt fiat qui omnipotens est? Sed illud tractãt Theologi, vtrum ipsi, secundum quod est homo, conueniat orare. Respondeo verò dicendum, quod Christo conueniens maximè fuit orare in diebus carnis suæ. (Hebr. 5.) Primum propter meritum, quia sua oratione merebatur nobis, qui non eramus digni muneribus, & beneficijs Dei. Secundo propter exemplum, vt scilicet, discipulos suos, atque in eis fideles omnes hortaretur ad orationis studium: in cuius exercitio maxime superatur aduersarius. Propter quod Dominus dicebat discipulis Matthæi. 26. Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. (Matth. 26. Marc. 9.) Et alio loco: Genus hoc non eijcitur, nisi in ieiunio & oratione. Et hoc est, quod dicit D. Ambros. in Luc. libro. 5. capite quodam de oratione Iesu: Noli insidiatrices aperire aures, vt putes filium Dei, quasi infirmum rogare, vt impetret quod implere non possit. Potestatis enim est auctor, obedientiæ magister: ad præcepta virtutis suo nos informat exemplo. Et D. August. tractat. 104. in Ioann. Poterat, inquit, Dominus in forma serui, si hoc opus esset, orare silentio. Sed ita se patri exhibere voluit precatorem, vt meminisset, nostrum se esse doctorem.

Tertio propter veritatis argumentum, vt ostenderet se verum hominem, & vere à Deo missum. (Ioan. 11.) Propter quod dicitur Ioã. 11. Gratias ago tibi Domine, quoniam audisti me. Ego autem sciebam; quoniam semper me audis: sed propter populum istum, qui circunstat dixi, vt credant, quia tu me misisti.

Quarto propter officium, quia Christus inter alia erat sacerdos: & pontifex: vnde ad ipsius officium pertinebat & offerre sacrificium pro peccatis, & pro delinquentibus orare. Quocirca ad Hebræos. 5. capit. dicitur: (Hebr. 5.) Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus cõstituitur in his, quæ sunt ad Deum. Et cap. 7. talis decebat (Hebr. 7.) vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior coelis factus, qui non haberet necesse prius pro suis delictis orare, deinde pro populo, &c. His ergo alijsque multis de causis orauit Christus. Et probatur præterea hæc veritas. (Luc. 6. Marc. 6.) Quia Christus nihil fecit, nisi quod erat conueniens: sed ipse orauit, vt constat Luc. 6. exiuit in montem orare, & erat per noctans in oratione Dei. Et idem habetur Marci. 1. & 6. & 14. & Lu. 22. & 23. & Ioan. 11. & 17. alijsq; multis euangeliorũ locis. (Hebr. 5.) Et Apostolus Hebr. 5. dicebat: Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque effudit ad eum, qui posset illum saluũ facere, &c. Et exauditus est pro sua reuerẽtia. Item & oratio maximè spectat ad perfectionẽ vitæ cõtemplatiuæ, sed decuit Christum summam perfectionem habere vtriusq; vitæ: ergo decuit ipsum orare.

Item oratio est propria sanctorum virtus: ergo qui fuit maximè iustus, & obediens Deo atq; subiectus, ipsi decuit vt oraret: talis est Christus vt homo: ergo conueniens fuit vt oraret. His adde, quod nullum magis decet orare, quàm eum, qui & dignior est exaudiri, & facilius impetrabit: ergo Christo maxime conueniens est orare. Et quidem orare est opus valde meritorium, & non dicit imperfectionem in subiecto: ergo fuit in Christo. Sed quia in hisce nulla est difficultas scholastica, atq; ea, vt par est prosequi & amplificare spectat ad patres antiquos, & concionatores egregios Verbi Dei, ab eis nos supersedeamus, id solum admoniti, vt Christum orando imitemur: est enim oratio vis & propria arma sanctorum in quam recte quadrat illud, Cum sit vna omnia potest.

Posui in hoc articulo primum, quod orare non competit Christo, vt Deus est, sed postulabit fortasse tyro, vt ad illud testimonium Pauli respondeam ad Rom. 8. Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Videtur ergo, quod in Deum cadat oratio respondetur, quod procul dubio Spiritus sanctus non orat sicut nec gemit quia superiorem non habet, & omnipotens est valens efficere per se ipsum quæcunque voluerit. Dicitur autem postulare pro nobis, quia facit nos postulare diffundendo charitatem in cordibus nostris inflammãtem ad cœlestia. Ita locum illum interpretatur Diuus August. in epistola ad Probam, de orando Deum. Quo loco id declarat ex illo Deutero. 13. Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligitis eum, id est, vt faciat vos scire. Et libro vnico de Trinitate, & Vnitate Dei, capit. 3. exponit eodem modo, illud Genes. 22. Nunc cognoui, quod timeas Deum, &c. Et libro de Bono perseuerantiæ. cap. 23. docet, quod sicut dicitur lætus dies, quia lætos homines reddit: ità dicitur spiritus postulare, quia facit postulare.

(Marginalia: Rom. 8. — Rom. 5. — D. August. — Deut. 13. — Gene. 22.)

Secundo: Alicui difficultatem faceret Diui Chrysostomi auctoritas homilia. 63. in Ioannem, vbi explicans illa verba Ioan. 11. Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me, docet, quod ea verba exponenda sunt de Christo secundum quod Deus: at verò in eis verbis Christus orasse patrem intelligitur, eique gratias agere: ergo Christo conuenit orare, vt Deus est.

(Marginalia: D. Chrys. — Ioann. 11.)

Ad hoc dico mihi esse vehementer probabile, quod Diuus Chrysostomus propter hæreticorum instantiam filium efficientium minorem patre, aut diuidẽtium supposita, traxit illud testimonium ad Christum, qua Verbum est. Qua eius mẽte supposita, certè ingeniosissima fuit interpretatio. Quia enim volũtas patris semper impletur, & voluntas Verbi Dei vna & eadem est cum voluntate patris, iccircò voluntas eius semper impletur. Et quia tunc aliquis audiri dicitur, quando voluntas eius impletur, iccircò Dominus dixit: quoniam audisti me. Itaque sunt ea verba non deprecatoria, sed affirmatiua. Dicit itaque Christus, in quantum Deus: Quoniam audisti me, id est, fecisti, quæ erant in verbo tuo, vt fierent, & implesti voluntatem meam, quæ est eadem cum voluntate tua. At verò necessitatem orandi exclusit in illis verbis quæ postea sequuntur: Ego autem sciebam, quia semper me audis. Quasi diceret, nulla ad id indigeo oratione, quod ab æterno accepi. Atq; huc spectat sublimis illa sanctorum interpretatio, qua Christum, vt Verbum faciunt audientem à patre: nimirum, quoniam ab ipso accipit deitatem per generationem æternã.

Sed contra conclusionem huius articuli argumentor primo: Quia Christus est Deus benedictus in sæcula: ergo est omnipotens: ergo cum omnia facere possit non competit ipsi aliquid ab alio petere: ergo non decuit illum orare. Ad hæc, & similia, vt respondeamus, semper est habenda præ oculis illa distinctio de Christo, vt Deo, & vt homine. Qua supposita dico; quod Christo vt homini, competebat Deum orare: quia, vt homo, non erat omnipotens: & præterea, vt sic in omni actione sua dependebat à Deo. Et quanuis ille idem, vt Deus, esset omnipotens: ipse tamen non orabat, nisi vt homo, ad exemplum nostrum ad bonum fidei nostræ, ad merendum nobis, &c. vt dictum est.

Item

Itē secundo opponunt scholastici, quia non oportet orando petere, quod aliquis certò scit esse futurum, nec quod certò scit non esse futurum: sed Christus futura omnia nouerat: ergo non decuit ipsum orare. Ad hoc communis responsio est, & vera, B. Tho. & D.Bonau. in 3.d.17. quam adfert S.Tho.3.p.q.21.ar.1.quod inter alia, quæ Christus sciuit futura, sciuit quædam esse fienda propter suam orationem: & hæc conuenienter perijt à Deo. Ita que quemadmodum Dominus vidit Ioa.11. Lazarum resuscitandum, non aliter, quam clamore suo: ità multa vidit fienda oratio ne sua. Quocirca ex eo, quod cognouit finem, non sequitur, aut non cognouisse media, aut ea non esse necessaria ad eum finē: sed potius sequitur oppositum.

B.Tho. D. Bonau. D.Damasc. Tertio argumentantur, & D. Thom. & D. Bonauentura: Quia oratio est ascensio mentis in Deum, vt docet D. Damasc. li.3. fidei c.14. sed intellectus Christi non indigebat ascensione in Deum, quia semper intellectus eius erat Deo coniunctus, non solū secūdū vnionē hypostaticā, sed etiā secundū fruitionē beatam: ergo Christo nō cōueniebat orare. Facile ad minorē argumenti, quæ est D. Damasceni loco citato, dici potest, quod Christus Dominus secūdū fruitionem beatā nō indigebat ascēsione in Deum: quia semper illū intuebatur. At verò secundum alias virtutes, quarum actus nō mensurabantur æternitate, semper quidē ascendebat in habitu nō tamen in actu. Et sic sicut indigebat orare, ita & ascendere per orationem. Sed vt secundo respondeamus, supponendum est, quod motus physicè, & propriè loquendo est actus entis in potentia ad vlteriorem gradum formæ, siuè accessum ad finem, atq; terminum, vt in calefactione ac motu locali videre licet. Ac proinde hic motus nū cupatur à philosophis actus imperfecti, quia quod mouetur secundū eum nō peruenit ad suū finē, & perfectionē, & ex consequenti est imperfectū. Est verò alter motus virtutis cognitiuæ, qui dicitur actus perfecti: quonia mobile quando mouetur secundū illū est perfectū, & in suo termino, atq; fine. Verbi gratia, quādo intellectus intelligit, videmus, quod eius finis, & perfectio est intelligere, & quod intelligere vt sic nō indiget successione, sed in instāti eius actus formatur, perficitur, atq; completur: igitur quando intellectus mouetur, intellectionis motu, iam suā perfectionem habet, & terminū, adeo vt eius propria perfectio, & terminus sit intelligere: merito ergo hic motus appellatur actus perfecti. Sed sciendū præterea est, quod quia mens nostra infima est in ordine intellectuali, & in graue atq; terrestre corpus immersa, prouenit hinc, quod sæpe cū dubitatione discurrit & voluit informes quasdā cogitationes, atq; animo nunc fluctuat in vnam partē, nunc in aliam. Et huiusmodi discursus dubiæ mentis per comparationē ad eā cognitionē, ad quā cupimus peruenire, nō dubium quin dici debeat motus imperfecti. Atque nobis sæpe dum diuina cogitamus accidit hæc imperfectio adeò, vt & Rom. 8. quid oremus, sicut oportet, nesciamus. A Christo verò remouendæ sunt omnes imperfectiones: ac proinde ei conuenit ascensus in Deum, non in quātum est actus imperfecti, sed in quātum est actus perfecti. Qua ratione conuenit & beatis, atq; nos etiam dum perfecta iam cogitatione, & formata aliquid contemplamur moueri dicimur in illud actu perfecti. Itaque, vt vno verbo dicā, ascēdere in Deum dicit mens, quæ se præsentat Deo, siue cōtinuo id faciat, siue secus, siue perfectè, siue imperfectè. Atq; hæc de articulo primo. Si quis verò quærat, an Christo conueniat orare secundum sensum, respondetur breuiter, quod Christo nō cōuenit orare secundum sensum ita vt oratio sit elicita, & dicta siue proposita à sensu. Quoniam oratio secundum Diuos Augu. & Damasc. est petitio D. August. D. Damasc. decentium à Deo, & est actus rationis, per quem aliquis aliquid petit & superiorem deprecatur, vt ait, S. Tho. 2.2.q.83.art.10. B.Thom. Cæterum, si quo loco apud patres inueneris quod orabat, secundum sensitiuā partē interpretare, hoc ideo dici, quia sensitiuæ partis affectio potest esse materia, quā oratio offert Deo, & orandi motiuum. Vnde rectè quidā dicunt, quod in oratione, quā Dominus fudit ea nocte, qua traditus est, Matth.26. ratio erat sensus aduocatrix.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Christo sedenti iam ad dexteram patris in excelsis conueniat preces fundere, & orare.



HAEC quæstio est grauis, & scitu digna, & de qua peculiariter ego certe scire desideraui, quid senserit sapiens Augustinus: solum reperi verba quædam tract. 102. in Ioan. quæ huic disputationi præponere libet, quoniam digna sunt eius sapientia, & continent dogma catholicū circa intercessionem aut nō intercessionem Christi. Tunc, inquit, in eius nomine petunt qui petunt, quādo in sono eius nominis nō aliud quam res ipsa est, quæ hoc nomine vocatur intelligunt, nec animi vanitate, vel infirmitate confingunt, tanquam in alio loco patrem, in alio filium ante patrem stantem, & pro nobis rogantem spatia sua quæque amborum occupantibus molibus, & Verbum ad eum cuius est Verbum, facere verba pro nobis, interuallo inter posito inter os loquentis & auriculas audientis, & alia talia quæ sibi animales ijdemq; carnales in cordibus fabricant. Quicquid enim tale spiritualibus Deū cogitantibus ex corporum consuetudine occurrit negando atque respuēdo, tanquā importunas muscas ab interioribus oculis abigunt, & sinceritati eius lucis acquiescunt, qua teste ac iudice has ipsas imagines corporum suis in ternis aspectibus intuentes falsas omnino esse conuincunt. Hi possunt vtcunq; cogitare Dominum nostrum Iesum Christum, in quantum homo est, pro nobis interpellare patrem: in quantum autem Deus est, & nos exaudire cum patre. Quod eum significasse arbitror vbi ait: Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis. Ad hoc quippe intuendum, quomodo non rogat patrem filius, sed simul exaudiunt rogantes pater & filius, non nisi spiritalis oculus mentis ascendit. Hæc D. August. Ergo pro parte affirmatiua extant rationes non parui momenti. Prima: Quoniam Dominus ipse Ioan. 14. Loquens ad discipulos de his quæ post mortem suam euentura erant, Ego, inquit, rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis. Et Ioan. 1. can. capit. 2. dicitur: Aduocatum habemus apud patrē Iesum Christum iustum. Et Apostolus Rom. 8. Christus, inquit, qui est ad dexteram Dei, interpellat pro nobis. Et Origenes in Leu. hom. 7. Christum facit nō modo patrem orantem, sed & anxium, & soli citum in modum aduocati. Et accedit prætereà ratio, quoniam Christus nō modo est Deus, sed & homo: ergo vt sic minor patre: ergo dependens ab eo: ergo nihil obstat quominus patrem orare possit. Hæc & alia similia obijciet quisquam.

Ioan. 16. (margin)

Ioan. 14. · 1. Ioan. 2. · Rom. 8. · Origen. (margin)

Sancti patres, quo ab Arrio, atque Nestorio longissimè recedant, & ab eorum impietate pupulum Christianum abducant, tam solent dignitatem Christi ad dexteram patris sedentis euehere, & amplificare, vt etiam ea testimonia, quæ cômodè atq; catholicè de illo, vt homo est, intelliguntur nōnunquam ex his D. Theod. & Ambr. ad eius trahant diuinitatem. Quocirca, vt incipientem Theologum instruamus, certa separemus ab incertis.

Pono ergo primum, quod Christus Dominus, etiam postquam ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram patris in excelsis, quamuis sit alterius gloriæ, est tamen eiusdem naturæ nobiscum. Itaque non modo est Deus, sed etiam homo verus. Hæc propositio est ipsa fides.

Dico secundo, quod vt homo etiam in cœlis degens, est minor patre. Hæc est euidenter consequens ad primam: & constat ex euangelijs.

Dico tertio, quod Christus, vt homo in omni operatione sua est dependens à Deo. Hæc etiam constat. Quia omne quod factum est dependet à Deo in sua operatione; quo auertente manum suam omnia redigerentur in nihilum; filius verò Dei, factus est homo. Quod si quæ causæ creatæ eam eminentiam habent, vt effectus pendeant ab ipsis, nō modo quoad fieri, sed etiā quoad esse & operari, quod luce clarius in sole & luce videmus, satis esset indignum & stolidum hoc non tribuere Deo

Psal. 103. (margin)

Actor.17. Deo, & caussæ caussarum, in qua viuimus, mouemur & sumus.

Dico quarto, quod Christi hominis in cœlo humilitas, & non est minor, quam fuerat in terra, & summè perfecta est. Hæc est certissima. Quoniam cœlum est proprium regnum, & sedes virtutis & sanctitatis: ergo ibi maximè illæ omnes fulgent & splendent mirabiliter. Nullum verò astrum splendidius est humilitate: si quidem tam magnum est esse paruum, tam altum & excellens esse humilem, vt sapientia æterna patris sapientiæ thesauros aperire volens dixerit: Venite ad me, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Est verò huius rei summa, quòd hæc virtus non pugnat cum illo statu: ergo est ibi. Matth.11.

Dico quinto, quod si quæ in Christo esset oratio in cœlis dumtaxat Patri illa esset, sine aliqua anxietate & solicitudine. Hæc est etiam certissima: quia Christus Dominus passione consummata liber est quacunque anxietate & solicitudine, imò vero liber est eo modo quicunque beatus, qua libertate Christus eos liberauit. Vt veniamus autem ad id, de quo quæstio est, sit vltima propositio, quod quanuis hæc quæ dicta sunt, verissimè Christo conueniant, nō tamen ille iam orat aut preces fundit pro nobis. Hanc conclusionem non ideo constituo, quod plenè eam ex scripturis, aut alio argumento intelligam, aut comprehēdam: sed quoniam hoc mihi ingenium est, vt in re tam sublimi, & pure Theologa, nihil arbitrer me scire, præter id, quod sancti patres docuerunt, fasque esse non putem à diuinis illis viris vel tantillum deflectere. Illi ergo, dum legūt, Filioli hæc scribo vobis, vt non peccetis: sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrē Iesum Christum iustum. Et illud item, Qui mortuus est, qui & resurrexit, qui sedet ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis & similia, sic ea interpretantur, vt illa interpellatio non sit postulatio submissa, sed eius passionis, quæ pro nobis & semel suscepta, & oblata est, æterna cōmemoratio in conspectū sanctæ Trinitatis admissa, præsentatioque vulnerum, ac sanguinis melius loquentis, quam Abel.

Galat.4.

1.Ioan.2.

Rom.8.

Hebr.12

Illum enim terra conseruauit iacentem, & calidum, cœloque ac sideribus expositum, magno clamore petentem & inuocātem iustitiam Dei, & vlricem manum eius; Christi verò sanctissima humanitas merita, vulnera, sanguis pro nobis fusus, semper proposita sunt Deo, vt in hæc ille intuens nostri misereatur, largaque manu concedat remissionem peccatorum, iustitiam & ea omnia, quæ ad salutem sunt necessaria. Estq; etiam ea interpellatio Christi illius fauor, dilectio, & miseratio nostri. Ita rem hanc exponūt ex antiquis Diuus Hieron. in cap. 8. epist. Rom. D. Theodor. & D. Ambrosi ibi. Oecum. Glossa etiam interlinealis eo in loco dicit, quod interpellat Christus non voce, sed miseratione. Et Nicolaus de Lyra, ibi. idem docet D. Chrys. eod. in loco; & D. Anselmus; & D. Bonauent. in 3. d. 17. docens Christo conuenientis fuisse orare: addidit maximè in diebus carnis suæ. Et Rupertus, Abbas libr. 9. de diuinis officijs c. 3. nihil nō doctè & erudite dixit de hac re præterquam, quod plus iusto premit oppositam sententiam. Videtur enim illam facere contra fidem: quod ego non auderem dicere. Et ratio quæ me mouet est; Quoniā si sancti illi patres, quos vidit eruditissimus ille vir, aut ij, quos ego citaui, non solum dicerent, quod interpellat Christus vulneribus, & miseratione, sed adderent etiam omnes, quod omnino non rogat patrem, nec precatur etiam oratione omni solicitudine libera, atq; omni ex parte secura repulsæ: si in hoc, inquam, distinctè omnes conuenirēt, ego certè putarem illam esse traditionem ecclesiasticā. At verò nec hoc dicūt; nec ego habeo vnde diffinire possim, quod sit contra fidem asserere, quod Christus, vt homo, vt minor patre, & dependens ab ipso se conuertat ad patrem aliquid rogans. Sed siquidem sancti illi hoc videntur negare illos audiamus, adferamusq; huius sententiæ, quā etiam sequuntur Neotherici Adamus, Claudius, Guilliaudus, Trexus, & alij nonnullas cō gruentias. Et prima sit. Nam fortè hic honor fuit eius passioni debitus, vt iam deinceps diademate coronatus à patre non postulet aliquid aut precetur.

D. Hiero.
Theod.
D. Ambros.
Oecum.
Cyril.
Photius.
Nic. de Lyr.
D. Chrys.
D. Anselm.
D. Bonau.
Rupertus, Abbas.
Adamus.
Claud.
Trexus.

Secunda: Quia non sine causa post resurrectionem suam dixit: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Sed vt doceret munus suum iam esse, non orare, sed potestate excellenti hos corrigere, illos subleuare, remittere noxam quibusdam, & illos iustificare. Tertia ratio est: Quoniam videmus, quod ecclesia non inuocat modo Christum, vt roget patrem: sed semper precatur, miserere nobis. Et quanuis respõderi posset, quod loquitur ecclesia sine determinatione, & ideo de Christo dicit id quod maius & dignius est: tamen est instãtia, quia ecclesiam nunquam nec sine determinatione nec cum illa illud vsurpauisse, Ora pro nobis, non paruum argumẽtum est huius sententiæ. Me vero quartũ vehementer mouet, illud est, quod quanuis verum sit, quod qui tacet nec negat nec fatetur, tamẽ siquidem ille sacræ scripturæ voces, qui interpellat pro nobis & similes vocabant interpretes, ad hoc, vt Christum facerent deprecantem, videntur sancti, dũ ad alia diuertunt, tacite negauisse eius loci sensum, esse posse illum, quem textus specie prima obijciebat. Ac proinde non possum non tenere, quod Christus modo non fundit preces. Iterum tamen repeto, quod ego non calificarem propositionem oppositã sicut qualificabat Rupertus, quoniam altissima sunt mysteria & inuestigabiles rationes Dei. Et non desunt authores contrariæ sentẽtiæ, ex quibus est Dionysius in c.2. epist. 1. Ioan. Et ipse idem author citat quosdam tenuisse hanc sententiam in c. 16 euangelij Ioan. ibi. Et non dico vobis, quia ego rogabo patrẽ, & videtur esse B. Tho. in c. 7. epist. ad Hebr. ibi, Ad interpellandũ pro nobis. Ad Origenem si respondere necesse est, dicerem, quod ille rhetoricè potius quam dialecticè amplificauit Christi Iesu intercessionem, quod facere sæpe solent concionatores, non imprudenter, quoniam vulgus hominum nõ cognouit aliã rationem intercessionis, præter eam, quam inducit Origenes. Quæ, vt credo, causa fuit diuinis Apostolis, vt nomine vterentur interpellantis, & aduocati: quoniam, ἐντυγχάνειν, quo verbo vtitur Paulus, sine interpellatione, & allocutione non fit. Verum est tamen, quod ego dum hæc scribo, nonnihil timeo ne exeat Barbarus aliquis, & indoctus ex eorum numero, qui iccircò sapientes se se putant, quod nihil sciant nec vnquam auctorem aliquem elegantem attigerunt, & clamet id prædicatoribus non licere. Sed illum omittamus, si placet, quia nec loquetur rhetoricè nec dialecticè. Ad testimonia sacræ scripturæ in contrarium adducta iam respondimus, ea interpretando iuxta veteres. Et ad illud Ioan. 14. Si rogare illud, de Christo dicatur, sedente ad dexteram Dei, dico, quod qua ratione & phrasi Paulus facit eum interpellantem, eadem ipse se fecit rogantem.

Matth. 28.

Rom. 8.

Dionys. Ioan. 16.

B. Thom.

Ad rationem vltimam, quã formauimus: neganda est vltima consequentia. Quoniam Christum, vt hominem, esse minorem patre & dependentem ab eo, positum est in rei natura. Illum verò adhuc preces effundere, aut non effundere positum est in decreto, & ordinatione Dei: ac proinde ex vno non potest legimè inferri aliud. Decretum enim est vt preces effunderet, & orationem solum in diebus carnis suæ. Hebr. 5.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm fuerit cõueniens Christum pro se orare.



Quæstionem huius articuli, cuius affirmatiua pars certa est, docte vt cætera, complexus est D. Thom. Cum quo respondeo, dicendum, quod Christus pro se orauit dupliciter. Vnõ modo, exprimendo affectum partis sensitiuæ, vel etiam voluntatis simplicis, quæ consideratur, vt natura, sicut cum orauit à se calicem passionis transferri. Alio modo, exprimendo affectum voluntatis deliberatæ, quæ consideratur, vt ratio, sicut quando petijt gloriam resurrectionis. Vtrunque verò decuit illum facere. Primum quidem, vt ostenderet susceptæ carnis, & humanæ naturæ veritatẽ, quam euidẽter monstrabat ex

B. Tho. Matth. 26. Ioan. 17.

ex vna parte spiritus promptitudo, ex alia infirmitas carnis & pauor. Atque vt nobis præberet exemplum fortiter tolerandi ea, quæ natura ipsa vehementer fugit, & horret: ac proinde sunt perpessu difficilia. Atque tertio, vt in his ipsis rebus asperis sensu reluctante disceremus voluntatem nostrã Deo subijcere & conformare. Ob quam causam Dominus factus in agonia, & deprecans, vt, si fieri posset, calix ille transiret, adiunxit, Non tamen sicut ego volo, sed sicut tu. Secundum etiam fuit conueniens, primo, vt nobis daret exemplum orandi, & vt ostenderet patrem suum esse auctorem, à quo & æternaliter processit secundum diuinam naturam, & secundum humanam ab eo habet quicquid boni habet. Sicut autem secundum naturam humanam quædam bona habebat à patre iam percepta, ita etiam expectabat ab eo quædam bona nondum habita, sed percipienda. Et ideo, sicut pro bonis iam perceptis in humana natura gratias agebat patri recognoscendo eum auctorem, vt constat Ioann. 11. & 16. ita etiam, vt patrem auctorem recognosceret, ab eo orando petebat ea, quæ sibi deerant secundum humanam naturam. Qualia sunt corporis gloria nominis exaltatio & alia. Et in hoc etiam nobis dedit exemplum, vt de perceptis nobis muneribus gratias agamus, & etiam nondum habita orando postulemus. Et hæc sufficiant pro declaratione huius articuli. Quod si quis aduerterit rationes vnius partis alteri etiam congruere; non id molestè ferat, quoniam inde solum sequitur, quod eius generis ratio sit & vniuersalior, & melior.

Ioan. 11.

D. Hilar. Sed in contrarium est argumentum. Quoniam Diuus Hilarius libro. 10. de Trinitate parum ante finem, dicit de Christo quod cum sibi non proficeret deprecationis sermo, ad profectum tamen nostræ fidei loquebatur. Videtur ergo quod Christus non sibi orauerit. Ad hoc respõdetur, quod Diuus Hilarius loquitur quantum ad orationem vocalem, quæ non erat ei necessaria propter ipsum, sed solum propter nos. Vnde signanter dicit, quod sibi nõ proficiebat deprecationis sermo. Si enim desiderium pauperum exaudit Dominus, vt dicitur Psalmo. 9. multo magis sola voluntas Christi habet vim orationis apud patrem. Vnde ipse dicebat Ioann. 11. Ego sciebam, quoniam semper me audis: sed propter populum, qui circunstat dixi, vt credant, quia tu me misisti. Ita S. Thom. Et quidem quotiens constiterit sanctos patres de vocali oratione Christi agere, ita respondendum est. Sed quia non raro incidimus in aliqua sanctorum testimonia, in quibus non habeat locum hæc expositio, nisi gratis eam admittere velimus, iccircò lectorem admonitum esse volo, vt si fortè cum aliquo discipulo Caluini, aut alterius hæretici, qui neget Christum sibi aliquid orasse & meruisse fuerit congressus, illeq; adferat alicuius patris testimonium simpliciter dicentis, Christum non sibi orasse sed nobis, attendat primum diligẽter, an is sanctus fuerit eo tempore & loco, quo catholicis pugna erat cum Arrianis, aut Nestorianis, qualis fuit cum Arrianis Athanasio. Nazianzeno: & pluribus eius ætatis: cum Nestorianis Cyrillo Leoni & alijs. Quod si hoc inuenerit, sciat eum scriptorem respexisse suppositum, vt Verbum Deusque est, vt caueret ab hæreticis; & ideo dixisse verissimè, quod non orabat Christus sibi ipsi, vt Deo, quia vt sic, nullius boni eget: sed orauisse nobis. Si verò & hæc interpretandi ratio, quæ certe legitima est in doctrina illorum sanctorum locum non habuerit ob aliquam causam, dicere debemus, quod quia sanctissima illa humanitas immensa iam à Deo acceperat beneficia, & vt ita dicam, bonum omne, siquidem Deum habuit, & vidit ab incarnatione ipsa, nobis autem deerant omnia bona, & oratio est eorum, quæ quis nondum habet, iccirco Dominus, quanuis in diebus carnis suæ aliqua expectaret, etiam sibi, nobis tamen, & non sibi, dicitur orauisse. Quoniam, si quæ illi deerant, cum miserijs nostris conferantur nullum ferè illi bonum, nobis autem omnia deesse videren-tur.

Psalm. 9.

Ioan. 11.

B. Tho.

Hebr. 5.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm oratio Christi semper fuerit exaudita.



ENSVS quæstionis est, vtrùm semper Christus impetrauerit, assecutusq; fuerit, vt re ipsa fieret id, quod fieri orauerit. Qua de re extant testimonia hinc & inde quæ pugnare videntur. Nam Ioan.17. loquens Dominus de ijs, quos dedit illi pater, & qui sermonē seruauerunt, ait expresse: Ego pro eis rogo non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi. Et Ioan.11. ait ad patrem: Ego autem sciebam, quod semper me audis. Et Apostolus Hebræ.5. dicit, quod exauditus est pro sua reuerentia. Cæterum in illo ipso.ca.17. dicuntur quædam, ex quibus quis colligeret oppositum. Sic enim habetur: Non pro eis autem rogo tãtum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnũ sint: sicut tu pater in me, & ego in te. Ex quo sumitur argumentum, quod non omnes, qui credunt perueniunt ad hoc, vt vnum sint per charitatem & gratiam: & hoc rogauit Dominus: ergo non omnis eius oratio fuit exaudita. Item Lucæ.22. orauit pro crucifixoribus dicēs: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt, quibus tamen non sunt remissa peccata. Et præterea Matth.26. petijt à se trãsferri calicem passionis quem tamē ebibit: ergo nō semper assecutus est quod postulauit. Hæc hinc & inde. Sed non mihi videor tutius hac in parte captari posse analogiam, & proportionem, quæ teneat, vt dicunt, à fortiori, quam si passionem ipsam sanguinemq; effusum pro nobis consideremus. Est ergo certum secundum fidem, quod Dominus pro omnibus mortuus est & redemit totum genus humanum, cum scriptum sit.1.Ioan.2. Christus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum; sed etiam pro totius mundi. Et D.Paulus.2.Cor.5. Deus, inquit, erat in Christo, mundum reconcilians sibi: & tamen re ipsa & effectu non omnes vniuersaliter homines; sed pauci quidam salutem sunt assecuti. Quod etiam est fides catholica. Ex quo fit, quod cum maius, & pretiosius sit fundere sanguinem, & vitam, quã fundere preces, & non omnes illi salui facti sint, pro quibus Christus fudit vitam, sequitur, quod nec necessario ea omnia facta sint, pro quibus vt fierent, patrem orauit. Quæ vt melius intelligantur, dico, quod certissimum esse credo cum Diuo Augustino, imo verò cum D.Ioanne Euangelista, quod Dominus à principio sciebat, qui nam, & quot essent in eum credituri: itã, vt peruenirent ad regnum, & qui etiam, vel non credituri, vel non itã credituri, vt venirent ad vitam. Et existimo, stando in eadem analogia, quod pro prędestinatis fudit sanguinem, & orationem intentione deliberata, & voluntate absoluta, vt perciperēt eorum bonorum fructum. Quos peculiariter significauit fortasse Dominus, quando sciens se sufficienter redimere totum genus humanum sanguine suo, dixit tamē Matthæ.c.26. Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum. Nec negari potest, quin de illis loqueretur, quando dicebat Ioan.17. Ego pro eis rogo, non pro mũdo, sed pro his, quos dedisti mihi. Pro cæteris autem, quanuis & sanguinem fuderit, & nonnunquam orauerit, habuit se tamen ad eos illo modo, quo se habet pater ad omnes, cũ de illo dicitur.1. Tim.c.2. Deus vult omnes homines saluos fieri. Ita inquã se habet, vt quantum est ex parte sua, velit omnes assequi salutem, nisi per illos steterit. Quæ volendi ratio dici solet à Diuo Damasceno, & scholasticis voluntas antecedens, siue cõditionata. Sed requirũt hæc omnia, vt aduertamus tertio loco, cum S. Thom. quod oratio est interpretatiua voluntatis humanæ: voluntas autem simpliciter hominis est voluntas rationis. Hoc enim absolutè volumus, quod secundum deliberatam rationem volumus. Illud autem, quod volumus secũdum partem sensituam, eiusque impulsum, vel etiam secũdum motum voluntatis simplicis, & considerata, vt natura, id non simpliciter volumus,

Marginal notes: Ioan.17. — Hebr.5. — Luc.22. — Matth.26. — 1.Ioan.2. — 2.Cor.5. — D. August. — Ioan.6. — Matth.26. — Ioan.17. — 1.Tim.2. — D.Damasc.

lumus,& secundum absolutam, & deliberatā rationē sed secūdū rationē quādā cōmunē,atq; partialē,scilicet, si aliud nō impediat,& vrgentior ratio non obsistat. Secundum autem voluntatem deliberatam & absolutam nihil voluit aliud, nisi quod sciuit Deum velle. Et ideò omnis eiusmodi voluntas Christi impleta fuit: nam & fuit Deo conformis, & ex consequenti fit, vt omnis eius oratio, quæ à tali voluntate procedebat fuerit exaudita. Quoniam & secundum hoc aliorum orationes implētur, quod eorum voluntates sunt Deo conformes iuxta illud Rom. 8. Qui autem scrutatur corda scit, id est, approbat quid desideret spiritus, id est, quid faciat sanctos desiderare: quoniam secundum Deum id est secū dum conformitatem diuinæ volūtatis postulat pro sanctis. Atque ex his satis cōstat, qua ratione possimus, & debeamus conciliare loca adducta in principio articuli.

Rom. 8.

Sed aduersus hæc sit primum argumētum peculiariter ex illo loco citato Matt. 26. Pater si fieri potest transeat à me calix iste. Qui tamē calix ab eo non fuit translatus: ergo non semper ille fuit exauditus. Ad hoc dico, quod hunc locum piissimè, & sapientissimè declarāt plures sancti: sunt que eorum omnes interpretationes suscipiendæ. Sed mihi verissima, & valde literalis est declaratio D. August. in enchiridione, verba citat S. Thom. in cathena in hæc verba Matt. 26. D. Amb. li. 10. in Lucā, Origenis ho. 35. in Matth. Chrys. homil. 84. in Matth. to. 2. quod hoc Dominus perijt, quasi homo naturali voluntate mortem recusans, non quod absoluta, & deliberata voluntate postularet, vt omnino trāsferretur calix; sed id faciebat ad instructionem nostram, demonstrare volens suam voluntatem naturalem, & motum siue affectum partis sensitiuæ. Atq; hac expositione verissimè & fortissimè obstruemus os cuiuscunq; hæretici. Sed pro cōcionatoribus mirabiles sunt aliæ sanctorum expositiones. Qualis est illa D. Hilarij super Matt. can. 31. Non vt ipse prætereatur orat; sed vt in alterum id, quod à se transit, accedat. Atque ideo pro eis orat, qui passuri post ipsum erant. Vt sit sensus, quomodo à me bibitur calix iste passionis, ita bibatur à meis sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis.

Matth. 26.
D. August.
D. Ambros.
Origen.
D. Chrys.
D. Hilar.

Secundo argumentor: Nam Dominus orauit vt peccatum crucifixoribus suis ignosceretur: non tamē omnibus peccatum illud fuit dimissum: ergo non semper, &c. Ad hoc dico, quod ego certissimum esse puto, quod Dominus orauit pro omnibus crucifixoribus, & voluit relinquere exemplum Stephano orandi pro lapidantibus, Andreæ pro crucifigētibus, nobis pro omnibus, qui nos persequuntur. Cum discrimine tamen. Nam vna & eadem oratio procedebat ex absoluta & deliberata voluntate, per comparationem ad eos, quos ipse agnoscebat esse suos, per comparationem verò ad alios non item, qui non saluabuntur quia noluerunt pœnitere. Et videtur mihi hæc declaratio magis vera, & pia & magis faciens ad ædificationē nostram, quā aliæ. Et si quid illæ veri dicunt in hac continetur. Ita respondet D. Chrys. quem citat B. Tho. in catena super Luc. cap. 23.

Luc. 23.
D. Chrysost.

QVAESTIO VIGESIMAQVARTA, DE SACERDOTIO CHRISTI.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Christus fuerit sacerdos.



CIENDVM est hoc loco, quod Deus per prophetas suos denunciauit de Christo; fore aliquando, vt ex genere Dauid corporaliter natus cōstitueret æternum templum Deo, quod appellatur ecclesia, & vniuersas gentes ad religionem Dei veram conuocaret, quæ est domus fidelis, & immortale templū: in quo si quis non sacrificauerit immortalitatis præmiū non habebit. Cuius templi & magni, & æterni quoniam Christus fabricator fuit, ideo necesse est habeat in eo sempiternum
Hebr. 8. sacerdotium, iuxta illud: Qui est minister tabernaculi veri, quod figit Deus, & non homo. Nec vero potest quisquam, nisi per eum, qui cōstituit templum ad aditum tēpli, & ad cōspectum Dei peruenire. Dauid
Psal. 109 etiam Psal. 109. id ipsum docet dicens: Ante luciferum genui te. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.
Hebr. 7. Quam figuram interpretatur Apostolus Hebræ. 7. Primum quidem, ait, qui interpretatur rex iustitiæ. Deinde autem, & rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia: nec initiū dierum nec finem vitæ habens: assimilatus autem filiò Dei, manet sacerdos in perpetuum. Per quæ omnia, & alia, quæ ibi sequuntur docet Apostolus Melchisedech fuisse ty-
Ephes. 2. pum Christi Domini. Ipse enim est, vt ait
Esai. 9. Apostolus, pax nostra, & apud prophetam est, & princeps pacis, & iustus noster siue iustitia. Et quidem Abrahæ, atque aliorū insignium virorum genealogiam & auos solet scriptura diuina recensere, sacerdotis verò Melchisech, nec patrem nec genus docuit, nec quanto tempore vixerit, nec quo tempore vitæ finem acceperit. Atque hac ratione, sine patre, sine matre, sine genealogia esse dicitur, & nec finem dierum nec finem vitæ habens, esse; quoniam scriptura diuina nihil horum docuit. In Dominum autem vere quadrat vnunquodque eorum. Est enim sine matre, vt Deus; quia vt sic ex solo patre genitus est. Sine patre, vt homo: ex sola enim matre Virgine natus fuit. Sine genealogia, vt Deus: nec enim auorum ordinem, & genealogiam habet, qui est ex ingenito genitus. Non habuit etiam vt Dei Verbum initium dierū: quia eius est sempiterna generatio. Nec verò sortitur vitæ finem: nec enim vt Deus mortalis est, nec vt homo iam moritur, nec illi vltra mors dominabitur, postquam semel pro peccatis mortuus est. Atque 1. Reg. c. Rom. 6.
2. dicitur: Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, & transibit in conspectu meo omnibus diebus. Quis autem futurus esset ille, 1. Reg. 2.
cui Deus æternum sacerdotium polliceba-
tur, Zacharias, nomine ipsi posito apertissimè docuit, cap. 3. dicens: Et ostendit mihi Dominus Iesum, sacerdotē magnum, stantem coram angelo Domini. Et Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei. Et dixit Dominus ad Satan: Increpet Dominus in te Satan, & increpet Dominus in te, qui elegit Hierusalem. Nunquid non iste torris est erutus de igne? Et Iesus stabat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciē angeli, qui respondit & ait ad eos, qui stabant coram se dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abstu- Zachar. 3.

li

li à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs. Et dixit: Ponite cydarim mundam super caput eius. Et posuerunt cydarim mundam super caput eius, & induerunt eum vestibus. Et angelus Domini stabat, & contestabatur angelus Domini Iesum dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Si in vijs meis ambulaueris, & custodiam meam custodieris; tu quoque iudicabis domum meam, &c. Hæc Zacharias. Sed Iudęi putant hęc de Iesu esse dicta filio Naue, qui successor fuit Moysi, aut de Sacerdote Iesu filio Iosedech, in quos nihil congruit eorum, quæ propheta narrauit: non enim sordidati vnquam illi fuerunt, cum alter eorum princeps potentissimus fuerit, alter sacerdos. Nec vero aut perpessi sunt aliquid aduersi, vt tanquam titio eiectus ex igne putarentur, aut aliquando in conspectu Dei, & angelorum steterunt, aut propheta de præteritis loquebatur potius quam de futuris. Locutus est igitur de Iesu filio Dei, vt ostēderet eum primo in humilitate, & carne esse vēturum. Hęc enim est vestis sordida, vt pararet templū Deo, & sicut titio igni ambureretur, idest, ab hominibus tormenta perferret, & ad extremum occideretur. Titionē enim vulgus nominat extractum focó, torrem semiustum & extinctum. Quomodo autem, & cum quibus mandatis à Domino mitteretur in terram, declarauit spiritus Dei per prophetam docens futurum, vt vbi voluntatem patris fideliter, & constanter implesset acciperet iudicium atque imperiū sempiternum. Et ideo dicit: Si in vijs meis ambulaueris iudicabis domum meam. Quæ autem fuerint viæ Dei, & quæ præcepta eius, nec ambiguum est, nec obscurum. Deus enim cum videret malitiam, & falsorum Deorum cultum per orbem terræ ità inualuisse, vt nomen eius iam ex hominum memoria esset pene sublatum, siquidem Iudæi quoque ipsi, quibus arcanum Dei creditum fuerat relicto Deo viuo, ad colenda figmenta irriti in dæmonum fraudibus aberrarant, nec increpiti per prophetas reuerti ad Deum volebant. Tunc ergo Deus filium suum principem angelorum legauit ad homines, vt eos conuerteret ab impijs & vanis cultibus ad cognoscendum & colendum Deum verum, & vt eorum mentes à stultitia ad sapientiam, ab iniquitate ad iustitiæ opera traduceret. Hæ sunt viæ Dei, in quibus illum ambulare præcepit: hæc præcepta quæ seruanda mandauit. Ille verò exhibuit Deo fidem iuxta illud. Hebr. 3. Considerate Apostolum, & Pon- *Hebr. 3.*
tificem confessionis nostræ Iesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum. Et cap. 2. dicitur *Hebr. 2.*
esse fidelis pontifex ad Deum. Non autem est necesse, vt immoremur in adducendis testimonijs noui testamenti ad comprobandam hanc veritatem catholicam. Sunt enim plura, & peruulgata, quæ si quis videre volet, legat totam epist. ad Hebræos maximè à cap. 2. vsque ad. 8. Atque etiam puto superuacaneum esse aut sanctos patres, aut concilia afferre pro hoc dogmate, quoniam pleni sunt eorum omnium libri.

Sed pro maiori huius rei explicatione sciendum est, quod sacerdotis, qui vel eo, quod sacris deditus & dicatus sit, vel ex eo quod sacra dei sic dictus est, aliquot sunt munera propria. Primum orare pro popu- *Hebr. 7.*
lo, deinde pro eo offerre sacrificia, atque tertio illum reconciliare Deo. Vnde in Le- *Levit. 16*
uitico, Numeris, & Deuteronomio præci- *Num. 15.*
pitur sæpè, vt sacerdos oret pro eo, qui deliquit. De secūdo etiam constat. Nam certum est, quod offerre sacrificia pertinebat in lege veteri, & vniuersaliter in omni republica semper pertinuit ad sacerdotes. Et *Hebr. 7.*
constat ex illo Paul. Heb. 7. Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Et Esdrę lib. 1. c. 1. dicitur: Vitulos, & agnos, & *1. Esdræ. 6.*
hœdos in holocaustum Dei cœli frumentum, sal, vinum, & oleum secūdum ritum sacerdotum, qui sunt in Hierusal. detur eis per singulos dies, & offerant oblationes Deo cœli, orentque, &c. Et tam secundum, quam tertium constat ex illo Ecclesiasti. 45. Vbi loquens scriptura de Aaron *Eccles. 45.*
summo sacerdote, Ipsum, inquit, elegit ab omni viuente offerre sacrificium Deo, incensum & bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo. Et Dan. 3. Non est *Daniel. 3.*
in tempore hoc dux, princeps & propheta,

nec

nec oblatio nec, sacrificium nec, holocaustum, &c. vt posimus inuenire misericordiam tuam. Ex quo colligitur solere Dominum placari dum illa offerebantur à sacerdotibus. Quarto loco, proprium est sacerdotis docere legem Dei, & prædicare,
Ecclesi. 45. atque esse velut patrem populi. Iuxta illud Ecclesia. 45. Dedit ei in præceptis suis potestatem in testamentis iudiciorum, do
Mal. 2. cere Iacob testimonia & in lege sua lucem dare in Israel. Et Mal. 2. dicitur: Labia sa
Aggei. 2. cerdotis custodiunt sciētiam, & legē requirent ex ore eius. Et Aggæi. 2. dicitur: Interroga sacerdotem legem. Atque illis sæpe
Mal. 2. vitio datur legis ignorantia, quale est illud Mal. 2. Viuificant animas, quę moriuntur. Est etiam pontifex, publicus parens: Propter quod licebat in lege interfectori reuerti ad patriam in eius morte non antea. Cu
Num. 35. ius rationem vide si placet, apud Philonē
Philo. libro de specialibus legibus. Christus ergo in primis orauit pro populo suo, iuxta illud
Hebr. 5. Hebræ. 5. Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; ad eum, qui posit illum saluum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro
Ioan. 16. sua reuerentia: Et apud Ioannem capit. 16. iam iam moriturus multa orat patrem pro suis. Pater sancte conserua eos, quos dedisti mihi: nunc autem pro eis rogo, & alibi sæpe. Secundo etiam obtulit sacrificia, nō quidem illa legis cruēta, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æter
Hebr. 9. na redemptione inuenta, vt habetur He
Hebr. 7. bræ. 9. Et rursus cap. 7. dicitur de Christo, quod non habet necesitatem quotidie quemadmodum sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel se offerendo. Et ter
Colos. 1. tio ipse humanum genus recōciliauit Deo secundum illud ad Col. 1. In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia. Fuit etiam doctor populi Dei. Cum scriptum sit. De
Ioel. 2. dit vobis doctorem iustitię Ioel. 2. Et Esai.
Esai. 30. 30. Oculi tui videbunt pręceptorem tuum: & aures tuæ audient verba post tergū mo
Esai. 55. nentis: hæc est via ambulate in ea. Et c. 55. Ecce dedi eum ducem, ac præceptorem, Gentibus. Et Psalm. 2. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Et in nouo testamento sæpe pater diuinus ad *Matth. 17.* monet, vt ipsum audiamus, & sæpisimè fit mentio de eius doctrina. Et vlumò in eius morte tanquam veri parentis nos miseri, exules, & nostrarum animarum homicidæ sumus in cœlestem patriā reuocati in cuius signum, quando Dominus expi *Matth. 27.* rauit velum templi scissum est significante Spiritu sancto; quod tunc propalata est Sanctorum via. Et hoc est quod docuit, diuinisimus Paulus Hebr. 9. dicens: Et ideò noui testamenti mediator est, vt morte in *Hebr. 9.* tercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromisionem accipiant, qui vocati sunt ęternę hæreditatis.

Sed contra hæc argumentor primo: Quia ea quæ fuerunt in veteri test. mento erant figura & vmbra futurorum ad Col. 2. Sed Christus non traxit carnis originem *Colos. 2.* ex sacerdotibus veteris legis, fuit enim de tribu Iuda: ergo non conuenit ipsi esse sacerdotem.

Hanc rationem non ideò adduxi, quod ipsa habeat aliquid consequens: sed quia tāgit rem scitu dignam. Sciendū ergo quod aliud est dicere, Virginem Mariam non fuisse de tribu Iuda, aliud verò dicere, quod fuit etiam de tribu Leui. Primum enim sapientisimus Augustinus libro. 23. contra Faustum merito ferre non po *D. August.* test, Et ratio est, quia cum Dominus non fuerit filius Ioseph, sed Virginis, si illa non fuit de tribu Iuda, sequitur quod Christus secundum carnem non fuit de tribu Iuda, quod est cōtra fidem. Scriptum enim est: Vicit leo de tribu Iuda: &, De fructu ven *Apoc. 5.* tris tui ponam super sedem tuā. Et Hebr. *Hebr. 7.* 7. ait Apostolus: Manifestum est, quod ex *Psal. 131.* Iuda ortus sit Dominus. Secundum vero, quod etiam descenderit Dominus de tribu Leui. D. August. non improbat. lib. 2. de consensu euangelistarum, ca. 1. dicit firmisimè tenendum esse carnem Christi ex vtroque genere esse propagatam Regum, scilicet, & sacerdotum. Et est expressa sententia Gregorij Nazianzeni, qui dicit, nutu *Nazianz.* superno contigisse, vt regium genus sacerdotali

dotali stirpi iungeretur, vt Christus, qui rex est & sacerdos ab vtrisque nasceretur secundum carnem. Et praeterea certum est, quod tribus regia & sacerdotalis connubijs iungebantur, vt constat de primo summo sacerdote, qui accepit vxorem filiam Aminadab sororem Naasson, qui fuit dux in tri-
Exod.6. bu Iuda Exod.6.& 4.Reg.11.& 2.Paral.
4.Reg.11. 22. Iocada sacerdos duxit vxorē Iosabeth
2.Paral.22. filiam regis Ioram. Ac propterea dicendū est, quod Dominus descendit ex vtraque
Beda. tribu. Quamuis venerabilis Beda, & Sanct.
S.Tho. Thom. teneant oppositum. Et aduertendum est, quod si fiat vis in verbo, aliud est Virginem fuisse de stirpe Leui, aliud fuisse de tribu Leui. Fuit quidem illa de stirpe Leui, sed de tribu Iuda, quoniam per lineā masculinam descendebat à tribu Iuda. Et
S.Tho. quamuis S. Thom. in catena citet Bedam pro sua sententia, ipse tamen Beda Luc. 1. tenet nostram.

Secundo argumentor: Quia in lege veteri non erat idem legislator, & sacerdos.
Exod.28 Vnde Dominus dixit ad Moysen Exo.28. Applica Aaron fratrem tuum, vt sacerdotio fungatur mihi: ergo cum Christus fue-
S.Thom. rit legislator non debuit esse sacerdos. Ad hoc dicendum est cum D. Thom. quod alij homines habent peculiares quasdam gratias: sed Christus tanquàm omnium caput habet perfectionem, & complementum omnium gratiarum. Et ideò quanuis in lege alius esset legislator alius sacerdos alius rex: sed haec omnia in Christo conue-
Esai. 33. nerunt, iuxta illud Esai. 33. Dominus index noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse veniet & saluabit nos. Tertio obijci posset, quia sacerdos est
Hebr.1. minor angelis: Christus verò est tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditauit: ergo, &c. Ad quod dico, quod sacerdotalis dignitas est in hominibus. Atque ideò si natura vtrorunque consideretur, meliores sunt angeli. Si verò ad dona gratiae respiciamus existimo, quod non modo summus ille pontifex, de quo nobis sermo, sed plures etiam alij sacerdotes aliquos angelos antecedunt.

ARTICVLVS. II.

Quod Christus Dominus non fuerit sacerdos secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech.

PERFIDI quidam homines, & sanctissimae nostrae religionis inimici Christum faciebant sacerdotem quendā legalem, nihil maius in illo esse credentes. Quae causa mihi fuit disputandi breuiter hunc articulum. In quo sit conclusio catholica, quod Christus non fuit sacerdos legalis secundum ordinem Aaron, sed sacerdos legis nouae secundum ordinem Melchisedech. Probatur: Quoniam est expressa doctrina Apos. epis. ad Heb. per multa ca- Hebr.7.
pita. Quo loco inter alia dicit: Si ergo consummatio per sacerdotium Leuiticū erat, populus enim sub ipso legem accepit, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinē Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici?
Item haec est doctrina D. August. lib. con- D. August.
tra Iudaeos, & lib. 10. super Gen. ad literam,
& D. Hieronym. super Psalm. 109. constat D.Hiero.
quae ex illo testimonio; Tu es sacerdos in Psalm.109
aeternum secundum ordinem Melchisedech: videndusque est ibi D. August. Sed D.August.
incipiamus rationibus ex scriptura deductis, & comprobare veritatem, & ostendere simul vtriusque sacerdotij differentias.

Argumentor ergo primo: Quia teste Apostolo ad Hebr. 7. simul transfertur, & Hebr.7.
sacerdotium & lex: sed lex vetus est translata per Christum: ergo & sacerdotium: ergo non fuit ipse sacerdos secundum legē veterem, sed secundum nouam.

Secundo: Item dignius est testamentum nouum & lex, quam vetus, iuxta il- Hebr.8.
lud: Si enim prius culpa vacasset non vtique secundi locus inquireretur: ergo dignius est sacerdotium legis nouae, quam veteris: ergo Christus fuit sacerdos secūdum hunc ordinem nouae legis, & non secundum illum. Item cum sacrificia sunt diuer-

sa,

sa, sacerdotia etiã sunt diuersa: sed antiqui offerebãt animalia, Christus verò sui corpus obtulit, & sanguinem figuratum per panem & vinũ oblatum à Melchisedech: ergo est sacerdos secundum ordinẽ Melchisedech, & non secundum Aaron. Item secundum legem plures facti sunt sacerdotes, eo quod morte prohiberentur permanere: Iesus autem eo quod maneat in æternum sempiternum habet sacerdotiũ: ergo sunt differentia hæc sacerdotia. Et aduerte, quod non solum Dominus, vt homo est sacerdos æternus in se, sed etiam in suis sacerdotibus, quoniam character sacerdotalis est indelebilis: ac propterea in resurrectione omnes, qui modo sunt sacerdotes erunt sacerdotes: non tamen illi episcopi, qui renunciantes pompis sæculi huius & sanctè ac pie viuẽtes digni inuenti fuerint æterna vita erunt tunc episcopi, quoniam episcopatus non est, ordo sed dignitas. Præterea tota virtus legis & sacerdotum illius non poterat dare vitam æternam, quia si ex lege hæreditas, ergo gratis Christus mortuus est, vt habetur ad Gala. ca. 3. sed Christus saluare in perpetuum potest accedẽs per semetipsum ad Deum, vt dicitur Heb. 7. ergo non fuit sacerdos legalis, sed longe excellentior. Et certè si Christus fuisset sacerdos secundum ordinem Aaron, nihil esset, cur modo sacerdotium Leuiticum non maneret: aut non manet: ergo ille non fuit sacerdos secundum ordinem Leui.

Genes. 14. *Hebr. 7.* *Galat. 3.* *Hebr. 7.*

ARTICVLVS. III.

Quod Christus fuerit simul sacerdos, & hostia.

SVPPONIT huius articuli disputatio, quid nam sit hostia, siue sacrificium. Sed propter quosdam non agnoscentes sacrificium, in quibus maximè agnoscere debuissent, placuit præter morem nostrum breuiter hac de re aliqua dicere. Sciẽdũ ergo est, quod sacrificiũ est id, quod in honorem Dei ipsi offertur, siue oblatio ipsa, inter quæ duo nihil fere differt. Nã sicut finis noster modo dicitur Deus, modo apprehensio & fruitio Dei, est tamen idem finis: ità & in proposito dicendum est: quocirca sacrificij nomine modo rem ipsam oblatam, modo oblationem accipiemus sine discrimine. Est vero duplex sacrificium, visibile, qualia erant sacrificia, & pecudes immolatæ in lege veteri, & inuisibile, cuius signum est ipsum visibile, quod multò perfectius est & per se gratum Deo. De quo Propheta desiderans peccatis suis Deum habere propitium, Si voluisses, inquit, sacrificium dedissem, vtique holocaustis non delectaberis: sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Quo loco intuendum est, quod vbi Deũ dixit nolle sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium, vt intelligamus differentiam visibilium illorũ & inuisibilis sacrificij. Nec enim vult Deus sacrificiũ trucidati pecoris: sed vult sacrificium contriti cordis. Hinc & alio loco Psal. Si esuriero, inquit, non dicam tibi, meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hyrcorum potabo? Ostendens verò, quænam sacrificia illi grata essent subiungit: Imola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua, & inuoca me, &c. sic honorificabis me. Et per Michæam, cap. 6. dicitur: Quid dignum offeram Domino? Curuabo genu Deo excelso? Nunquid offeram ei holocaustomata, & vitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum vẽtris mei pro peccato animæ meæ? Iudicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitũ ambulare cũ Deo tuo. Et Hebr. 13. scriptũ est: Beneficentiæ, & commmunionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus. Ac per hoc vbi scriptũ est: Misericordiam volo, & non sacrificiũ, nihil aliud, quã sacrificium sacrificio prælatum est. Quoniam illud, quod ab hominibus

Psalm. 50. *Psalm. 49* *Miche. 6.* *Hebr. 13.* *Matth. 9*

nibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificij. Estque misericordia verum sacrificium iuxta id, quod modo ex Paulo commemoraui. Et certè qui virtutum actus negaret esse sacrificia, non videretur nosse & penetrasse, quod viuat in lege spiritus. Vnde quidam, qui sub occidenti litera moriebatur, erat vero ingenio admirabili, hanc veritatem ingenue fatetur his verbis: Perfectæ & inculpatæ victimæ virtutes sunt, & operationes his congruentes, quas Aegyptium corpus affectibus obnoxium abominatur. Vnde scriptum est: Abominationes Aegypti sacrificemus Domino? Satisque esset alienum, si quis diceret, quod fœnum & aliæ herbæ, quas, teste Teophrasto, offerebant antiqui, sint sacrificia, ac pecudes etiam & earum cruor immolata sint sacrificia, laus vero Dei, misericordia, patientia, effusio sanguinis pro Christo non sint sacrificia cum & per se grata sint, & oblata Deo. Sed videtur quidam doctores desiderare, quod faciat quis materiam sacrificij, vt illud dicatur sacrificium. Quasi qui offert fœnum faciat fœnum, aut qui offert agnum faciat agnũ; certè non facit, & tamen offerre dicebatur sacrificium. Ac propterea martyres, quanuis nec vitæ suæ, nec necis haberent potestatem, gratissimum Deo obtulerunt sacrificium, mortem fortissimè perferentes in eius honorem. Quod non volo intelligi dictum rhetoricè, & per amplificationem heroici actus martyrij, sed verè & propriissimè. Verè enim & propriè Eleazarus pro patrijs legibus moriens gratissimum sui ipsius obtulit sacrificium. Atque ipse homo Dei nomine consecratus, & Deo deuotus in quantum mundo moritur, vt Deo viuat sacrificium est. Nam & hoc ad misericordiam pertinet, quam quisque in se ipsum facit. Et propterea scriptum est: miserere animæ tuæ placens Deo. Cum etiam corpus nostrum per temperantiam castigamus eo fine, vt non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiæ Deo sacrificium est.

Philo. de profugis.
Exod. 8.
Theophrast.
Eccles. 30.
Roma. 6.

Ad quod exhortans Apostolus ait ad Romanos. 12. Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo, vel instrumento vtitur anima, sacrificium est, cum eius bonus & rectus vsus refertur ad Deum, quanto magis anima ipsa cum se refert ad Deum, vt igne amoris eius accensa et incommutabili formæ subdita reformetur, sacrificium est. Atque ex his efficitur, vt tota ipsa redempta ciuitas, hoc est congregatio, societasque sanctorum, sit vniuersale sacrificium, quod offertur Deo per sacerdotem magnum, qui penetrauit cœlos Iesum, qui etiam se ipsum obtulit in passione pro nobis secundum formam serui, vt tanti capitis nos efficeret corpus: & eam formam obtulit, atque secundum eam mediator sacerdos, & sacrificium est. Colligamus ergo, quod quia sacrificium est id, quod offertur Deo ad reuerentiam ipsius & ad placandum ipsum, verè & catholicè secundum legem spiritus dicendum est, quod eius altare est cor nostrum, cum illud sursum habemus ad Dominum, eius vnigenito sacerdote placamur, ei cruentas victimas cædimus, quando vsque ad sanguinem pro eius fide & honore certamus. Tunc suauissimum adolemus incensum, cum in eius conspectu pio sanctoque amore flagramus. Ei & dona eius & nos ipsos vouemus, & reddimus, cùm in ara cordis hostias sacrificamus obedientiæ, humilitatis, & laudis. Verum est tamen, quod quia homines, assueti visibilibus visibilia primo nominant, & quia in rebus visibilibus nulla inuenitur alia ratio boni honesti, nisi quia sacrificia sunt & in honorem Dei referuntur, iccirco ista corporea & visibilia, communiter obtinuerunt nomen sacrificij, sed si illa dicuntur sacrificia quę aliam rationem boni, & accepti Deo non habent, nisi, quia ad eius honorem assumuntur, quantò magis sancta & honesta vita laus Dei, & strenuæ virtutis actus sacrificia erunt ad eum finem relata, sine quo misericordia ipsa sacrificio prælata non est sacrificium. Et hęc quidem dicta sint, vt fidelibus perfectam rationem sacrificij, & veram declaremus. De quo videndus est Diuus Augustinus

Roma. 12.
Hebr. 4.
D. August.

ſtinus lib.10.de Ciuit. Eſt vero ſumma hu
ius doctrinæ, quod ſiquidem ſacrificium
exterius dicitur tale in ordine ad interius,
& vt ita dicam, de nominatiuè, & extrinſe
cè, multò magis interius ipſum opus erit
B.Tho. ſacrificium. Vt ergo ad rem veniamus, de
claro ex S. Thoma, quomodo Chriſtus
fuerit etiā hoſtia & ſacrificium. Nam ho-
mo indiget ſacrificio propter tria. Primū
ad remiſsionem peccati, per quod à Deo
Hebr.5. auertitur. Et ideo Apoſtolus dicit Hebr.5.
quod ad ſacerdotem pertinet vt offerat do
na, & ſacrificia pro peccatis. Secūdo vt ho
mo in ſtatu gratiæ cōſeruetur ſemper Deo
inhærens, in quo eius pax & ſalus conſi-
ſtit. Vnde & in veteri lege immolabatur
Leuit.3. hoſtia pacifica pro offerentium ſalute, vt
habetur Leu.3. Tertio ad hoc, quod ſpiri-
tus hominis perfectè Deo vniatur, quod
maximè erit in gloria. Vnde & in veteri le
ge offerebatur holocauſtum, quaſi totum
Leuit.1. incenſum, vt dicitur Leuit.1. Hæc autem
per humanitatem Chriſti nobis prouene-
runt. Nam primum quidem per eum no-
ſtra peccata deleta ſunt iuxta illud Roma-
nor.4. Traditus eſt propter delicta noſtra.
Rom.4. Hebr.5. Secundo per ipſum accepimus gratiā nos
facientem ſaluos iuxta illud Hebræ.5. Fa-
ctus eſt omnibus obtemperātibus ſibi cau
ſa ſalutis æternæ. Tertio per ipſum adep-
ti ſumus perfectam beatitudinem, iuxta
Hebr.10. illud Hebr.10. Habemus fiduciam per ſan
guinem eius in introitum ſanctorum, ſcili
cet, in gloriam cœleſtem. Igitur ipſe Chri
ſtus in quantum homo non ſolum fuit ſa-
cerdos, ſed etiam hoſtia perfecta ſimul exi
ſtens hoſtia pro peccato, & hoſtia pacifica
& holocauſtum. Et hoc eſt quòd ait Apo
Epheſ.5. ſtolus Ephe.5. Et tradidit ſemetipſum pro
nobis, oblationē, & hoſtiam Deo in odo-
rem ſuauitatis.

Sed obijcere quis poſſet, quod omnis
hoſtia ex hoc, quod Deo offertur, Deo ſan
ctificatur: ſed humanitas Chriſti à princi-
pio fuit ſanctificata, & Deo coniuncta: er-
go non poteſt dici, quod Chriſtus fuerit
B.Tho. hoſtia. Ad hoc reſpondetur cum eodem
D.Tho. quod ſanctitas humanitatis Chri-
ſti à principio non impedit, quin ipſamet
humana natura cum in paſsione oblata eſt
Deo, ſanctificata fuerit nouo modo, ſcili-
cet, vt hoſtia actualiter tunc exhibita per
paſsionē: imo ſanctiſsima illa humanitas
continua quadam ratione ſeipſam offe-
rebat.

ARTICVLVS. IIII.

Quod effectus ſacerdotij Chriſti ſit ex-piatio peccatorum.

HIC aduertendum eſt primo,
quod eſt quæſtio de expiatio-
ne peccatorum, vt prouenit à
ſummo pontifice noſtro, &
ſacerdote Chriſto per actus proprios ſacer
dotis, qui ſunt ſacrificare, & offerre pro pec
catis. Quærimus enim an effectus iſtorū
actuum fuerit remiſsio peccatorum, & ex
piatio, non autem diſputamus quā ratio-
ne, illi actus concurrerint ad hunc effectū
effectiuè phyſicè, an ſolum meritoriè, vel
alio modo. Quo poſito reſpondeo, dicen-
dum cum S. Thom. quod ad perfectam B.Tho.
emundationem duo requiruntur, ſecundū
quod duo ſunt in peccato, ſcilicet, macula
culpæ, & reatus pœnæ. Macula quidem
culpæ deletur per gratiam, qua cor pecca-
toris conuertitur in Deum: reatus autem
pœnæ totaliter tollitur per hoc, quod ho-
mo Deo ſatisfacit. Sacerdotium verò ve-
teris legis neutrum iſtorum poterat effice
re, ſicut nec lex vetus: quia, vt ait Apoſto- Galat.2.
lus, ſi ex lege eſſet iuſtitia: ergo gratis Chri
ſtus mortuus eſt. Sacerdotium vero Chri
ſti facit vtrunque. Hoc vero, quod dici-
mus, tam de ſacerdotio veteris legis, quam
de ſacerdotio Chriſti eſt expreſſa doctrina
Diui Pauli ad Hebræ.9. Quo loco docet, Hebr.9.
quod in ſtatu veteris legis munera offere-
bantur, & hoſtiæ, quæ non poſſunt iuxta
conſcientiam perfectum facere ſeruiētem
ſolummodo in cibis, & in potibus, & in va
rijs baptiſmatibus, & iuſtitijs carnis, vſque
ad tempus correctionis impoſitis. Chri-
ſtus autem aſsiſtens pontifex futurorum
bonorum per amplius, & perfectius taber
naculum non manu factum, id eſt, nō hu-
ius creationis nec per ſanguinem hircorū,

aut

aut vitulorum; sed per proprium san- guinem introiuit semel in sancta, æter- na redemptione inuenta. Si enim san- guis hircorum, aut vitulorum, & ci- nis vitulæ aspersus inquinatos, sanctifi- cat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi, qui per Spiri- tum sanctum semetipsum obtulit imma- culatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruien- dum Deo viuenti? Et capit. 10. sic habet: Et omnis quidem sacerdos præsto est quo tidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ non possunt auferre pecca- ta. Hic autem vnam pro peccatis offe- rens hostiam in sempiternum sedet in dex tera Dei, &c. vna enim oblatione con- summauit in æternum sanctificatos. Et hæc quidem duo testimonia comple- ctuntur, quæ propria sunt vtriusque sa- cerdotij. Pro gratia vero, & salute sem- piterna, quæ nobis prouenit per pontifi- cem, & sacerdotem nostrum, habetur testimonium ad Hebræ. 5. Vbi ait Aposto lus: Et quidem cum esset filius Dei didicit ex his, quæ passus est, obedientiam, & con- summatus factus est omnibus obtempe- rantibus sibi causa salutis æternæ, appella- tus à Deo pontifex, iuxta ordinem Mel- chisedech. Et tandem quod pontifex no- ster pro peccatis nostris satisfecerit, do- cet idem Apostolus Hebr. 7. dicens: Ta- lis enim decebat, vt nobis esset pontifex Sanctus innocens, impollutus, segrega- tus à peccatoribus, & excelsior cœlis fa- ctus, qui non habet necessitatem quotidie quemadmodum sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro popu- li. Hoc enim fecit semel se offerendo. Et hæc sufficiant pro hoc articulo. Plena ve- rò huius rei notitia requirebat, vt nosset quis differentiam legis veteris & nouæ. Proportionale enim discrimen erit inter vtriusque sacerdotium. Sed hæc pertra- ctare non est huius loci. Atque ego vno verbo tetigi eam differentiam, quantum attinebat ad propositum.

Heb. 10. Hebr. 5. Hebr. 7.

Sed contra hæc est argumentum: Nam Apostolus dicit Hebr. 10, quod hostiæ ve- teris testamenti non poterant perfectos facere, alioqui cessassent offerri, eo quod nullam haberent conscientiam peccati cultores sufficienter semel mundati: sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. At vero hoc idem ac- cidit modo, quod offerimus quotidie pro peccatis: ergo per sacerdotium Christi non expiantur peccata. Est hoc argu- mentum graue & difficile, & eius mate- ria scitu digna. Sermo verò est in hoc lo- co Apostolo de sacrificio expiationis, quod decima die mensis septimi offerebatur à summo pontifice legis: in quo, vt vere ait D. Chrysostom. non erat vera peccato- rum remissio, sed corporales quædam emundationes, & vmbræ atque figuræ re- missionis, nec erat sacrificium quod om- nia exhauriret peccata, sed illius tantum vmbra, & carnales quædam victimæ. Ex eo verò Apostoli argumento duo quis in nos iacula contorquere posset. Pri- mum, quod quemadmodum illi sæpe offerebant: ita & nos in noua lege sæpe offerimus: ergo sicut illa sacrificia non faciebant perfectos, quod constat, quia non cessabant offerri: ita nec nostra.

Heb. 10. D. Chrys.

Ad quod respondetur, quod apud eos, erant plura sacrificia, & varia, vt con- stat Leuit. 16. & Numerorum. 29. ac cer- te si vnum sufficeret non multiplica- rentur. Cæterum nobis non est nisi vnum sacrificium: quoniam illud est sufficiens. Sed dicis, cur hoc sacrificium repetitur: nã si esset sufficiens, cessasset offerri secũdum Apostolum.

Leuit. 16 Num. 29

Ad hoc respondent quidam, ea verba Apostoli intelligenda esse formaliter: con- sistit enim vis rationis in hoc, quod lex or- dinauit cultores etiam eosdem singulis annis offerre idem sacrificium. Hinc nan que sequitur, quod si sacrificium illud mundasset cultores à peccato, non iussisset lex; vt cultores iam mundati illud of- ferrent: quoniam tales non indiguis- sent iterato sacrificio. Et propterea se- quitur, quod cessassent offerri à semel mundatis. Nec minuitur efficacia ra- tionis, propterea quod semel mundati

poterant iterum peccare : ac per hoc in-
digerent alia oblatione : quoniam vis ra-
tionis conſiſtit in ratione formali culto-
rum, vt iam erant mundati, quos lex non
iuberet ſingulis annis offerre, ſi fuiſſent
mundati. Ita nonnulli. Vereor autem,
ne ſi hoc ego modo reſpondeam, non
tam Theologicè, & grauiter, quam lo-
gicè reſpondiſſe videar, ne dicam, ſophi-
ſticè : quoniam nec exacta illa & logica
formalitas familiaris eſt ſacris literis, nec
digna earum grauitate, nec recepta in
communem vſum loquendi. Nec enim
dicet quis, quod ſacramentum pœniten-
tiæ ceſſaret iterari, ſi mundum faceret ſuſ-
cipientem : nam & facit mundum, & re-
petitur, quia peccat iterum qui ſuſcepit.
Vnde ea interpretatio eſt contra intentio-
nem Apoſtoli. Vult enim ibi conclude-
re, quod ſi illæ hoſtiæ mundarent cul-
tores, omnino ceſſaſſent offerri, &, vt lo-
gicè dicam, abſolutè : quæ illatio nulla
eſt ſecundum eam interpretationem : er-
go ad illud teſtimonium reſpondeo, quod
nos non offerimus multa ſacrificia ſed
vnum, & non modo vnum ratione ac ge-
nere, ſed vnum & idem numero. Nec
enim offerimus vnum agnum hodie, &
alium cras : & non modo offerimus v-
num & idem, ſed & oblatio noſtra non
eſt aliud, quam eius oblationis comme-
moratio, qua Chriſtus ſemetipſum ob-
Hebr. 9. tulit patri. Chriſtus enim ſemel mortuus
eſt, & ex morte, vt quæ haberet virtu-
1. Pet. 3. tem ſpiritualem cœleſtem & ſempiter-
nam, mundauit in æternum ſanctifica-
tos propter quod eius dicitur eſſe æter-
Hebr. 10. na redemptio : & nec pro præteritis, nec
pro præſentibus, nec pro futuris peccatis
eſt neceſſaria alia oblatio. Hanc reſpon-
ſionem confirmo in primis per Apoſto-
lum ipſum in verbis antecedentibus, ſci-
Hebr. 9. licet, capitis noni. Nec vt ſæpe, inquit, of-
ferat ſemetipſum, quemadmodum pon-
tifex intrat in ſancta per ſingulos annos in
ſanguine alieno : alioquin oportebat eum
frequenter pati ab origine mundi. Nunc
autem ſemel in conſummationem ſæcu-
lorum ad deſtitutionem peccati per ho-
ſtiam ſuam apparuit. Et quemadmo-
dum ſtatutum eſt hominibus ſemel mo-
ri, poſt hoc autem iudicium; ſic & Chri-
ſtus ſemel oblatus eſt ad multorum ex-
haurienda peccata. Secundo probo teſti-
monio Diui Chryſoſtom. In hunc lo-
cum ille ſic habet : Quid ergo nos nonne D. Chryſ.
per ſingulos dies offerimus ? Offerimus
quidem : ſed ad recordationem facientes
mortis eius. Et vna eſt hæc hoſtia non
multæ. Quomodo vna eſt, & non multæ?
Quia ſemel oblata eſt : oblata eſt in ſan-
cta ſanctorum. Hoc autem ſacrificium
exemplar eſt illius, id ipſum ſemper of-
ferimus : nec nunc quidem alium agnum,
craſtina alium, ſed ſemper eundem ipſum
proinde vnum eſt, hoc ſacrificium hac
ratione. Alioqui, quoniam in multis lo-
cis offertur multi Chriſti ſunt ? Nequa-
quam : ſed vnus vbique eſt Chriſtus, &
hic plenus exiſtens, & illic plenus vnum
corpus. Sicut enim qui vbique offertur
vnum corpus eſt, & non multa corpora,
ita etiam & vnum ſacrificium. Pontifex
autem noſter ille eſt, qui hoſtiam mun-
dantem nos obtulit : ipſam offerimus &
nunc, quæ tunc oblata quidem conſumi
non poteſt. Hoc autem quod facimus
in commemorationem fit eius, quod fa-
ctum eſt. Hoc enim facite, inquit, in
meam commemorationem Luc. 22. Non Luc. 22.
aliud ſacrificium ſicut pontifex : ſed id
ipſum ſemper facimus; magis autem re-
cordationem ſacrificij operamur. Hacte-
nus Diuus Chryſoſtom. Debet autem
intelligere homo doctus, quod cum di-
cimus, noſtram oblationem non eſſe, ni-
ſi commemorationem eius ſacrificij, non
eſt ſenſus, quod nos non offeramus. Sed
quoniam nos offerimus in memoriam
Chriſti, & non aliud offerimus, quam
Chriſtum, & ipſe non moritur modo, 1. Pet. 3.
ſed ſemel mortuus eſt, iccirco dicitur no-
ſtrum ſacrificium eſſe rememoratio il-
lius. Qui vero deſiderauerit ſcire, quam
multiplicarentur hoſtiæ in veteri lege, le-
gat peculiariter caput. 29. Numerorum, & Num. 29.
inueniet, quod lex etiam quantum attinet
ad vnum tantum ſacrificij genus ; nunc
offere

offert vnum vitulum, nunc duos, nunc tres, nonnunquam verò multo plures. Prima enim die solennitatis mensis septimi offerebantur tredecim vituli, secunda duodecim; tertia vndecim, quarta decem, quinta nouem, sexta octo, septima, septem octaua sex, nona quinque decima quatuor, vndecima tres, duodecima duo, decimatertia vnus tantum vitulus offerebatur.

Secundo argumentor: Quia solius Dei est peccata delere iuxta illud Esaiæ. 43. Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me; sed Christus non est sacerdos, secundum quod Deus, sed secundum quod homo: ergo sacerdotium Christi non est expiatiuum peccatorum. Ad hoc respondetur ex Diuo Thom. quod licet Christus non fuerit sacerdos, secundum quod Deus, sed secundum quod homo, vnus tamen, & idem fuit sacerdos, & Deus. Vnde in Synodo Ephesina legitur, si quis pontificem dicit, & Apostolum nostrum fieri, non ipsum ex Deo verbum, quando factum est caro, & secundum nos homo: sed tanquam alterum præter eum seorsum, hominem ex muliere, anathema sit. Et ideò in quantum eius humanitas operabatur in virtute diuinitatis, illud sacrificium erat efficacissimum ad delenda peccata. Hæc autem omnia, quæ de sacerdotio Christi diximus, Sapienter, & breuiter complexus est Diuus Augustinus, libr. 4. de Trinitate dicens: Quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse vnus verusque mediator per sacrificium pacis, reconcilians nos Deo vnum cum illo manebat, cui offerebatur, vnum in se faciebat, pro quibus offerebatur, vnus ipse erat, qui offerebat & quod offerebat.

Esai. 43. | D. Thom. | Conc. Ephes. | D. August.

ARTICVLVS. V.

Quod effectus sacerdotij Christi non ad ipsum, sed ad nos pertinuerit.



QVAESTIO huius articuli est vna ex illis, in quibus non modo sentiendum est doctè, sed etiam loquendum cautè. Ille vero explicatur duabus propositionibus. Prima est, quod absolute loquendo non est dicendū, quod effectus sacerdotij Christi pertinuerit ad ipsum, aut quod pro se obtulerit oblationem vel sacrificauerit. Procuius intelligētia supponēdū est, quod cum plura sint munera, & effectus sacerdotij præcipua tamen sunt duo, scilicet, placare Deum, & satisfacere pro peccatis. Quo vno constituto satis liquet non esse dicendum, quod Christus obtulerit pro se, siquidem nunquam Deum habuit offensum, nec inuentum est in eo peccatum, pro quo offerret & satisfaceret. Sed probatur conclusio ex Apostolo Heb. 7. Talis enim decebat, inquit, vt nobis esset pontifex, Sanctus, innocens, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus; qui non habeat necessitatem quotidie, quemadmodū sacerdotes prius pro suis delictis offerre, deinde pro populi.

Secundo probatur ex diffinitione synodi Ephesinæ primæ, canone. 10. Vbi sic habetur: Si quis dicit Christum pro se obtulisse oblationem, & non magis pro nobis solum. (Non enim indiguit sacrificio qui peccatum nescit) anathema sit. Ex qua cōcilij diffinitione colligitur, & nostra propositio, & ratio fundamentalis articuli, quam proposuimus, scilicet, quod proprium munus sacerdotis sit offerre pro delictis.

Tertia vero probatio est: Quia sacerdos constituitur medius inter Deum & populum: ille autem indiget medio ad Deum, qui per se ipsum accedere ad Deum non potest: & talis participat effectum sacerdotij: hoc autem Christo non competit, cum de eo dicat Apostolus Heb. 7. Accedēs per semetipsum ad Deum semper viuens, ad interpellandum pro nobis: ergo non

Hebr. 7. | Conc. Ephe. | Hebr. 7. | Hebr. 7.

conuenit Christo suscipere in se effectum sacerdotij, sed eum alijs communicare. Congrueque ad hoc declarandum possumus vti hac analogia, quod in naturalibus primum agens in aliquo genere, ita est influens, quod non est recipiens in illo genere: sicut primũ mobile eo genere motus non mouetur ab aliquo, & sol ita illuminat quod non illuminatur. Christus vero est fons totius sacerdotij, à quo participauerũt omnes sacerdotes legum omnium diuinarum quamcunque potestatem, & virtutem sacerdotalem habuerunt, siue in lege naturæ, siue veteri, siue noua. Omnia enim bona spiritualia, & quæ ad illa referuntur, per Christum nobis prouenuint: ergo.

Secunda propositio: Christus participauit aliquos effectus sui sacerdotij, probatur: Quia Christus seipsum obtulit in sacrificium in passione: sed per eam non solum alijs meruit, sed etiam sibi: ergo sacerdotium Christi habuit effectum etiam in ipso.

Secundo probatur: Quia Christus orauit pro se sicut alij sacerdotes: vnde Apostolus Hebr. 5. loquens de Christo, vt sacerdos erat ait: Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad Deum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrimis obtulit, & exauditus est pro sua reuerentia: ergo sacerdotium Christi habuit, &c. *Hebr. 5.*

Tertio: Quia oblatio sacrificij est de iure naturæ: vnde quilibet subiectus Deo tenetur illi offerre sacrificium: sed Christus Dominus fuit patri subiectus secundum naturam humanam, & obediens: ergo iure naturæ tenebatur offerre sacrificium in signum subiectionis, & obedientiæ.

Quarto: Quanuis in statu innocentiæ nullum futurum esset peccatum; inueniretur tamen vera ratio sacrificij oblati in signum subiectionis, & obedientiæ: ergo non obstat nullum fuisse in Christo peccatum, quominus aliqua sacrificandi ratio fuerit ei in ordine ad ipsum.

Sed clariora fient hæc si contra primam conclusionem opposuerimus eam rationem, quam formauimus pro secunda, quod Christus se ipsum obtulit in sacrificium, quando passus est; & per passionem suam non solum alijs meruit, sed etiam sibi: ergo sacerdotij effectus ita redundat in Christum, vt non solum pro alijs, vt dicebat Synodus Ephesina, sed etiam pro se obtulerit. *Cõc. Ephes.*

Pro declaratione huius argumenti sciendum est, quod Christus per passionem tripliciter potest intelligi sibi meruisse. Vno modo ratione deuotionis, & charitatis, qua sustinuit passionem. Alio modo in quantum se obtulit, & ea passio fuit sacrificium, nonquidem, vt satisfactorium, & placatiuum pro se ipso; sed prout erat recognitio quædam Dei, & pertinebat ad eius reuerentiam, & cultum. Tertio modo posset fingi oblatum illud sacrificium, vt reconciliatiuum, & satisfactorium pro Christo. Et hæc tertia fictio asserta hæretica est. Et hoc est, quod damnauit Concilium Ephesinum, quando dixit Christum nobis solum obtulisse.

Et pro maiori intelligentia huius rei aduertendum est, quod postquam miserè amisimus iustitiam originalem, & in peccatum lapsi sumus, cum quotidie peccaremus, & indigeremus ea gloria Dei, qua parcit, & reconciliatur peccatoribus, offerebant & offerunt Dei cultores sacrificia sua pro peccatis. Vnde obtinuit, vt sacrificium accipiatur prout placatiuum est, & expiatiuum culpæ. Quæ quia in Christo nulla fuit non est dicendus, quod pro se ipso obtulerit sacrificium. At vero secundum nominis significationem primæuam, & sufficientem ad rationem sacrificij, sacrificium recognitio quædam est reuerentialis Dei, debita Deo, quia creator conseruator, & largitor est omnium bonorum. Ac propterea dico; quod effectus sacerdotij Christi aliqua ratione redundauit in ipsum, scilicet, & primò, & secundo modo, ex his quos commemoraui. Quanuis enim non obtulerit pro se, vt pec-

catore,

catore, obtulit tamen pro se contestans; & recognoscens, quod sit minor patre, & sub
Hebr.7. iectus, & obediens. Sacerdotium verò legis naturæ & veteris, pro se etiam offerebat, & sacrificabat. Quoniam stat sententia: lex homines constituit Sacerdotes, infirmitatem habentes. Quod idem de sacerdotibus legis nouæ eadem ratione dici potest. Iterum autem admoneo, non esse recipiendum in communem vsum loquẽdi, quod Christus obtulerit pro se sacrificium, propter causam, & rationem expositam, quia scilicet, sacrificium communiori vsu accipitur, pro vt est expiatiuum, & satisfactorium.

ARTICVLVS. VI.

Quod sacerdotium Christi fuerit secundum ordinem Melchisedech.

FVIT Sacerdos ille Melchisedech figura Domini in tribus ob quæ Dominus rectißimè dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Primum in persona, vt docet, & interpretatur Apostolus ip
Hebr.7. se Hebr.7. Dicebatur enim secundum nominis interpretationem, rex iustitiæ. Deinde autem erat & rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, nec initium dierum, nec finem vitæ habens, &c. In quibus omnibus docet Apostolus, Melchisedech fuisse typum Christi Domini. Ipse enim est verus rex iustitiæ, & pacis. Vnde à prophetis appellatur,
Hiere.23 iustus noster, & princeps pacis. Et quidem
Esai.9. Abrahæ atque aliorum insignium virorum genealogiam, & auos solet scriptura diuina recensere. Sacerdotis vero Melchisedech nec genus docuit, nec patrem, nec quanto tempore vixerit, aut quo vitæ initium aut finem acceperit. Et hac ratione dicitur, esse sine patre, sine matre, sine genealogia, & nec initium dierum, nec finẽ vitæ habens: quoniam scriptura diuina nihil horum docuit. In Dominum autẽ verè quadrant omnia. Est enim, sine matre, vt Deus: quia vt sic ex solo patre genitus est. Sine patre, vt homo, ex sola enim matre Virgine natus fuit. Sine genealogia, vt Deus: nec enim auorum ordinem, & genealogiam habet, qui est ex ingenito genitus. Non habuit etiam, vt Dei Verbum, initium dierum, quia generatio eius est sempiterna. Nec vero sortietur vitæ finẽ, nec enim, vt Deus mortalis est; nec vt ho
Rom.6. mo iam moritur, nec illi vltra mors dominabitur, postquam semel pro peccatis nostris mortuus est.

1.Pet.3. Secundo erat figura Christi in officio: nam & rex erat & sacerdos. Nec nos conturbent aliqui Iudæi aut hæretici, aut quicunque alij contendentes Melchisedech non fuisse sacerdotem. Nam hæc veritas constat ex scriptura, & ex patribus, & ecclesia vniuersa. Nec dubito, quin docti quique etiam ex Iudæis antiquis illam docue
Philo. rint. Et ita docet Philo lib. de cõgressu quę rendæ eruditionis gratia. Anteponitur verò figura huius sacerdotij sacerdotio legali
Gene.14. per comparationem ad significationem pontificis nostri & sacerdotis Christi. Tum quia Melchisedech benedixit Abrahę, qui pater fuit omnium tribuum gentis Iudaicę; sine contradictione verò maior & dig
Hebr.7. nior est, qui benedicit, quam qui benedicitur. Tum secundo, quia cum Abraham dederit decimas Melchisedech, & omnes sacerdotes legales essent in lumbis Abrahæ, consequenter fuerunt in eo omnes deci
Eucherius mati; quæ res magnam excellentiam significauit eius sacerdotij. Quocirca rectè Eucherius episcopus Lugdunensis, qui ante mille annos floruit in Genesim sic ait, quod autẽ Patriarcha magnus decimas dedit Melchisedech sacerdoti post benedictionem, illud spiritualiter expresśit, melius, videlicet, futurum sacerdotium in populo Gentium, quam Leuiticum, quod in Israel de ipso erat nasciturum; futurumq́ue, vt sacerdotium ecclesiæ habens præputium, benediceret in Abraham circunciso sacerdotium Synagogæ.

Tertio & maximè Melchisedech fuit figura Christi in sacrificio, quod obtulit. Primum, quia sicut Melchisedech obtulit panem & vinũ, ita Christus reliquit nobis in sacrificiũ verũ corpus, & verũ sanguinẽ

suum sub speciebus panis, & vini. Quam veritatē illo Melchisedech sacrificio fuisse adumbratam, quoniam aliqui hæretici negant, apud quos nihil omnino firmum
D. August. est, probo ex D. Aug. 16. de Ciuit. Dei c. 22. Quo loco ibi inquit (loquebatur autem de Melchisedech.) Primum apparuit sacrificium, quod nunc offertur Deo toto orbe terrarum; impleturq; illud, quod longe post hoc factum per prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat venturus in carnem:
Psal. 109. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Item rem hanc optimè declarat Casiodorus commentarijs
Casiod. super Psalmos, declarans illud: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Cui, ait, hoc potest veraciter, & euidēter aptari, nisi Domino saluatori, qui
Ioan. 6. corpus & sanguinem suum in panis ac vini erogatione salutariter consecrauit? Sicut ipse in euangelio dicit; Nisi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinē, non habebitis vitā æternam. Et paucis interiectis: Quem ordinem per mysticam similitudinem Melchisedech rex iustissimus instituit, quando Deo panis & vini fructus obtulit. Constat enim pecudum victimas perijsse, quæ fuerunt ordinis Aarō & Melchisedech manere potius institutū qui toto orbe in sacramentorum erogatione celebratur. Hæc Casiodorus. D. etiam
D. Isidorus Isidorus lib. 1. de officijs ecclesiasticis c. 18. Sacrificium, inquit, quod à Christianis offertur Melchisedech rex Salem figuraliter in typum corporis, & sanguinis Christi primus obtulit, primusque mysterium sancti sacrificij imaginariè idem expresit, præferens similitudinem Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi sacerdotis æterni, ad
Psalm. 109. quem dicitur: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. D. etiā
D. Hiero. Hieronymus, libro de quæstio. Hebraicis, sic habet. Quod autem ait, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, mysterium nostrum, in verbo ordinis significatur nequaquam per Aaron irrationalibus victimis immolandis; sed oblato pane & vino, id est, corpore & sanguine Domini Iesu. Et in Psalm. 109. Solum, inquit, dicamus, quare dixerit secundum ordinem: Nequaquam eris sacerdos secundum victimas Iudaicas; sed eris sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Quomodo enim Melchisedech rex Salem obtulit panem & vinum, sic & tu offeres Gene. 14.
corpus tuum, & sanguinem verum panē, & verum vinum. Item Eusebius Emissenus sermone 5. de Paschate ait. Hic Mel- Eusebius
chisedech, cuius genealogia, vel origo notitiam illius temporis latuit oblatione panis & vini hoc Christi sacrificium præsignauit, de quo Propheta prænunciat: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Diuus etiam Cyprianus in D. Cypri.
epistola ad Cæcilium loquitur in hęc verba. Quod Melchisedech typum Christi portaret, declarat Spiritus sanctus in Psalmis ex persona patris ad filium, dicens: Ante Luciferum generaui te: iurauit Do- Psalm. 109.
minus, & non pœnitebit eum; Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo vtique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam Genes. 14.
qui magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum, scilicet, corpus & sanguinem? Et videndus est de hoc Eusebius Cæsariensis libro. 5. Eusebius.
demonstrationis euangelicæ, & Diuus D. Hiero.
Hieronymus, in epistola ad Euagrium hunc Melchisedech ordinem sic declarat, ex sententia vetustissimorum auctorum Hippolyti, Irenæi, Appollinarij, Eu- Hippoli. Apolina.
stachij, & aliorum. Dicitur ergo Chri- Eustach.
stus sacerdos secundum ordinem Melchisedech ratione sacrificij, primum propter illius rationem, genus & figuram expressam.

Secundo, quia figurabatur per illud sacrificium vnitas, & charitas adducta, & effecta per Christum. Quoniam sacrificium Melchisedech constat ex his, quæ ad vnum aliquid rediguntur. Ex mul- D. August.
tis nanque granis vnus panis efficitur, & ex multis racemis vinum confluit.

Et

Et ità Chriſtus Dominus per ſuum ſacerdotium & ſacrificium vnitatem eccleſiæ fecit collectam ex multis. Quam rem ità interpretatos fuiſſe ante ipſum homines Dei teſtis eſt D.Aug.in illa verba Ioan.6. Caro mea verè eſt cibus: ergo in ſumma Chriſtus Dominus dicitur ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, quoniam Melchiſedech figurabat ipſum perſona, officio, & genere, atque effectu ſacrificij. Quibus addendum eſt, quod nec vnctus

Exod.29

fuerit oleo ſacerdotali, vt Moyſis præcepta iubent, ſed oleo exultationis, & fidei ac bonæ mentis puritate. Dicitur præterea

Pſal.44.

Chriſtus vt totum verſiculum Pſalmi declaremus, ſacerdos in æternum, quoniam ſemper ipſe ſe ſe offert patri, & eius ſacerdotio, non ſuccedet aliud: & propterea quod finis atq; effectus eius ſacrificij, quod Chriſtus obtulit, non fuerunt bona temporalia ſed æterna, quæ per eius mortẽ adi-

Hebr.9.

piſcimur. Propter quas rationes Chriſtus dicitur pontifex aſsiſtẽs, & ſemper viuens, & non præſentium pontifex, ſed futurorũ, ac æternorum bonorum. Atq; hæc omnia in ſacerdotio etiam legali figurata fuerunt: quia introitus pontificis legalis ſemel in anno in ſancta ſanctorum cum ſanguine animalium, ſcilicet, hirci & vituli, quæ immolauerat extra mirabilis figura eſt pontificis noſtri Chriſti æterni Dei, qui penetrauit

Hebr.4.

cœlos, & intrauit intra penetralia, & ſecretum æternorum bonorum: atque hoc per ſanguinem ſuum quem effudit, non in cœlis, ſed extra immolando ſeipſum pro nobis in terra. Quod verò ſacerdos ille legalis ſemel intrabat, in anno, hoc eſt, integro

Hebr.9.

& perfecto curſu ſolis in ſancta ſanctorum, ſatis exprimit ſacerdotem noſtrum ſemel moriendo in æternum conſummaſſe ſanctificatos. Opponere autem quis poſſet doctrinæ huius articuli, quod cum ſacerdotium legale propinquius fuerit Chriſto, quam ſacerdotium Melchiſedech, & ſacra illa, quæ anteceſſerunt, ſigna eo ſignificandus exprimerent Chriſtum, quo propinquiora erant, conſequenter magis debuiſſet dici Chriſtus ſacerdos ſecundum ordinem Aaron, quàm Melchiſedech. Sed reſpondeò, quod comparando peculiare quid legis naturæ cum alio legis veteris, non eſt neceſſe, vt aut perfectior aut dignior ſit figura legis veteris, imò verò tanto excellẽtior & mirabilior apparet figura, quantò à tempore remotiori adumbrauit veritatẽ. In propoſito verò, ſi oblationem ipſam noſtram conſideremus, nihil expreſsius illam potuit ſignificare, quàm quod à priſcis illis, & heroicis temporibus, Melchiſedech ſacerdos Dei altiſsimi obtulit panem & vinum. Gene.14.

Si vero etiam ſacrificij effectum conſideres, & cætera omnia, quæ commemorauimus, iam liquet excellentia ſacerdotij Melchiſedech. Verum eſt tamen, quod ſi in ſacrificio Chriſti cõſideretur effuſio ſanguinis cruenta, expreſsius ea ſignificata eſt per ſacerdotium legale. Sed videre videor curioſum aliquem lectorem auentem audire, quis fuerit Melchiſedech. Ego vero non decreui à meo propoſito abduci. Legat qui volet longam de hoc diſputationem apud Diuum Hieronymum in epiſt D.Hiero.

ad Euagrium. Et pure ac ſincere ſentiat cũ ſcriptura, & patribus, quod Melchiſedech fuit verus & purus homo, & ſacerdos Dei altiſsimi, & rex Salem. Ex quo verò genere fuerit ſcriptura diuina reticuit. Et ſunt Gene.14.

variæ de hoc ſententiæ. Diuus Hieronymus putat eum fuiſſe Sem filium Noe. Et ego nunquam legi quid firmum afferre poſsim. Eſt autem mihi cum Theodore- Theodor.

to veriſimile, quod fuerit ex gentibus incolentibus Palæſtinam, quoniam illorum erat, & rex & ſacerdos. Et noſtro inſtituto hæc ſint ſatis.

QVAESTIO VIGESIMAQVINTA, DE EO, AN ADOPTIO CONVENIAT CHRISTO.

ARTICVLVS. I.

Quod Deo conueniens sit filios adoptare.



EST Doctorum scholasticorum perantiqua sententia, referente Ricardo, quod adoptio non proprie, sed metaphoricè conueniat Deo. Aduertendum autem est, quod quãuis terrena, & humana primum à nobis nominata sint non tamen propterea, cum ad cœlestia, & diuina ea nomina traducuntur, censenda sunt metaphoricè dici & impropriè, sed potius sæpe proprissimè & perfectissimè. Verbi gratia, quanuis prius nostra locutio nominata sit non tamen ideo angeli non propriè loquuntur, nec propterea materia cœli non est vera materia, quod iuxta aliquot philosophos sit alterius rationis à nostra, & prius fuerit hoc nostra nominata. Et pari ratione existimo adoptionem illã qua Deus nos adoptauit in filios, verè & propriè esse adoptionem. Quæ est expressa sententia Diui Augustini, libro de spiritu & anima. Quo loco dicit, quod secundum proprietatem adoptati sumus. Et ità tenet Magnus Albertus, & D. Bonauent. & S. Thom. in 3. part. q. 23. quanuis in tertio tenuerit oppositum. Et ratio, quæ hanc partem, vt arbitror, pene euincit est, quoniam secundum regulam sapientis Augustini quotiens verba scripturæ secundum proprietatem intelligi possunt, non est ad figuram, & metaphoram recurrendum. Cum ergo secundum proprietatem intelligi possit, quod nos sumus optimi, & benignissimi Dei filij adoptiui, non est cur id propriè nõ intelligatur, nisi forte ideo quia nos terret misericordia tã ineffabilis. Nec capere potest nostra cogitatio tam admirabilem bonitatem. Quod verò id propriè intelligi possit explico ex S. Thom. in hũc modum: Apud nos aliquis homo adoptat alium in filium in quãtum gratuito & voluntariè admittit eum, & vocat ac trahit ad participationem suæ hæreditatis: Deus autem est infinitè bonus, & propter suã summam bonitatem admittit creaturas ad participationem suorum bonorum: & præcipuè rationales, quæ in quantũ sunt ad imaginem Dei factæ capaces sunt eius beatitudinis & gloriæ, quam Dei filius & Verbũ accepit generatione sempiterna: quæ quidem cõsistit in fruitione Dei, per quam ipse Deus beatus & fœlix est, & inenarrabiliter diues, vt qui & est, & habet omne bonum: hoc autem dicitur hæreditas alicuius ex quo ipse diues est: ergo in quantũ Deus admittit homines ad inenarrabiles diuitias gloriæ suæ, & hæreditatem beatitudinis dicitur eos adoptasse. Hoc autem habet plus adoptatio diuina, qua humana, quia Deus hominem, quem adoptat, facit idoneum, per gratiæ munus ad hæreditatem cœlestem percipiendam. Homo autem non facit idoneum eum, quem adoptat; sed potius eum, quem idoneum esse putat, eligit adoptando. Atque hæc magna est huius nostræ adoptionis excellentia, quoniam efficit non solum, vt habeamus ius filiorum Dei, verum etiam vt simus, iuxta illud: Videte qualem charitatem dedit nobis Deus vt filij Dei nominemur, & simus. Habemus

Marginalia: Ricard. — D. August. — Alber. — D. Bonau. — B. Thom. — D. August. — B. Tho. — 1. Ioan. 3

mus itaque participationem, & consortiũ diuinæ naturæ. Nam dum Deus adoptat
2. Pet. 1. aliquem in filium, dat illi esse supernaturale, infundendo fidem, charitatem, & gratiã iuxta illud, magna & pretiosa nobis promissa donauit, vt diuinæ efficeremur consortes naturæ. Et consequenter immittit
Galat. 4. in corda nostra spiritum clamantem, Abba pater. Quam vim cõferendi internum aliquod bonum, & esse adoptato, non habet humana adoptio. Tria ergo sunt in hac adoptione diuina. Vnum ex parte adoptantis, scilicet, quod ex gratia quis assumat, vel adoptet. Aliud ex parte adoptati, quod fiat ex non filio filius. Tertium ex parte effectus, & finis quia non habenti ius ad hæreditatem datur ius per adoptionem. Atque ex his omnibus constat, vt arbitror, quod hæc filiorum Dei sit vera & propria adoptio. Sed vt occurramus compluribus argumentis, quæ possent in angustias redigere parum discernentem. Sciendũ est, quod quæcunque conditiones adoptionis adferantur ex iuribus & consuetudinibus humanis pugnantes cum hac adoptione, illæ omnes vel erunt accidentales adoptioni humanæ, vel si fuerint propriæ adoptionis humanæ, saltem non erunt propriæ adoptionis, vt sic. Quemadmodum enim esse corruptibile proprietas est corporum inferiorum, non tamen conuenit corpori, vt corpus est; nam conueniret & cœlo: pari ratione, quamuis aliquid sit proprium adoptionis humanæ, quod non inueniatur in hac adoptione diuina, id tamen erit proprium adoptionis humanæ ratione materiæ, & non adoptionis, vt sic: quæ regula in pluribus similibus seruanda est. Atque, vt hanc doctrinam declaremus exemplis, videmus in primis, quod in adoptionibus humanis adoptans non est principium essendi adoptato. Omnes verò filij Dei per adoptionem, & omnis creatura est à Deo, non tamen inde sequitur, quod hæc nostra non sit adoptio. Et ratio eius discriminis est, quia in humanis ex eo, quod vnus nascitur ex alio, habet ius ad hæreditatem: nisi fortè secundum ius culpa sua ab hæreditate pellatur: atque iccirco is non potest adoptari. Nos tamen non habemus ius ad hæreditatem Dei ex eo, quod sumus à Deo. Secundo. Etiam adoptatus in humanis ante adoptionem non solet esse in potestate adoptantis. Hoc vero adoptioni diuinæ cõuenire non potest, quia omnes Dei sumus in quocunque casu. Sed nec hoc secũdum pertinet ad rationem adoptionis: nec ponit, aut tollit illam. Tertio: Adoptatus non succedit in hæreditatem adoptantis, nisi decedente adoptante. Hoc autem liquet proprium esse, non adoptionis, sed adoptionis humanæ. Prouenit autem ex eo, quod bona temporalia non possidentur à pluribus commodè, & ex integro: & iccirco necesse est, vt decedat adoptans ad hoc, vt adoptatus succedat in hæreditate. Hæreditatem autem beatam possunt omnes simul, & ex integro possidere propter nobilem naturam spiritualium & verorum bonorum. Ac proinde hæc tertia conditio non reperitur in adoptione nostra: sed manet intra mortalem naturam & bona imperfecta, & corruptibilia.

Sed addamus argumenta nonnulla. Et primum sit; Quia adoptio introducta est propter defectum filiationis naturalis: sed in Deo non est talis defectus: ergo Deo nõ conuenit filios adoptare. Ad hoc vno verbo satisfaceremus ex dictis, quod maior propositio habet locum in adoptione humana: Deus verò propter suam bonitatẽ nos adoptat in filios. Sed extendamus ista, & dicamus, quod operari ad supplendam suam indigentiam est hominis non autem Dei, qui operatur propter communicandam suam bonitatem, & perfectionem. Et ideò licet in humanis introducta sit adoptio ad supplendum defectum filiorum naturalium per filios adoptiuos, in diuinis tamen est adoptio ad communicandam similitudinem & participationem filiationis naturalis, quæ est in Christo Iesu æterni patris filio, iuxta illud Roman. 8. Quos Rom. 8.
præsciuit & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij sui vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.

Secundo argumentor: Nam dicunt iuristæ, quod non adoptatur, nisi extranea persona: sed nullus hominũ est extraneus à Deo conditore vniuersi: ergo nullus ho-

minum poteſt adoptari à Deo. Reſpondetur, quod in humanis qui non eſt filius eſt extraneus, id eſt, non habens eſſe ab adoptante: & cum filius naturalis non adoptetur, conſequens eſt, quod ſola extranea perſona poſsit adoptari. At verò nos, quanuis habeamus eſſe à Deo, non tamen ſumus eius filij naturales: & iccircò poſſumus eſſe adoptiui per gratiam ipſius, per regenerationem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Et quoniam ſimili modo & ratione ſoluentur quæcunque argumenta fient, ſatius erit, vt ab eis ſuperſedeamus.

ARTICVLVS. II.

Quod adoptare conueniat toti Trinitati.



DE hoc nulla eſt difficultas: ſed poſſūt facilè formari plures rationes pro veritate declarāda; cōſtituto quod generatio filij naturalis in diuinis fit per operationē ad intra, productio verò ſiue factio aut creatio filij adoptiui fit per operationem ad extra. Ergo cū opera Trinitatis ad extra ſint cōmunia toti Trinitati, & adoptatio filiorum ſit eiuſmodi, ſequitur, quod eſt communis. Secundo: In Deo eſt vna ſubſtantia: ergo vna virtus: ergo vna operatio: ergo hic effectus exterior communis eſt toti Trinitati. Nec dubitari poteſt quin facere quemcunque effectum in creaturis, cōmune ſit toti Trinitati: filius autem adoptiuus eſt factus, & non genitus à Deo generatione naturali: ergo id fit à tota Trinitate. Ex quo efficitur, vt tam ſit hic effectus à patre, quam à filio, quam ab Spiritu ſancto: & eo modo, ac æqualiter ſicut eſt à patre ſit à filio, & Spiritu ſancto, & ſicut in adoptato eſt pater, ita ſit filius, ita & Spiritus ſanctus; & æqualiter ille dependeat & vniatur tribus perſonis: & quod Deus ſit per ſe primo adoptans, ſicut eſt per ſe primo creans, & adoptet, vt vnus, non vt trinus, ſicut mundū regit vt vnus. Oportet autem meminiſſe differentiæ inter proprium, & appropriatum. Adoptio enim noſtra quanuis nō ſit propria alicui perſonæ diuinæ, ſed communis toti Trinitati, appropriatur autem patri omnipotenti, vt actori, & ideò peculiariter inuocamus, & dicimus; Pater noſter, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti: noſtrū ſpiritum ad Deum patrem ea appellatione dirigentes. Filio vt exemplari quia eius filiatio, ſiue, vt Verbum Dei conſideretur ſiue vt homo eſt exemplar filiationis noſtræ. Atque etiam filius, vt homo, eſt cauſa efficiens inſtrumētalis adoptionis noſtræ. Spiritui verò ſancto tribuitur impreſsio gratiæ, qua ſumus filij Dei. Nec vero moueat, quod in humanis nō adoptat, niſi qui poteſt eſſe pater, & eſt ſimilis in natura, &c. Nam iſtæ ſunt conditiones adoptionis humanæ. Aduertendum autem eſt, quod licet Deo propriè conueniat adoptare, filius tamen Dei adoptiuus non eſt propriè filius Dei, ſed ſolum ſecundum metaphoram, & ſimilitudinem. Nam vera ratio filij in hoc conſiſtit, quod ſit productus à principio viuenti coniuncto in ſimilitudinem naturæ. Cum ergo adoptatus à Deo non ſit ſimilis Deo ſecūdum eandem ſpeciem, atque naturam, ſequitur, quod non verè & propriè eſt filius, ſed ſecūdum metaphoram. Vnde nec adoptio humana facit propriè filium; quia quanuis adoptatus ſit ſimilis in ſpecie, id tamen non habet ex adoptionis beneficio. Imo verò adoptio humana minus facit filium quam diuina: quoniam nec producit adoptatum, nec ponit aliquid in ipſo, quò ratione aliqua referat patrem, quod tamen facit adoptio diuina. Qui ergo adoptatur à Deo verè quidē & propriè eſt filius adoptiuus, non tamen verè & propriè eſt filius. Vnde longè alia ratione Chriſtus eſt filius Dei, quam nos. Nos enim per adoptionem efficimur fratres Chriſti, quaſi eundē patrem habentes cum ipſo, qui tamen alio modo eſt pater Chriſti, & alio modo pater noſter. Eſt enim pater Chriſti naturaliter, generando: eſt vero pater noſter voluntarie, aliquid faciendo, quod eſt commune Patri, Filio, & Spiritui ſancto. Quocirca filius in diuinis non eſt filius totius Trinitatis, ſed patris æterni: nos autem adoptare conuenit toti Trinitati.

1. Cor. 1.

Articu-

ARTICVLVS. III.

Vtrùm adoptari sit proprium rationalis creaturæ?

RESPONDEO, dicendum, quod solius creaturæ rationalis est posse adoptari à Deo. Quonia filius adoptiuus eleuatur ad esse cœleste, atque diuinum, efficiturque consors, & particeps diuinæ naturæ, iuxta illud; Magna & pretiosa nobis promissa donauit, vt diuinæ efficeremur consortes naturæ. Sed ad altitudinem huius esse non potest eleuari, nisi rationalis creatura: ergo illa sola potest adoptari. Item secundo clarius probatur: Nam illa sola creatura potest adoptari, quæ est capax gratiæ, & gloriæ; gloria enim est hæreditas ad quam adoptamur per gratiam, sed sola creatura rationalis, homo, scilicet, & angelus, est capax gratiæ & gloriæ, eo quod sola ad imaginem Dei creata est: ergo sola creatura rationalis potest à Deo adoptari. Non tamen adoptati sumus omnes: sed illi de quibus dicitur Romano. 8. Quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primo genitus in multis fratribus. Nec enim hæc adoptatio est consequens naturam, sed cõsequens gratiam. Vtrum autem aliqui reprobi nonnunquam sint filij Dei adoptiui infra dicendum est.

Sed contra hæc obijcere quis posset, quod D. Chrys. hom. 22. in Gen. negare videtur angelos esse filios Dei: ergo non sunt dicẽdi filij adoptiui. Ad hoc dico, quod D. Chrysost. non negauit Angelos esse filios Dei per gratiam: sed cum ostendere vellet illam scripturam; Videntes filij Dei filias hominum, & c. intelligi non posse de angelis, id doctè probauit ex scripturæ phrasi, in qua angeli non solent appellari filij Dei. Eratque argumentum illud sufficiens, & efficax, si bene perpendatur. Et ratio est, quia apud homines Græcos eo tempore solum erat in vsu editio. 70. Et apud. 70. nullus, vt credo, dabitur locus, in quo angeli appellentur filij Dei, eo quod si quis locus scripturæ per filios Dei angelos significabat, tunc illi interpretes loco filiorum Dei substituebant angelos, vt videre licet Iob primo: ibi, Cum quadam die venissent filij Dei. Et Iob. 38. ibi, Et iubilarent omnes filij Dei. Quibus locis 70. legunt angelos. Ergo secundum Phrasim, & editionem. 70. credo, quod argumentum erat efficax ad probandum, quod in ea scriptura Genesis, nomine filiorum Dei non intelligantur angeli. Quod tamen angeli sancti & humiles ac propterea in suo principatu persistentes sint filij Dei adoptiui, non potest negari, tum ob rationes factas, tum, quia vbi est forma debet esse effectus formalis: sed in angelis est gratia & charitas, & gloria: ergo in eis est adoptio. Quod si illi eleuantur ad esse diuinũ per gratiã, & efficiũtur ex nõ filijs Dei filij Dei per gratiã, & habẽt per illam ius ad regnum cœleste: ergo sunt filij Dei adoptiui. Sed iam video, cur homines ista controuertant, nempè, vt videamur angelos defendere. illi vero non egent defensione nostra, ista itaque omittamus.

Efficit tamen sententiarum varietas, vt disputemus; an patres veteris testamenti, qui Deo placuerunt per fidem, quæ per charitatem operatur, sint verè & propriè filij Dei adoptiui: an potius imperfectè, & impropriè, & solum figuratè. De quo quidam aiunt, quod illi non verè fuerunt filij Dei adoptiui. Al j vero dicunt, quod licèt fuerint filij Dei adoptiui, comparati verò ad nos fuerunt filij per tropum atque figuram. Nos autem quoniam quicunque defectus aliquibus accidit, ille certè irrepsit ex ignoratione legis naturæ veteris atque nouæ; iccircò de ijs legibus præter morem nostrum nonnulla tangemus inuiti: nec enim aliter res intelligi poterit.

Ponendum ergo est in primis, quod est sermo de filijs adoptiuis Dei propriè loquendo, non autem de filijs quacunque ratione, & titulo appellentur à Deo. Nam certum est, quod ratione creationis posset dici Deus pater omnium nostrum, iuxta illud, non ne ipse est pater tuus, qui fecit, & creauit te? Imo verò si tam latè loquẽdum est ea est Dei nostri bonitas, vt pecca tores

2. Pet. 1. *Rom. 8.* *D. Chrys.* *Gene. 6.* *Iob. 1.* *Iob. 38.* *Galat. 5.* *Deut. 32.*

tores ipsos nonnunquam appellet filios,
iuxta illud Hierem. 3. Conuertimini filij
Hiere. 3. reuertentes. Nec verò vnquam illi filio,
Luc. 15. qui deuorauit substantiam suam viuendo
luxuriosè, pijssimus pater negauit nomen
filij. Loquimur itaq; de filijs per gratiam.

Secundo est notandum, quod lex Mo-
sayca propriè sumpta distinguitur contra
legem fidei. Quia, quanuis Iudęi cultores
legis Mosaicæ haberent præceptum cre-
dendi in Christum, & in eo collocandi suã
spem, & amorem, illud tamen pręceptum
non erat proprium legis Mosaicæ; sed iam
inde à principio mundi hominibus consti
tutum, si modo vellent consequi veniam
suorum delictorum. Et ità Diuus Paulus
Romi. 4. in suis epistolis sæpe distinguit legem Mo
saicam à fide, iuxta illud Roman. 4. Non
enim per legem promissio Abrahæ facta
est, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam
fidei. Atque de hoc discrimine videte Di-
D. August. uũ Augustinũ, libro de spiritu, & litera eru
ditissimè differentem.

Tertio aduertendum est, quod lex ve-
tus vi & potestate sua non iustificabat, lex
verò fidei iustificabat. Et hoc est quod do
Rom. 10. cet Apostolus Roma. 10. Arbitramur iusti
ficari hominem per fidem sine operibus le
gis. Et ad Galat. 3. Si ex lege hæreditas: er-
Galat. 3. go gratis Christus mortuus est. Et hæc est
D. August. doctrina D. August. in epistola ad Vitalem
& tract. in Psalm. 73. & 70. & 83. & serm. 13.
de verbis Apostoli, & lib. de quæstion. no-
ui & veteris testamenti, & lib. 18. de Trini
D. Hiero. tate, & lib. 4. contra Faustum Manichæũ.
D. Basil. Idem docuit D. Hieron. in 1. cap. episto. ad
D. Tho. Galat. & D. Basil. in 1. cap. Esai. & D. Tho.
in 10. cap. epist. ad Hebr.

Quarto aduertendũ est, quòd cũ omnis
Romá. 1. iustus viuat ex fide, quæ per charitatem
operatur, & eo ipso pertineat ad legem fi-
dei & nouam; consequens est, quod in le-
ge veteri, atque naturæ fuerint multi perti
nentes ad euangelium, & in media synago
ga fuerit etiam ecclesia, id est, congregatio
aliquorum hominum euangelice viuen-
tium. Nec vero lex euangelica dicitur no-
ua, quia post veterem lata est: sed quia re-
nouat hominem interius, & coniungit sæ-
culis æternis, in quibus erit coelũ nouum,
& terra noua. Vnde D. Paul. ad Galat. 3. 2. Pet. 3.
probat fidem esse lege antiquiorem. Et Galat. 3.
hæc est doctrina D. August. lib. 83. quæst. D. August.
quæst. 62. tom. 4. & libro de peccato origi-
nali. cap. 25. & lib. 2. de peccatorum meritis,
& remissione, c. 11. & lib. 3. contra duas epi
stol. Pelag.

Quinto loco aduertendum est, id, quod
ex his omnibus colligitur, & quo iam res-
pondeamus quæstioni, quod aliud est lo-
qui de statu vtriusque legis, aliud de con-
ditione singularum personarum. Si de sta-
tu loquamur veteris legis, ille fuit timoris,
atque seruorum: nec dicebantur filij, qui
erant sub illa, nisi ea latitudine, quam supra
significauimus: & sicut ea lex erat vmbra Hebr. 10.
euangelicę, ità & illius iustitiæ omnes erãt
vmbræ iustitiæ nostræ. Itaque si con-
siderentur Samuel, & Dauid, & Esaias, &
Moyses præcise ratione status sub illa lege
& quantum est ex vi, & potestate illius,
non erant in statu filiorum Dei, sed seruo-
rum. Et hoc est, quod volunt, & docuerũt
sanctissimi illi patres, quos quidam coacer D. Cyril.
uauit in primum caput Esai. Cyrillus A- D. Atha.
than. August. OEcum. Ambros. Chrys. D. Aug.
&c. Volunt enim, quod Iudæi ratione sta- OEcu.
tus sub illa lege seruiunt cum matre sua & D. Ambr.
solum typicè, & secundum figuram appel D. Chrys.
lantur filij, re autem vera serui erant, quos
exterior litera insonans deterrebat, non au
tem filij Dei, nec eis debebatur hæreditas
æterna, alioqui gratis Christus mortuus es Galat. 2.
set; si aliter, quam per fidem, & amorem
in ipsum, quibus duobus lex noua contine
tur, parari hæreditas posset. Si tamen condi
tionem singularum personarum conside-
remus, dico, quod omnes, qui sub lege na-
turæ, aut veteri fidem & gratiam habue-
runt Abrahã, Iob, Melchisedech, Moyses,
Samuel, Dauid, & quicunque iusti verè &
propriè fuerunt filij Dei adoptiui. Nec di-
cendi sunt, vt sic filij adoptiui tropice, &
per figuram, sed absolute. Quod constat,
nam formaliter efficimur filij Dei adopti-
ui per gratiam, fidem, & charitatem, cæte-
rasque virtutes: sed gratia, fides, & charitas
illorum, & nostra sunt eiusdem rationis; er
go & adoptio & filiatio sunt eiusdem ra-
tionis. Nec verò vnquam figura, & figu-
ratum

ratum sunt eiusdem speciei in esse naturæ; illorum verò charitas & nostra sunt eiusdem rationis, & speciei: & in quibusdam illorum maior etiā erat gratia, & perfectior fides, & charitas, quam in aliquibus ex nostris: ergo non potest dici, quod figuratè solum fuerint filij per comparationem ad nos.

Sed pro complemento huius doctrinæ notandum est sexto loco, quod aliud est loqui de adoptione filiorum Dei secundū eius rationem essentialem; aliud de perfectionibus nobis adiunctis ratione status, & temporis, sub quo dedit Deus, vt viueremus. Si enim loquamur de perfectione, & ratione essendi adoptionis, certè patres veteris testamenti iustè & sanctè viuentes fuere filij adoptiui, sicut modo sunt iusti fideles, si tamen sermo sit de perfectionibus nobis adiunctis ratione status, longe illos superamus. Tum, quia isto tempore spiritus sanctus largius se & vberius effundit: vnde initio nascentis ecclesiæ visibiliter dabatur, quod nunquam ante visum fuit. Tum, quia nostra adoptio liberat nos à iugo & seruitute legis; quod non efficiebat antiqua. Tertio, quia illis non erat apertum regnum cœlorum, quanuis haberent ius ad illud: nostro verò tēpore velo iam templi scisso propalata est sanctorum via. Maior etiam est & illustrior atq; communior notitia Dei, & reuelatio mysteriorum eius, exhibitaque sunt nobis ad Dei gratiā, & beneuolentiam conciliandam vberiora multo, & efficaciora remedia. Alijsque rationibus antecellit nostra adoptio, quas viri docti & repente poterunt apud doctores sanctos, & etiam excogitare. Atqueob has fortasse rationes iusti veteris testamenti paruulis comparantur ab Apostolo dicente ad Galat. 4. Quanto tempore hæres paruulus est nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium; sed sub tutoribus, & actoribus est, vsque ad diffinitum tempus à patre.

Actor. 2.

Matth. 27.

Galat. 4.

Solet etiam disputari in hac materia, an reprobi atque præsciti existentes in gratia dicendi sint filij Dei adoptiui. De quo quidam dicunt videri sibi, quod sint dicēdi filij adoptiui: alij, quod nō sunt dicēdi. Alius veroquidā, quod hominū est ingeniū, affirmat, quod hęc secūda sentētia est hæretica. Sincera autem veritas est, quod re ipsa, & Almahinus, qui admittit illam secundam sententiam in tertio, dist. 10. & Gabr. & qui cunque alij pro ea citantur, & qui tenent primam, & qui tertiam sententiam, omnes conueniunt in primis in dogma catholicū cum scriptura, & Diuo Augustino, lib. de correctione, & gratia ca. 9. Illud verò dogma est contingere sæpè, vt filij perditionis ac reprobi, aliquo tempore vitæ præsentis habeant veram fidem, veram charitatem; & gratiam, ita vt si in illa decederent habiturū essent hæreditatem sempiternam. In hanc itaque veritatem conuenimus omnes catholici. Sed quidam dicunt, quod soli prædestinati dicuntur filij Dei adoptiui. Quorum sententia sic explicatur; Quanuis reprobus, qui aliquo tempore iustè viuit, habeat tunc veram iustitiam, & gratiam, & propterea filius Dei dici possit, sicut dicitur iustus, & amicus; tamen ea gratia atque iustitia non fundat rationem filij adoptiui, nec rationem verè filiorum Dei, secundum eam rationem, qua more loquēdi scripturæ aliqui appellantur filij adoptionis, nisi ea gratia & iustitia procedat ex æterna prædestinatione. Et quoniam ij, de quibus est sermo, non sunt prędestinati; icirco non computantur inter filios adoptionis. Filio siquidem adoptiuo vult pater etiam in humanis non velleitate solum, sed absoluta voluntate dare suo tempore hæreditatem: voluntas autem absoluta Dei efficax est semper. Reducitur itaque controuersia inter hos authores ad hanc quæstionem; Vtrùm adoptio filiorum secundum morem loquendi sacrarum literarum, atque etiam in humanis claudat, siue vt summulistarum more loquar, connotet præter iustitiam & gratiam, voluntatē patris absolutam admittendi in hæreditatem. Quæ quæstio longissimè abest ab eo, vt vna eius, aut altera pars hæretica censeri debeat. Fauet autem sententiæ Gabrielis complurimum Diuus Augustinus libr. de Correctione, & gratia, c. 9. Cuius verba placuit referre fideliter. Sunt, inquit, rursus quidam, qui filij Dei propter susceptam tempo-

Almahinus

Gabriel.

D. August.

D. August.

temporaliter gratiam dicuntur à nobis; nec sunt tamen Deo. De quibus ait idem 1.Ioan.2. Ioannes; Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: quòd si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Non ait, ex nobis exierunt, sed, quia non manserunt nobiscum, iam non sunt ex nobis: verum ait, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Hoc est quando videbantur in nobis non erant ex nobis. Et tanquam ei diceretur, vnde id ostendis? respondet: Quia si fuissent ex nobis permansissent vtique nobiscum. Filiorum Dei vox est, Ioannes loquitur in filijs Dei loco præcipuo constitutus. Cum ergo filij Dei dicunt de his, qui perseuerantiam non habuerunt; Ex nobis exierunt, sed nõ erant ex nobis, & addũt, quod si fuissent ex nobis permansissent vtique nobiscum; quid aliud dicunt nisi non erant filij, etiam quando erant in professione, & nomine filiorum? non quia iustitiam simulauerunt, sed quia in ea non permanserunt. Hactenus Augustinus. Quibus verbis, & sequentibus manifestè affirmat sapiẽs ille vir, & verè doctor Israel, quod secundum vsum scripturæ reprobi non appellantur filij adoptionis, aut promissionis. Nec enim perit filius promissionis, sed filius perditionis, vt ille idem doctor affirmat in verbis sequentibus eius capituli. 9.

Roma.8. Sed contra hæc sumi posset argumentum ex Apostolo ad Romanos. 8. dicente: Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt: sed omnes iusti etiam præsciti spiritu Dei aguntur: ergo sunt filij Dei. Ad hæc facile dicerent isti auctores, quod vtique qui spiritu Dei aguntur ex prædestinatione æterna hi filij Dei sunt, secundum illam; & qui spiritu Dei aguntur, secundum præsentem iustitiã, illi sunt etiã filij secũdũ præsentẽ iustitiam. Non tamen isti dicuntur in scriptura filij adoptionis, vel promissionis, licet eo ipso, quod habent gratiam sint tunc filij Dei. Similique modo dicendum est ad similia testimonia.

Secundo: Quidam ad probandum eorum Conc.Côst. doctorum sententiam esse hereticam adferunt decisionem Concilij Constantiensis, qui Sessione. 8. & 15. damnauit Ioãnem Hus, qui dixit, quod reprobus quamuis in gratia sit, non est pars ecclesiæ, & mẽbrum Christi. Quod tamen argumentum nullius momenti est. Quoniam illi auctores expresse fatentur eos habere veram iustitiam, & gratiam, esseque proinde membra Christi secundum præsentem iustitiã: nec de hoc est quæstio. Sed addunt insuper, quod nihilominus, qui non sunt prædestinati non dicuntur filij adoptiui simpliciter & absolutè. Quoniam adoptio dicit ordinem ad voluntatem absolutam conferendi gloriam; & de hoc est quæstio. Est verò tam alienum à prudentia moueri his argumentis ad damnandam aliquam sententiam, vt hæreticam, vt indignũ sit etiã recensere. Hactenus aliorum Doctorum sententias commemoraui, & exposui, rogabit tamen fortasse quis, quid nam paruitati meæ de hac controuersia videatur. Ego vero quid sentiam declarabo sequentibus propositionibus.

Prima: Præsciti aliquando habent veram fidem, gratiam, charitatem & iustitiam: & secundum quod habent veram iustitiam similes efficiuntur iustitiæ Christi, & ius ad hæreditatẽ cœlestem, atque vt sic sunt eo tempore filij Dei per gratiam. In hanc propositionem omnes conuenimus, & de ea nec est, nec debet, nec potest esse dubitatio, & est Diui Augustini loco citato. D. Aug.

Secunda propositio: Secundum morem loquendi sacrarum literarũ existimo, quod præsciti non appellantur verè filij promissionis, nec filij adoptionis. Quod probo in primis, quia est sententia D. August. D. Aug. siue modus loquendi ipsius illo cap. 9. citato. Quo loco si habet. Nec nos moueat, quod filijs suis quibusdam Deus non dat istam perseuerantiam. Absit, vt ità esset, si de illis prædestinatis essent, & secundum D. Aug. propositum vocatis, qui verè sunt filij promissionis. Quo loco euidenter D. Augus. quibusdam illis filijs cõtraponit filios promissionis. Par ergo ratio erit de filijs adoptionis. Et quidem promissio æternæ vitæ 1.Ioan.2. ei facta est qui perseuerauerit: nec vero vnquam deficit promissio Dei.

Secundo comprobo ex illo Ioan. 1. ca. 2. iam citato; Ex nobis exierunt, sed nõ erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis permansissent

fissent vsque nobiscum. Quem textum præter ea, quæ supra adducta sunt ex Diuo Augustino, quæ certè deberent sufficere, sic inducit idem August. loco citato: Non ait, si fuissent ex nobis, veram, non fictam iustitiam tenuissent. Videretur enim signi ficasse ista dicens, quod nunquam illi habuerant veram iustitiam. Sed ait, si fuissent ex nobis, permansissent nobiscum. Erant itaque in bono, sed quia in eo non permanserunt, non erant, inquit, ex nobis etiā quando erant nobiscum. Nec enim dicit, non sunt, sed, non erant. Hoc est non erant de numero filiorum, etiam quando erant in fide filiorum: quoniam qui verè filij sunt, præsciti & prædestinati sunt, conformes imaginis filij eius. Rom. 8.

Item secundo argumentor: Filij adoptionis, & promisionis distinguuntur in scriptura contra filios perditionis, & præsciti numerantur inter filios perditionis: ergo non numerantur inter filios adoptionis. Declaro vim huius argumenti: Nam scriptura cum agit de filijs adoptionis absolutè, non loquitur peculiariter in ordine ad Augustinum, vel Franciscum, aut ad aliquam temporis particulam, sed generaliter, & in vniuersum comprehendit omnes fratres Christi, quos dedit illi Dominus, in quibus regnaret: & præsciti, absolutè loquē do, clauduntur sub nomine filiorum perditionis: ergo non clauduntur sub nomine filiorum adoptionis. Hebr. 2.

Tertio: Adoptio filiorum tam dicit ordinem secundum modum loquendi scripturæ ad prædestinationem æternam; vt accipiatur pro ipsa possessione hæreditatis: ergo secundum vsum loquendi eius nulli præsciti dicuntur verè filij adoptionis. Probatur antecedens: ex illo Romano. 8. Ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, id est, beatitudinē sempiternam. Rome. 8.

Quarto: Finis prædestinationis nostræ nunquam frustratur: & adoptio filiorum est finis secundum scripturam prædestinationis nostræ: ergo nunquam frustratur: ergo nūquam ad præscitos verè spectat adoptio filiorum, nam frustraretur. Probo minorem propositionem huius syllogismi ex illo Ephes. 5. Prædestinauit nos in adoptionem filiorum. Ephes. 5.

Quinto: In scriptura ijdem censentur fratres Christi, & filij adoptionis: sed nō dicūtur fratres Christi, nisi prædestinati, iuxta illud, Quos præsciuit, & prædestinauit cōformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: ergo nec dicuntur verè filij adoptionis. Rom. 8.

Sexto: Filij promissionis, & adoptionis pro eisdem habentur in scriptura, vt supra dicebamus: sed filij promissionis solum dicuntur in ea prędestinati, iuxta illud Rom. 9. Qui filij sunt promissionis æstimantur in semine: ergo, & filij adoptionis, &c. Roma. 9.

Tandem argumentor: Nam scriptura hac in parte tam seruat altum & mirabilem loquendi modum, vt similes homines, qui nō sunt in bono perseueraturi, nolit appellare verè discipulos Christi: ergo nec referuntur in ea, inter eos, qui verè sunt filij adoptionis. Ratio consequentiæ tenet etiā à fortiori: antecedens probo ex Diuo Augustino. Cuius verba subiungam; quoniā euidenter constabit ex eis, quod tenuerit nostram hanc sententiam. Ille ergo capit. illo citato, quo ex professo tractat hāc quæstionem, loquitur in hæc verba: Ipse saluator, Si manseritis, inquit, in verbo meo, verè discipuli mei estis. Nunquid in his computandus est Iudas, qui non mansit in verbo eius? Nunquid in his computandi sunt illi, de quibus euangelium sic loquitur; Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro & iam non cum illo ambulabant? Nūquid non & isti discipuli appellati sunt lōquente euangelio, & tamen non erant verè discipuli, quia non manserunt in verbo eius; secundum id quod ait, si manseritis in verbo meo verè discipuli mei estis? Quia ergo non habuerunt perseuerantiam sicut non verè discipuli Christi, ità nec verè filij Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, & ità vocabantur. Appellamus ergo nos, & electos Christi discipulos, & Dei filios; quia sic appellandi sunt quos regeneratos piè viuere cernimus: sed tūc verè sunt, quod appellantur, si manserint in eo, propter quod sic appellantur. Si autem perseuerantiam non habent, idest, in eo quod cœpe- D. August. Ioan. 8. Ioan. 6. Ioan. 8.

perunt esse non manẽt, non verè appellantur, quod appellantur, & non sunt; apud eum enim hoc non sunt, cui notum est quod futuri sunt, id est, ex bonis mali. Hæc sunt Augustini altissima & doctissima verba, quæ non negabit, nisi parum sapiens, & immodestus. Ex quibus deducitur alia ratio: Nam si tunc verè sunt quod appellantur, si manserint in eo, propter quod sic appellantur, vt constat ex euangelio, & nulli præsciti manent in eo, propter quod appellantur filij Dei: ergo nulli præsciti numerantur in scriptura inter verè filios Dei.

Sed contra hanc secundam propositionem est argumentum: Nam Apostolus ad Romanos ca. 8. dicit. Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, abba pater: ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei: si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: sed inter eos, ad quos scribebat, aliqui essent præsciti: ergo illi etiam dicuntur verè filij Dei, & adoptionis in scriptura. Similia huic sunt testimonia, quæ possunt opponi. Sed mirum est, cur obijciẽs non sub sumat in minori, Sed aliqui inter eos essent etiam iniusti: ergo iniusti, & mali homines dicũtur filij adoptionis, secũdũ Apostolũ. Potuisset enim hoc absurdum inferre eadem consecutione; quod signum est, quam sit nullius momenti ea ratio. Negari enim non potest, quin ea epistola directa sit generaliter ad fideles omnes Romanos: ex quibus tamen non omnes habebant eam fidem, quæ per dilectionem operatur. Dico ergo ad similia testimonia vno verbo, quod sicut ecclesia vniuersa, dicitur sancta propter sanctos; ità peculiaris quæcunque congregatio fidelium dicitur esse congregatio filiorum Dei, & electorum & filiorum adoptionis propter eos, qui verè sunt electi, & verè habiti, & numerati à Deo inter fratres Christi, & filios suos. Addendum etiam est ex doctrina Diui Augustini, quod quando Apostoli verba faciebant ad fideles, qui piè & sanctè viuere videbantur, omnes illos appellant filios Dei & adoptionis, & electos: atque nos ipsi dum ad eos loquimur idem facere debemus. Nostrum enim est iudicare secundum præsentem iustitiam, & congregationes fidelium debitis titulis condecorare cum omni modestia. At vero cum scriptura mentionem agit de filijs adoptionis, & promissionis, & fratribus Christi, & hæredibus regni, & verè filijs Dei non ad hos peculiariter verba faciens, sed simpliciter filios adoptionis significans, tunc certè his nominibus solos comprehendit eos, qui secundum altissimam causam, & eius æternam præscientiam tales iudicantur.

Quocirca cum ille, qui potens est & facere pollicitus est, se daturum Abrahæ filios Genes. 17. Proculdubio prædestinatos intelligebat, vt diuinissime explicat D. August. lib. de prædestinatione sanctorum ca. 10. Exactam vero hanc loquendi rationem, & discrimen inter eos, qui aliquo tẽpore verè iusti fuerunt, & prædestinatos innuit scriptura, quando peculiariter aliquos appellat verè discipulos, & verè filios: tũc enim sermo est de electis. Quocirca quando Dominus Ioan. 1. dixit de Nathanael, Ecce verè Israelita, ego non dubito, quin significauerit ipsum esse ex electorum numero, & adducor ex scripturæ phrasi, quæ non solet ea ratione loqui, nisi de electis. Sed quamuis hæc ita sint, & per filios promissionis, & adoptionis, & fratres Christi, in genere loquendo, scriptura significet solos electos, quæret quis, an secundum proprietatem locutionis, præsciti, qui tamen aliquo tempore piè viuunt, dici possint, & debeant verè, filij Dei, & adoptionis, & promissionis filij. In quo respondeo, videri mihi quæstionem hanc apud sinceros, & sapientes homines valde planam. Potest siquidem vnusquisque vtrouis modo loqui, dum tamen bene se explicet. Quemadmodum enim, qui dicit, quod fides iustificat, & declarat eam iustificare, vel in quãtum per dilectionem operatur, vel dici iustificare, in quantũ radix est, & fundamentum salutis, & iustificationis, rectè loquitur, & qui rursus dicit, quod fides non iustificat, & se declarat; quia destituta pia & religiosa vita, & à charitate distracta, non iustificat, catholicè se explicuit: pari ratione, qui præscitos appellat verè filios Dei, & adoptio-

adoptionis, quo tempore pie viuunt, & declarat, se ideò illos verè filios Dei, & adoptionis appellare, quia tunc habent veram fidem, & iustitiam, sanè loquitur, nec cum eo cuiquam debet esse lis: si quidem vere illi sunt grati Deo, & iusti. Qui autem negat esse verè filios Dei & adoptionis, ac promissionis; & declarat, se id propterea negare, quia quanuis verum sit, quod illi tunc habent veram fidem, veram gratiã, & iustitiam, & ius ad regnum, habet tamen hoc modus loquendi scripturæ; vt non dicantur verè filij Dei, & promissionis, aut adoptionis, nisi qui absolutè, & non pro hoc temporis momento, sed secundum Dei præscientiam sunt adoptati, & quorum iustitia, filiatio, & adoptio manat ex æterna Dei prædestinatione, qui, inquã, hoc dicit sanè loquitur. Si verò duo isti inter se se conferantur, videbitur primus loqui, vt hominem loqui decet, nempe secundum præsentem iustitiam. Secundus autem loquendi modus potest esse eius, qui omnem æternitatem intuetur, & nouit qui nam præsciti futuri sint, id est, ex bonis mali: vnde est modus loquendi scripturæ. Nos autem, quia sumus subiecti tẽpori, secũdum tempus debemus absolutè iudicare, ac dicere, quod omnis, qui est in gratia, verè est filius Dei per gratiam, & membrum Christi. Et ita colligitur ex Augustino, libro de correctione, & gratia, capit. 9. D. Aug.

Sed aduersus hæc sunt duo argumenta. Primum: Quia hic, de quo nobis sermo, est verè iustus: ergo habet gratiam: ergo est filius adoptiuus, is enim est effectus gratiæ. Respondetur, quod ille est filius secundum præsentem iustitiam, non tamen secundum prædestinationem, siue adoptionem æternam, nec secundum vsum loquendi scripturæ. Et sicut non valet; Est iustus: ergo est prædestinatus: ita nec in proposito: est enim aliqua gratia, & adoptio quæ nõ manat ab æterna prædestinatione. Item argumẽtor: Nam absoluta denominatio semper fit à forma inhærente, sicut albus dicitur, qui habet albedinem: ergo non est dicendum, quod scriptura non appellet filios adoptionis eos, qui habent formam, per quã adoptamur in filios, scilicet gratiam. Respondeo verò, sæpe contingere, vt denominatio etiã apud homines sumatur à fine. Vnde sapienter Solon nõ appellabat fœlicẽ, nisi eum qui beate iam & fœliciter obijsset. & apud nos nemo dicitur perseuerans, nisi ex fine. Et hunc loquẽdi modũ seruat sacra scriptura hac in parte, vt docet Aug. vbi supra. Solon. D. Aug.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm Christus secundum quod homo sit filius Dei adoptiuus.

Statuendum est hoc loco secundũ fidẽ catholicam, quod Verbũ patris est eius filius naturalis, & Deus de Deo, & quanuis Dei æternus filius factus sit homo nõ sunt tamen in eo duæ personæ, sed vna tantũ subsistẽs in duabus naturis. Hæc est ipsa fides, ac propterea non est quæstio an Verbum, vt Verbum sit filius adoptiuus. Nec etiam est quæstio, an humanitas sit filius adoptiuus; sed an suppositum, vt habens humanitatem, id est Christus, vt homo, sit filius Dei adoptiuus, hoc est filius per gratiam adoptantis, non per naturam.

Hoc posito prima propositio sit: Absolutè loquendo, dici nõ potest, quod Christus sit filius Dei adoptiuus. Probatur: Quia ista propositio Christus est filius Dei adoptiuus secundum communem modum concipiendi innuit, quod non sit filius naturalis: hoc autem dicere est totam fidem peruertere: ergo non est dicendum.

Secundo argumẽtor: Ea propositio absolute accepta est Nestoriana: ergo est reijcienda, & dãnanda. Probatur antecedens: Nam quid amplius Nestorius desiderare potuisset ad tutandam suam hæresim, quã vt ei concederetur, quod Christus erat filius adoptiuus? Dicebat enim ille, quod homo Christus erat vnitus Deo non in personã, sed per peculiarem amorem, & affectum: Qui certè amor non efficeret ipsum, nisi filium adoptiuum. Fauet etiam ea propositio Arrio facienti filium minorem patre, & alterius naturæ:

filius enim Dei adoptiuus alterius naturæ est à Deo.

Vltimo argumentor: Nam sancti patres constantissime negant Christum esse filium Dei adoptiuum. D. Ambr. Diuus Ambrosius, libro 1. de fide capite nono. Christus, inquit, filius est, non per adoptionem, sed per naturam. Per adoptionem nos filij dicimur; ille per veritatem naturæ est. D. Hilar. Diuus Hilarius, libro 3. de Trinitate ait. Nos sumus filij Dei, sed non talis hic filius. Hic enim verus, & proprius est filius origine, non adoptione, veritate, non nuncupatione. D. Hier. Diuus Hieronym. in primo capit. epistola ad Ephesios dicit, quod Christus Iesus natura filius est, nos verò adoptione. D. August. Diui Augustini plura inuenies testimonia contra Arrium.

Secunda propositio: Christus etiam secundum quod homo, dicendus est filius Dei naturalis non adoptiuus. Hæc sententia est Magistri, in 3. distinctio. 10. eam sequuntur Albertus Magnus, & Diuus Bonauentura, & Sanct. Thom. eo in loco, & Ricardus & Alexand. estque communis scholasticis. (Magister. Albert. Bonau. D. Tho. Ricar. Alexan.) Et probatur primum, quia teste Diuo Gregorio Nazianzeno, & ratione ipsa de Christo, etiam vt homo est, debemus honorificentissimè loqui: ergo nō est dicēdus filius Dei adoptiuus, sed naturalis. (Nazianz. D. Thom.)

Secundo argumentor ex Diuo Thom. Nam illud, quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non est dicendum de eo, secundum rationem imperfectam, sicut, quia Petrus dicitur naturaliter homo secundum propriam rationem hominis, nunquam dicitur homo secundum illam significationem, qua similitudo, vel imago dicitur homo, licèt forte ipse assimiletur alteri homini: Christus autem est filius Dei secundum perfectam rationem filiationis: ergo quamuis secundum humanam naturam sit creatus, & iustificatus, non tamen debet dici filius Dei, nec ratione creationis, nec ratione iustificationis, sed solum ratione generationis æternæ, secundum quam est filius naturalis: ergo non est dicendus adoptiuus etiam vt homo.

Tertio argumentor: Nam gratia habitualis tunc facit filium adoptiuum, quando facit de non filio filium: at verò Christus, vt homo, non est factus de non filio filius, sed cum humanitatem suscepit tūc, qui erat filius naturalis per naturam, factus idem est homo, & filius naturalis per gratiam vnionis.

Quarto argumentor: Nam si Christus, vt homo, potest dici filius adoptiuus Dei, hoc nō ideo erit, quod in Christo sint duæ personæ, hoc enim est hæreticum. Restat igitur, vt ideò dicatur, vt homo, filius adoptiuus, quia hæc filiatio potest ipsum denominare ratione solius naturæ; sicut passio, crucifixio, natiuitas temporalis, &c. secundum hoc enim videbitur posse Christus ratione naturæ humanæ assumptæ in gratia, & gloria beatitudinis participatæ dici filius adoptiuus, sicut dicitur beatus beatitudine participata ratione naturæ assumptæ, sed hoc videtur excludi ex eo, quod filiatio non est naturæ sed personæ; ergo non debet dici Christus filius adoptiuus ratione humanæ naturæ. Sed cum in eo maneat filiatio naturalis, debet dici filius naturalis.

Quinto argumentor: Nam si Christus, vt homo, est filius adoptiuus: ergo vt sic non alia ratione est filius, quam Moyses, aut Abraham: hoc vero est contra modum loquendi scripturæ: ergo est falsum. Probatur minor: Nam Apostolus de Christo, etiam vt homine, loquens distinguit eum à Moyse, sicut filium à seruo, dicens ad Hebræ. capi. 3. Moyses quidem fidelis Hebr. 3. erat in tota domo eius, tanquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erāt; Christus autem tanquam filius in domo sua: ergo Christus, etiam vt homo, non dicitur filius Dei adoptiuus, sicut alij sancti. Atque pro maiore huius rei intelligentia, Notandum est, quod sicut in humanis, qui est filius naturalis, & legitimus non adoptatur in filium; sed ei debetur hæreditas, quia filius est: ita Christus, vt homo, habet quidem excellentissimè omnia bona patris, & vitæ, quæ debentur filijs adoptiuis: non tamen iure adoptionis, sed ex eo, quod est filius Dei naturalis. Itaque non fuit opus Christo ad hoc, vt haberet omnia

omnia bona patriæ, & viæ, vt adoptaretur à Deo: quoniam ex hoc ipso, quod erat naturalis Dei filius, habuit ea bona iuxta illud Diui Ioannis: Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à patre plenum gratiæ, & veritatis. Et quanuis Deus ad extra libere agat, decens tamen erat, & cõgruum, vt humanitati filij naturalis Dei ea omnia dona conferrentur. Ioan.1.

Tetigi ea, quæ præcipua mihi videbãtur pro declaranda hac sententia, quæ certè non est facilis intellectu. Et contra eam argumentor primo: Quia gratia habitualis facit filium adoptiuum: sed in Christo, vt homine, erat gratia habitualis: ergo ille erat filius adoptiuus. Ad hoc dico, quod quia vnunquodque recipitur ad modum recipientis, iccircò sæpe contingit, vt vna & eadem forma non vnum, & eundem effectum habeat; idque ex parte subiecti. Sicut actus contritionis in homine peccatore facit de non iusto iustum; in homine verò iusto id non facit ex eo, quod iam erat iustus: ac proinde ille actus solum potuit augere iustitiam. Gratia ergo habitualis in nobis quidem efficit, vt simus filij adoptiui, qui antea non eramus filij: in homine verò Christo; quoniam iam ipse erat filius naturalis, id non efficit: sed manet ille etiam, vt homo filius Dei naturalis; non ratione humanæ naturæ; sed per gratiam vnionis. Et ea gratia habitualis ipsius non facit de non filio filium adoptiuum: sed est quidam effectus resultans in humanitate Christi eo ipso, quod ille filius Dei est, & conceptus de Spiritu sancto.

Secundo argumentor: Christus Dominus non obstante, quod est ipsa beatitudo, & beatus per essentiam, est etiam beatus beatitudine participata, in quantum est homo: ergo pari ratione, quanuis, vt Verbum, sit filius Dei naturalis, debet tamen dici filius adoptiuus per gratiam in quantum est homo.

Respõdetur, quod aliquod suppositum secundum aliquam naturam esse beatum beatitudine participata, non pugnat cum eo, quod est esse beatum essentialiter, secundum aliam: sicut Christum esse passibilem secundum humanitatem, non tollit esse impassibilem secundum diuinitatem. At verò effici filium adoptiuum pugnat cum eo, quod est esse filium naturalem. Quoniam, cùm filius adoptatur efficitur ex non filio filius: ità vt nec esset ante filius naturalis, nec adoptiuus. Si quæras, vnde habes, quod filius adoptiuus efficitur ex nulla ratione filio filius, cum possit effici beatus secundum humanitatem, qui erat beatus secundum diuinitatem; respondeo me hoc inde colligere, quia nos vtimur nominibus, secundum quod imposita sunt ad significandum, & secundum communem modum concipiendi. At verò apud nos hoc nomen, filius adoptiuus, impositus est ad significandum eum, qui factus est filius per adoptionem; cum alioqui nulla ratione esset filius. Et iccirco non est dicendum, quod Christus sit filius adoptiuus. Et quando sancti dicunt, humanitatem Christi esse adoptatam, solum volunt esse euectam ad summam celsitudinem vnionis cum filio Dei, & ornatam excellentissimis animæ dotibus.

Tertio argumentor: Nam Christus secundum quod homo est, & dicitur seruus Dei, vt constat pluribus scripturæ locis, quæ nos supra adduximus, cum de hac re ageremus. Potest ergo dici filius adoptiuus; quæ denominatio dignior est. Esai.49.

Ad hoc respondetur sicut ad secundum argumentum, quod esse seruum secundum vnam naturam, non tollit esse æqualem secundum aliam: nam & serui nostri iure ciuili sunt alioqui æquales, & liberi quoad naturalia. Esse autem filium adoptiuum, infert non esse filium naturalem; in quo multo inferior est denominatio filij adoptiui, quam serui, quanuis honorabilior sit quoad rem significatam. Et iccirco Christus, licèt dicatur seruus, vt homo; non tamen potest dici filius adoptiuus. Hæc sunt fortissima, vt arbitror, quæ pro opposita sententia possent opponi: quam

tenuere aliqui Theologi, vt refert Ricardus in tertio, distinctione. 10. & tenet etiam Durand. distinctione. 4. quæstione prima. Quidam verò, qui modo scripsit hanc nobis oppositam sententiam damnat omnino, propter Concilium quoddam Francophordiense, quod diffiniuisse dicitur Christum, etiam vt hominem, non esse filium adoptiuum contra Archiepiscopum quendam Toletanum, qui id asserebat.

Ricard.
Durand.
Cōc. Franc.

Adrianus.

Ad hoc dico, quod Papa Adrianus eo loco certè reijcit, quod Christus, etiam vt homo, sit filius adoptiuus; quamuis multò euidentius damnet eam propositionem in sensu Nestorianorum, in quo sensu est manifeste hæretica. Multa verò prius consideranda, & videnda essent, quam ea sententia in sensu, in quo Durand. & alij se explicant, hæretica diceretur, etiam consideratis verbis Adriani eo in loco. Habetur autem illud Concilium in tertio tomo ex quatuor, in quos modò digesta sunt.

QVAESTIO VIGESIMASEXTA, DE EO QVOD CHRISTVS DICITVR DEI, ET HOMINVM MEDIATOR.

ARTICVLVS. I.

Quod Christus sit Dei, & hominum mediator.

HANC veritatem etiam ex hæreticis ipsis, vix inuenti sunt qui negarent, atque ij ipsi certè non tam propriè hæretici, quam prorsus infideles, & apostatæ à Christo, & scriptura dici debent, eo quod innumeræ sunt, & euidentes scripturæ voces protestantes hanc misericordiam. Vnus est, inquit Apostolus,
1.Tim.2. 1. ad Timoth.2. mediator Dei, & homi-
Hebr.9. num homo Christus Iesus. Et ad Hebr.
2.Cor.5. 9. Ideo noui testamenti mediator est mor-
Ephes.2. te intercedente. Et illud. 2. Corinthio.5.
1.Cor.1. Deus erat in Christo mundum recon-
Hebr.7. cilians sibi. Et denique vbicunque Chri-
Hiere.23. stus in scriptura dicitur pax nostra, iustificatio nostra, redemptio nostra, spes nostra, vita nostra, sacerdos, & pontifex noster, iustus noster, rex noster, qui mittendus erat, & missus est, in quo sibi com-
Roma.5. placuit Deus pater, & per quem habemus accessum ad patrem, semper hæc veritas nobis proponitur, & declaratur.
D.August. Quam Diuus Augustinus nobis tradebat his verbis. Cum beatitudo (quicquid philosophi mundi huius se discrucient, & suam miseriam solari conentur) impetranda sit non patranda: atque omnes homines quandiu mortales, & peccatores sunt, etiam miseri sint necesse sit. Quærendus est medius, qui non solum homo, verum etiam Deus sit, vt homines ex mortali miseria ad beatam immortalitatem huius ipsius medij beata mortalitas interueniendo perducat; quem nec non fieri mortalem oportebat, nec permanere mortalem. Mortalis quippe factus est, non infirmata Verbi diuinitate, sed carnis infirmitate suscepta, non autem permansit in ipsa carne mortalis, quam resuscitauit à mortuis. Quoniam hic est fructus mediationis eius, vt nec ipsi propter quos liberandos mediator effectus est in perpetua, vel carnis morte remanerent. Ac proinde mediatorem inter Deum, & homines, & mortalitatem habere oportuit transeuntem, & beatitudinem permanentem, vt per id, quod transit congrueret morituris, & ad id quod manet, ac per id etiam quod manet transferret ex mortuis. Atque cum se inter posuisset medius Dæmon immortalis, & miser, vt ad immortalitatem beatam transire non sinat, quoniam in hoc ipse persistit, quod impedit, id est, in ipsa miseria ideò occurrit, & interposuit se immortalis, & beatus, vt mortalitate transacta, & ex mortuis faceret immortales, quod in se resurgendo monstrauit, & ex miseris beatos: quia beatitudo nunquam ab ipso discessit. Hæc ille vere sapiens.

Sed contra hæc obijcitur primo: Angeli mali sunt immortales cũ bonis angelis, &

Deo, miseri cum hominibus: ergo debent etiam dici medij, vel mediatores inter Deum, & homines. Respondetur, quod quamuis angelis malis ex parte conueniat cum rebus immortalibus, & ex parte cum mortalibus, & hac consideratione possent nonnulla ratione dici medij; nos tamen loquimur de bono mediatore, qui nos reconciliet Deo, non de malo, qui nos auertat à Deo: qui cum infernus ipse sit nostram miseriam leuare non potest: atque cum beatitudinem nec amet nec habeat non potest illam nobis conferre: & denique cum Deum & eius fœlicitatem odio habeat, nos certè ad Dei beatitudinem, quam habet inuisam non adducet; sed quantum in ipso fuerit, conabitur auertere. Sed iam Augustini ipsius responsionem, & verba percipite: Sunt quidem mali angeli immortales cum bonis, miseri cum hominibus. His vero contrarius est mediator bonus, qui aduersus eorum immortalitatem, & miseriam, & mortalis esse ad tempus voluit, & beatus in æternitate persistere potuit. Homo itaque mortalis & miser longè seiunctus ab immortalibus, & beatis, quid eligat medium, per quod immortalitati, & beatitudini copuletur? Quòd possit delectare in dæmonum immortalitate miserum est; quod possit offendere in Christi mortalitate iam non est ibi: ergo cauenda est miseria sempiterna, hic mors timenda non est, quæ esse non potuit sempiterna, & beatitudo amanda est sempiterna. Alius est ergo medius malus, qui separat amicos; alius medius bonus, qui reconciliat inimicos.

D. August.

Secundo argumentor: Nam esto id non sit proprium malorum angelorum at boni angeli certè sunt medij, vel mediatores inter Deum, & nos: ergo esse mediatorem non est proprium Christi. Probatur antecedens ex Diuo Dionysio de diuinis nominibus capite. 4. Respondetur, quod vt docet Diuus Augustinus, lib. 9. de ciuitate. capit. 15. ex quo tota huius articuli doctrina sumpta est, angeli boni non rectè dici possunt medij inter Deum, & homines. Cum enim vtrunque habeant commune cum Deo, & beatitudinem, & immortalitatem; nihil autem horum cum hominibus miseris, & mortalibus, quomodo non potius remoti sunt ab hominibus Deoque coniuncti, quam inter vtrosque medij constituti? Dionysius verò dicit esse medios, non secundum eam rationem, secundùm quam loquebatur Augustinus, & quæ ad rationem mediatoris, ac satisfactoris requiritur, quòd scilicet aliquid habeant commune cum homine. Sed dicit eos esse medios, quia secundum gradum naturæ sunt infra Deum, & supra homines constituti. Verum est tamen, quod mediatoris officium exercent dispositiuè, & ministerialiter, non ea ratione, qua vnus est Dei, & hominum mediator homo Christus Iesus. De qua propria, & principali ratione mediatoris per comparationem ad cæteros sanctos agemus articulo. 3. huius quæstionis.

D. Dionys. D. August. D. Dionys. 1. Tim. 2.

Tertio argumentor: Nam esto mali angeli non possint dici mediatores, demus etiam nec bonos, cur tamen hoc negabimus ipsi spiritui Dei, de quo scriptum est Roman. 8. Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus? Nam postulare interpellare, gemitusque, & preces pro nobis fundere munus est mediatoris. Respondetur, quod Spiritus sanctus, cum sit per omnia Deo æqualis, non potest dici medius, vel mediator inter Deum & homines, sed solus Christus, qui licet secundum diuinitatem æqualis sit patri, tamen secundum humanitatem, secundum quam passus est minor est patre. Ex positio vero Diui Augustini, & communis eius loci est, quod Spiritus sanctus dicitur postulare pro nobis, quia spiritus Dei efficit, vt postulemus gemitibus inenarrabilibus, quæ salutaria sunt. Et quidem dona spiritus in scriptura, spiritus appellari solent, iuxta illud, Si Spiritum sanctum accepistis, & Spiritum sanctum acceperunt.

Rom. 8. Philip. 2. D. August. Actor. 19 Actor. 10.

ARTICVLVS. II.

Quod Christus secundum quod homo est mediator Dei,& hominum.



CVM medium,& propriè loquẽdo,& maximè quoad propositum attinet, sit id, quod ita intercedit inter duo extrema, vt illa coniungat, & nos cum adhuc inimici essemus, reconciliati fuerimus Deo per mortem Christi consequens est,quod ipse fuerit medium siue mediator Dei,& hominum secũdum quod homo: nam secundum quod homo passus est,& mortuus,& satisfecit pro nobis. Et hoc est,quod docuit Apostolus ad Coloss.1.Placuit per eum reconciliari,omnia in ipso pacificans per sanguinem crucis eius,siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt.Et illud: Noui testamenti mediator est,morte intercedente Hebræ. 9.

Rom.5. Coloss.1. Hebr.9.

Sed contra hæc obijcitur primo: Quia videmus,quod medium semper distat ab extremis:sed Christus,vt homo est eiusdẽ naturæ nobiscum: ergo nõ potest esse medius. Respondetur,quod Christus vt homo distat à Deo inferioritate naturæ, ab hominibus verò dignitate gratiæ & gloriæ. Distantia verò in natura non requiritur in medio,nec in mediatore, vt constat euidenter.

Secundo obijcitur:Oportebat mediatorem nostrum & Deum esse & hominem: sed quia vt Deus conuenit in natura cum patre,non cum hominibus, ideò non potest esse mediator,vt Deus: ergo quia vt homo conuenit in natura cum hominibus non cum Deo,iccirco non poterit esse mediator vt homo. Propter hoc argumentũ & similia tenent aliqui,quod Christus est mediator,vt Deus,& homo. Et ex parte quidem verum dicunt:sed nec loqnuntur propriè nec rem videntur omnino intelligere. Pro cuius declaratione pono in primis,quod filius quoad naturam diuinã est æqualis patri & vnum cum ipso:ac proinde Verbũ vt Deus non potest distare à patre nec esse medium inter nos,& Deũ. Tamen vt homo & potest, & re ipsa distat à Deo inferioritate naturæ, & ab hominibus dignitate gratiæ. Ex quo iã incipit elucescere,quod ex illa minori assumpta non licet inferre conclusionẽ propter rationẽ differentem vtriusq; naturæ. Sed statuo secundo quod Christus non dicitur mediator Dei & hominum,quoniam aufert peccatum ratione quacunq; illud auferatur: sed quia aufert, vt satisfactor, vt pretij collocator ac pretium, ipsum & redemptor, quæ omnia videtis conuenire Christo, secundũ quod est homo;quanuis Deus principaliter & authoritatiue & auferat peccatũ,& efficiat hæc omnia per Christum, vt hominem. Tertio adiungo quod quemadmodum religio,id est, pietas in Deum, duo dicit,pietatem,& Deum : aliter tamẽ & aliter:nam pietatem claudit formaliter, Deum verò dicit vt terminum, à quo specificatur,& quo sublato religio non erit religio,sed impietas: ita satisfactio & meritum Christi duo requirebat,opera, scilicet, satisfactoria hominis,& suppositi Dei dignitatem. Aliter tamen,& aliter:nam opera satisfactoria hominis dicit formaliter, suppositi verò Dei dignitatem concernit, tanquam principium, à quo eorum operum valor,& æstimatio redundaret,& quo sublato sanctissimæ eius humanitatis dignitas & satisfactionis valor tolleretur. Nõ tamẽ ideò satisfactio est Christi in quãtum Deus est,sed in quãtũ homo est, eo quod formaliter satisfactio dicit opera satisfactoria,quę nõ possunt esse opera Dei,vt Deus est,formaliter loquẽdo,id est, elicita ab ipso in quantũ est Deus. Et hoc est,quod docebat D.August.lib.10.confes.ca. vltimo, in quantum homo, in tantum mediator, in quantum Verbum, non medius, quia æqualis Deo. Et nono de ciuitate Dei,capit.15.Non ob hoc mediator est Christus, quia est Verbum,maximè quippe immortale,& maximè beatum Verbum, longè est à mortalibus miseris, sed mediator est secundum quod homo.

D. August.

ARTICVLVS. III.

Quod sancti Dei orant & intercedunt pro nobis.



DE hac re tam scripsere multi latè, atque diffuse, vt eo ipso opera nostra non inutilis esse videatur, si dilucide atque succinctè eam tractauerimus. Sciendum est ergo, quod antiquus quidam Eustachius damnatus in Concilio Gangrensi, & Vigilantius Gallus, contra quem scripsit Diuus Hieronymus, & post multa tempora Vvaldenses, & Ioannes Vvicleph, & Ioannes Hus, & tandem Martinus Loterus, & OEcolampadius, dixerunt, non oportere nos orare sanctos, nec illos intercedere pro nobis: vnus est enim mediator noster homo Christus Iesus. Institutum nimirum eorum est, euertere pietatem, & defraudare nos sanctorum auxilijs. Ego vero duo faciam. Statuam in primis dogma catholicum: deinde eorum præcipuis obiectionibus respondebo.

D.Hiero.

1.Tim.2.

Prima propositio: Sancti dum viuunt, orant & intercedunt pro nobis. Idque cõstat ex scriptura, & probatur. Nam vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Domino veniam. Exo. 32. Abraham orat pro Sodomitis, tantumque valet eius deprecatio, vt si 10. iusti Sodomis inuenirentur, non fuissent euersa. Idem intercedit pro Abimelech, & exaudita est eius oratio. Genes. 20. paulo ducentas septuaginta sex animas in naui Dominus condonauit. Orat Stephanus Martyr pro persecutoribus Dominum suum Imitatus. 1. ad Timot. 2. ait Apostolus: Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, prò regibus, & pro omnibus, qui in sublimitate sunt constituti, vt quietam & tranquillã vitã agamus in omni pietate, & castitate: hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo. Et sequitur. Vnus est enim mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus. Quæ verba si tollunt iustorum orationes, & intercesiones per modum obsecrãtium, & intercedentium, atque alios à Christo intercedere orando pro nobis, vel id nos ab eis postulare impium est, & iniurium in Christum, qui redemit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Vt hæretici dicunt, Quomodo tam impiè Paulus Timotheum, & fratres eius Ecclesiæ, hortatur intercedant pro omnibus hominibus, obsecrantes Dei misericordiam? Quomodo dicit, bonum id esse, & acceptum coram Deo? Quomodo tam turpiter eodem in capite lapsus est, & sibi pugnantia dicit? Quomodo Romanos precatur, vt orent pro ipso? Qua ratione flexis genibus se exhibet intercessorem pro Corinthijs, pro Ephesijs? Quid est illud quod dixit ad Hebræ. capit. 5. Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deũ vt offerat dona & sacrificia pro peccatis? An tam impiè Paulus in mediatorem ingratus erit, vt ingentem ei irroget contumeliam? Quæ hæc tanta cæcitas, & tam impia dementia est, vt innumeris, & clarissimis scripturæ vocibus resistant homines perditi? Posset etiam hæc propositio probari ex vsu ecclesiæ, ex concilijs, ex sanctis patribus, ex grauissimis historijs. Sed ista relinquamus: nam tam est hæc veritas in scriptura euidenter expressa, vt OEcolampadius ipse concesserit negari non posse, quin sancti dum in hac vita viuunt orent, & intercedant pro nobis. Et quidem quando Hierem. 15. dicebat Dominus; Si steterint Moyses, & Samuel coram me non est anima mea ad populum istum, ad quem statum volent hæretici, vt ista referamus? Si ad futurum, innuitur, quod sanctis facultas sit astandi Deo, & obsecrandi pro alijs. Si ad præsentem, vt sensus sit; Quanuis modo Moyses, & Samuel viuerent, amici, inquam, illi mei, & maximè familiares, & orarent pro populo isto, nunquam à me impetrarent, vt parcerem populo huic tam ingrato; si igitur eis ista expositio placet, cur non vident

Exod.32

Gene.14.

Gene.20.

Act.7.

1.Tim.2.

Ephes.3.

Hebr.5.

Hiere.15.

dent, vel suam cæcitatem, vel quod iustorum oratio, & intercessio plurimum valeat apud Deum? Exaggerans enim Dominus, quam esset populi sceleribus offensus, & irritatus dixit, si steterint coram me Moyses, & Samuel electi mei, & maximè familiares, quos semper orantes pro pò pulo exaudire solebam, nunquam tamen à me obtinerent, vt huic tam scelerato populo putarem esse parcendum, notumque est illud Deuteronom.5. Ego sequester, & medius fui inter Dominum & vos, tempore illo; nec videbitur Iudæis talis vsus omnino defuisse, cum putauerint Christum in cruce Eliæ opem implorasse.

Sed veniamus ad eam partem, in qua hę retici maximè insistunt. Et sit secunda propositio. Sancti & iusti, qui iam decesserunt & cum Deo vita diuina in æternitate fruũtur, orant & intercedunt pro nobis. Atque pium vtile, & sanctum est, nos, qui in hac lachrymarum valle viuimus ipsos precari, vt orent & intercedant pro nobis. Probatur: Primum ex scriptura, Zachariæ primo, cum sermo esset de angelo, qui apparuit Zachariæ, habentur hęc verba: Respõdit Angelus Domini, & dixit; Domine exercituum, vsque quo tu non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est. Et respondit Dominus angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria. Cum ergo angeli Dei in scriptura dicãtur orare pro nobis, & hoc non sit absurdum, nisi apud absurdos hæreticos, sequitur, quod synceriter id, & proprie accipiendum sit iuxta Diui Agustini vulgarem & veram regulam: igitur angeli in cœlo orant pro nobis: ergo & spiritus sanctorũ, qui decesserunt: nam scriptum est, quod erunt similes angelis Dei in cœlo. Et quã uis id non esset scriptum, æquum est existimare, quod si angeli orãt pro nobis in cœlo etiam iustorum animæ orabunt.

Zachar.

Tobi.12.

D.August.

Math.22

Item secundo lib. Machab. capit.15. dicitur Iudas Machabæus vidisse per somniũ Oniam, qui fuerat summus sacerdos virum bonum, & benignum verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem orare pro omni populo Iudæorum. Ac post hoc apparuisse, & alium virum ætate, & gloria mirabilem, & magni decoris habitudinem circa illum, respondentem vero Oniam dixisse, Hic est fratrũ amator & populi Israel, hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Hieremias Propheta Dei. Extendisse autem Hieremiam dextram, & dedisse Iudæ gladium aureum dicentem; Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel. Scio hæreticos reijcere hunc librum inter Apocripha. Sed vtor nihilominus eo testimonio; tum quia institutum meum in hoc opere non est dimicare cum hæreticis, sed instruere Catholicos: tum etiam, quia esto illud esset meum institutum, non video quid hæretici videant in hoc testimonio, propter quod reijciendum id putent potius, quam illud, quod adduximus ex Zachariæ, capit.1. si rem ipsam vtroque loco enarratam spectemus. Item Apocalypſ. capit.5. vidit Ioannes quatuor animalia, & viginti quatuor seniores, qui ceciderunt corã agno habentes singuli cytharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. Et Apocalyp.7. vidit angelum stantẽ ante altare, habentem Thuribulum aureum, & data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli corãm Deo.

2.Mach.15.

Zach.1.

Apoc.5.

Apoc.7.

Secundo argumentor ex Concilijs. In Concilio Chalcedonensi, actione.11. habetur hæc veritas. Nam ibi magna voce patres clamauerunt dicentes: Sanctus Martyr Flauianus oret pro nobis. In Synodo Nicena, actione.3.&.6. petitur intercesio Dei paræ, & semper Virginis Mariæ, & sanctorum angelorum, omniumq; sanctorum. Item inuocationes sanctorum decernuntur in Concilio Arelianensi, capit.23. suorum Decretorum, & in Concilio Gerundensi, cap.3. in Concilio Toleta.5. cap.1. & in concilio Tolet.6. capit.2. & in conci-

Conc.Chal.

Conc.Nice.

Cõc. Areal.

Conc.Gern.

Cõc. Tolet.

Conc. Floré. & Trident. Concilio ſecundo Bracharenſi cap. 9. & in Synodo Florentina ſeſsione. 5. & in Tridẽtina ſeſsione. 25.

D. Diony. D. Cyrill. D. Hiero. D. Cypria. D. Bernar. D. Gregor. D. Ambroſ. D. Chryſ. D. Baſil. Nazianz. Theodor. B. Leo. Beda.

Tertio argumẽtor ex ſanctis: Nam hæc eſt doctrina Dionyſij Areopagitæ c. 7 de eccleſiaſtica Hierarchia, Cyrilli libr. 6. aduerſus Iulianum. Hieronymi aduerſus vigilantium, Cypriani epiſtola ad Cornelium papam. Bernard. ſermone. 66. ſuper Cantica, D. Greg. 12. Moral. cap. 13. & li. 4. Dialogorum ca. 33. Ambroſij lib. de fide reſurrectionis, Chryſoſt. homil. 66. ad populum, & 42. in Geneſ. Baſilius etiam epi. in Iulianũ. in Martyrem Mamanta, Gregor. Nazianz. in Cyprian. Athanaſium, & Baſilium Theodor. lib. 8. de curatione Græcarum affectionum, & in Philotheo. Leo, ſerm. 1. & ſecũdo de Petro, & Paulo, & Bedæ homilia de muliere Chananęa. Item in miſſa Iacobi Apoſtoli fratris Domini Hieroſolymorum epiſcopi ſic habetur: Commemorationem agamus ſanctiſsimæ, immaculatæ, glorioliſsimæ, benedictæ, Dominæ noſtræ matris Dei, & ſemper Virginis Mariæ. Atq; idem habetur in miſſa Baſilij & Chryſoſtomi. Traditio verò eccleſiæ, & vſus & per ſe ipſum, & ex his patribus conſtat.

Geneſ. 14. Exod. 32

Quarto argumentor rationibus: Primũ ex ſcriptura conſtat, quod homines ſancti dum viuerent, & ante aduentum mediatoris, & poſt intercedebant pro alijs, vt conſtat teſtimonijs adductis concluſione prima: ergo & mortui dum agunt cum Deo, poſſunt orare & intercedere pro nobis. Quid enim prohibet, quin orent pro nobis, cum nos charitate proſequantur, & nouerint anguſtias noſtras, & anxietates, & poſtulationes? Nouerint inquam vel in Verbo hæc videntes, vel peculiari aliqua reuelatione, de quo modo non diſputamus. Et quidem cum diues ille epulo curauerit ne ſui fratres irent in locũ tormentorum, & de hoc interpellauerit Abraham quid mirum videtur hæreticis, ſi ſpiritus iuſtorum in cœlo curent, vt tentationes vincentes regnum Dei aſſequamur & orent pro nobis. Atque ex eodem ſcripturæ fundamento hoc confirmo. Nam ſancti dum viuunt orant pro ſe, & pro alijs, ac pro eis intercedunt, & id fit ſine iniuria mediatoris: quæ ergo cæcitas eſt exiſtimare, quod ſi orent pro nobis in cœlo magnam irrogent mediatori contumeliam?

Luc. 16.

Zacha. 1. & Danielis. 6. Hebr. 1.

Secundo argumentor: Ex euangelijs, & prophetis conſtat, angelos curam gerere noſtri: ſunt enim adminiſtratorij ſpiritus miſsi propter eos, qui hæreditatem capiũt ſalutis: ſi igitur noſtri curam gerunt cur nõ poterunt orare pro nobis communem Deum, vt reſiſtamus tentatori, & euadamus victores, aliaque beneficia Deus nobis conferat? Certè orare poſſunt pro nobis, & quod re ipſa ità faciant conſtat ex Zacharia, capit. 1. Igitur, ſi angeli poſſunt orare pro nobis, & ſpiritus etiam iuſtorum in cœlo id poſſunt.

Pſalm. 90.

Zache. 1.

Luce. 15

Tertio argumentor: Scriptum eſt; Gaudium erit angelis Dei in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente; & ſciunt ſancti angeli bonam illam mentem, & conuerſionem, de qua tantopere lætantur à ſola Dei gratia & largitate prouenire: ergo, & orare poſſunt, & orant munificentiſſimum Deum, vt nobis miſericordiam largiatur.

Quarto: Si ex viſilibus, & humanis diuina licet conijcere, certè videmus in humanis amicos plurimum poſſe apud æquiſſimum, & clementiſsimum principem: igitur in cœleſti illa, & ordinatiſsima Hierarchia credere debemus Dei amicos plurimum poſſe apud eius clementiam. Ac proinde lucet in hac veritate congruentia quædam naturalis. Lex enim ipſa clementiæ, & æquitatis dictat, vt princeps ipſe æquus, & clemens aliquid donet precibus amicorum, quæ ſine illorum interuentu non donaret: quoniam nulla eſſet cauſa donandi.

D. Auguſt.

Sed hæreticorum obiectiones expendamus. Exultant in primis illi teſtimonio Diui Auguſtini libro de cura pro mortuis gerenda, capit. 13. Ex quo colligunt eum dubitauiſſe, an ſancti nos adiuuent, & addunt affirmauiſſe aperte eos non eſſe inuocandos libro. 22. de Ciuitate Dei, capit. 10. Pro cuius ſancti doctrina ſciendum eſt, quod ipſe eo loco, & capitibus ſequentibus, vnum affirmat, & de altero dubitat.

Affir-

Affirmat, quod defuncti non agunt nobiſcum, nec noſtra ſentire poſſunt: ſicut agunt nobiſcum ij, cum quibus viuimus. Hoc eſt quod affirmat veriſsimè. Dubitat verò, qua ratione nouerint, quæ apud nos aguntur, probans ex ſcriptura, quod ſæpe ea cognoſcunt. Et in hac altiſsima quæſtione profunda Auguſtini ſapientia hæret dubitabunda, an conſtituto, quod ipſi non agunt nobiſcum, quod generaliter intelligendum eſt: nouerint tamen noſtra, eo quod alij ſpiritus defunctorum hinc proficiſcentium ea illis annunciant, vel quia angeli dicunt, vel quia Deus reuelat, vel ſi fortè nonnunquam etiam, quando nos adiuuant, non nouerunt peculiariter quid agamus, ſed generaliter nō bis ſuis orationibus opitulantur. Sicut, & nos oramus pro mortuis, cum quid agant neſciamus, nec illis præſentes ſimus. Et quando martyres apparent ad opem alicui ferendam, an id fiat per præſentiam martyrum, vel per angelorum miniſterium, vel nonnunquam per præſentiam nonnunquam per angelos ſuſcipientes perſonas martyrum, hæc res, inquit Auguſtinus, altior eſt, quam vt à me poſsit attingi, & abſtruſior, quam vt à me valeat per ſcrutari. Ergo docuit hic ſanctus eo loco, quod defuncti per vires atque naturam propriam rebus viuorum intereſſe non poſſunt de ratione vero, & modo quo ſciunt noſtra dubitat Auguſtinus, & dubitabit quicunque ſapiens. Quod ſi non dubitat, non iccirco non dubitat, quia ſapiens eſt, ſed quia eſt præſumptor inſipiens, niſi hoc forte Deus illi reuelauerit. Vt tamen ad rem redeamus, Auguſtinum iſta dicere non eſt aſſerere, quod ſancti non orent pro nobis, aut quod nos eorum orationibus, & interceſsionibus non iuuemur. Atque vt hæreticorum ſtultitia, & impudentia deprehendatur proferamus Auguſtinum eo ipſo libro, de cura D. Augu.
pro mortuis, capit. 16. Ille ſic habet: Hinc & illa ſoluitur quæſtio; quonam modo Martyres ipſis beneficijs, quæ dantur orātibus indicant ſe intereſſe rebus humanis, ſi neſciunt mortui quid agant viui. Non enim ſolis beneficiorum effectibus, verum etiam ipſis hominum aſpectibus confeſſorem apparuiſſe Felicem cum à Barbaris Nola oppugnaretur, audiuimus non incertis rumoribus, ſed teſtibus certis. Verum iſta diuinitus exhibentur, longè aliter, quam ſe ſe habet vſitatus ordo, &c. Non igitur ideò putandum eſt, viuorum rebus quoſlibet inter eſſe poſſe defunctos; quoniam quibuſdam ſanandis, vel adiuuandis martyres adſunt. Sed ideo potius intelligendum eſt, quod per diuinam potentiam martyres viuorum rebus interſunt; quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus intereſſe non poſſunt. Quanquam iſta quæſtio vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodum opitulentur martyres his; quos per eos certum eſt adiuuari. Quid euidentius, & expreſsius dici potuit hæreticis, vt videant quam cæci ſint in ſanctis interpretandis. Sed nō eſt minus pro nobis euidens ille locus, quem citant ex 22. de Ciuitate Dei, capit. 10. Verba Auguſtin. ſic habent: Faciunt iſta miracula Martyres, vel potius Deus, vel orantibus aut cooperantibus eis, vt fides illa proficiat, qua eos non Deos eſſe noſtros, ſed vnum Deum habere nobiſcum credamus. Docet itaque D. Auguſt. eo loco, & alijs pluribus eius operis capitibus, nos nec orare, nec inuocare ſanctos, vt Deos nec illis ſacrificare. Sed fatetur præterea, quod Deus facit miracula, quæ per eorum templa fieri perhibentur orantibus, vel etiam cooperantibus ſanctis: ergo iuxta doctrinā D. Aug. orat ſancti & intercedunt pro nobis. De quo vide ipſum, lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. Quo loco ille doctor, de quo dementes tantopere exultant ſic habet. Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa celebritate concelebrat, & vt meritis eorum aſſocietur, atque vt eorum orationibus adiuuetur. Et tractatu. 84. in Ioannem, & ſuper Pſalmum. 120. adducunt hæretici, & Chryſoſtom. præfatione in Pſal- D. Chryſ.
mū. 4. Cuius verba ſi quis conſiderauerit, videbit, quod commendat ille Dei benignitatem, & clementiam, qui præſto eſt exaudire nos, nec contemnit peccatores confugientes ad eius gratiam, & miſeri-

cor-

cordiam. Tum etiam redarguit homines desides, qui Dei amicos pro se continuo interpellant, cum tamen interim ipsi nec digito tangant, aut leuent suaue onus legis Dei. Et quoniam etiam constat pluribus testimonijs huius sancti, quod ipse acerrime tuetur sanctorum intercessionem, & orationes pro nobis, iccirco nō immoror.

D. Hiero. Galat. 3. Referunt, & Diuum Hieronymum explicantem illud ad Galat. 3. Vnusquisque onus suum portabit in hæc verba: Docemur dum in præsenti sæculo sumus siue orationibus, siue consilijs inuicem nos posse iuuari. Cum autem ante tribunal Christi venerimus non Iob, non Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed vnumquenque portare

Eccles. 3. onus suum. Ridicula sane obiectio. Scilicet, quasi nos negaremus, quin vbi ceciderit lignum, ibi manebit. Et quod vnusquisque iudicabitur secundum eum statum, in quo discesserit, quæ est fides catholica, iuxta quam credere debent hæretici, quod si hæretici permanserint, nunquam Iob, nec Daniel illis impetrabunt delicti veniam, sed vnusquisque onus suum portabit. Adiungunt præterea hæretici plures patres asserentes sanctos non esse adorandos; quod ipsi faciunt ea impudentia, qua cætera. Apertissime enim constat, illos patres solum

D. August. asserere sanctos non esse inuocandos, vel

D. Hiero. adorandos, vt Deos. Videte Augustinum

Vigil. 22. de Ciuitate Dei, & Hieronym. libro. 3.

Epiphan. contra Vigilantium, & Epiphanium, tomo secundo, hæresi. 78. Quis, ô insanum caput (ait Hieronymus) aliquando martyrem adorauit? quis hominem putauit Deum. Et Epiphanius; Non est Deus Maria, & nemo in nomen eius offerat.

1. Timot. 2. Secundo loco arguunt ex illo; Vnus est mediator Dei & hominum, homo

1. Ioan. 2. Christus Iesus, & 1. Ioannis secundo. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, &

Hebr. 7. Hebræo. 7. Solus Christus sempiternum habet sacerdotium, accedens per semetipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis. Pluraque sunt eiusmodi testimonia, ex quibus hæretici volunt effici impium esse alicuius sanctorum opem, & patrocinium implorare.

Ad hoc dico, quod Dominus solus est Redemptor, atque etiam mediator totius generis humani, & vniuscuiusque in particulari, ipse accedit per semetipsum ad Deum. Ac propterea quicunque orant, & impetrant virtute gratiæ, & meritorum eius, orant & impetrant: qui veniunt ad patrem, & accedunt ad Deum per eum veniunt ad patrem, & accedunt ad Deum, ille reconciliauit genus humanum, & se se interposuit inter Deum & homines: ac propterea 1. Tim. 2. vnus est mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus. Sed peto à miseris illis, qui errore gaudent, & etiam nobis insultant, tantus ille prædicator, redemptoris nostri Pauli tollebat vnum mediatorem Christum Iesum Dominum nostrum, cum sæpe flectebat genua pro alijs ad Deum, & patrem Domini nostri Iesu Christi, & orabat pro Ephes. 3. fratribus. Ephesio. 3. secundo Timoth. 1. 2. Tim. 1. prima ad Thessalonicen. 1. ad Philippen- 1. Thessal. ses capite primo? Quid hic hiscere po- Philip. 1. terunt hæretici? Dicent, quod irrogabat Paulus iniuriam mediatori. Credo non fore eos tam impudentes in Apostolum, ne forte misera plebs, quam decipiunt elabatur è manibus. Negabunt eas epistolas. Atqui non adduximus, nisi quas ipsi recipiunt. Fingent id non esse intercedere pro alijs. Atqui hæc est mera fictio. Nam sanctos orare pro nobis, est intercedere pro nobis. Nec nos asserimus, quod sunt mediatores, & intercessores, sicut Christus: sed quia nos redemptos sanguine Christi adiuuant orationibus suis petentes, & impetrantes nobis beneficia cœlestia. Dico ergo, quod secundum sanam, & catholicam doctrinam, quemadmodum 1. Ioan. 2. Christum esse propitiationem pro peccatis nostris non efficit, vt in peccatis persistētes iusti simus, nec tolli pia, & bona opera Ephes. 1. nostra, sed potius postulat, ad hoc enim nos redemit, vt simus sancti cora ipso; ita

ita esse redemptorem, propitiatorem, recōciliatorem, mediatorem hominum, non tollit sed postulat potius, & requirit, vt tantæ gratiæ respondeamus; seruientes Deo in omni sanctitate, laborantes, orantes pro nobis, & pro alijs, desiderantes, vt alij etiam orent pro nobis. Atque hinc hæreticorum cæcitas euidenter colligitur. Quoniam eo argumento quo sanctorum pro nobis orationes reijciunt reijcere possent, & orationes nostras pro nobis. Vnus est enim sedens ad dexteram patris, qui in- *Rom. 8.* terpellat pro nobis. Possent (id quod desiderant) labefactare studium omne virtutis, & sanctitatis: quia ipse est propitiatio *1. Ioan. 2.* pro peccatis nostris. Possent contemnere sacerdotia; quia solus Christus sempiter- *Hebr. 7.* num habet sacerdotium. Possent denique omnem ecclesiæ Dei Hierarchiam euertere.

Aduertendum tamen est; quod quemadmodum Deus peculiari ratione bonus est, secundum quam nemo bonus nisi solus Deus eam tamen rationem non expressit nomen, bonus, & ideò sancti homines dici possunt suo modo boni: ita Christus peculiari ratione est aduocatus, & mediator noster, secundum quam vnus est mediator Dei, & hominum. Sed eam rationem non expressit nomen, aduocatus, vel intercessor: & ideo alij suo modo dicuntur intercessores. Hoc tamen nomen, redemptor, exprimit id, quod soli Christo conuenire potest: & ideo nemo præter eum potest dici, redemptor.

Item opponunt, scriptum esse, pater noster, qui es in cœlis. Nō angelum, inquiūt *Matth. 6* vel Patriarcham, vel Prophetam mortuum, sed patrem tantum inuocari iubet. Quasi nos diceremus Deo orandum non *Iacobi. 5.* esse, nisi simul sanctos inuocemus, aut qua si isti non legerint illud, orate pro inuicem vt saluemini. Quod si facere debeo, cur non possum inuocare sanctū, non vt Deū, nec vt redemptorem, sed vt Dei seruum, & amicum qui oret pro me.

Apoc. 6. Afferunt, & illud Apocaly. Vindica sanguinem nostrum. Ex quo sic colligunt: Sancti, quamuis orent, sui sanguinis vindictam impetrare non potuerunt: inanis ergo est eorum omnis oratio, & inuocatio. Sancte Deus, quanta peccata in vno verbo. In primis, ex eo quod vnum aliquid non impetrent quis inferet, nisi stupidus, quod nil omnino impetrent. Deinde vnde habent; quod non impetrauerint? Nunquid ex il- *Apoc. 6.* lo responso; Expectate modicum tempus donec impleatur numerus fratrum vestrorum? Atqui si hæc verba attendant, videbunt, quod & impetrarunt vindictam, & vindictam suo tempore exercendam, nisi forte Deus hæreticis non videtur dare, quæ ita datur, vt suo tempore detur. Quod si diceremus sanctos ea oratione explicauisse suum affectum, quem tamen non volebant ad exitum deduci, nisi secundum sapientissimam & ordinatissimā Dei voluntatem eum imitantes qui dixit; *Matth. 26.* Pater si fieri potest, transeat à me calix iste, nihil certè diceremus, quod non esset vehementer probabile. Afferri ab istis solet & illud; Abraham non nouit nos, & Israel ignorauit nos Esai. 63. ergo sancti nec *Esai. 63.* sciunt, quæ pertinent ad viuos, nec eis opitulantur. Respondetur constare ex eo capite prophetam nomine populi Israel deplorare calamitatem suam, & docere se desertos iam esse ab Abraham, & Iacob cæterisque patribus verumque refugium, & spem omnem collocandam esse in Deo viuo. Dicit vero ille populus; Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos, non modo, quod se sentirent desertos à patribus; sed etiam, quia spiritus defunctorum per vim, & potestatem suam nec nobiscum degunt, nec nostra sciunt; nec si scirent iuuare nos possent; nisi hoc eis Deus dederit, ob quas causas legitima est, & vera vox Prophetæ: Tu enim pater noster, Redemptor noster à sæculo nomē tuum. Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos, quod autem spiritus defunctorum per facultatem suæ naturæ, nec nobiscum maneant, nec sciāt quæ apud nos accidunt colligi videtur ex illo. 4. Reg. 22. vbi Io- *4 Reg. 22.* siæ regi iusto dicitur: Colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super istum locū. Constatque nostra hæc interpretatio ex

Diuo

D. Auguſt. Diuo Auguſtino lib. de cura pro mortuis gerenda. Et certè quanuis vera eſſet opinio plurium ſcholaſticorum, quod ſancti in Verbo vident etiam ea omnia, quæ ad ipſos pertinent in vita præſenti, vera erunt ea, quæ diximus, quoniam eo tempore ſancti illi patres non erant introducti in gloriam Dei. Et quid mirum videtur hæreticis, ſi ſpiritus Dei comparans eo loco homines cum Deo tribuerit vnicuique parti ſua & propria, hominibus quidem mori, atque deficere, & nec proprijs filijs, nec ſibi etiam ipſis opem afferre poſſe. Deo vero ſemper benefacere, & ſaluare in perpetuum. Obquam rationem Dominus dicebat in Euangelijs: Nolite vocare vobis patrem ſuper terram: vnus eſt enim pater veſter. Legitima ergo, & euãgelica eſt vox prophetæ: Abraham neſciuit nos.

Tertio loco nituntur ſuum errorem cõfirmare rationibus. Primum, quia qui poſſunt ſancti videre obſequia noſtra, aut audire cordis clamantis affectum? Reſpondetur, quod nos etiam cum Diuo Auguſtino, & certi ſumus, quod ſancti illa nouerũt & qua ratione nouerint ignoramus, vtrùm angelis reuelantibus, vel Deo; vel his, qui diſcedunt plura nunciantibus, vel quia vident in Verbo, vel quacunque alia ratione: nihil enim de modo iſto habemus certum, & diffinitum. Sed quod ſancti ſępe intercedunt pro nobis, id eſt certum. Quod verò aliqui hæreticorum addunt; Mortui ſunt ſancti, quomodo ergo aliquem iuuare poterunt non viuentes? magis impium eſt, quam vt reſponſum mereatur. Quid enim amplius dicerent, vel Ethnici illi, qui animum cum corpore putarunt extingui, vel impius Diagoras Mileſius, Theodorus Cyrenæus, Euemerus Vegeates, & alij, qui negato Deo, prouidentia, præmio, poena, merito dementiæ ſuæ ἄθεοι ſunt nuncupati? Sanctiſſima vero noſtra religio docet, quod Deus cùm ſe dicit Deum Abraham, Iſaac, & Iacob non ſe appellat Deum mortuorum, ſed viuorum, & ſcriptum eſt, Iuſtorum animę in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori; illi autem ſunt in pace. Quocirca Doctor ille gentium, qui raptus eſt vſque ad tertium cœlum vt eorum, quæ prædicabat illuſtrius poſſet afferre teſtimonium, cupiebat diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Viuunt ergo ſancti cum Deo, cui honor, & gloria in ſæcula ſæculorum.

Matth. 22. Sap. 3. 2. Cor. 12. Philip. 1. 1. Tim. 1.

QVAESTIO

QVAESTIO VIGESIMASEPTIMA, DE ADORATIONE CHRISTI.

BREVIS RATIO NOSTRI INSTITVTI.

EXpeditis mysterijs Incarnationis Christi æterni Dei, & veri hominis, ratione quorum omnium colendus, & honorandus est breuiter absolueremus tractatum de adoratione Christi, si ex proprijs solum agendum esset. Sed quia ecclesiæ Dei necessitas, & istorum temporum calamitas non patitur, quin generaliter de adoratione, & cultu imaginum agamus, dabit lector veniam, si proprijs nostræ quæstionis parumper intermissis, de ea re, quæ maximè necessaria est, paulò liberius disputauerimus.

ARTICVLVS. I.

Quid sit adoratio, & quod Deus peculiari ratione adorandus sit.



D. Damasc. QVONIAM, vt docet Diuus Damascenus, libro. 4. fidei ex duplici natura compositi sumus, intellectuali, & sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus, spiritualē, quæ consistit in interiori mentis deuotione, & corporalem, quæ consistit in exteriori mētis humiliatione. Et quia in cultu Dei ac spectantibus ad religionem id, quod est exterius, referri debet ad id, quod est interius sicut ad principalius: ideo ipsa exterior adoratio fit, & fieri debet propter interiorem, vt videlicet, per signa humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subijciendum se Deo; quia connaturale est nobis, vt per sensibilia ad intelligibilia procedamus. Quod verò peculiaris cultus honor & veneratio Deo debeatur, id est manifestissimū. Quoniam adoratio externa repræsentatiua est internæ adorationis, & reuerentiæ, qua mens se humiliat & offert. Humiliat verò se mens nostra Deo & offert quasi suæ creationis principio; quasi suæ operationis causæ primæ; quasi suæ beatitudinis fini; quasi bonorum omnium fonti, & auctori vniuersali: quæ omnia soli Deo conueniunt: ergo ille peculiari ratione coli debet, & adorari.

Secūdo probo: Nam cultum externum exhibemus Deo, non quod ipse eo indigeat, sed vt in nobis gignatur per sensibilia opinio vera de Deo. Opinio autem, siue sententia de eo, quod Deus sit vnus, & super omnia exaltatus, gigni in nobis, & stabiliri non potest per sensibilia nisi per hoc, quod ei aliquid separatum, & honores ac titulos peculiares, & excellentes exhibemus, qui alijs tribui non possint, nisi aut ratione diuersa, aut adulatione peruersa: ille ergo peculiari ratione colendus & honorādus est.

Tertio: Hæc habet humana consuetudo

do (quæ ad opiniones gignendas valet cõplurimum) quod honor qui exhibetur ei, qui summum locum in republica tenet, regi nempe, aut imperatori, nulli alij exhibetur: ergo animus hominis excitandus est ad hoc, quod eam æstimationem habeat de summo Deo, quam debet habere per hoc, quod ei exhibeat peculiarem aliquem cultum & honorem. Et certè, cum honor sit virtutis & beneficentiæ præmiũ debitum quidem, sed inæquale, vt fatentur philosophi, & sola Dei bonitas ac largitas immensa sit, & incomparabilis, non dubium, quin ei peculiaris adoratio, honor, & cultus debeatur. Sed quia in hoc & catholici, & hæretici & prorsus infideles conuenimus, nullaque est barbaria tam vasta, & agrestis, quæ numen Dei peculiari ratione non suspiciat, ista si placet omittamus.

ARTICVLVS. II.

Quod bene antiqui sancti, & scholastici authores distinxerint adorationem in latriam, & duliam.



MVLTA vidi, & audiui ac nonnulla legi: sed nunquam legi de aliquo hominum eam insolentiam, vt gloriaretur literas, & secum natas, & cum ipso morituras, nisi de quodam Grammatico nomine Polemone. Nec id omnino falsò dixit: Nam quam obsecro vitam literæ habere possent in eo ingenio? Afficere itaque solet iactantiæ vitium genus illud hominũ, Valla. ex quibus Laurentius Valla, atque Caluinus Theologos taxant, quod ex ignorantia linguę Græcè distinxerint inter latriã, & duliam: atque latriam quidem Deo tribuerint, duliam vero alijs sanctis accommodauerint. Cum tamen inter λατρεύειν & δουλεύω nihil hac in parte intersit omnino, & vtrunque significet, seruio. Quod Leu.23. comprobant ex illo Leu. 23. Opus seruile non facietis in eo. vbi 70. legũt λατρευτον atque Leuit. 18. cum dicitur de semine tuo Leu.18. nõ dabis seruire principi Græcis est, λατρεύειν. His dictis exultant quasi victores, & ex

Theologos irrident atque subsannant, nihil interim curantes, aut attendentes quid dicant dummodo maledicant.

Sciendum ergo, quod quanuis λατρεύω significatione natiua æquè amplum sit atque δουλεύω, vt colligere licet ex Suida, & Suida. Phauorino, non tamen est nouum, aut inusitatum principes cuiuscunque facultatis Phauor. vti aliqua voce paululum à primæua significatione deflexa. Fatetur enim Porphirius, Porphi. impius quidem ille, sed doctus & eruditus, primò appellatum esse genus vniuscuiusque generationis principium. Deinde & multitudinem eorum, quæ sunt ab vno principio, vt Græcorum genus aut Troianorum.

Tertio vero acceptum esse à logicis pro eo; cui supponitur species, aut quod de pluribus differentibus specie, in eo quod quid est prædicatur: qua ratione semper accipitur ab ipsis logicis prioribus illis significationibus longe ablegatis. Item fatetur Aristoteles Metaphysicorum quinto; φύσιν, naturam, Arist. ortum primo, & natiuitatem significasse: accipitur autem à philosophis pro specie & natura rei. Et quidem mirabile videretur, si κέντρον, centrum, significatione primæua id exactè significaret, quod definit Euclides, pũctum, scilicet illum, à quo Euclides. omnes lineæ ductæ ad circunferentiam sunt æquales. Mirabile inquam dictu, si non anteà lapis in centrum descendere dicebatur, id est, humilem locum, & profundum, quam centrum esset à mathematicis peculiari aliqua ratione acceptum, & definitum. Non ergo immoremur in re certissima quod nempe solent artes & scientiæ aliqua verba cõmunia peculiari ratione vsurpare. Sic sacramẽtũ quod significatione primæua significat iusiurãdũ teste Marco Varrone, accipitur à Theologis pro visibili signo inuisibilis gratiæ. Sed videamus an fuerit aliqua causa, & ratio sufficiens, quam scholastici sequerentur in vsurpando nomine Latria pro cultu, qui soli Deo exhibetur; ac in referendo proinde duliam ad cæteros diuos. Certè Scriptura sacra grçcè scripta, quando agit de colendo Deo, plurimum vtitur verbo, latreuo. Et quod multò magis ponderandum est, quando ser-

sermonem facis de seruiendo eis, qui nec sunt, nec æstimantur Dij, non vtitur verbo, latreuo, sed duleuo.

Quorum primum probo: Nam Exodi quarto ibi, Dimitte populum meum, vt seruiat mihi, & Exodi vigesimotertio ibi; Seruietis Domino, & Deuteronomij sexto, ibi; Illi soli seruies, & Deuteronomij decimo, ibi; Vt diligas eum ac seruias; & Deuteronomij vigesimooctauo ibi; Eo quod non seruieris Domino Deo tuo, & Iosuæ vigesimosecundo ibi, Seruiatis in omni corde, & eodem loco, Vt seruiatis seruitutem Domino, & capite vigesimoquarto. Seruite ei perfecto corde cum similibus sex aut septem eius capitis testimonijs. Et iudicum nono. Idola proiecerunt, & seruierunt Domino, & secundo Paralip. 33. præcepit Iudæ, vt seruiret Domino Deo Israel, in ijs omnibus locis habetur, latreuo. Et quod, vt dixi, præcipuè ponderare debemus, quando sermo est de seruiendo alijs, non vtitur scriptura verbo latreuo, sed communi verbo duleuo, aut dulia, vt constat Genesis decimoquarto ibi, Seruierant Chodorlahomor, & Genesis decimoquinto, ibi; Gentem cui seruituri sunt, & capite vigesimoquinto, & vigesimoseptimo. Fratri seruies, & capite vigesimonono. Seruiam tibi pro Rachel, & per totum caput. 30. & 31. & Exodi vigesimoprimo. Sex annis seruiet tibi, & Deuteronomij decimoquinto, quatuor habentur huius acceptionis testimonia, & eadem est acceptio apud Prophetas, vt constat Esai. decimoquarto. Possemque certe de hac re afferre innumera testimonia: semper enim scriptura cauet, ne quando est sermo de seruitute homini exhibita vtatur voce, latria, aut, latreuo.

Exod. 4. Exod. 23. Deut. 6. Deut. 10 Deut. 28. Iosue. 22. Iudic. 9. 2. Para. 33. Gene. 14 Gene. 15 Gene. 29 Exod. 21 Deut. 15 Esai. 14.

D. August. Item Diuus Augustinus decimo de Ciuitate Dei, capite primo, sic habet: Hic est diuinitati, vel si expresius dicendum est, deitati debitus cultus, propter quem vnico verbo significandum, quoniam satis mihi idoneum non occurrit Latinum, Græco vbi necesse est insinuo, quid velim dicere. Latriam quippe vbicunque sacrarum literarum, scriptum est nostri interpretati sunt seruitutem. Sed ea seruitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus seruos Dominis suis subditos esse debere, alio nomine Græcè nuncupari solet. Latria verò secundum consuetudinem, qua locuti sunt; qui nobis eloquia diuina condiderunt, aut semper; aut tam frequenter, vt penè semper ea dicitur seruitus, quæ pertinet ad colendum Deum. Et post alia tandem concludit, quod latria interpretatur seruitus, sed ea qua colimus Deum. Tit. 2.

Idemque repetit libro decimoquinto contra Faustum capite nono. Sed iam video, quid respondeat huic testimonio non quidem Valla, aut Caluinus; sed quidum eis ingenio non dissimilis. In promptu responsio est; Augustinus Græca non admodum nouit. Nec mirum, si hoc ille dicat. Nam ipse idem, nec eloquij Romani principi Tullio concedere vult Græcæ linguæ peritiam, fortasse, ne & Latino sermone, & Græco excellere videretur. Qui autem Tullium, qui multo familiarius in Græcis versabatur, quam nos in Latinis, & qui duobus, aut tribus libris Græcè editis totam Græciam perterrefecit, negat Græca exactè nouisse, quid mirum si hoc idem de Augustino inficietur? Sed veniamus ad Græcos scriptores Ecclesiasticos. Trecenti, & eo plures episcopi; coacti sunt in Concilio Nicæno secundo, quorum maior pars Græci erant, Græcè loquebantur, & prædicabant, Græca legebant. Qui tamen omnes sapientissimi, & pijssimi viri in id conuenerunt, quod cultus latriæ in spiritu, & veritate beatæ Trinitati tribuitur ab Orthodoxis. De quo videnda est epistola Tarasij, & totius Synodi ad Imperatores, quæ habetur in fine Concilij illius. Et Diuus Damascenus libro tertio dicit, quod solum rerum omnium procreatorem, Erasmus. Conc. Nicæ. D. Damas.

& opificem adoramus, & latriæ cultu veneramur. Est vero hæc huius verbi acceptio tam non modo recepta in Ecclesia à Græcis Sanctis quod satis superque nobis esse deberet; Sed etiam conformis vsui antiquorum Græcorum Fauorinus. recte loquentium, vt Fauorinus (quod pace dixerim Vallæ & Caluini, si modo is cum ecclesia illam habere voluisset eis longe doctior) affirmet, quod latria est seruitus Deo soli conueniens. Quod adeò inualuit, vt latria accipiatur pro sacrificio ipso, quod soli Deo offerri notum est, & latreuo pro sacrificare. Quod si idololatræ non alia ratione dicuntur à recte loquentibus, quam quod Deo debitum honorem & cultum deferant idolis, quis nam poterit defendere non hoc significare latreuin? Habent ergo scholastici quid sequantur, quando latriæ nomine solum Dei cultum significant, duliam vero generaliter dictam, & Deo tribuunt & sanctis, peculiariter verò acceptam referunt ad sanctos. Et proculdubio ea vox latria in hac significatione recepta est in ecclesia Dei, atque hic est eius vsus apud sanctos antiquos, & scriptores ecclesiasticos.

Leu. 23. Sed obijciunt illi, quod Leu. 23. habetur; Opus seruile non facietis vbi Græcis est, latreuton, atque addunt locum illum; Non dabis de semine tuo seruire principi: quo loco vtitur scriptura eodem verbo, latreuin. Quibus respon- D. August. deo cum Diuo Augustino verbis citatis, quod hæc differentia inde ortum duxit, quod latria apud eos, qui nobis eloquia diuina tradiderunt, aut semper aut penè semper accipitur pro seruitute, quæ pertinet ad colendum Deum. Cui veritati non obstat, quod rarissime inueniatur ea vox in alia significatione. Quem- Porphiri. admodum quanuis, genus, philosophis sit teste Porphirio, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid, aliquando tamen philosophi accipiunt in alia, atque primæua significa- Aristot. tione secundum quam Aristoteles ipse dicere solet, genus hominum. Et proculdubio si tam licet exactè expendere illa, iam posset vnusquisque elegantes illas Vallæ differentias irridere, eo quod illæ nonnunquam etiam à bonis auctoribus negligantur. Sed, vt prouerbio dici solet, vna hirundo nõn facit ver. Illud autem vehementer admiror, quod cum isti diligenter (vt credere par est) conquisierint loca scripturæ, in quibus latria non referatur ad Deum vnum, illum inuenerunt, Opus seruile non facietis. Nam Leuit. 23 quod addidere; Non dabis de semine tuo seruire principi, satis doctè ac peritè fecerunt: nobis enim tela porrexerunt, quibus eos confodiamus, & tueamur nostram sententiam. Pro quo sciendum, quod Leuit. 18. vbi vulgata legit, Non dabis de semine tuo, vt consecretur idolo Molech. 70. vertunt; Non dabis de semine tuo seruire principi. Itaque seruire ibi, si vulgata & Hebræa, & paraphrastes Chaldaicus consulantur, accipitur pro consecrare, siue sacrificare, & princeps pro principe quodam idolorum, siue dæmoniorum, quem gentes eo tempore pro Deo colebant. Et aliqui suspicantur fuisse Saturnum. Et cum teste Diuo Augustino. 10. de Ciuitate Dei capite quarto, latria, & sacrificium ei tribuatur, qui aut vere est, aut esse putatur Deus, fit vt ideò dictum sit, Non dabis de semine tuo latreuin principi, quia sermo erat de Principe idolorum, qui colebatur, vt Deus, atque ei parentes filios sacrificabant. Ex quibus omnibus constat, quod latreuo eo loco non solum sumitur in ordine ad eum, qui colebatur pro Deo, sed etiam accipitur pro consecrare, vel sacrificare. Ac proinde hoc testimonium nobis fauere contra Caluinum & Vallam videt omnis, qui oculos habet. Leu. 18. D. August.

Secundo posset quis obijcere, quod scriptura dum sermonem facit deseruiendo Deo, sæpe vtitur verbo, duleuo, quod certe est verissimum: ergo falsum est, quod latria peculiariter significet cultum Dei.

Respon-

Respondetur, quod Theologi non negant, quod duleuo, vel dulia sit vox communis, & ad Deum atque homines referatur: sed id concedunt atque eam peculiari ratione acceptam tribuunt speciei inferiori dignitate, siue adorationi duorum. Nec inde sequitur, quod latria non sit specialis cultus Dei. Non aliter atque ex eo, quod dispositio est vox communis habitui, & dispositioni, non sequitur, quod habitus non sit peculiaris dispositio, nec quod male habitus contra dispositionem peculiariter acceptam distinguatur, aut quod dispositio non sit nomen speciei condistinctæ, contra habitum.

Tertio putauerit quispiam, quod latria, & adoratio idem sint, & cum scriptura vtatur nomine adorationis, non solum ad Deum, sed etiam ad homines, & non rarò ad discolos, & iniustos, consequenter existimabit, quod latria ad homines etiam referatur. Sed si id putauerit sciat se vehementer deceptum. Nam vbi Latini vertunt, adoro, vel adoratio. Græcis nec est latreuo; nec latria, sed proscyneo, & proscynisis: quod Verbum significat genua flectere, & supplicare.

ARTICVLVS. III.

In quo magis explicatur ratio adorationis, latria, atque dulia.



OPORTET FORtasse prius rem velut imaginem adumbrare, deinde suis eam coloribus absoluere, atque perficere. Nosse itaque necesse est primo, quod vt docet Diuus Augustinus, libro vnico contra sermonem Arrianorum, capit. 33. Honorare superius quid est quam adorare: omnis enim qui adorat honorat: quamuis non omnis qui honorat adoret. Est verò adorare secundum scripturæ vsum honorem alicui exhibere ob eius excellentiam cum peculiari quadam humiliatione. Ex quo fit, vt ea adoratio non modo Deo, sed etiam creaturis tribuatur, sicut Abraham adorauit populum terræ Genes. capit. 23. & Iacob adorauit fratrem suum Esau Genes. 33. & capit. 43. fratres adorauisse dicuntur Ioseph. Et sunt complura eiusmodi testimonia. Cæterum quamuis non modo Deus, sed etiam aliquæ creaturæ dicantur in scripturis adorari, non tamen adorantur secundum rationem eandem, vt docet Diuus Augustinus, & Beatus Thom. 2.2. quæstione. 84. & Alexander Halensis. Et ratio est; quia cum adoratio sit honor alicui exhibitus propter eius excellentiam, & excellentia Dei sit longe alia ab excellentia cuiuscunque creaturæ, efficitur, vt longe alia sit ratio adorationis, & adoratio, quæ exhibetur Deo ab ea, quæ exhibetur creaturæ.

D. August. Gene. 23. Gene. 43. D. August. B. Tho. Alex. Alen.

Est autem duplex adoratio, interior, & exterior, vt docet Diuus Damascenus, libro quarto fidei, capite decimotertio, & Beatus Thomas. 2.2. quæstione. 84. articulo secundo & tertio. Interior adoratio consistit, & in intelligentia, seu cognitione, qua aliquis cognoscit, eum, quem adorat, esse dignum honore, ob aliquam excellentiam, & in voluntate atque affectu, quo se illi submittit: qui affectus adeò est necessarius ad adorationem, vt sine illo cognitio excellentiæ, quantacunque illa sit non sufficiat. Quod constat. Nam in dæmonibus est cognitio excellentiæ diuinæ, siquidem credunt, & contremiscunt, vt habetur Iacobi secundo, & tamen quoniam eis deest hic affectus, non adorant, sed blasphemãt Deum. Quemadmodum verò adoratio generaliter accepta diuiditur in interiorem, & exteriorem; ità & latria, siue cultus Dei in interiorem, & exteriorem distinguendus est, & vterq; Deo tribuendus. Quoniam, vt ex D. Damasceno dicebamus, sicut sumus cõpositi ex intellectuali, & corporali natura: ità etiã duplicẽ adorationẽ

D. Damasc. B. Thom. Iacob. 2. D. Damasc.

Deo offerre debemus, spiritualem, & corporalem. Atque corporalis quidem consistit in exterioribus humilitatis, & submissionis signis, inflexione genuum, humiliatione, prostratione, eleuatione manuum, & similibus. Spiritualis verò latria consistit in interno affectu, puritate, & deuotione, iuxta doctrinam sapientis Augustini in Enchiridione, capite tertio. Quo loco dicit, quod fide, spe, & charitate colitur Deus. Et capite quinto docet, quod cultus Dei initiatur fide, tenetur spe, perficitur charitate. Et libro duodecimo de Trinitate capite decimoquarto, inquit: Et quis est cultus Dei, nisi amor eius, quo nunc desideramus eum videre, & fides, qua credimus, & spes, qua speramus nos eum assecuturos. Sunt verò quædam genera seruitutum, quas veluti species latriæ soli Deo exhibere debemus, desumpta ex Diuo Augustino, decimo de Trinitate, capite quarto. Quorum meminit Thomas VValdensis de Sacramentalibus, titulo decimotertio, capite. 117. Primum est sacrificium altaris: siue cordis. Secundum effusio sanguinis, & vitæ in martyrio. Tertium quando incendio amoris flagrantis nos Deo vouemus, & nostra. Quartum quando dies solennes, & festos celebramus Deo, ne memoriam beneficiorum eius ingrata tollat obliuio. Quintum sacrificium est spiritus humiliatus. Vltimum, quando per fruitionem Deo ipsi inhæremus. Hæc VValdensis. Sed iam Augustinum ipsum si placet loquentem audiamus. Huic, inquit, nos Deo Deorum, & nostra seruitutem, quæ latria Græcè dicitur, siue in quibuscunque sacramentis, siue in nobis ipsis debemus. Huius enim templum simul omnes, & singuli templa sumus; quia & omnium concordiam, & singulos habitare dignatur, non in omnibus quam in singulis maior: quoniam nec mole distenditur nec partitione minuitur. Cum ad illum sursum est; eius est altare cor nostrum; eius vnigenito cum sacerdote placamur, ei cruentas victimas cædimus. Quando vsque ad sanguinem pro eius veritate certamus, & suauissimum adolemus incensum. Cum in eius conspectu pio sanctoque amore flagramus, ei dona eius in nobis nosque ipsos vouemus, & reddimus, ei beneficiorum eius solennitatibus festis, & diebus statutis dicamus, sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio ei sacrificamus hostiam humilitatis, & laudis in ara cordis igne feruidæ charitatis, ad hunc videndum sicut videri poterit, eique cohærendum ab omni peccatorum, & cupiditatum malarum labe mundamur, & eius nomine consecramur. Hactenus Augustinus. Et hæc de latria.

Pro dulia verò, sciendum est, quod quanuis ea possit accipi latissimè, pro quocunque obseruantiæ genere, quo quis alterum reueretur, ex quacunque causa ea obseruantia oriatur; propriè vero dulia est seruitus, quam seruus exhibet Domino; ac proinde dulia continet in se latriam, quæ est seruitus exhibita Deo, & rursus eam virtutem, qua serui inter homines Dominos venerantur. Et quoniam ea virtus, per quam serui Dominos suos temporales venerantur, non habet proprium nomen, sicut seruitus, quæ Deo impenditur; ideò secundo nomen duliæ appropriatum est ad significandam eam seruitutem, qua serui inter homines Dominos venerantur. Primo ergo modo accipiendo duliam, constat, quod non diuiditur contra latriam, nec est omnino idem cum ipsa. Cuius ratio est; quia superius non diuiditur contra inferius, nec est conuertibiliter idem cum ipso, vt apparet in animali respectu hominis: sed dulia primo modo accepta est superior ad latriam: ergo nec distinguitur contra eam, nec est conuertibiliter eadem cum ipsa. Si vero accipiatur dulia secundo modo, sic est virtus specie distincta à latria. Quod probo: Nam vbi est alia ratio debiti; ibi necesse est, quod sit alia virtus, quæ debitum reddat. Alia autem ratio ne

ne debetur seruitus Deo, & homini: sicut & alia ratione dominium competit Deo & homini. Nam Deus plenarium, & principale dominium habet respectu totius & cuiuslibet creaturæ, quæ totaliter eius subijciitur potestati. Homo autem participat quandam similitudinem diuini dominij, secundum quod habet particularem potestatem super aliquem hominem, vel super aliquam creaturam. Et ideo dulia, quæ debitam seruitutem exhibet homini dominanti, alia virtus est à latria, quæ exhibet seruitutem diuino dominio, de hyperdulia verò solum dico, quod quia, hyper, apud Græcos auget in compositione; sicut, per, aut, quam, apud Latinos: iccircò hyperdulia exhibetur quibusdam diuis inter sanctos ipsos præclaris, & heroicis, & qui habent peculiarem affinitatem ad Deum, vt Virgini beatæ. & de dulia tantum.

Diximus latriam soli Deo ineffabilique Trinitati deberi, quod est verissimum. Et hoc est quod docuit Dominus Matth.4. dicens; Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et Apostolus.1. Timoth.1. cum dixit; Soli Deo honor & gloria. Quo loco nisi de isto latriæ peculiari honore loqueretur, nunquam ipse dixisset Roman.2. Gloria & honor omni homini operanti bonum. Atque hæc eadem est illa gloria; quam vellet Apostolus Romano.1. vt dedissent Deo illi, qui cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum, & serpentum. Est etiam doctrina Diui Augustini, libro.1. contra Maximinum Arrianorum episcopum, capit.13. & libro.12. de Trinitate, capit.14. & in Enchiridione, alijsque locis citatis, & eam amplectuntur omnes scholastici cum Magistro in tertio, distinctione nona.

Sed est in contrarium argumentum: Nam Glossa super illud Psalm. 67. Deo Domino de fontibus Israel, Deo inquit, cui debetur latria, Domino cui debetur dulia. Et Glossa interlinealis in illud Psalm.7. Domine Deus meus, in te speraui, ait; Domine propter potentiam, cui debetur dulia, Deus propter creationem, cui debetur latria. Idemq; affirmat Diuus August. libro secundo quæstionum super Exod. quæstione. 94. Vbi dicit, quod dulia debetur Deo, tanquam Domino, latria vero non nisi Deo tanquam Deo.

Ex quo sumitur argumentum: Nam Deus & est Deus & Dominus: si ergo dulia debetur illi, tanquam Domino, & latria tanquam Deo; non magis ei debetur latria, quam dulia. De hoc multi multa dicunt, controuertentes, & disputantes hanc Diui Augustini, & glossæ sententiam. De quo videte si placet Diuum Thom. in tertio, distinctione nona, quæstione prima, articulo.3. quæstione prima, & 2.2. quæstione.81. articulo.3. & Alexandrum de Hales. tertia parte, quæstione.30. membro.1. articulo tertio, & Gabriel. lectione.49. super canonem. Est verò facilis hac in parte, & expedita responsio; quod quemadmodum, si propria proprijs accómodare, & formaliter loqui velimus, dicemus, quod animal in eo quod animal est sensitiuum, homo vero in eo, quod homo est rationalis; pari ratione dulia in eo quod dulia refertur ad Dominũ, ac proinde Deo tanquam Dño tribuitur. Quoniã propria notio huius nominis dulia postulat illud relatum, nempe Dominum: latria vero vt latria, debetur proculdubio Dei maiestati (quam cum nomino deitatem intelligo.) Itaque dulia accipitur locis illis generaliter, & ratione solum distinguitur à latria: non vero accipitur pro ea specie adorationis, quæ tribuitur alijs sanctis. Sed fortassè quis logicis delectatus instabit; Dulia quæ superior est refertur ad Dominum: ergo & eius species latria scilicet, debet referri ad Dominum; quia quod conuenit superiori debet conuenire inferiori. Cum hoc tamen ego logicè arguente agam logicè.

Et dico primum; quod de rebus agimus, vt subijciuntur nominibus. Et hac

hac ratione loquendo illa vltima propositio sæpe fallit: scientia enim est scibilis scientia; metaphysica vero non est metaphysicabilis metaphysica, nec scibilis metaphysica, vt ille alter dicebat; eo quod ea nomina non bene se habeant ad inuicem. Aristot.

Dico secundo, quod metaphysicè, & ex natura rei loquendo, quemadmodum dulia se habet ad dominum generali ratione: ita latria se habet ad Dei maiestatem, qua maius excogitari non potest; & in qua inuenitur eminens ratio dominij. Non tamen refertur ad eum in eo quod Dominus: sed secundum aliquid particulare & excel ens, quod continet etiam rationem dominij. Quemadmodum metaphysica refertur quidem ad suum obiectum re ipsa, non tamen in eo, quod scibile, sed in eo quod metaphysicabile, si sic loqui licet. Alij dicunt, quod perfectiones Dei sunt in duplici differentia. Quædam non possunt communicari creaturæ nec secundum rationem eandem, nec secundum idem nomen. Quales sunt Deus, omnipotens, creator: nec enim aliquid aliud à Deo est Deus, aut omnipotens, aut creans. Aliæ verò sunt perfectiones Dei communicabiles creaturis; non quidem secundum eundem gradum, nec secundum rationem eandem sed secundum idem nomen, vt bonitas, sapientia, dominium. Dicitur enim creatura bona, dicitur nonnunquam sapiens, & domina. Quia ergo primæ perfectiones ita sunt propriæ Deo, vt nec secundum nomen possint communicari creaturis: ideò adoratio, quæ debetur Deo ratione illarum perfectionum significatur nomine peculiari, & denotante adorationem soli Deo debitam, quæ dicitur latria. Quia vero aliæ perfectiones Dei, sunt communes secundum nomen: ideo adoratio, quæ debetur Deo ratione illarum perfectionum, significatur nomine importante adorationem communem Deo & creaturis: quale est nomen Duliæ. Ità respondebat Alexander, & Gabriel locis citatis. Et nec displicet responsio; nec est contraria his quæ nos diximus. Alexand. Gabriel.

Secundo argumentor: Nam eadem est charitas, qua amatur Deus & proximus: ergo eadem debet esse adoratio, qua adoratur Deus & proximus: ergo non differt inter latriam & duliam.

Respondetur, quod ratio diligendi Deum, & proximum, est vna & eadem non solum specie, sed & numero; imo est simplicior & magis vna quam vnitas numerica. At vero ratio honorandi, & adorandi Deum, atque alios sanctos est diuersa, vt dictum est.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm diuinitas, & humanitas Christi eadem adoratione adoranda sit.



SI QVIS SATHANI co deceptus spiritu, affirmaret in Christo Domino esse duas personas, & hypostases, vt olim Nestoriani offensi tantæ misericordiæ magnitudine asseruerunt, dicere ille deberet consequenter, quod nec diuinitas Christi, & humanitas, nec ille homo, & Deus eadem adoratione colendi essent: id quod hæretici affirmabant ac proinde Concilium Constantinopolitanum secundum, quod est quinta Synodus Generalis, canone nono, illos anathematizat in hæc verba: Siquis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duæ adorationes introducuntur, sed non vna adoratione Deum Verbum incarnatum, cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei ecclesiæ traditum est, anathema sit. Conc. Cõ.

Ergo pro declarãda fidei veritate sciendum est, quod in eo, qui honoratur, duo possumus considerare, scilicet, eum, cui honor exhibetur, & causam honoris. Propriè autem honor exhibetur toti rei subsistenti. Nec enim dicimus, quod sapientia hominis honoretur, sed homo ipse sapiens. Si vero aliquando rationi ipsi,

ipsi, & causæ honorandi honorem tribui videmus, debemus existimare, quod in illa totum ipsum honoratur. Causa vero honoris est id, ex quo is, qui honoratur habet aliquam excellentiam. Nam honor est reuerentia alicui exhibita, propter sui excellentiam. Et ideo si in vno homine sint plures causæ honoris, vt prælatio, scientia, & virtus; erit quidem illius hominis vnus honor ex parte eius, qui honoratur; plures tamen secundum causas honoris. Homo enim est, qui honoratur, & propter scientiam, & propter virtutem. Sic ergo, cum in Christo sit tantum vna persona diuinæ & humanæ naturæ, & etiam vna hypostasis, & vnum suppositum est certe eius vna adoratio, & vnus honor absolute ex parte scilicet eius, qui adoratur, sed ex parte causæ, ob quam adoratur, possunt dici esse plures adorationes, vt scilicet, alio honore honoretur propter sapientiam increatam, & alio propter sapientiam creatam. Si tamen ponerentur in Christo plures personæ, vt hæretici Nestoriani posuerunt, sequeretur, quod simpliciter essent plures adorationes. Et hoc est quod in Concilio Ephesino primo, canone octauo in capitulis Cyrilli reprobatur, cum sic dis- finitur: Si quis audet dicere assumptum hominem coadorari oportere Deo Verbo, quasi alterum alteri, & non potius vna adoratione honorificat Emanuelem, secundum quod factum est caro Verbum, anathema sit.

Conc. Ephes.

Sciendum est secundo, quod honorari, vt causam honoris non est honorari simpliciter, sed cum tali determinatione: ita quod illud, vt causa honoris est conditio diminuens honoratum. Quocirca non valet hæc consequentia propriè loquendo: Sapientia honoratur, vt causa honoris: ergo honoratur. Quoniam honorari non est, nisi terminantis passiuè actum honorandi: non terminat autem honoris actum, nisi persona, cui exhibetur honor. Et hinc habetur, quod Christo debetur simpliciter vna adoratio, & quod humanitas eius vt abstrahit ab hypostasi est inadorabilis: quemadmodum, & cæteræ causæ adorandi sunt inadorabiles, propriè loquendo. Quia tamen quandoque dicitur de hisce rebus, quod honorantur, vel adorantur; idcirco non faciendo vim in vocabulis, dicito quod licet humanitas Christi adoretur, atque ei vt abstrahit à supposito non debeatur adoratio latriæ, vt infra dicemus, ecclesia tamen spiritu Dei edocta vnica adoratione adorat Christum, dicendo: Miserere; & non, simul miserere, & intercede, eo quod respicit ad vnitatem personæ, quæ sola propriè loquendo dicitur honorari, & adorari; quamuis adorari possit varijs ex causis, vt dictum est.

Tertio loco sciendum est, quod causa honoris, est id, quo persona excellit. Hoc autem inuenitur dupliciter, per modum formæ, vt sapientia, virtus: vel per modum operationis, vt creare, vincere, docere. Excellunt enim homines non solum sapientia, potentia, virtute, dignitate, sed etiam quia vicerunt, quia docuerunt, &c.

Sed contra hæc est argumentum: Quia honor est propriè præmium virtutis, vt docet Philosophus, quarto Ethic. meretur autem virtus præmium per actum: cum ergo in Christo sit alia operatio diuinæ, & humanæ naturæ, consequens esse videtur, quod alio honore sit honoranda humanitas Christi, & alio eius diuinitas.

Arist.

Respondetur, quod operatio non est quæ honoratur, sed est ratio honoris. Et ideò per hoc quod in Christo sunt duæ operationes non ostenditur, quod eius sint duæ adorationes, sed quod sint duæ adorationis causæ.

Secundo argumentor: Quia humanitas Christi, si non esset vnita Verbo, esset adoranda propter excellentiam sapientiæ, & gratiæ quam habet: sed nihil dignitatis est ei subtractum per hoc, quod est vnita Verbo: ergo natura humana in Christo est quadam propria adoratione veneranda, præter venerationem, quæ exhibetur diuinitati ipsius.

Respondetur, quod humanitas Christi, si nō esset vnita Dei Verbo haberet propriū suppositum, cui præcipue deberetur honor: sed quia humanitas Christi, est vnita personæ digniori, iccirco illi personæ præcipue debetur honor, cui humanitas est vnita: nec tamen per hoc minuitur dignitas humanitatis Christi, sed augetur.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm humanitas Christi sit adoranda adoratione latriæ.

PRO intelligentia huius disputationis aduertendum est, quod Nestorius hæreticus dicebat, Christum coadorandum esse cum Dei Verbo. Vtebatur autem hoc modo loquendi, quoniam existimabat in Christo esse duo supposita, vnita per affectum amoris, & honoris communicationem. Quapropter re vera non adorabat Christum ea adoratione, qua Dei Verbum: sed potius quemadmodum diuidebat supposita; ita & diuidebat adorationem. Addebat autem, quod adorantes Dei Verbum coadorabant quodammodo Christum propter vnionem affectus, & communicationem honoris. Antiqui vero patres, viri sanctissimi & diuinissimi acerrime restiterunt horum verborum veneno, asserētes, quod Christus æternus Deus, & verus homo est vnus, & adorandus cum Patre & Spiritu sancto adoratione latriæ, cum incontaminata carne eius: & quod humanitas Christi, vt vnita Verbo, & accepta ratione suppositi tanquam id quod adoratur, adoranda est adoratione latriæ. Et hæc est catholica veritas, quam diffinierunt Concilium Ephesinum 1.c. 8. & Concilium Cōstantinopolitanum. 5. circa finem, & idem docuit Diuus Cyrillus in defensionibus ad orientales episcopos. Et D. August. sermone. 58. de Verbis Domini circa finem loquitur in hæc verba: dicunt hæretici, filium non natura esse Deum, sed creatum. Quibus respondendum, quod si filius non est Deus natura, sed creatura, nec colendus est omnino, nec vt Deus adorandus, dicente Apostolo coluerunt, & seruierunt creaturæ, potius quā creatori. Sed illi ad hoc replicabunt, & dicent: Quid est quod carnem eius, quam creaturam esse non negas, simul cum diuinitate adoras, & ei non minus quam diuinitati deseruis? Ego Dominicam carnem imò perfectam in Christo humanitatem ideò adoro, quod à diuinitate suscepta, & Deitati vnita est, vt non alium & alium, sed vnum eundemque Deum & hominem filium Dei esse confitear. Denique si hominem separaueris à Deo, illi nūquam credo nec seruio. Velut si quis purpuram vel diadema regium iacens inueniat, nunquid eа conabitur adorare? Cum vero eis Rex fuerit indutus periculum mortis incurrit, si ea cum rege adorare quis contempserit. Ita & in Christo Domino humanitatem non solam, vel nudam, sed diuinitati vnitam, scilicet, vnum filium Deum verum, & hominem verum si quis adorare contempserit æternaliter morietur. Atque idem August. super Psalm. 98. Sciendum, inquit, quod in Christo terra est, id est, caro, quæ sine impietate adoratur: suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Hæc sine impietate à Verbo Dei assumpta adoratur à nobis; quia nemo carnem eius manducat, nisi prius adoret: sed qui adorat non terram intuetur, sed illum potius, cuius scabellum est propter quem adorat.

Item Diuus Damascenus libro. 3. fidei Orthodox. capit. 8. Duæ, inquit, sunt naturæ Christi ratione & modo differentes, vnitæ verò secundum hypostasim. Vnus ergo Christus est Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cū patre & spiritu sancto vna adoratione cū incōtaminata carne eius; non inadorabilem carnem dicentes. Adoratur enim in vna Verbi hypostasi, quæ hypostasis generata est, non creaturæ, venerationem præbentes: non ergo vt nudam carnem adoramus, sed vt vnitam deitati in vnam hypostasim Dei Verbi duabus reductis naturis. Timeo carbonem tangere propter ligno copula-

Margin notes: Cōc. Ephes. / Conc. Cōst. / D. Cyril. / D. August. / Roma. 1. / D. August. / D. Damasc.

copulatum ignem: adoro Christi Dei mei simul vtranque naturam propter carni vnitam deitatem. Hæc Damascenus. Cuius certè elegantissima fuit comparatio. Habemus ergo ex dictis, quod quemadmodum quando rex est vestitus, regem vestitum adoramus vnica adoratione: ita Verbum Dei diuinitatem habentem, & humanitatem siue humanitatem, & carnem prout est in ipso adoramus vnica adoratione. Cuius veritatis ratio est; Quoniam vt supra diximus, honor adorationis propriè debetur hypostasi subsistenti; quamuis ratio honoris possit esse aliquid non subsistens, propter quod honoratur persona, cui illud inest. Adorare ergo humanitatem Christi, vt existentem in Verbo nihil est aliud, quam adorare Verbum Dei habentem humanitatem: Verbum autem habens humanitatem siue Christus vere Deus est, & vnus est: ergo adorandus est vnica adoratione latriæ.

Sed necesse est, vt huic veritati aliam subiungamus, quo res plene intelligatur. Sciendum ergo, quod humanitas Christi dupliciter potest considerari. Vno modo, vt est in Verbo: & sic humanitas est id, quod adoratur tanquam quod, & subsistens. Iam enim diximus, quod hoc modo adorare humanitatem, nil sit aliud, quā adorare Verbum, subsistens in humanitate. Sed potest præterea considerari humanitas dupliciter, vel vt est ratio adorandi, vel vt abstrahens à supposito est id quod adoratur. Et neutro illorum modorum adoratur adoratione latriæ. Sed potius si de humanitate, vt ratione adorandi; sermo sit vna & eadem persona Christi adoratur adoratione latriæ propter suam diuinitatem, & adoratione hyperduliæ, propter humanitatem.

Quod probo: Quia, si humanitas esset ratio adorandi adoratione latriæ, sublata quacunque alia ratione, & natura seu perfectione, adoraretur suppositum adoratione latriæ. At verò sublata diuinitate nulla est ratio adorandi aliquam rem adoratione latriæ, vt constat: ergo humanitas non erat ratio adorandi ea adoratione. Quod vero si consideretur secundum se, & vt separata à supposito, non sit adoranda adoratione latriæ, constat euidenter, quia humanitas, vt sic, non est Deus, sed creatura; quan tumuis ea perfecta sit, & prædita omni gratiarū genere: ergo non est adoranda adoratione latriæ, quæ debetur soli Deo. Et hoc est quod D. August. dicebat loco citato: Si hominem separaueris à Deo, illi nūquam credo, nec seruio. Et Diuus Damascen. ibi: Non ergo; vt nudam carnem adoramus sed vt vnitam deitati. Atque idem sapienter dixit gloss. in illud Psalm. 98. Adorate scabellum pedum eius. Quo loco, Caro, inquit, à Verbo Dei assumpta sine impietate adoratur à nobis; quia nemo carnem eius spiritualiter manducat, nisi prius adoret: non illa dico adoratione, quæ latriæ est quæ soli creatori debetur. Quæ verba intelligi debent de humanitate siue carne secundum se sumpta. Ex quibus omnibus inferendum est, vt bene intulit Caietanus quod adorari, vt rem adoratam contingit dupliciter, vel per se, vel per aliud. Et quidem persona Christi per se adoratur latria, quia per diuinitatem; quæ est ipsa personalitas: per aliud verò hyperdulia, quia per humanitatem, quæ est aliud ab ipsa persona. Et è contra humanitas Christi per aliud adoratur latria; per se autem non, sed adoratur hyperdulia, siue consideretur, vt ratio adorandi, siue vt subtili intelligentia diuisa, & separata à Verbo adoratur. Colligendum est secundo, cum V vald. in doctrin. fidei tomo. 1. libro. 1. articulo. 3. capit. 44. errauisse hæreticum Vvicleph in eo, quod dixit, humanitatem Christi etiam per se consideratam esse adorandam cultu latriæ, & quod si Verbum deponeret humanitatem ea humanitas dimissa, & deposita esset per se ipsam adoranda cultu latriæ; quoniam ille homo resultans per dimissam humanitatem contulerat nobis beneficium redemptionis, ac proinde diuinos honores merebatur. In hoc itaque sicut in alijs multis errauit V vicleph, si loquebatur propriè de diuino cultu latriæ, & de humanitate per ordinem ad seipsam & ad eius rationem.

D. August.
D. Damasc.
Glossa.
Caiet.
Tho. Vuald.

Aduersus tamen ea, quæ dicta sunt, vnū solum objiciam. Illud est, quod Christus,

vt homo est minor patre,& obediens atque subiectus. Atque ipse dicebat discipulis: Vado ad Deum meum,& Deum vestrum: ergo vt sic non est adorandus adoratione latriæ: ergo falsum est, quod humanitas & caro Christi sit adoranda adoratione latriæ. Ioan. 20.

Hac in parte cautè agendum est,& dicendum,quod cum dicitur, Christus vt homo non est adorandus adoratione latriæ; si sit sensus,quod ille homo, absolutè loquendo, non est adorandus adoratione latriæ, illud est vehementer falsum,& damnatum, vt ostendimus. Si verò accipiatur ea propositio, vt faciens sensum formalem, atque vt aiunt reduplicatiuum, quod ille homo ratione humanitatis solius, & præcise vt homo, non est adorandus adoratione latriæ, subdistinguendum est. Nã per se loquendo, verum est, quod Christus ratione humanitatis non est adorãdus adoratione latriæ. Nec enim ea persona adoratur adoratione latriæ, quia est in ea humanitas, sed quoniã est in illa diuinitas. At verò per accidens, hoc est, per aliud loquendo, Christus etiã vt homo adoratur adoratione latriæ: quoniam ea humanitas cõiuncta est in vnum suppositum cũ æterno Deo, cui est honor diuinus in sæcula. Et propterea, absolute loquendo, ille homo adoratur adoratione latriæ, vt concilia diffiniuerunt. Itaque etiam vt homo, adorandus est adoratione latriæ, non ob humanitatem præcise, sed quia iuncta est ea humanitas Dei Verbo: & etiam quia homo vt sic claudit suppositum, & ille homo specificatiue claudit suppositum diuinum. 1. Tim. 1.

ARTICVLVS. VI.

Quod licitus sit vsus imaginum in Ecclesia.



FVERVNT olim quidam hæretici dicti Iconistæ ab Icone, vel imagine siue Iconomachi, qui imagines reijciebant, & demoliebantur. Cui errori fauerunt plures Græcorum imperatores, & in primis Leo tertius imperator Constantinopolitanus, ob hanc hæresim Platina teste à Gregorio Papa huius nominis tertio, & imperio & communione fidelium priuatus est. Constantinus etiam quintus imperator, & Leo quartus eius Constantini filius in eadem hæresi fuere. Et cum vxor huius Leonis, Irene dicta viro defuncto imperium teneret nomine filij Constantini, scilicet, sexti Concilium secundum Nicænum congregari fecit in vrbe Nicæna, in quo à trecentis & quinquaginta episcopis diffinitũ est, vt qui sacras imagines delendas dicerent anathemate ferirentur. Quam tamen ecclesiæ diffinitionem Constantinus sextus grandior factus malorum quorundam hominum persuasione deceptus recipere noluit. Qua causa fuit inter alias Latinis recedendi à Græcis. Atque hunc errorem post multa tempora suscitarunt Vvaldenses, quibus consentiunt Vviclephistæ. Atque hac ætate Carolstadius, & Balthasar quidam Hiebmaier hæretici Lutherani idem docuerũt in quibusdam Germaniæ partibus. Laborem autem inuestigandi, quis fuerit in ecclesia primus author imagines demoliendi decreui relinquere alijs, & incumbere donante Deo in asserendo, & comprobando catholico dogmate. Vtar vero maximè, & præcipue locis & argumentis Theologicis (quoniam hac ratione & via est defendẽda fides, & hęretici confutandi. Et in primis, quoniã hæretici cõcilia hac in parte nobis obijciunt, vt infra dicemus probo ex concilijs. Concilium Nicęnum secundum multis certè de causis grauissimum septem actionibus integris de hac re disseruit: & tãdem diffiniuit, quod quicunque venerandas imagines non suscipit anathema sit. Et quicunque sententias sacræ scripturæ de Idolis contra venerandas imagines adducũt, anathema eis dicimus. Cõc. Nicæ. Conc. Nicæ.

Item octaua synodus generalis idem diffiniuit action. 1. & actione. 4. & actione. 10. cano. 3. & 7. idem habetur in tribus Lateranensibus concilijs, atque oppositam insaniam Carolus ille Magnus compressit medio concilio Frãco fordiensi, quam infelicissimus quidam Fœlix in Gallias, & Ger- Octaua Synod. gener. Conc. Later.

Germaniam inuexerat. Idem habetur his temporibus in Concilio Senonensi, decreto. 14. & vltimo. Et vltimo synodus Tridentina, sessione. 25. statuit hanc fidem de cultu imaginum, & anathematizat contrarium sentientes.

Côc. Senon.

Conc. Trid.

Secundo probo ex patribus antiquis D. Damasc. libro. 4. cap. de sanctis imaginibus ait: Quia vero non omnes noscunt literas, nec lectioni vacant, patres excogitauerũt velut quosdam triumphos in imaginibus describere, ad velocem memoriam; qua propter multotiens imaginem Christi crucifixionis videntes & salutaris passionis in rememorationem venientes procidentes adoramus. D. Greg. ep. ad Secũdinũ; Imagines (ait) quas à nobis tibi dirigendas per Dulcidium Diaconum tuum rogasti, misi tibi. In qua re valde nobis tua postulatio placuit: quia illum toto corde, tota intentione quæris, cuius imagines præ oculis habere desideras: vt visio corporalis quotidiana reddat exortum, vt dum picturam vides ad illum animo inardescas, cuius imaginem consideras: non abs re facimus si per visibilia inuisibilia demonstramus. Et eadem epist. ad Secundinum: Scimus, quod imaginem saluatoris ideo nõ petis, vt quasi Deum colas, sed ob recordationem filij Dei in eius amore recalescas, cuius imaginem videre desideras. Et nos quidem, nõ quasi ante diuinitatem ante ipsam prosternimur: sed illum adoramus, quem per imaginem, vel natum, vel passum, vel in throno sedentem recordamur, & dum nos ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam filium Dei reducimus, animus noster aut de resurrectione lætificatur, aut de passione demulcetur. Ideoque direximus tibi tabulas trinas; imaginem saluatoris, sanctæ Dei genitricis Mariæ, Petri & Pauli Apostolorum continentes. Et idem habetur libro. 9. registri, epist. 31. Venerabilis Beda libro de t'poribus laudat Theodosiũ, quod cum esset Catholicus simul atque regnum accepit, mox in regia vrbe imaginẽ illam venerandã, in qua sanctæ sex synodi erant depictæ & à Philippico fuerat deiecta pristino in loco erexit. D. August. libro de visitatione infirmorum, Habent, inquit;

D. Damasc.

D. Grego.

Lib. 7. Reg. cap. 53.

Beda.

D. August.

Christianorum arcana illius Dominicæ crucis quoddam venerabile monimentũ, quod de crucis ipsius imaginatione crucẽ cognominant, quod nos etiam omni veneratione dignissimum fatemur, & ad recordationem crucifixi nostri veneramur. Habetur enim in cruce verbera hominis patientis imago, per quam salutifera nobis Iesu Christi renouatur passio. Hanc complectere humiliter, venerare suppliciter: cum hoc ad memoriam tibi reduces, nec Deus est nec homo præsens, quam cerno figura: sed Deus est, & homo, quem signat sacra figura, Verus homo verusque Deus tamẽ vnus vterque, &c. scilicet, ipsius nota sunt, crux & crucifixus, hæc & ego veneror, & Christum semper adoro. Atque D. Chrysostom. in parabola de semente. Non ne iniuria afficit regem, qui vestem regiã violat? Non nouisti, quod is qui iniuria afficit imperatoriam imaginem in imperatorem ipsum veluti exemplar imaginis, eiusque dignitatem iniurius est? Nescis, quod quicunque ex ligno & coloribus imagini contutia dicit, illum nõ damnari veluti in rem inanimatam, sed contra regem ipsum dixerit. Iudicatur enim occulte regi iniuriam intulisse. Et mirabiliter Basilius in epistola, qua in Iulianum desertorem inuehitur, Cõfiteor, inquit, filij Incarnationem, dein de sanctam Mariam, quæ secundum carnem illum peperit, hanc Deiparam vocãs. Suscipio etiam sanctos Apostolos, prophetas, & martyres, qui pro me apud Deum supplicant: quo per illorum intercessionẽ propitius mihi sit Deus noster benignissimus, & remissionem peccatorũ mihi gratis largiatur. Quam ob causam & historias imaginum illorum honoro, & palam adoro. Hoc enim nobis traditum à sanctis apostolis non est prohibendum; sed in omnibus ecclesijs nostris eorum historias erigimus. Diuus Ambrosius lib. 3. ad Gratianũ Imperatorem capit. 9. Quid ergo, ait: nunquid cum diuinitatem, & carnem adoramus, Christum diuidimus? Nũ quando in eo & diuinam imaginem, & crucem adoramus, ipsum partimur, absit. Stephanus Bostrorum episcopus, Etenim, inquit, si Adã imago dæmonum fuisset, vtique reprobandus

D. Chrysos.

D. Basil.

D. Ambr.

Stephan.

dus fuisset: quando vero Dei imago est honore prosequendus est. Omnis enim imago siue angelorum, siue prophetarum aut Apostolorum, aut Martyrum, aut alio qui iustorum virorum in nomine Dei facta sancta est. Non enim ipsum lignum honoratur, sed ipsum illud, quod in ligno datur contemplandum. Diuus Hieronymus sermone quodam de imaginum admissione hæc verba scripta reliquit: Etenim vt concessit omnibus gentibus adorare quæ manu facta sunt, Iudæis quidem crustas illas, quas fabricauit Moyses, præterea duo Cherubin aurea: ità nobis Christianis crucem largitus est, & bonorum operum imagines pingere, & venerari. Extat & testimonium Diui Cyrilli expositione in Matth. & Gregor. Nicæni, sermone de Patriarcha Abraham. Quo loco, Vidi, inquit, non infrequēter passionis figuram, nec sine lachrymis eiusmodi picturā transij, cum, scilicet, opus artificij in personam significatam demōstratum esse viderem. Et paulo inferius: Qui imaginem aspicit, non ex pictura, & colorum tinctura similitudinem accipit: sed ad contemplationem primiexemplaris animum reducit. Diuus Nilus in epistola ad Olimpiodorum hoc idem longa oratione confirmat. Item Leontius episcopus Neapoleos Cypri, libro. 5. Apologiæ contra Iudæos doctissime vt si quis alius, comprobat hoc dogma catholicum. Apud quem inter alia, quę dixit mirabiliter habentur hæc verba: Apud nos non adorantur, vt dij, sanctorū imagines, typi, characteres. Nam si Deos in ligno imaginis adorarent futurum esset vt omnes, & reliqua quoque ligna adorarent: si vero vt Deum adorarēt lignum non sanè vbique extincto charactere imaginem exurerent. Ego verò quatenus duo ligna crucis colligata sunt typum quidem adoro, propter Christum, qui in eo crucifixus est. Cum verò fuerint dissoluta à se, abijcio ea & exuro, quoque. Et paulò inferius. Hinc etiam propter Christum Christique passiones passim in ecclesijs, in domibus, in foro in picturis, in syndonibus, in promptuarijs, vestibus, omnibus denique in locis hanc figuram ponimus; quo continuo contemplantibus nobis hæc in mentem veniant & non obliuiscamur, quemadmodum tu ô Iudæe oblitus est Domini Dei tui. Sicut autem tu adoras librum legis non naturam membranarū, aut atramenti adorans, sed verba Dei, quæ in illo continentur: sic & ego imaginem Christi adorans non lignorum, aut colorum naturam adoro, absit, sed characterem inanimatum Christi: quia cum hunc habeo Christum me tenere per ipsum, & adorare mihi videor. Non aliter atque Iacob accipiens vestem Ioseph sanguine conspersam, eam est osculatus, suisque oculis circūposuit; non ipsam vestem diligens, aut honorās: sed per eam existimās, se Ioseph ipsum osculari, & in manibus tenere: sic & Christiani omnes imaginem Christi, aut Apostoli, aut Martyris tenentes, animo videmur nobis ipsum Christum, aut martyrem amplecti. Hęc inter alia homo ille mirabilis.

D.Hier. — D.Cyril. — Greg. Nice. — D.Nilus — Leontius.

Iam verò, quid Diuus Athanasius apud Deum agens, & apud homines pro ratione nominis immortali memoria dignus de hoc senserit dicere non est necesse: obsecro tamen, vt legatur ille eius pijssimus sermo, de imagine Iesu in Beryto. Beatus etiā Sophronius Hierosolymorum episcopus, sermone de sancto Cyro, & Ioanne, pijssimè commendat imagines, earum etiam miraculis relatis. Antiquus etiam quidam episcopus nomine, Manzon testatus est in secunda Synodo Nicęna, se liberatū fuisse morbo imposita imagine saluatoris parti dolenti. Diuus etiam Theodoretus in libris de vitis patrum, fatetur admirandum illum Stelitem siue Symeonem tam fuisse celebrem sanctitate, vt Romani in omnibus officinarum vestibulis exiguas eius imagines collocarint, custodiam quādam & securitatem rebus suis illinc promittentes. Facileque adnumerare esset Gregor. Nazianz. Procopium, Anastasium, innumerabiles alios, quos recenset Synodus Nicæna. Sed qui contempserit eorum authoritatem, quos enumerauimus, quos nam alios reuerebitur? Qui non viuit in ea fide, quam grauissima illa Synodus Nicęna profitetur, in qua obsecro fide viuit?

D.Athan. — B. Sophron. — Manzon. — D.Theod. — Nazianz. — Conc. Nic.

Certè

Certè non in ea, quæ radix est, & fundamẽtum salutis.

Sancti ergo illi patres iam citati satis nobis superque sint ad amplectendum hoc dogma catholicum. Sed veniamus tertio loco ad historias, quo euidentior fiat hæc traditio. Eusebius lib. 7. historiæ ecclesiasticæ cap. 14. Sozomenus lib. 5. cap. 20. Nicephorus lib. 6. cap. 15. mentionem faciunt cuiusdam imaginis, quam erexit Saluatori ea mulier, de qua in euangelio legitur, quod liberata sit profluuio sanguinis. Nec id illi historici ad idololatriam referunt, sed ad pietatem.

Eusebius. Sozomenus. Nicephor. Matth. 9.

Item Diuus Damascenus, lib. 4. cap. 17. & Euagrius lib. 4. ecclesiast. historiæ c. 26. & Nicephorus referunt Christum Dominum vultus sui effigiem lineo panno diuina potestate sua impressam, ad Abgarum regem Edessenorum transmisisse. Alterã sui imaginem fertur Dominus impressisse linteo & dedisse cuidam Veronicæ. Qua admota Tyberio dicitur ille sanatus ab ægritudine ac propterea Christo decreuisse diuinos honores. Certum etiam est, quod Constantinus ille magnus, qui tempore Syluestri Papæ baptizatus est, dedit ecclesiæ preciosas imagines; & quod sanctissimus ille pontifex cum ecclesia vtebatur imaginibus; siquidem & ipse imperator Apostolos Petrum & Paulum, qui ipsi apparuerant per imagines, quas pontifex, & ecclesia seruarant, ac retinebant recognouit. Quæ omnia refert Damasus in vita Siluestri, & Nicephorus lib. 6. affirmat Lucam depinxisse imaginem Christi, & Beatæ Mariæ, & sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli. Et quoniam ego in re theologica, & fidei non arbitror me aliquid scire, præter id, quod sancti patres & concilia docuerũt, & quod ecclesiæ sensus vsus & traditio retinuit: ideircò quod attinet ad hanc veritatem catholicam grauiter comprobandam, hæc sufficiant. Sed vt eandem scholastico more & ratione declaremus, & à peruersorum hominum obiectionibus defendamus, intelligere debemus cũ Aristotele acerrimi semper ingenij homine libro de memoria, & meminisse; quod animal, verbi gratia, pictum in tabula, & animal est & imago, cum discrimine tamen; quoniam non est animal verum sed pictum: est tamen imago vera; & veri animalis imago. Ac proinde dupliciter potest à nobis considerari, scilicet; & vt animal est, secundum quam rationem pictum illud animal secundum se est obiectum, & terminus considerationis. Et secundo potest considerari, vt est imago; & quando hac ratione imaginis mouet considerationem nostram; tunc terminus eius considerationis est res vera, & vere repræsentatã per imaginem, intueorque tunc leonem, verbi gratia, quem non vidi, quasi viderem. Sed res fiet fortasse euidentior altero exemplo allato. Præteriens vidi arborem pulcherrimam, & altitudinis incredibilis dupliciter posteà me possum habere, ad eius speciem relictam in anima. Nam si considerem illam, vt speciem inhærentem imaginatiuę, vel vt accidens, vel vt arborem, nõ veram, sed imaginatam, certè tunc illa species habet rationẽ termini, & obiecti. Si autem illa eadẽ species moueat, & quasi feriat animam in ratione imaginis (quod est maxime naturale) tunc in ea, & per eam considero veram arborem illam, quam vidi & ea est terminus & obiectum memoriæ meæ. Rogo enim, quando quis dulces filios rememoratur aut parentes, nunquid terminus & obiectum eius memoriæ est species impressa, aut filius imaginatus, vel verus? certe verus. Et generaliter, atque in vniuersum loquendo; quando quis intelligit hominem, aut lapidem; obiectum eius intellectionis, nec est Verbum ipsum, nec etiam lapis, aut homo effigiatus, & in esse repræsentatiuo, sed obiectum est lapis atque homo verus, id quod est certum, & euidens: quamuis homo verus non aliter mihi repræsentetur, quam per eam speciem, siue effigiem. Pari ergo omnino ratione dico, quod nos cũ adoramus imagines, non lignum adoramus, non lineamenta, & effigies, non sculptum Deum adoramus, absit. Sed adoramus verum Deum nobis repræsentatum per imaginem, veros sanctos nobis repræsentatos per imaginem. Et hoc est adorare imaginem; vt exercet actum imaginis, vel

D. Damasc. Euag. Nicephor.

D. Damasc. Nicephor.

Aristot.

vt imago est. Imaginem enim veri Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi exercere actum imaginis, nihil est aliud, quam repræsentare mihi verum Saluatorem, cuius illa est vera imago. Atque hoc ipsum est, quod diuinissimè dicebat Gregorius: Nos quidem non quasi ante diuinitatem, ante imaginem prosternimur; sed illum adoramus, quem per imaginem, vel natum, vel passum, vel in throno sedentem recordamur. Idem docebat Nissenus dicens: Qui imaginem aspicit, non ex pictura, & colorum tinctura similitudinem accipit; sed ad contemplationem primi exemplaris animum reducit. Tota itaque ratio, & subtilitas intelligendi rem hanc consistit in eo, quod imago Saluatoris, etiam si accipiatur formaliter, id est, si accipiatur tabula vt subest figuræ potest considerari dupliciter. Primo, vt obiectum, quod & vt Deus pictus, & fideles nō adoramus imagines hac ratione. Nec enim adoramus Deum pictum; sed verum. Potest secundo accipi illa imago, vt repræsentat Deum verum: est siquidem imago veri Dei: & hac ratione nos adoramus imagines. Vnde doctus ille Leontius iam citatus, cum dixisset se adorare characterem inanimatum Christi, subiunxit, secundum quem actum, vel rationem ipsum adoraret, dicens, quia cum hūc habeo Christum me tenere per ipsum, & adorare mihi videor: non aliter atque Iacob vestem Ioseph exosculatus Ioseph ipsum osculari & in manibus tenere arbitrabatur.

D.Grego.

Grego.Niss.

Leontius

Ex his autem omnibus fit, quod quando Theologi scholastici dicunt, quod duplex est motus in imaginem, vnus in imaginem secundum quod res quædam est, alius in imaginem in quantum est imago alterius: non distinguitur tunc imago in imaginem materialiter, vel formaliter, scilicet, in aurum, vel figuram: ita vt dicamus, adorari imaginem Christi non secundum materiam, sed secundum formā hoc est figuram. Hic inquam sensus est falsus; quoniam sicut tabula re ipsa non est Deus, ita nec figura re ipsa est Deus, & nos non adoramus nisi Deum.

Secundo est falsus: quoniam sicut imago sumitur, vt res quædam ex parte materiæ, si sumatur, vt marmorea; similiter sumitur, vt res quædam ex parte formæ, si considerentur lineamenta, siue figura. Hæc itaque omnia sub vno membro distinctionis comprehenduntur, scilicet, sub imagine vt res quædam est, quamuis exempla dentur de materia: quia manifestius habet rationem rei, & exercere non potest actum imaginis. Tertio est falsus ille sensus: quoniam quando quis mouetur in imaginem, in quātum est imago alterius, tunc mouetur in rem, quam imago repræsentat, vt colligitur ex Aristotele loco citato. Motus autem in imaginem, vt est figura quædam vel relatio, non est motus in rem sed diuersus ab illo: sistit enim intellectus in cōsideratione figuræ.

Aristo.

Cuius euidens argumentum est, quod posset quis adamare figuram, atque eam cum delectatione intueri, & odio habere personam: ergo ille motus, habet pro termino & obiecto figuram, vt res est, nō vt imago est. Quoniam certè adamaret ille & intueretur cum delectatione personam ipsam in imagine, si ad imaginem vt sic se cum delectatione retulisset. Hoc enim est adamare imaginem in quantum exercet actum & rationem imaginis, adamare, scilicet, personam repræsentatam in imagine. Est ergo intelligendum, quod in prædicta distinctione res distinguitur, contra imaginem, quod alia est ratio imaginationis in ratione obiecti, quod, siue rei pictæ, secundum quam non adoratur, & alia est eius ratio vt est vera imago alterius rei veræ, & sic adoratur, quoniam id nihil est aliud, quam adorare rem, quæ repræsentatur in ipsa. Hanc vero eandem doctrinam docti quidam, & acuti explicant his verbis: Dicunt illi, quod in ea communi distinctione res contra imaginē distinguitur, quoad vtriusque proprium actum. Ita quod imago terminat motum, vt res, quatenus exercet actum rei cuiusdam, vt res est. Et similiter terminat motum, in quantum imago, quatenus exercet actum imaginis. Et quia res, vt res in se est quædā entitas, ideo tunc terminat; vt res quando terminat ratione sui, siue formaliter, siue materialiter. Et quia

quia imago tunc tantum exercet actum imaginis, quando ratio eius actus est exemplar, ipsa autem est conditio agentis, seu, vt magis proprie loquar, medium, quo agens fertur in rem, non vero mediũ, quod, sed, quo, ea ratione qua quando per verbum hominis intelligo hominem, id quod apprehendo, & intelligo tanquam quod non est verbum ipsum, sed homo verus intellectus per verbũ & in verbo. Quia ergo tunc imago exercet actum imaginis quando ratio eius est exemplar; ideo motus in imaginem, vt sic, est in ipsam quidem, nõ tamen secundum se, sed secundum aliud in ipsa: quoniam terminans est exemplar, quod est aliud ab ipsa, sed est repræsentatum in ipsa. Constat ex his, quod adoratio non terminatur ad imaginem, quatenus est res, siue secundum materiam, siue secundum formam: sed quatenus exercet actum imaginis. Tunc vero adoro imaginem saluatoris vt exercentẽ actum imaginis, quando adoro verum saluatorem per imaginem repræsentatum per imaginem. Sicut tunc tantum apprehendo verbum intelligibile hominis, vt exercens actum verbi, quando apprehẽdo verum hominem repræsentatum per verbum. Quæ omnia euidenter cõfirmat D. August. lib. 20. contra Faustum, dicens: Si vero præcise Deo seruire proponerent, & si per cultum duliæ, aut item latriæ creaturæ Dei non ipsam, sed Deum cogitantes cultum exteriorem impenderet, soli Deo seruirent.

ARTICVLVS. VII.

De vtilitate, qua imagines institutæ sunt & receptæ in ecclesia Dei.



EXPOSVI quantum in me fuit via etiam, & ratione philosophica; quantum fide les distemus ab idololatria, & quod venerantes imaginem saluatoris & sanctorum, nihil aliud, quam saluatorem, & diuos honoremus. Nec enim lignum ipsum honoratur, sed illud, quod in ligno datur contemplandũ, vt verbis vtar receptis in Synodo secunda Nicæna. Sed enitendum est vt aduersarijs sanctissimæ nostræ religionis, & fidei ostẽdamus, qua vtilitate imagines ab ecclesia sint, & institutæ, & retentæ. A quibus peto per Deum immortalem, quid sit imagis e natura, quam mortalium mẽtes pasci, & affici picturis, eisque multò etiam magis, quam verbis excitari & commoueri: Segnius, ait Lyricus, irritant animos demissa per aures, Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus. Nequam ille adolescens Terentianus suspectans tabulam quandam pictam, vbi inerat pictura hæc: Iouem quo pacto Danaæ misisse, aiunt, quondam in gremium imbrem aureum, atque fucum factum mulieri. Nec vero id Deum aliũ fecisse nisi eum, qui templa cœli summa sonitu concutit, quantum se ad turpitudinem perpetrandam accenderit, ipse declarat. Ego vero, inquit, homuncio hoc non facerem, nec ludam ludum, quem ille lusit? Ego vero id feci aclubens. Videte ergo, quam se ille concitarit ad libidinẽ, quasi cœlesti magisterio. Quid igitur, curabunt mali angeli per seruos suos flagitia Deorum hominibus depicta proponere ne flagitia flagitia putentur, & vt quisquis ea fecerit non homines perditos sed cœlestes Deos imitatus esse videatur, & non licebit ecclesiæ Dei illis occurrere describẽdo in pictura Deum verum, ieiunantem, contemplantem patrem orantem; decertantem cum spiritu maligno, & tentatum per omnia pro similitudine absque peccato? Certe licet. Licuit impijs (quibus tamẽ nihil mali licet) depingere Deorum turpitudinem, vt turpitudo admittatur impudentius, & vt omnia conflagrent libidinibus, siquidem abominabiles illi dij ardent in libidinem, & non licebit nobis nostris proponere Dei sanctitatem & iustorum hominum heroica facta, & virtutes admirandas, quo mens nostra rapiatur honestatis, & virtutis gloria, ac pulchritudine? Certe licet, & semper licebit. Et quidem, si pictura non valeret complurimum ad afficiendos hominum animos, nunquam elegantes poetæ eam vim picturis, & imaginibus tribuissent, quam tamen sæpe tribuunt.

Matth. 4.
Hebr. 4.

buunt. Vnde AEneas ille Vergilianus cũ vidit magno in templo Iliacas ex ordine pugnas, Bellaque iam fama totum vulgata per Orbem, Multa gemit largoque humectat flumine vultum. Constitit, & lachrymans: En Priamus, inquit, sunt hic etiam sua præmia laudi: Sunt lachrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt. Sic ait atque animum pictura pascit inani. Nec vero vnquam ficta illa Dido verba protulit magis plena affectus, quam vbi Iliacas vestes, ensemque Dardanium conspexit. Tunc enim paululum lachrymis & mente morata, dixit nouissima verba: Dulces exuuiæ; dum fata Deusque sinebant, Accipite hanc animam. Et quæ obsecro alia causa fuit Dæmonibus, & eorum ministris pingendi, & repræsentandi in theatris suos illos turpes & abominandos Priapos, Ioues potẽtes ad mala, Venerem discinctam atque lasciuam, aliaque eius generis innumerabilia, nisi vt matrona, quæ honesta processerat ad theatra impudica recederet & miseri homines ea, quæ aguntur aspiciẽtes ad flagitia non ficta, sed vera inardescerent? Si ergo rerum turpium, & flagitiosarum pictura valet ad flagitium, cur rerum honestarum, imago non valebit ad honestatem? Igitur quoniam naturale est homini ex his, quæ videt tendere ad ea, quæ non videt, & quocunque vel leui signo obiecto rei amatæ nouo quodam affectu affici in illam; & quoniam imago subinde proposita nos facit continuo recordari rei, quam repræsentat, estque imperitis loco scripturæ, & quia nonnunquam magis etiam mouet imago, quam scriptura, vel sermo. Vnde Gregorius Nissenus in contemplatione vt diximus, imaginis Abrahæ filium immolaturi à lachrymis sibi non potuit temperare; quas tamen crebra eiusdem historiæ lectio fortasse non extorserat. Et tandẽ quia imaginibus subinde propositis, & aspectis conseruatur in nobis illius memoria quem debemus ex tota mente & ex toto corde, & totis viribus diligere, & continuo ante oculos habere: iccirco imagines tenemus. Et propterea Sathanas cũ seruis suis eas conatur delere, vt deleat interiorẽ etiã Dei in nobis imaginem, & amorem ac memoriã eius sempiternam. Posui in his duobus articulis, & comprobaui imagines esse venerandas; declaraui quantum fideles ab idololatria distemus, & quæ nobis ex vsu imaginum vtilitas proueniat, restat, vt respondeamus his, quæ contra imaginum venerationem obijciuntur.

Poeta.

Greg. Nisse.

ARTICVLVS. VIII.

Quo respondetur obiectionibus.



PRIMO obijcit Iudæus, quod in scriptura non est fundamentum adorandi imagines, & quod Deus ipse manu facta sæpe prohibuit adorari, vt constat pluribus locis scripturæ. Quoniam autem hæc res grauissima est, licebit vt credo fusius respondere. Dic ergo mihi, ô Iudæe, quid est quod super terram extet quod non sit manu hominum factum, aut creatum à Deo? Quid? Arca Dei quæ ex lignis Setim constructa fuit non ne opus est hominis? Quid altare, quid propitiatorium, quid vrceus in quo manna recondebatur? quid mensa & candelabra? quid interiores & exteriores cortinæ? Sunt ne opera manuum hominum, quæ Salomon fieri mandauit? Præterea Cherubin, & sex alata illa, quæ circa altare Domini fuerunt cum sint animalia, & imagines angelorum, & opera manuum hominum nunquid fuerunt eiecta, & à Iudæis conculcata? Quam igitur ob causam honorabantur, nisi quod Dei mandato imagines illæ angelorum erant sacratæ? Vobis autem Iudæis prohibitus est imaginum vsus propter idololatriæ, ad quam proni eratis periculum vitãdum. Quam ob causam iuste tollũtur imagines. Vnde & vester Rabbi Moyses fatetur Iudæis sublatum fuisse vsum imaginũ, ratione procliuitatis eorum ad idola gentium. Illud tamen Exodi, Non facies tibi sculptile, nec aliquam similitudinem, ideo solum dictum est, vt prohiberentur imagines falsorum Deorum, quos gentes adorabant, & ne in eis imaginibus crederetur inesse diuinitas, & ne putaretur diuinitas esse

Exo. 25.

Rabbi Mo.

Exo. 20

esse figurabilis, quod credere extremæ stul-
D. Damasc. titiæ est, vt ait Damascenus; & quia illi ex prauitate ad idololatriam facile sibi persuaderent, imagines esse Deos.

Secundo obijciunt hæretici, quod Rex Ezechias 4. Regum. 18. confregit serpen-
4. Reg. 18 tem æneum, quem fecerat Moyses: non ergo sunt ferendæ imagines. A quibus peto in primis, si bonum est delere imagines, & confringere, quia confregit Ezechias, cur non æquè iustum existimabitur eas facere, quia fecit & Moyses, & posuit ex præcepto Domini serpentem
Num. 21. æneum, quem cum percussi aspicerent sanarentur? Sed veniamus ad rei intellectum. Confregit quidem Ezechias serpentem illum æneum, non quia malum erat imaginem illam, & figuram retinere, ad beneficij memoriam sempiternam: sed quia videbat populum diuinos honores illi deferre, tanquam aliquid numinis esset in eo. Hanc vero fuisse causam, qua rex illum confregerit ipsa Regum historia satis declarat dicens; Ipse dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses; si quidem vsque ad illud tempus filij Israel adolebant illi incensum vocauitque nomen eius Nahasthan. i. æs eorum, vt scilicet, metallum esse scirent, quem pro numine colebant. Vides itaque causam qua re confractus sit serpens; quia scilicet pro Deo colebatur. Considerauit autem sapiens ille Rex populum esse ad idololatriam pronum, vt qui non semel tantum & iterum, sed sæpe idola coluisset. Et credens aliter non futurum, vt populus ab eo errore liberaretur, nisi serpente confracto, iccirco illum confregit. Atque ne ex serpente confracto occasionem doloris haberent, credentes se aliquod numen perdidisse, prudenter, serpentis nomen in vocem metalli, aut æris commutauit, vt & præsentes, & posteri scirent nihil in eo fuisse diuinitatis. Parique ratione omnes fideles, qui aliquid plusquam hominum vulgus nitimur scire de lege Sancta Dei existimamus, quod quamuis imaginum vsus sit bonus, & Ecclesiæ vtilis, si tamen inde idololatria ita oriri cognosceretur, vt ei communi pesti aliter occurri non posset, nisi imaginibus deletis, essent proculdubio illæ iudicio, & præcepto maiorum delendæ. At nunc Christianus populus donante Deo, non est ad idololatriam pronus, nec vt Iudaicus ille initiatus est vnquam Beelphegor, nec adorauit Astartem Deam Sydoniorum, nec Baal, nec Idolis templa construxit: quapropter nulla subest nunc causa imagines demoliendi. Quod si vnus aut alter sumat inde occasionem errandi non ideo imagines debent auferri; quoniam leges, & statuta non peculiarem aliquem, sed communem hominum statum respiciunt, qui certè male haberet si tollerentur imagines: quoniam serpens paulatim Dei obliuio in summam cresceret impietatem. Quod vel non vident qui nos oppugnant, vel si vident, satis declarant, quam desiderent religionem omnem, & cultum delere. Et certè si hominibus tollerentur veræ imagines, veri Dei, & Saluatoris nostri, cum ipsi natura instigante viuere non posint sine Deo, quapropter misericors ille Deus, & miserator factus homo visibilis dicit: Ecce ego, ne falsum aliquem colatis loco mei; cum itaque viuere nequeant homines sine Deo, continuo facerent imagines, vel falsorum Deorum, vel quas ipsi colerent tanquam Deos. Quod ne fidelibus accidat, prouidet ecclesia cum instituit imagines, in quibus Deum verum rememoremur, & colamus.

Tertio dicet nobis quis: In imagine non est, nisi materia, & effigies, & esse pictum, vel repræsentatiuum: aut ergo aliquid adoratis istorum, aut nihil. Si nihil, non ergo adoratis imagines. Si aliquid, cum illa omnia sint creata, & muta: ergo res creatas, & mutas adoratis. Respondeo, quod fideles nec adoramus Tabulas, nec effigies, nec esse pictum, aut Deum pictum. Absit. Nihil istorum adoramus, tanquam rem

adoratam, siue obiectum quod, & terminum adorationis. Sed adoramus imagines in quantum exercent actum imaginis, id est, in quantum in illis adoramus rem repræsentatam. Et ad illam maiorem dico, quod in imagine, verbi gratia, Saluatoris, etiam est ipse saluator, vt repræsentatus. Et quidem saluator ipse verus est id, quod adoro. Esse vero repræsentatum est tunc conditio adorandi, vt declaratum est supra in exẽplo verbi mentis, vt verbum est. Nec enim illud est, quod intelligo, sed intelligo verum hominem in illo, si verbum est verbum hominis. Quocirca bene habet illud: Hoc Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa. Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa. Effigiem Christi cum transis pronus adora: Nec tamen effigiem, sed quod designat honora.

Et ex his liquet solutio alterius argumenti, fere eiusdem formæ. Tabula vt subest figuræ est imago: & vt sic non adoratur: ergo non adoratur imago. Respondetur enim ex dictis, quod nunquam adoratur imago, vt res. Et hoc solum concludit argumentum illud, si quid concludit.

Quarto arguunt hæretici: Nam fieri non potest, quod vna imago magis colatur, quam alia eiusdem Sancti. Respondetur, quod non est nouum hominum animas, viles, & ignorantes ea condemnare, quæ non intelligunt. Certum verò est, & pro comperto illi habere debent, quod nisi crediderint non intelligent.

Dico igitur, quod quemadmodum memoria vnius sancti magis colitur in vno loco, quam in alio propter maiora inde consecuta beneficia; & quemadmodum imago crucis, vel signum idem est vbique secundum se, factum tamen ab vno maiorem virtutem habet quam ab alio; & quemadmodum ex honore, & memoria loci in alicuius sancti honorem consecrati, maiora incolæ beneficia consequuntur, quam ex memoria altioris sancti, quæ habeatur eodem in loco: ita vna, & eadem imago venerabilior est, propter maiora facta miracula in eo signo, quam alia imago eiusdem rei. Quarum rerum omnium rationes solus ille inuestiget, qui nouit profunda Dei. Sunt verò effecta, & miracula euidentia. Quà de re audiant hæretici quid dicat sapiens Augustinus, epistola. 137. Verum tamen, ait, ad ista, quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, vbi beati Felicis Nolensis corpus conditum est. Et nos nouimus Mediolani apud memoriam Sanctorum multa fieri mirabiliter. Nunquid non & Aphrica Sanctorum Martyrum corporibus plena est? Et tamen nusquam hic scimus talia fieri. Sicut enim quod Apostolus dicit non omnes sancti habent dona curationum, nec omnes habent diiudicationem spirituum; ità nec in omnibus memorijs Sanctorum ista fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique pro vt vult.

Quinto loco peculiariter obijcitur contra imagines Dei Patris, & Angelorum. Nam D. August. libro de fide, & Symbolo, capite. 7. tomo. 3. Sacrilegium esse putat Deum Patrem sub forma humana sedentem in Christiano templo collocare. Et quidem ipsi Deo cum sit incorporeus nulla imago corporalis potest poni vt incorporeus est; quia vt Damasc. dicit: lib. 4. in sipiẽtiæ summæ est, & impietatis figurare, quod est diuinum; quanuis in nouo testamento, quia Deus factus est homo, possit in sui imagine corporali adorari. Quæ omnia & citat ex Damasceno, & approbat Diuus Thomas, 3. parte, quæstione. 25. articulo. 3. Saltem ergo eiusmodi imagines depingere, & venerari nefas est non ferendum.

Pro huius rei declaratione sciendum est, quod triplici ex causa, vel ratione figurari possunt ista. Primo ad effingendam, vel figurandã diuinitatem secũdum se. Secũdo potest figurari Deus, aut angelus secundũ eã speciem, in qua apparuit, vt ea species

[Margin notes: 22. de Ciuit. cap. 8. — D. Aug. — 1. Cor. 12. — D. Aug. — D. Damas. — B. Tho.]

cies,& forma nobis repræsentetur:vt si depingatur senex sedens super solium excelsum,& eleuatum.

Tertio figurari potest, vt per sensibilem aliquem effectum veniamus in cognitionem Dei. Quo constituto dico primum, quod figurare deitatem primo modo est stultum, nefarium, & impium. Stultum quidem; quia lumine ipso rationis constat Deum non esse figurabilem. Nefarium autem,& impium,quia male sentit de Deo, qui putat eum circunscribi posse, & figurari. Nihil vero peius, aut magis sacrilegum, quam male de Deo sentire; & pestilentem de ipso sententiam ea figuratione insinuare. D. August. Atque hac ratione dicebat Diuus Augustinus nefas esse simulachrum Dei in Christiano templo collocare, vt scilicet, putaretur Deus humana forma circunscriptus. Ne verò cui videar pro meo arbitratu interpretari Augustinum, eius verba ipsa subiungam. Credimus,inquit, quod Dominus noster Iesus Christus sedet ad dexteram Dei patris. Nec ideo tamen quasi humana forma circunscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, vt de illo cogitantibus dextrum, aut sinistrum latus animo occurrat, aut id ipsum, quod sedere pater dicitur flexis poplitibus fieri putandum est; ne illud in-Rom. 1. cidamus sacrilegium, quo execratur Apostolus eos, qui commutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulachrum Deo nefas est Christiano in templo collocare, & multo magis in corde nefarium est,vbi vere est templum Dei, si à terrena cupiditate atque errore mundetur. Hactenus Augustinus. Ex cuius verbis constat, eum illos damnasse, qui ità Deum depingerent, vt arbitrarentur illum humana forma circunscriptum. Et Apostolus etiam eos execratur loco citato, qui putauerunt diuina humanis esse similia. D. Damas. Côci. Nicen. Et eodem modo intelligendus est D. Damascen. & Concilium Nicænum secundum actione quinta, in principio vbi non admittit inuisibilis Dei figuram, & imaginem, cum ille sit infigurabilis, & incircunscriptibilis. Et certe eiusmodi deitatis figura non modo non poni,sed nec intelligi,aut fingi potest. Et hæc de primo.

Dico secundo,quod depingere Deum, aut angelos in ea specie, in qua apparuerunt, vt scilicet ea species monstretur, & ostendatur,est licitum & ab antiquis temporibus vsurpatum in Ecclesia Dei. Hæc propositio,quod attinet ad angelos expresse habetur in Concilio Nicæno, actione quinta. Cons. Nice. Vbi cum rogaret Gentilis,cur angelos in tali forma depingeremus respondet Catholicus,quoniam in ea forma apparuerunt his, qui digni facti sunt illos videre. Quæ ratio etiam figuræ eius speciei, in qua Deus apparuit potest adaptari. Et quidem cum illi in ea specie se præbuerint aspiciendos,liceretque sanctis viris eos in ea specie,& forma intueri, & venerari, cur non licebit,nobis describi, & repræsentari speciem eandem?

De tertio modo, & ratione figurandi, dico quod quia naturale est nobis ex sensibilibus ad intelligibilia deuenire, iccirco & licèt,& vtile est nobis vmbris quibusdam, & imaginibus vti ad deueniendum in spiritualia ex sensibilibus. Declaro simul ac probo hanc propositionem. Scriptura ipsa Spiritu sancto inspirata inducit Deut. 32 Ezech. 5 Deum acuentem gladium, & euaginantem,& leuantem brachium,vt significet iustam eius animaduersionem in impios. Illi enim apud nos sunt affectus hominis excandescentis in vindictam. Facit Dan. 7. eum senem, & habentem capillos albos, vt lanam albam, vt designet Dei æternitatem,& eius veræ vitæ longitudinem; quoniam apud nos homines cani diu vixerunt. Locat etiam eum in throno, quo Esaie. 6. illius celsa maiestas, & iudicandi authoritas ostendatur. Cur ergo non erit licitum his eum formis figurare, non quo figuram habere intelligatur, sed vt per vmbras has & figuras proprietates eius agnoscamus,& sit pictura nesciêtibus legere quod nobis legentibus est scriptura diuina? Et quidem cum duplici ex causa ista soleant depingi, & ad docendos, atque

instruendos homines, de his rebus siue naturis, & secundo ad venerationem, & cultum illarum imaginum, vtraque ratione, & modo id facere licet. Quod enim liceat, & vtile sit ad instructionem, id est, euidens, & iam probatum, quoniam picturæ, vt dicebamus, codices sunt populorum: & quemadmodum libri per sensibilia ducunt eruditos ad intelligibilia: ità picturæ instruunt populares, quos nos erudimus, vt si in tabula viderint angelum adumbratum forma iuuenili, & pulchra cum alis, & diademate, per iuuenilem formam, ac pulchram intelligant perfectionem, ac robur, quodque sit ea natura semper vigens, per diadema, quam sit illa alta, & ingenua, & per alas agnoscant subtilitatem, & celeritatem conficiendi quæ velint, & se agendi quò placeat. Quod autem liceat eas imagines, & figuras ad cultum etiam referre, & adorare probatur: quoniam sancti viri, qui digni facti sunt vel Deum videre sub illis vmbris, vel Angelos, eos in ea specie adorabant, & venerabantur: ergo id ipsum nos in imaginibus facere possumus. Probatur consecutio, quoniam qui adorat imaginem modo iam exposito non adorat, nisi prototypum: sed prototypum talium imaginum licuit adorare: ergo licet eas adorare. Addendum autem est cum sancta, & catholica Synodo Tridentina, hæc omnia ita intelligenda esse, vt si qui ab vsus irrepserint omnino aboleantur; ita vt nullæ falsi dogmatis imagines, aut rudibus præbentes occasionem erroris statuantur. *Conc. Trid.*

Et si aliquando historias, vel narrationes Sacræ scripturæ cum id indoctæ plebi expediet exprimi, & figurari contigerit, doceatur populus non propterea diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit. Omnis porrò superstitio in imaginum veneratione, & sacro vsu tollatur: omnis lasciuia vitetur: nec venustate procaci imagines depingâtur. Erudiatur subinde populus, quod in imaginibus nec est vita, nec diuinitas, nec adoranda est effigies ipsa, sed id quod illa repræsentat. Vitetur quantum in maioribus est omnis erroris occasio, & si ex falsa aliqua sententia de Deo, aut angelis aliqua erecta est, & processit imago, aboleatur, & instruatur populus. Imago etiam insusitata Dei non introducatur, nisi cum doctorum ac piorum hominum, & prælatorum iudicio, & authoritate: quoniam ecclesia non consueuit omnia figuralia proponere, vt colenda. Nec enim, quia scriptum est; Petra autem erat Christus, aut Deus apparuit in rubo ardenti, iccirco vel petra, vel rubus ardens proponitur fidelibus, vt imago Dei. Talia ergo non sunt admittenda. Vbi tamen fuerint omnia illa eruditio plebis, consuetudo, ac pietas colentium, securitas ab errore, vti licet etiam imagine Dei patris. Vt si depingatur in ea forma, qua Danieli Deus dicitur apparuisse. Nam si Dominus nos instruit de diuinis in Euangelio per parabolas, dicens; Quidam homo habuit duos filios & dixit adolescentior, &c. & per hominem intelligit Deum, per duos filios, iustum, & peccatorem, vel populum Iudaicum, & Gentilem, cur non poterimus exprimere in tabulis quæ ille verbis expresit, vmbrisque ad ea intelligibilia, & imaginibus vti? Et quamuis ego in Concilio Niceno secundo, vbi de hac relatissimè disputatur, non inuenerim, quod imago Dei patris admittatur, video tamen, quod ecclesia Dei viuentis, sub qua gratia Dei viuo, illam admittit, non quidem primo illo modo, ex iam dictis; sed secundo ac tertio. Ac propterea dico esse licitum vsum illius. Nihilominus tamen non laudant homines docti huiusmodi multiplicationem imaginum Trinitatis, aut Deitatis aut Dei patris, aut Spiritus sancti, nisi in specie columbæ, & igneæ linguæ super discipulos, sed potius vt verè infigurabilis tanquam supra nubem aliquam splendentem, & auream existens, & inuisibilis pingendus esset Deus, vt vel sic erudiretur popu-

1. Cor. 10 *Exod. 3.* *Dan. c. 7.* *Luc. 15.* *Conc. Nice.* *Act. 2.*

populus, quod Deus est infigurabilis: Quocirca sapientissime Moyses statuens angelis sedem absque sedente, & Deum significauit esse maiestatis supereminentis, ac inuisibilis, & populo suo abstulit occasionem errandi. Et nobis exemplum præbuit, quam cautè ista fieri deberent, prout pertinent ad Deum Patrem, aut Deitatem secundum se omnino infigurabilem. Et quidem si non est vniuersalis vsus ecclesiæ depingendi Deū patrem absolutè, & sine limitatione standum esse arbitror sententiæ Concilij Nicæni.

Sexto loco hæretici innumera adferunt scripturæ testimonia, quibus idola, & sculptibilia damnantur, quæ omnia ad imaginum cultum traducunt, & in eas contorquent. Eos tamen omnes, qui ista facerent longe ante damnauerat Synodus secunda Nicena: quoniam inter adorantes idola, & nos, tantum interest, quantum inter fideles, & infideles. Primo quidem, quoniam illi, vel adorabant imagines, vt res quasdam, credentes in eis esse aliquid numinis, propter responsa, quæ dæmones dabant in eis, & propter alios eiusmodi effectus, qui ipsis videbantur mirabiles, vel etiam statuebant imagines creaturis, falsisque dijs quas veneratione latriæ venerabantur in imaginibus. Atque tertio figurabant, & effingebant Deum putantes diuina humanis esse similia. Nos vero adoramus imaginem Christi, qui est verus Deus, non effigiem adorantes, sed id quod repræsentatur in effigie, non credentes in effigie esse numen aliquod, sed scientes potius eam esse inanime quoddam: nec putantes Deum, qua Deus est lineamentis circunscribi, aut figurari posse. Absit.

Vltimò obijcitur nobis Concilium Elibertinum canon. 36. cui placuit picturas in ecclesia esse non debere, & Concilium Ephesinum tertium dicens, quod si quis Dei Verbi incarnati figuram, & sanctorum omnium ideas in imaginibus inanimatis, & mutis materialibus coloribus depingere studeat anathema sit. Post cuius decreti promulgationem illi Imperatores, de quibus supra mentionem feci, imagines omnes è templis auferri, & comburi præceperunt. Obijcitur, & antiquus Epiphanius discindens velum pendens in templo, in quo imago Christi depicta erat. Ad hæc vero dico, quod Concilium illud Eliberunum fuit prouinciale, & fortasse vidit populum suum decidentem in idololatriam, occasione sumpta ex imaginibus, & ideò illas statuit delendas. Quicquid tamen de hoc sit, non est, quod stemus aut credamus eius decreto. Ad Ephesinum tertium dico, quod non recipitur ab Ecclesia Dei, imo illud anathematizat Synodus Nicæna secunda, & D. Damascen. libro secundo, aduersus Iconomachos dicit esse execrandum. Ad Diuum Epiphanium respondeo, quod vel id eius operibus impositum est ab hæreticis, vt Concilium Nicænum actione sexta, & D. Damascen. libro primo, aduersus Iconomachos sentiunt, vel ob particularem aliquam rationem, & circunstantiam sensit id expedire suæ plebi. Vel vltimo dico, quod Diuus Epiphanius, vt spiritualis erat, & imaginum repræsentatione non indigens, ex se se & animo suo de rudi populo iudicauit, ac propterea velum illud discidit, nec voluit admittere imaginem, sed quanuis ille in ea sententia fuerit, non est, quod grauissimo illi, quem retulimus Sanctorum senatui, & concilijs opponatur. Doctissime enim olim admonebat Vincentius Lyrinensis, vt inter antiquos illos, & vetustos auctores, vnius siue paucorum sententiæ primum omnium generalia, si qua sunt, Conciliorum decreta præponamus. Deinde, si ea non habeantur, sequamur multorum atque magnorum consentientes sibi sententias magistrorum, qui in fide, & communione catholica sanctè, sapienter, constanterque vixerunt. Quibus hac lege credendum est, vt quicquid omnes, vel plures vno eodemque sensu manifestè frequenter, perseueranter, velut quodam sibi consentiente magistrorum consilio tradendo firmauerint id pro indubitato, certo, ratoque habeatur. Pro nostra vero causa,

Conc. Nicæ. Cõc. Eliber. Cõc. Ephes. Epipha. Cõc. Nicen. D. Damasc. Cõci. Nicen. D. Damasc. Vinc. Lyrinẽ.

& sunt concilia, & multa grauissimorum patrum testimonia, vt constat ex dictis.

ARTICVLVS. IX.

Vtrùm Christi crux adoranda sit adoratione latriæ.

D. August. BENEDICTVS ille, & fidelis doctor populi Dei Augustinus, sermone. 19. de sanctis, tomo. 10. de cruce loquitur in hæc verba. Crucifixus noster à morte surrexit, & cœlos ascendit, crucem nobis in memoriam suæ passionis reliquit, crucem reliquit ad sanitatem, hoc signū præsidium est amicis obstaculum inimicis. Huius crucis mysterio rudes catechizantur. Eodem mysterio fons regenerationis, consecratur eiusdem crucis signo, per manus impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt, cum eiusdem crucis caracthere basilicæ dedicantur, altaria consecrantur, altaris sacramenta cum impositione dominicorum verborum, conficiuntur, Sacerdotes, & Leuitæ per hoc signum ad sacros ordines promouentur, & vniuersaliter omnia ecclesiastica sacramenta in huius virtute perficiuntur. Qui hoc mare magnum, & spatiosum, in quo sunt reptilia quorum non est numerus absque naufragio transire desiderat, crucem sequatur, crucem teneat, & eam non deserat, quousque ad optatum salutis portum perueniat. Hoc cursum nostrum dirigit, hoc ad agonem nos instruit; hoc in luctamine adiuuat, hoc ad victoriam prouehit, hoc ad coronam peruehit, hoc maleficia destruit, & omnia dæmonum machinamenta ad nihilum redigit. Et quod faciebat in terra corporis Christi præsentia, hoc facit cum fideli inuocatione nominis Christi victoriosæ crucis insignita memoria. Et de visitatione infirmorum libro secundo, capite tertio admonet, vt complectamur humiliter, & suppliciter veneremur crucem Christi, & imaginem crucifixi, quam rem ipsis etiam versibus prosequitur. Et multa de crucis excellentia dicit de Symbolo ad Catechumenos, tomo nono, capite primo, & sermone. 130. de tempore, & de altercatione ecclesiæ, & Synagogæ, tomo sexto circa medium, & contra Faustum Manichæ. libro duodecimo, capite. 30. & de Ciuitate Dei, libro. 22. capite decimotertio, & Psalmo. 141. Testimonia habemus Damasceni libro quarto, capite duodecimo, D. Gregor. libro septimo, epistola, 126. Gregorij Nisseni in vita Macrinæ. Chrysostomi homilia, quod Christus sit Deus, D. Hieronym. Psalm. 98. & alia innumerabilia, quæ colligit Alanus Coppus libro quarto, capite sexto, & alij scriptores huius temporis. Nescio tamen, quæ pestis inuaserit discipulos Lutheri, peculiariter, vt in crucem stomachentur. Sed in promptu ratio est, inimici sunt crucis Christi, & labijs quidem libertatem spiritus proferunt, re tamen ipsa carnis libidinem auidissime insectantur. Sciendum est ergo, quod honor, vel reuerentia non debetur quidem, nisi rationali naturæ, creaturæ autem insensibili non debetur honor; vel reuerentia, nisi ratione rationalis naturæ. Et hoc dupliciter, vno modo in quantum repræsentat rationalem naturam: alio modo, quia ei coniuncta est. Si igitur loquamur de ipsa cruce, in qua Christus crucifixus est, vtroque modo est à nobis veneranda, vno, scilicet, modo in quantum repræsentat nobis Christum extensum in ea: alio modo ex contactu ad membra Christi, & ex hoc, quod eius sanguine est perfusa. Et vtroque modo adoranda est eadem adoratione, qua Christus adoratur, scilicet, adoratione latriæ: & propter hoc etiam crucem alloquimur, & deprecamur, quasi Christum ipsum. Si verò loquamur de effigie crucis Christi, in quacunque alia materia, vt lapidis, vel ligni, argenti, vel auri: sic veneramur crucem, vt imaginem, tantum Christi, quam veneramur adoratione latriæ, vt articulo præcedente

Marginal notes: D. Damasc. D. Grego. D. Hiero. Alan. Cop. Philip. 3.

cedenti explicatum eſt. Si qui vero non admittunt hanc noſtram ſententiam, quæ ad literam ex Sanct. Thom. ſumpta eſt, obſecro, vt parumper nos audiant: fortaſſe enim apparebit non poſſe defendi oppoſitum. Arguit ergo Durandus in. 3. diſtinctione. 9. quæſtione. 2. cuius rationes etiam ipſi Pico in apologia, quęſtione. 3. viſæ ſunt euincere, quia nunquam anima ſiue ratio dicit imaginem in quãtum eſt imago eſſe idem cum exemplari, nec ſignum in quantum ſignum eſſe idem cum ſignato: ſed ſemper inter iſta eſt diſtinctio in re, & in cõceptione animi. Habitudo enim eorũ ad inuicem eſt relatiua: relatiui autem eſſe eſt ad aliud eſſe. Et ideò quod attribuitur exẽplari, vel ſignato nunquã eſt attribuendũ imagini, vel ſigno, quantũcunq; conſideretur ſub ratione imaginis, vel ſigni. Ob quam rationẽ, proprie loquendo, nunquã reuerẽtia exẽplaris, vel ſignati debetur ſigno, vel imagini. Et pręterea illud, quod nõ poteſt eſſe ſubiectũ ſuſceptiuum ſanctitatis, vel virtutis, non poteſt eſſe ſecundum ſe terminus adorationis: ſed lignum crucis, in quo Chriſtus pependit, non eſt ſubiectũ ſuſceptiuũ ſanctitatis, vel virtutis: ergo ſecundum ſe non poteſt eſſe terminus adorationis. Quod ſi reducit nos in rememorationem Chriſti, id facit quæcunque figurata, vel ſignata: ergo non debetur cruci, in qua Chriſtus pependit honor aliqua alia ratione, quam alterius materiæ cruci. Hæc opponunt Duran. & alij, quos non cito, quia non videntur penetrauiſſe, quã ratione fideles omnes adoremus imagines. Et quanuis iſtæ rationes ſufficienter ſolutæ ſint ex dictis art. præc. procedunt enim de imagine, vel ſigno, vt re, & non vt ea exercet actum imaginis, vel ſigni; pro maiori tamen declaratione huius rei, ponendum eſt in primis, quod inter ſpeciem aut imaginem hominis, ſiue illa interna ſit, ſiue externa, & hominem ipſum multa differunt, ſi ſecundum ſuum eſſe naturale cõſiderentur. Species enim vel imago eſt accidens, homo eſt ſubſtantia. Species vel imago non eſt homo, ſed imago hominis vel homo figuratus, ſpecies eſt præſens: homo ſæpe abſens; eſſe repræſentans vel

Durand.
Picus.

repræſentatiuum eſt eſſe conueniens imagini hominis, eſſe vero repræſentatum eſt hominis ipſius. Iam videtis quam videar cum Durando & alijs Theologis conuenire, quia & cum veritate conuentio, cum qua pugnare eſt iam eſſe proſtratum. Sed ponendum eſt ſecundo id, quod non eſt minus euidens, quod quia in nobis eſt intellectus, & diſtinctio atque comparatio rationum, iccirco non ſolum per ſpecies, vel imagines apprehendimus rem repræſentatam, verum etiam imaginem ipſam apprehendimus, vt rem diſtinctam à repræſentato, & opponimus has duas res inter ſe ipſas, multaſque inuenimus inter eas differentias. Quod cum facimus ſemper imaginem ex vna parte, & ex alia rem quã repræſentat, vt duas res conſtituimus. In pecudibus autem & brutis quoniam non eſt ea diſtinctio, & comparatio rationum euidenter apparet ratio & actus ſpeciei, vel imaginis in quantum imago eſt, quoniam relinquitur quaſi ſolus: Quæro ergo quando ouis ſpecie lupi, quaſi percuſſa pauet & tremit, tremit ne ſpeciem an rabidum lupum? Quando mihi per ſpeciem internam, vel externam obiectus eſt iudex, & angor atque contriſtor, timeo ne imaginem, vel iudicem? Quando tibi in mentem venit abſens amicus, nunquid eſt ſpeciei, vel amici potius ea dulcis memoria? Eſt certè veri, & fidelis amici. Vnde autem iſta procedunt, & efficiuntur, niſi ex eo, quod tunc imago exercet actum, & rationem imaginis, qui actus eſt obijcere, & repræſentare mihi verum iudicem, & verum amicum, quorum vnum timeam, alterum amem, non figuratum, aut imaginatum? nec enim illum timeo, ſed verum; repræſentatum autem per figuram, vel imaginem. Itaque ſpecies, & imago tunc non eſt id, quod timeo, ſed timeo iudicem obiectum per imaginem, ac proinde timere vel amare imaginem in quantum exercet actum imaginis, eſt timere, vel amare amicum repræſentatum per imaginem. Et non eſt timere iudicem effigiatum aut eius effigiẽ, aut eſſe repræſentatiuum ipſius effigiei

Durand.

ſed timere iudicem repræſentatum in effigie, ita quod effigies tunc eſt conditio, vel medium ad timorem, non autem id, quod timeo. Pari ergo omnino ratione dico, quādo ante ſaluatoris crucem, vel imaginem proſternimur quicunque fideles ſumus, non eſt, ô homines, res à nobis adorata illa tabula, non effigies, non eſſe illud repreſentatiuum, & accidentale, ſed id, quod repræſentatur in imagine, illud eſt quod adoramus, ei preces ſoluimus, ipſi humiliamur. Et quemadmodum apprehendere ſpeciē, vt exercet actum ſpeciei, vel Verbi nō eſt apprehendere ipſam, vt diſtinguitur à re repræſentata, ſed eſt apprehendere rem repræſentatam per eam: ità adorare imaginē ſaluatoris, vt exercet actum imaginis veneratione latriæ, nihil eſt aliud, quam Christum verum Deum & hominem colere, & venerari. Quapropter quando aliqui dicti dicunt, quod adoramus imaginem in quantum repræſentat, intelligendum eſt, quod imaginem eſſe repræſentātem, vel repræſentatiuam eſt cōditio vel medium adorationis, non autem eſt res adorata. Quemadmodum quādo dicimus, velle finē, prout eſt in intellectu ſenſus eſt, quod eſſe in intellectu eſt conditio, ſeu medium quo fertur in finem. Nunquam enim volūtas tendit in incognitum. Igitur Durando concedo, quod nunquam anima dicit imaginem, in quantum eſt imago, eſſe idem cum exemplari & reliqua, quæ in eo antecedente ſumuntur: ſunt autem extra propoſitum: quia procedunt ſecūdum eſſe naturale, & reale imaginis, vt diſtinctæ contra exemplar, quod eſt loqui de imagine, vt res quædam eſt. Nos vero dicimus, quod quando apprehēdimus imaginem, vel ſpeciem, vel verbum, vt exercent actum imaginis, non habemus pro obiecto & termino, in quem reſpicimus, eſſe imaginis: ſed eam rem, quam repræſentat imago: atque hoc & anima ipſa experitur, & mens, & ratio dicunt eſſe veriſſimum. Quocirca Ariſtoteles ille ſemper acutus loco citato, hāc noſtram ſententiam probat à ſigno, quia nonnunquam ita mouemur, & afficimur à re, & in rem ſola eius ſpecie, & memoria percuſſi, vt ignoremus, an memoremur

Lib. de mem. & memini.

tunc rei quam præſentem aliquo tempore habueramus, vel potius re vera illā tunc ſenſerimus.

Atque ex his conſtat ſolutio ad ſecundū argumentum Durandi: nec enim adoramus rem non capacem virtutis, & ſanctitatis propter ſe ipſam, ſed propter eum, qui vera ſanctitas eſt, repræſentatum in ipſa. Vnde Beatus Athanaſius Alexandrinus epiſcopus teſtatur, ideò fideles olim cruces conformes cruci Chriſti feciſſe, ſacræ autem lanceæ, vel arundini, conformia nō fabricaſſe, vt ſi quis infidelium eos accuſaret, quod lignum adorarent, facile poſſent crucis figuram ex duobus lignis compoſitam ſeparare, & ſic formam crucis deſtruētes, & nihili materiam ligni æſtimantes eidem infideli perſuaderent, quod non lignum colerent, ſed eum qui in illo pependit in figura crucis venerarentur. Ita refert cōcil. Colon. inde cal. præc. 1.

ARTICVLVS. X.

In quo, & reſpondetur obiectionibus, & preſſius declaratur ratio adorationis imaginum.



VONIAM totum hunc imaginū cultum Zuinglius Carolſtadius & alij hæretici hac tempeſtate abiecerunt, aliqui verò pij & catholici, ſuis argumentis rem eandem fecerunt ſpinoſam, conabor quantum potuerim rem premere, & explicare. Argumentor ergo & oppono cōtra cultum imaginum in generali id, quod ab ſcholaſticis communiter circunfertur, quod ſcilicet, idem motus eſt in imaginē, & in id, cuius eſt imago. Ex quo ſic colligo: ergo etiam imago, vt ſic, ſiue figura eſt id quod adoratur tanquam quod, quan uis non vltimo. Probo hanc conſequentiam: Nam, quia idē motus eſt in ſpatium medium, & in terminum, ideo ſpatiū medium, ſiue locus medius terminat motum tanquam quod, licet non vt terminus vltimus motus. Et rurſus, quia idem motus animæ eſt in medium & in finem; iccirco me-

medium etiã terminat, vt quod, & est volitum. Tunc vltra: Imago, vel figura est id quod adoratur tanquam, quod, licet non vltimo, & imago, vel figura Saluatoris nostri Dei, vt sic distinguitur à Deo, vt constat, quia opponuntur relatiuè, & innumeris etiã alijs rationibus: ergo aliquid aliud à Deo adoratur, vt res ipsa adorata, & quidem adoratione latriæ, quod videtur pijs auribus dictu absurdissimum. Quoniam in re inanimi, & distincta à Deo considerata, vt distincta est, quis homo sapiens fiduciam collocabit? Aut quomodo inuocabimus rem non potentem loqui, aut intelligere, aut respondere: quæ omnia certa fides est conuenire imagini Christi, vt figura quædam, & imago est? Nam, vt sic & distinguitur à Christo & inanimis est, & muta, quamuis habeat aliquem ordinem ad ipsum.

Ad hoc argumentum quidam Theologi respondent, concedendo id, ad quod ratio deducit, & quod absurdum dictu modo dicebatur. Imo verò hoc se illi modo explicant; & continet hoc argumentum ipsam eorum sententiam. Verum certè aut illi falluntur grauiter, aut ego grauiter fallor, nollem autem falli vel leuiter, quoniã in re tam grauinullum peccatum est leue.

Pro explicatione igitur statuo in primis, quod imago tam interior, quam exterior accipi potest & apprehendi à nobis, vt obiectum, quod, & terminus vltimus nostræ apprehensionis, quamuis eiusmodi obiectũ dicat relationem ad aliud. Hoc si intelligatur est euidens. Nam quando nobis est disputatio de verbo mentis, etiam vt verbum est, terminus vltimus, & obiectum eius disputationis est verbum, qua verbum, & sic tribuimus illi, quod sit accidẽs & productum per intellectum, & expressa hominis, verbi gratia species, quæ conueniunt verbo hominis, vt verbum est. Et tamen tunc non disputamus principaliter, nec vlla alia ratione de natura hominis, imo nec hominem apprehendimus, nisi oblique, quoniam illud verbum est verbũ hominis. Et hac ratione nemo vnquam catholicorum dixit, quod adorat imaginem, scilicet, tanquam obiectum, quod, & terminum principalem; quoniam id est mera idololatria.

Secundo est notandum, quod dupliciter imago potest dici medium quid in adoratione adoratum à nobis. Vno modo ità vt quemadmodum quãdo volo medium propter finem, & medium est volitum & finis est volitus, & in illa quasi via atq; tendentia prius occurrit voluntati medium exequendum, tanquam quod volo, quam finis, sed principaliter & vltimò occurrit finis: ità in adoratione prius adorem imaginem, vt rem adoratam, principaliter verò, & vltimo Saluatorem. Et quemadmodũ in motu, locus medius terminat prius, sed principaliter, & vltimò terminat vltimus terminus: ita in nostro proposito.

Secundo modo potest intelligi, quod imago sit adorationis medium adoratum à nobis eo modo, quo verbum mentis est apprehensum à nobis, cum exercet actum verbi, vel imaginis. Quando verò verbũ exercet actum verbi, tunc est quidem medium ad apprehendendum rem intellectã non tamen apprehenditur tanquam quod prius apprehenditur, sed tanquam mediũ, in quo apprehendo rem intellectã. Quod est euidens: Nam experimur, quod sine aliquo obiecto prius apprehenso apprehendo ego verum hominem per verbum, siue speciem hominis. Tota ergo difficultas cõsistit in eo, an imago sit medium adorationis primo illo modo, tanquam res, scilicet, adorata, minus tamen principaliter, vel secundo modo, scilicet, solum vt exercens actũ imaginis: atq; vt in ea & per eam adoro Deum ad quem solum terminatur adoratio, tanquam ad id, quod adoratur. Imaginem autem adoramus verè sicut vere concipimus verbum hominis, quando per eum concipimus hominem, non quod res concepta, vt quod concipitur, sit verbum, sed obiectũ, nec quod res adorata, vt quod sit imago, sed prototypus: per verbum autem, & imaginem cõcipio obiectũ & adoro prototypum. Ego primum illum adorandi modum probare non possum. Dico vero, quod secundo isto modo adorantur imagines, & quod ad hanc adorationis rationẽ nos instruit ecclesia Dei in Concilio

lio Nicæno secundo, dicens: Effigiē Chri
Côc. Nicæn. sti cum transis pronus adora. In quo primo versu cōcilium posuit id, in quod omnes catholici conuenimus, & conuenire tenemur. In secundo vero versu expreßißime mihi videtur se declarauisse, iuxta nostram sententiam, illamque diffinivisse cū ait; Non tamen effigiem, sed quod designat honora. Et illud rursus: Hanc videas, sed mente colas quod cernis in ipsa. Hæc itaque verba ego veneror & amplector, & iuxta doctrinam primi versus suppliciter adoro imaginem. Quia vero posset id fieri & adorari imago, vel figura dupliciter, vel tanquam quod adoratur, vel tanquam id, in quo aliud adoratur, iccirco de hoc nos illuminant versus sequentes. Non tamen effigiem sed quod designat honora; Hanc videas sed mente colas quod cernis in ipsa. Et quidem quando concilium imaginem, vel effigiem non contraposuit exemplari dixit adora, quia in ea adoratur exemplar. Quando vero effigiem contraponit exemplari tribuens vnicuique quæ sua sunt, dicit; Hanc videas sed mente colas, quod cernis in ipsa. Et illud, non effigiem, sed quod designat honora. Sed cum concilium dicat non honores imaginem, vel effigiem, quæ vtique exemplaris imago est, quidam neothericus dicit, honora tanquam, quod, figuram ipsam, vel imaginem, propter prototypum. Qui si sentiat in illa esse adorandum prototypum, nobiscum sentit. Si dicat esse adorandam tanquam quod, ex relatione & ordine ad prototypum, mihi videtur non interpretari, sed aduersari concilio. Nam cōcilium, cum de figura loquebatur, de ea re loquebatur, quæ habebat ordinem & relationem ad figuratum, & tamen dixit; Non effigiem, sed quod designat honora: ergo illa vt sic non est honorā da, tanquam quod colitur, & honoratur.
D. Grego. Igitur quantum ex concilio, & Diuo Gregorio atque alijs antiquis colligitur, quando adoro imaginem, si separem imaginē ab esse rei repræsentatæ, vt vere separata est, sic colitur res repræsentata, tanquam quod; imago verò, vt medium quo. Si vero accipiatur imago in quantum ipsa cum re repræsentata consideratur, vt totū quod-dam, tunc est terminus adorationis, secundum quod Christus est repræsentatus in ipsa, vel vt alijs verbis dicam, exhibetur honor Christo in sua imagine. Et contra oppositam istorum Theologorum sententiam, quæ si falsa est in re grauissima, vt dixi, falsa est, argumentor primo: Quia honor latriæ non debetur, nisi vel ipsi Deo secundum se, vel ipsius Dei esse repræsentato: sed in imagine nec est deitas, secundum se formaliter, vt constat, nec secūdum esse repræsentatum: ergo illi non debetur latria tāquam rei adoratæ, & termino quod. Probo minorem euidenter. In imagine est formaliter esse repræsentatiuum: ergo non est formaliter in ea esse repræsentatū: sed solum est in imagine esse repræsentatum, sicut repræsentatum in repræsentatiuo, hoc est, sicut vnum correlatiuū est in alio. Hic tu mihi dicis; non debetur latria, nisi Deo, vel secundum se, vel in aliqua re repræsentato propter se ipsum; sed alteri à Deo debetur propter Deum. & sic debetur imagini propter Deum. Bene respondisti. Et hæc quidem est mea sententia, si bene te declaraueris. Quando igitur dicis, quod debetur imagini latria propter Deū; si ideò hoc dicis, quia Deus repræsentatur in ipsa; & sic adorare illam propter Deum est adorare Deum in illa: & ego assentior. Si verò dicere velis, quod secundum esse formale, quod habet figuratiuum & repręsentatiuum, vt distinguitur ab esse Dei, quamuis non à relatione ad ipsum Deum, adoratur imago tanquam res adorata, vt quod; id dico esse falsum; quoniam ecclesia Dei nūquam adorat esse repræsentatiuum Dei, vt distinctum ab esse repræsentato, licet habens relationem ad ipsum. Et est magna æquiuocatio in illo verbo, adoro imaginem propter prototypum; nam ego adoro imaginem propter prototypum repræsentatum in ipsa & colo Saluatorem in sua imagine repræsentatum. Si tamē tu adoras imaginem propter prototypum, id est propter ordinem & relationem signi ad prototypum, quam relationem habet formaliter in se ipsa; ego tibi nō assentior; quia nec hoc est adorare imaginem propter Deum, sed propter relationē ad Deū,

quam

quam relationẽ habet effigies, vt effigies est; & vt distinguitur cõtra id quod repræsentat, non aute habet Deum in se formaliter, nec secundũ se, nec repręsentatum. Ac proinde adorare imaginem, vel figuram; vt rem adoratam, isto modo, non est adorare Deum, sed adorare id, quod refert Deum.

Et secundo argumentor, expendendo istorum Theologorum exempla. Quemadmodum, inquiunt, quando volo media propter finem, & finis est volitus, & medium est volitum, & ita quãdo adoro imaginem propter prototypum, & imago est adorata tanquam quod, & etiam prototypus. Quod exemplum, si hac in parte quadrat iam sequitur, quod non eadem adoratione, qua adoro prototypum debeã adorare imaginem, nec idem sit secundum rationem motus in imaginem, & in id, cuius est imago. Probo sequelam. Nam non est idem actus voluntatis, quo ferimur in finem, & in media ad finem: vnus enim est electio, alter, qui dicitur simplex voluntatis actus. Quod & receptum est ab scholasticis, & adeo verum, vt etiam quando vno atque eodem actu intendo finem per media, resoluatur ille vnus intentionis actus, in duas species differentes, quorum vnus est in media, alter in finem. Contra secundum vero exemplum de motu locali, sic obijcio: Terminus medius motus est finis, materia, & terminus non repugnans motui, quanuis ibi sisteret: si tamen adorationis motus sisteret in imagine ea materia siue finis esset repugnans adorari: ergo est longe dissimilis ratio: igitur exempla istorum Theologorum potius euertunt suam positionem. Et mihi certe videtur ista sententia esse cõtra illa verba Doctissimi Leõ-

Conc. Nice. tij recepta in Concilio Niceno secundo: Nos non picturæ aut imagini cultum exhibemus adoramusque, sed prototypum. Secundum vero istorum sententiam, pictura etiam & imago, est quod adoratur, licet propter relationem ad prototypum. Ac propterea falsa essent simpliciter illa verba: Non exhibemus cultum imagini, sicut falsum esset dicere, quod volũtas nõ fertur in media, quanuis feratur in ea propter finem. Et quidem qui prælo mandauerit sententiam hanc, eo modo quo isti se explicant, neminem vidi præter vnum, quem vix possum intelligere. Nam cum ex vna parte videatur eam tenere, ex alia tamen loquitur in hæc verba: Cum adoratur imago, non relatio adoratur, non figura, sed persona adoratur repræsentata in imagine, & persona Christi repræsentata in imagine non distinguitur, nisi secũdum rationem à persona Christi. Hoc ille. Sed subdit: Certe adoratur ex eo, quod Christũ repræsentat, & habet in se ipsum repræsentatum. Ex quibus efficitur, quod imago, vt sic adoretur. Nam imago & figura, vt sic, est quæ Christum repræsentat, & habet in se repræsentatum.

Sed de his hactenus: Videte pro nostra sententia D. Bonauent. in. 3. distinct. 9. quæstio. 2. qui clarè, & distinctè loquitur. Et dico breuiter, admoneoque fideles, quod res adorata tanquam, quod, non est figura ipsa imaginis, non relatio ad prototypum, non esse repræsentans, siue repræsentatiuum, quod est formaliter in imagine, sed adoramus Christum repræsentatũ in imagine, sicut in verbo & per verbum hominis ferimur in hominem & intelligimus ipsum. D.Bonauen.

Sed iam à longe reliquimus illud argumentum: Idem motus est in imaginem, & in id, cuius est imago: ergo etiam imaginem, vt rem adoratã adoramus, licet principalius, & vltimo adoremus prototypũ. Ad hoc respondebo breuiter; quoniã proculdubio scholastici, qui eam propositionem modo exposito explicauerunt, non consuluerunt textũ Aristotelis. Nec enim dicit, quod feror in imaginem, & in id, cuius est imago, ad eum modum quo feror in locum medium, & deinde in terminum vltimum motus, nec sicut re ipsa volo media, tanquam, quod, licet velim propter finem. Sed ille loco citato loquens de speciebus reseruatis in memoria, & declarans qua ratione memoremur dicit id fieri per hoc, quod species aliqua fert sensum vt imago, vel exercens actum imaginis, facitque nos videre rem absentem, quasi esset præsens. Ex quibus verbis aliqui benè collegerunt, quod idem est motus in imagi- Aristot.

nem,

nem,& in id,cuius est imago,scilicet, iccir cò,quòd vnus est motus,quo vtor specie, & apprehendo rem repræsentatam in specie non tamē speciem vt obiectum quod. Et quia hæc philosophia omnibus comperta est,& euidenter apparebit hoc dixisse Aristotelem,si quis eum voluerit consulere,iccirco non immoror. Constat verò ex hac solutione,quod non ferimur in imaginem, tanquam in obiectum quod, quando imago,species, vel verbum exercent actum imaginis. Sed dicitur esse vnus motus in eam & in rem, quia vno illo motu per eam,& in ea apprehendimus rem: adeo, vt eo modo moueri nil sit aliud,quā apprehendere rem per speciem.

Præterea argumentor ex proprijs huius articuli: Quia sicut crux Christi fuit instrumentum passionis eius,& mortis, & contigit illum: ita etiam & multa alia, vt claui, corona, lancea,quibus tamen non exhibemus latriæ cultum: ergo videtur, quod crux Christi non sit adoranda adoratione latriæ.

Ad hoc respondetur, quod secundum quod crux illa benedicta,& sacra consideratur ratione contactus corporis Christi, non solum adoramus crucem,sed ea omnia, quę Christum contigerunt,clauos,spinas indumēta,&c. Atque vtinam mihi daretur videre particulam aliquam illius terræ beatæ,quę Dei vestigijs pressa est: certè illam adorarem adorādo in ea Dominum Deum meum,& Deum Deorum. Vnde D.Damasc. lib.4. fidei cap. 12. docet pretiosum lignum, vt sanctificatum tactu corporis,& sanguinis, decenter adorandum, clauos,indumēta, lanceam,& sacra eius tabernacula,quę sunt pręsepe,spelunca,&c. Vt consideretis interim filij hominū, qui splendidas domos & altas desideratis & erigitis,quas Deus domos incoluerit. Ista tamen non repræsentant Christum ipsum per modum imaginis, sicut repræsentat crux. Ac proinde crux illa Christi dupliçi ratione veneranda est, scilicet,& vt imago,& ratione contactus: illa verò,quæ supra memoraui,& alia eiusmodi solum ratione contactus. Atque hinc etiam efficitur,quod crucem Christi veneramur in quacunque materia: non autem veneramur clauos,aut spinas in aliqua alia materia.

D.Damasc.

Tertio argumentor: Quia si humanitas Christi adoratur,ideo est,quia est vnita filio Dei in persona: quod de cruce aut vestimentis Christi dici non potest: ergo, &c. Respondetur,quod non modo sunt adoranda adoratione latriæ, quæ incidunt in idem suppositum verbi, sicut humanitas, sed etiam & imago,& ea quæ Dominum contigerunt. Cū discrimine tamen. Quia adorare ea,quæ vel incidunt in idem suppositum,vel reipsa coniunguntur,& sunt in ipso,adorare inquam, quando sunt, & in quantum sunt in ipso,est immediatè, & in se ipso illum adorare. Verbi gratia adorare carnem Verbi, est adorare Verbum immediatè: & adorare vestimenta Christi in ipso,erat adorare Christum vestitum. At verò quando adoramus, vel imagines, vel quæcunque alia,re ipsa iam separata à Christo,quæ ipsum contigerunt, tunc adoramus ipsum in imagine vel vestimentis,&c.

Quarto argumentor: Quia pius filius non debet venerari id,quod patri fuerit cōtumeliæ, vt lignum,quo esset suspensus: at Christus in ligno crucis probrosam hominibus mortem passus est, secundum illud Sapient.2. Morte turpissima condemnemus eum: ergo non debemus crucem venerari. Sapien.2.

Respōdetur,quod in cruce Christi, quā tum ad intentionem crucifigentium, & æstimationem infidelium, consideratur opprobrium Christi: sed quantum ad effectum nostræ salutis consideratur virtus diuina ipsius,qua de hostibus,peccatis,& Sathana triumphauit, secundum illud ad Colos.2. Ipsum tulit de medio, affigens illud cruci & spolians principatus, & potestates,traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso. Et ideò dicit Apostolus.1.Corint.1. Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem, qui salui fiunt,id est,nobis virtus Dei est. Totam vero hanc de adoratione imaginum disputationem concludo,admonens fideles,& apud hæreticos ac infideles catholi-

Coloss.2.

1.Cor.1.

ca,

ca, & verissima voce proclamans, ecclesia Dei imagines, vt Deos non adorat, spem & fiduciam suam non collocat in eis, nihil sanctitatis inhærens, nihil vitæ, nihil numinis, nihil sensus in illis recognoscit. Falsissimum hoc impium sacrilegum & nefariũ putat. Vnde in septima Synodo generali legitur hoc decretum: Christiani venerabiles imagines non Deos appellant, nec seruiunt eis, vt dijs, nec spem salutis ponũt in eis, sed ad memoriam & recordationem primitiuorum venerantur eas. Et Diuus Damasceaus ait patres nostros constituisse in imaginibus quædam veluti trophæa repræsentare ad promptam memoriam. Siquidem imaginem Christi videntes in memoriam redimus, & procidentes adoramus non imaginem, sed imagine repræsentatum. Dicimus verò, & verissimè docemus, signum Christi ac cæteras imagines veluti pietatis, signa conseruanda, eademque non propter ipsa, sed propter ea, quæ repræsentant veneranda: solum vero Deum vnum ac verum adorandum, ac nihil beneficij auxilij, aut solaminis aliunde, quam à Deo exquirendum, vt ait Concil. Colon. in præceptum primum Decalogi.

ARTICVLVS. XI.

Vtrùm mater Christi sit adoranda adoratione latria.



IRRIDENT nos hæretici, quod diuam Virginem appellemus, spem nostram, alijsque eiusmodi titulis honoremus, quasi nouum sit, & inusitatum, etiam in Scriptura, quod Verbum Dei dicatur lux mundi, & Apostoli lux mundi, Verbum dicatur, sol & sacerdos ille magnus, de quo Ecclesiasti. 26. Sol oriens mundo, Deus corona & gaudium, & homines etiam quos de diuinis instruimus, corona nostra & gaudium, istorum verò vnusquisque eo titulo illustratur, secundum rationem, & modum quo eo participare potest. Atq; ad eundem modum dicitur quidem spes nostra ille, ad quem dicebat Abraham; Domine Deus quid mihi dabis? Et qui respondebat; Ego sum merces tua magna nimis. Et dicitur, spes nostra, sacratissima Virgo, cum discrimine tamen. Ille enim dicitur spes nostra, quia ipsi tota spes nostra præcipue & maximè nititur, & ab eo præmia speramus; quia est Deus spei & confidentiæ nostræ, in quem qui sperant, beati. Virgo autem spes nostra dicitur propterea, quod Christus, qui est spes salus, & vita nostra se per illam nobis dederit, quodque ipsa apud filium materna fiducia nobis impetret beneficia. Quocirca, & crucem bene ac pie salutamus, acclamantes, quod per eam redempti sumus, & scimus, quod per Christum redempti sumus, per hunc sicut per redemptorem: per crucem sicut per instrumentum mortis acerbæ, quam pro nobis ille obire dignatus est: ergo impios istos omittamus, quos certè quod pertinet ad honorem Virginis, facillimum esset obruere, Sãctorum auctoritatibus. Igitur, vt breuiter rem hanc expediamus, præmittendum est, quod in sacra Virgine possumus considerare & mirabilem eius sanctitatẽ, & coniunctionem ad filium. Quo constituto sit prima propositio: Si Virginis gratiam & sanctitatem attendamus ea est adoranda adoratione hyperduliæ. Probatur: Nam hæc adoratio debetur Sanctorũ præcipuis, vt dicebamus, & Deo maximè iunctis: nullus vero diuorum coniũctior Deo fuit, quam mater eius.

Ioan. 8. Matth. 5. Gene. 15

Secunda propositio: Si in Virgine consideremus coniunctionem ad filium, subest in ea ratio, qua adoretur adoratione latriæ. Probatur: Quia multò coniunctior fuit Beata Virgo Christo, quam crux, vel vestimenta, cum conceperit, & portauerit eum in vtero nouem mensibus; cum pannis inuoluerit, ac lactauerit eum: sed crucem adoramus adoratione latriæ adorando in ea illum, qui pro nobis tam dura pati dignatus est: ergo & Virginem matrem ea ratione possemus adorare.

Tertia propositio: Honorificentior, & illustrior cultus impenditur Beatæ Virgini, cum adoratur hyperdulia, propter virtu-

tes

tes eius heroicas,& excellentes, quam cũ adoratur cultu latriæ ex coniunctione ad filium. Probatur: Nam ratio, ob quam Virgo adoratur latria, communis est ipsi, cum rebus inanimis; nec tunc adoratur ipsa vt res adorata, sed Christus in ipsa. Ratio verò, ob quam adoratur hyperdulia est eius pura mens grata,& coniuncta Deo, quæ tanta dignitate est, vt non modo cœlum, sed cœlũ cœli dici debeat. Cœli dico huius visibilis; quia quãtum cœlum terram exuperat, tantum pura mens cœli puritatem antecellit. Cœlum etiam dico, si mauultis illius intelligibilis, qui est beatitudo sanctorum: cuius cœli cœlum est mẽs pura, id est cœlestis sedes: quoniam anima iusti sedes est sapientiæ: sapientia verò Deus noster est,& beatitudo sanctorum: igitur multo præstantior est in Virgine ratio & adoratio hyperduliæ, quam latriæ.

Secundo argumentor: Quia multò altior & fœlicior est virgo ob eam rationẽ, propter quam est adoranda hyperdulia, quam ob eam, propter quam posset adorari latria: ergo si adorationes istæ bene, & æquè impenduntur, maior cultus, & excellentior debet esse in Virgine hyperdulia, quam latria. Antecedens constat ex dictis,& ex Augustino libro de Sancta Virginitate, c.3. vbi loquitur in hæc verba: Beatior ergo Maria percipiẽdo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Nam & dicenti cuidam, Beatus venter, qui te portauit, ipse respondit, imo beati, qui audiunt verbum Dei,& custodiunt illud. Denique fratribus eius, id est, secũdum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt quid profuit illa cognatio, sic & materna propinquitas nil Mariæ profuisset; nisi fœlicius Christum corde, quam carne gestasset.

D. August.

Luce. 11

Quarta propositio: Absolute loquendo Virgo non est adoranda adoratione latriæ; sed hyperduliæ: nec si id introduceretur, esset ferendum. Probatur primo; quoniam in Virgine multo honorificentior est cultus hyperduliæ, quam modus ille latriæ, ipsi debitus ex coniunctione ad Christum: ergo non est adoranda latria, sed hyperdulia. Secundo probatur ex D. Thom. 3. part.

D. Tho.

q. 25. art. 3. vbi docet, quod occasio erroris, quæ nobis vitanda est, efficit, vt rationalis creatura non adoretur, vt imago Dei,& pari ratione non debet adorari latria licet fuerit res coniuncta Christo: ne scilicet motus adorationis sistat in rationali creatura, secũdum se. Quocirca, sicut carnem Verbi,& humanitatem Verbi,& Christum hominem adoramus latria, non modo, quia res adorata est persona Verbi subsistens, sed etiam ad vitandum errorem distinguentiũ supposita: ità personam beatæ Virginis sola hyperdulia honoramus ad vitandum errorem eorum, qui latriam terminatent ad beatam Virginem secundum se. Non enim rudis plebs tantum discerneret, vt adoraret latria Christum in beata Virgine & seorsum adoraret hyperdulia, ipsam secundum se, sine qua discretione error sub esset. Et ideò simpliciter dicitur, quod non est adoranda latria, sed hyperdulia. Quæ omnia cõfirmat vsus ecclesiæ, quæ est magistra veritatis. Sed est obiectio, quæ declaret hanc materiam: Nam mater Christi habet relationem ad ipsum: ergo propter ordinem ad filium esset adorãda adoratione latriæ. Ad quod respondetur, quod si sensus sit, quod propter rationem vel relationem, quam habet matris, est adorãda adoratione latriæ, illud est falsum. Si sit sensus, quod in ea, quæ tulit eum, posset adorari filius, iam diximus esse verum,& quod vt sic subest ratio latriæ. Sed nõ est beata Virgo adoranda ea ratione propter causas expositas.

ARTICVLVS. XII.

Vtrùm reliquiæ Sanctorum sint adorandæ?



NIHIL omnino in hac disputatione inueniemus, in quo non occurrant nobis hæretici: qui nihil magis desiderant, quam vt pietatem omnem euertant. Ex quibus Eunomius,& Vigilantius,& Vviclephistæ,& ante antiquum illum Eunomiũ alij,& post Vviclephistas,

clephistas, genimina viperæ illius Lutheri. Et impugnant sanctorum post obitum miracula, & contemnunt reliquias atque sepulchra, & exagitant nos, quod habeamus in singulis prouincijs præcipuos quosdam patronos, & diuos tutelares more Gẽtilium. Irrident translationes, & quæcunque alia fideles pie faciunt in honorem corporum & reliquiarum Sãctorum, id quod sine aliqua authoritate Verbi Dei fieri dicunt, à quo ipsi nunquam excidissent, si illud pie ac iuxta Sanctorum patrum sensum interpretari vellent. Ego autem breuiter, vt de more est, reliquias & sepulchra Sanctorum veneranda esse atque Deum ipsum satis id nobis miraculis editis ostendisse comprobabo, tum ex scriptura diuina, tum ex concilijs & patribus antiquis. Et primum quidem hæreticis, & eorum impio affectui tam indulgebo, vt non adferam, nisi ea testimonia verbi Dei, quæ nulla tergiuersatione negari possint. Atq; illis omissis, quæ quotidie ipsi in biblijs legunt, de cura, quam Sancti patres habuerũt de sepulchris corporum suorum, atque vt eorum ossa transferrentur, scire vellem. 4. Reg. 13. quo modo legant. Non ne ibi scriptum est. Mortuus est Eliseus, & sepelierunt eum: Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem viderunt Latrũculos, & proiecerunt cadauer in sepulchro Elisæi, quod cum tetigisset ossa Elisæi reuixit homo, & stetit supra pedes suos. Deo igitur gratias agamus, qui reliquit in verbo suo testimonium huius veritatis, quod in sepulchris & memorijs Sanctorum per reliquias illorum fiunt miracula, & mortui suscitantur. Quocirca de ipso Elisæo scriptum est Ecclesiastici. 48. In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est.

4. Reg. 13

Eccles. 48

Item eodem libro Regum cap. 2. habetur hoc testimonium: leuauit Elisæus pallium Eliæ, quod ceciderat, reuersusque stetit super ripam Iordanis, & pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, & non sunt diuisæ, & dixit; Vbi est Deus Eliæ etiã nunc? percussitq; aquas & diuisæ sunt huc atque illuc. Honorauit ergo Deus Eliam seruum suum, & eo defuncto medio ipsius pallio fecit miraculum: & id cõstat ex Verbo Dei. Quid autem referat pallium dicere, vel ossa, vel reliquias viderit hæreticus. Item Actorum. 19. dicitur, quod sudaria Pauli, vel semicinctia deferebantur super languidos, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. Qui autem fatetur per sudaria & semicinctia Pauli viuentis in hac vita mortali, & absentis effici miracula, negat vero posse fieri ipso defuncto per eius ossa, ignorat certè ille honorem animarum Sanctarũ errat nesciẽs scripturas quoniam Deus Deus est Pauli, Petri, Stephani seruorum suorum fideliũ, non est autem Deus mortuorum sed viuorum. Nec malè in hac causa de adorandis reliquijs, vti poterimus illis scripturæ locis, in quibus quæ fiebant intra Sancta sanctorum fieri dicebantur coram Domino. Sicut quando dicitur Leuit. 10. de Nadab, & Abiu, quod mortui sunt coram Domino. Et 2. Reg. 6. Dauid saltans coram arca Dei, saltasse dicitur totis viribus coram Domino, & rursus quod Michol vidit Regem Dauid subsilientem atque saltantem coram Domino. Quid ergo Dauid tantum venerabatur arcam Dei, in qua erat mãna, & virga & tabulæ, tamque Deum sibitũc præsentem faciebat, vt ludens coram arca coram Domino ludere diceretur, atque dum arcam adorabat Deum se putaret in ea adorare, & non liceat nobis adorare gloriosum sepulchrum Saluatoris, aut eorum etiam ossa, qui templa fuerunt Spiritus sancti? Qua hoc dicetur impudentia? Si loco, & nomine Sancta sanctorum Dominus ponitur in scripturis, & in rebus sacris, qui ibi erant Hebræi Dominum venerabantur, & adorabant, non potero ego crucem illã in qua Deus passus est, & per quam me redemit venerari, & in ea adorare Dominũ? Certè possum. Habemus ergo expressum in scriptura, quod Deus miraculis magnis, & euidentibus commendat reliquias Sanctorum. In adducendis vero testimonijs Sanctorum ità procedam, vt prius ex illis comprobem, quæ hæretici maximè subsannant, memorias, scilicet, Sãctorum, qui patroni habentur alicuius vrbis & prouinciæ,

Actor. 19

Marc. 12

Leuit. 10.

2. Reg. 6.

ciæ, & particulam, vel puluiſculum terræ, qui ſacra corpora tetigerit veneranda. De qua re iſtorum hæreticorum caput Vigilantius quondam dicebat: Prope ritũ Gentilium videmus ſub prætextu religionis introductum, puluiſculum neſcio quod in modico vaſculo pretioſo linteamine circũ datum oſculantes adorare. Quid igitur de hoc ſentiat Auguſtinus, quem ipſi hæretici non negant fidelem doctorem, atque ſapientem in primis videamus. Is in grauiſsimo illo opere de Ciuitate Dei, lib. 22. ca. 8. ſcripta reliquit, quæ ſequuntur: Acceperat quidam ab amico ſuo terram ſanctam de Hieroſolymis allatam, vbi ſepultus Chriſtus die tertio reſurrexit, eamque ſuſpendit in cubiculo ſuo, ne quid mali pateretur. At vbi domus eius ab illa infeſtatione, de qua ſupra purgata eſt, quid de illa terra fieret cogitabat, quam diutius in cubiculo ſuo reuerentiæ cauſa habere nolebat, forte accidit, vt ego & collega tunc meus epiſcopus Synicenſis eccleſiæ Maximinus in proximo eſſemus, vt veniremus rogauit, & venimus. Cumque nobis omnia retuliſſet etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret, vbi etiam poſſent Chriſtiani ad celebrãda quę Dei ſunt congregari. Non reſtitimus. Factum eſt. Erat ibi iuuenis paralyticus ruſticanus, qui hoc audito petiuit à parentibus ſuis, vt illum ad eum locum ſanctum non cunctanter afferrent. Quo cum fuiſſet allatus, orauit, atque inde continuo pedibus ſuis ſanus abſceſsit. Hæc Auguſtinus de puluiſculo terræ ſanctæ. Qui quam cum alta ſapientia coniunxerit pietatem, videtis. Atque hic idem, cuius authoritate anti qua illa, & grauiſsima concilia Nicænum ſecundum, & Conſtantinopolitanum ſextum vtuntur cum primis, & appellant doctorem illuſtriſsimum illo ipſo. ca. 8. cum commemoraſſet miracula, quæ ad memorias martyrum fiebant, & deueniſſet ad memoriam Diui Stephani, loquitur in hæc verba: Quid faciam? Vrget huius operis implendi promiſsio, vt non hic poſsim omnia commemorare, quæ ſcio; & proculdubio plærique noſtrorum cum hæc legent, dolebunt me tam multa prætermiſiſſe, quæ vtique mecum ſciunt. Quos iam nunc, vt ignoſcant, rogo, & cogitent quam prolixi laboris ſit facere, quod me hic non facere ſuſcepti operis neceſsitas cogit. Si enim miracula ſanitatum, vt alia taceam modo velim ſcribere, quæ per hunc martyrem, id eſt, glorioſiſsimum Stephanum facta ſunt in Colonia Calamenſi, & in noſtra plurimi conficiendi ſunt libri, nec tamen omnia colligi poterunt. Hæc Auguſtinus de his, quæ ſolus ipſe ſciebat de memoria vnius martyris. Cuius plura alia referrem teſtimonia, ſi id ducerem neceſſarium. Diuus Baſilius ſermone de Martyre Iulita enumerat complura beneficia, quæ incolæ eius vrbis, in qua martyr ſepulta eſt aſſequebantur per eius corpus, & ad eius ſepulchrum. Quæ tanta fuere, vt aquæ etiam vrbis ante plurima detrimenta ciuibus afferentes ob ſalſuginem, & amaritudinem, conditis eius ſanctæ reliquijs dulces effectæ ſint, ſalubres, & ſuaues: eandem gratiam tota illa ciuitate accipiente per huius ſanctæ corpus humatum, quam olim Hiericuntini acceperant per Eliſæum. Et D. Auguſtin. epiſtola quadam fatetur ad ſepulchrum beati Epiſcopi Felicis tot miracula fieri, vt ipſe etiam litigantes quoſdam eò miſerit, vt res miraculo declararetur. Quid ergo vetat, quominus ciues in eis vrbibus præcipuè eos ſanctos colant, & habeant patronos, qui ſe illis maxime fautores præbuerunt? Sed proferamus eruditiſsimum patrem Hieronymum, qui contra iſtos pro ingenio ſuo pugnet acrius. Ille aduerſus Vigilantium in hunc modum ſcribit. Quis, ô inſanum caput, aliquando Martyres adorauit? Quis hominem putauit Deum? Nonne Paulus, & Barnabas, cum à Lycaonibus Iuppiter, & Mercurius putarentur, & eis vellent hoſtias immolare, ſciderunt veſtimenta ſua, & ſe homines eſſe dixerunt? Non quod meliores non eſſent olim mortuis hominibus Ioue, & Mercurio: ſed quod ſub Gentilitatis errore honor eis Deo debitus deferretur. Quod & de Petro legimus, qui Cornelium ſe adorare cupientem manu ſubleuauit, & dixit: Surge, nam & ego homo ſum. Et audes dicere

re illud nescio quid, quod in modico vase transferendo colis? Quid est illud, nescio quid, scire desidero? Expone manifestius, vt tota libertate blasphemes. Pulusculū nescio quod, in modico vasculo pretioso linteamine circundatum. Dolet martyrum reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proijci in sterquilinium, vt solus Vigilantius ebrius, & dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andrez, Lucz, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & Vigilantij inhabitatores eorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus dicendus, & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam? Omnes episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem vilißimam & cineres dissolutos in Serico & vase aureo portauerunt? Stulti omnium ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquijs, & tanta lætitia, quasi præsentem viuentemque prophetam cernerent susceperunt, vt de Palæstina, vsque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem vna voce resonarent? Hæc Hieronymus agens cum Vigilantio eo modo, quo cum pluribus istorum agendum esset. Habemus etiam de Sanctorum corporum depositione, honoribus dignis, & translatio ne testimonia Dionysij Areopagitæ, de cœlesti Hierarchia cap. 7. D. Chrysostom. homil. de virtutibus, & vitijs tom. 5. & hom. 8. & 66. ad popul. eod. tomo. Epiphanij lib. de vitis, & interitu prophetarum. Abdiæ, lib. 7. histor. apostolicæ. Theod. lib. 5. hist. ecclesiasticæ. B. Damasce. libro. 4. fidei ca. 3. Diui Ambrosij de Sanctis Geruasio, & Prothasio, quorum corpora dum ipse trāsferret cæcus sanatus est. Quem auscultemus obsecro in sermone de Nazario, & Celso. Quod si dicas mihi (ait) quid honoras iam in carne resoluta, & consumpta, de qua nulla iam cura Deo est? Honoro (respondet) in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices; honoro

Constantin.
Arcadius.
D. Dionys.
D. Chrysost.
D. Epiph.
Theodor.
D. Damasc.
D. Ambros.

viuentis memoriam perennitate virtutis: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur, & dæmones, & quod afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro? Honoro itaque corpus, quod Christus honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cœlo. Hactenus Diuus Ambrosius. Nec verò putet quis me hac in parte adduxisse omnia, quæ etiam indoctus quisque posset inuenire apud patres. Sed pro resolutione scholastica testes quosdam locupletes adducere volui, qui cuilibet fideli satis superque sint ad fidem huius dogmatis roborandam, & os hæreticorum obstruendum. Et diffinita est hæc veritas in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, & Tridentino.

Et Concilium Gāgrense capit. 20. suorum decretorum anathematizat eos, qui reprehenderint fieri basilicas in memoriam martyrum. Et certè, vt Diuus Augustinus ait, libro primo de Ciuitate Dei capite decimotertio, si paterna vestis, & annulus, ac si quid est huiusmodi tanto carius est posteris, quantò erga parentes est maior affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique multo familiarius atque coniunctius, quam quælibet indumenta gestamus. Hæc enim ad ipsam naturam hominis pertinent. Ex quibus verbis constat, vt ait S. Thom. quod qui habet affectum ad aliquem etiam ea, quæ de ipso post mortem relinquuntur, veneratur, & non solum corpus eius, sed etiam aliqua exteriora, vt vestes & similia. Manifestum est autem, quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus, tanquam membra Christi, Dei filios, & amicos, & nostros intercessores. Et ideò eorum reliquias, qualescunque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, & præcipue eorum corpora, quæ fuerunt templa, & organa Spiritus sancti, in eis habitantis, 1. Cor. 6.

Conc. Lat. & Conc. Trid.
Conc. Gan.
D. August.
S. Tho.

& operantis,& sunt corpori Christi con-
figuranda per gloriosam Resurrectionem.
Euidetissimu verò huius à nobis debiti ho
notis indiciũ est, quod & ipse Deus eius-
modi reliquias amicorũ suorũ honorat, in
eorum præsentia miracula faciendo.

Iã verò expẽdamus ea,quæ hæretici ob-
ijciunt. Negãt cũ primis,fas esse nobis cor
pora in animata aliquo honore prosequi,
ac proinde eorũ omnia post obitũ miracu-
la reijciũt. Puto,quod qui isto modo dispu
tãt,aut sui ipsorũ obliti sunt,aut omnẽ hu-
manitate exuerũt. Ita ne,tã ipsi proijciunt
corpora charorũ suorũ filiorũ aut parẽtũ
ac si essent corpora lapidũ,aut belluarum?
Nullo omnino prosequũtur honore? Nul
la ratione eorũ mouetur affectus dum,vel
dulcis amici, vel nati exanime corpus aspi
ciũt? Nunquã id creda de homine,quãtun
uis agresti,& barbaro. Ac valde mirãdum
est,quod cum isti tã sciactent, & appellari
velint bonarũ literarũ professores, nũquã
legerint honorẽ corporibus mortuis habi-
tũ apud omnes gentes. Quæ certè est na-
turæ vox & cõsensio,quã omnes poetarũ
& historicorũ resonãt libri,atq; omnia gẽ
tiũ omniũ monimenta. Et subest certè in
nostro proposito peculiaris ratio,& multo
excellentior,quod scilicet,sancti viuũt Deo
Marci.12. apud quẽ omnia viuunt, & qui est Deus
eorũ:non est enim Deus mortuorum sed
Matth.22. viuorũ, vt ipse dicebat Matt.22. ergo æquũ
est Deum suorũ corpora afficere honore;
nos autẽ ea venerari. Et quãdo pro Sancto
rũ corporibus honorãdis nõ militarẽt plu
res aliæ rationes, quæ ex sanctis patribus
colliguntur, interrogare velle hæreticos,
Nunquid viuebat arca testamẽti? sentie-
Num.17. bãt tabulæ latẽtes intus? poterat intellige-
re manna, vena, virga, quæ olim frõduerat?
Quomodo ergo affirmatis,quod rei exani
mi,& experti rationis nullus debetur ho-
nor? Hæc enim omnia tã antiquus ille po
pulus Dei venerabatur, vt nulli præterquã
sacerdoti arcã tangere liceret. Et cũ illam
4. Reg. 6. educeret Dauid de domo Obeth. 2. Reg. 6
accinctus erat Ephor lineo, & saltabat (vt
quit scriptura) corã Dño. Viditque omnis
populus pijssimũ,& prudẽtissimũ Regem,
subsilientẽ,& saltantẽ corã Dño, corã quo
vilẽ fieri est esse honore dignissimũ. Arcæ
itaq; Dei Dauid diuinos honores exhibuit,
inuisibile venerãs tanquã videns, & eum
honorans in ea re,quæ Deo sacra erat, &
venerabiles continebat reliquias; nos Deũ
in corporibus sanctorum suorũ non hono
rabimus? In eo vero,quod secũdo loco hæ
retici addunt,quod diuos tutelares habea-
mus, more gentium, satis ostẽdunt se nihil
curare aliud; quam vt latine loquẽtes mise
rã plebem decipiant. Nos enim nec diuos
tutelares habemus more gentium, nec lo-
corum vel hominum genios admittimus,
& omnẽ Deorum penatium turbam no
mina dicimus esse inania,& finere; vel po
tius diaboli figmenta,& imposturas, qui
nisi hæreticos fascinasset, nuquã tã stupide
disputarẽt. Quid enim habẽt cõsequẽs illæ
rationes, gẽtiles habent diuos tutelares. er
go fideles nõ habeant sanctos Dei patro-
nos, cum illi sint dæmonum imposturæ,
isti summi Dei amici? Ac si diceretis: Gen
tiles sequũtur mala, igitur vos ne sequami
ni bona: illi habent falsos Deos, vos nõ ado
retis verum. Manichæi fingebant Deum
vnum malum & crudelem: vos ne fatea-
mini vnum Deũ bonum, & misericordẽ.
Et præterea, si Dñs ex angelis suis alios Daniel.10.
alijs prouincijs & hominibus deputauit, vt Psal.90.
cõstat ex scriptura, cur alienũ vobis vide-
tur, à dispositione ineffabilis Dei, si alicui
populo peculiari seruũ suum apud ipsum
cum angelis viuentem det in patronum?
Non video certè, quid in hoc consilio mu
nificentissimi Dei possit reprehendi. Nisi
fortè hæretici habito consilio,& adhibitis
consultoribus stultissimis, ipsorum, scili-
cet, mentibus subditis peccato decreuerũt,
id à Deo imprudẽter fieri, oportereque res
cindi factum. Generalis verò responsio ad
similes obiectiones tradita nobis est à D.
Augustino contra Faustum Manicheum, D.Aug.
lib. 20. circa finem. Quo loco dicentibus
Manicheis nos plura retinuisse de mori-
bus Gentium Augustinus in hæc ver-
ba respondet: Cum iustus ex fide vi- Rom.1.
uat; finisque præcepti sit charitas de cor-
de puro, & conscientia bona, & fide 1.Tim.1.
non ficta, maneantque ad confirman-
dam vitam fidelium tria hæc, fides, spes;
charitas,

charitas; vnde fieri potest, vt pares cum aliquo mores habeat, qui hæc tria cum illo paria non habet. Qui enim aliud credit, aliud sperat, aliud amat, necesse est, vt aliter viuat. Et si vsus quarundam rerum similis videtur esse nobis cum Gentibus, sicut cibi, & potus, tectorum, vestimentorũ, lauacrorum, & qui ex nobis coniugalem vitam gerunt vxorum ducẽdarum, & habendarum, filiorum gignendorum, nutriẽdorum, hæreditandorum, longe tamen aliter his rebus vtitur, qui ad alium finem vsum earum refert, & aliter, qui ex his Deo gratias agit, de quo tamen falsa non credit. Sicut enim in ipso errore vestro cum eo pane vescamini, quo ceteri homines, & fructibus viuatis, & fontibus, lana, & lino similiter texto amiciamini, nec in his tamen parem ducitis vitam, non aliud edendo, aut bibendo, aut induendo; sed aliud sentiendo, & credendo; & ad alium finem ista omnia referendo; finem scilicet vestri erroris, atque vanitatis: ità nos, & in his, & in alijs, quæ similiter sumimus, non similiter cum gentibus viuimus, easdem res non ad eundem finem referendo; sed ad finem legitimi diuinique præcepti, charitatem de corde puro, & cõscientia bona, & fide non ficta: à quibus quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquium. Hactenus Augustinus, cum doctrina cuius desidero incipere, medium tenere, & finire. D. August.

QVAESTIO VIGESIMAOCTAVA, DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

Ioan. 1. Baruch. 3. Ioan. 13. Esai. 8. *ILLE qui cum esset Sapientia Dei, Deusque ipse pro nobis caro factus est, cùm inter homines agens sciret, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, lactescere volens pueris suis, quos dedit illi Dominus, corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum sumendum fidelibus dereliquit. Atque de hoc altissimo ineffabilique Sacramento institutus est à nobis sermo.*

ARTICVLVS I.

De nomine Eucharistiæ.



QVIDAM DOctus bene scripsit Synonyma, hoc est, eiusdem sensus vocabula poetis, homonyma verò, id est, diuersæ significationis voces sophistis, & impostoribus maxime vtiles esse, ne facile deprehendatur eorum fraus atque doli. Quorum cum principes sint hæretici abhorrent illi hac temporum tempestate à nomine Eucharistiæ, semperque in ore habent, dum ista tractant hãc vocem, cœna Domini. Quid autem intendant ea phrasi ac appellatione, & facile est intelligere, & ipsi per se declarant: atque ego insidias aperiam breuiter. Si cœna est, dicunt nonnulli, ex con notatione temporis, vesperi erit celebranda. Si cœna est, ait Ioannes Alasco, non nisi multorum accubitu in eadem mensa ritè fiet. Si cœna est, addit Lutherus, & Buzerus, & Zuinglius, missæ illæ priuatæ, & angulares damnatæ ab Apostolo sunt procul dubio. Nam cum vnusquisq; suam cœnam faciat, iam non est Dominicam cœnam manducare. Si cœna est, aiunt alij, & communio sub vtraque specie non præbetur, atq; editur simul, & bibitur, vtique de cœna Dominica efficietur cœna canina. Si cœna est actio quædam erit, ait Caluinus, in vsu consistet, vsu cõsumetur. Iam verò cœna etiã Domini generaliter comprehendit cœnas Typicas & vulgares, quibus Christus Apostolos, aut populum pauit, aut quibus se refecturum beatos metaphoricè in scripturis pollicetur. Scilicet, hæc erat meta, ad quam peruenire desudabant, vt nihil in sacramento præsentiæ veræ, ac substantialis agnoscerent, ad spirituales typos, & metaphoras confugerent. Certe videns, quam isti pel tiferum virus sub verbis abscondant.

Sciendum verò est, quod id, quod Dominus in vltima cœna dedit discipulis, Dominus ipse in euangelijs panem vocat, qui de cœlo descendit, verè cibum vocat; corpus suum & sanguinem vocat, carnẽ suam vocat. Apostolus etiam 1. Cor. 11. appellat, corpus & sanguinem Domini, sicut verè est corpus, & sanguis Domini, vocat mẽsam Domini. 1. Cor. 10. vocat benedictionẽ. B. Lucas vocat, fractionem panis. Appellatur etiam hoc sacramentum à patribus sacrificiũ; Christũ enim offerimus in missa. Appellatur Synaxis, vel communio; quia hoc

Ioan. 6. 1. Cor. 11. 1. Cor. 10. Act. 2.

hoc Sacramētum est signum vnitatis. Di
citur etiam viaticū; quia illo munimur, &
præparamur, quando ex hac vita profectu
ri sumus. Et quidē tam mirabile mysteriū
& tā immēsa charitas multis debuit nomi
nibus nominari, quoniā multa bona efficit
in nobis. Antiquissimi vero patres Euchari
stiā vocauerūt, quasi bonā gratiā, eamque
nomenclaturam popularē esse voluerut,
Iustinus. vt cōstat ex Iustino Apolog. 2. & Irenæo,
Irineus. lib. 4. & lib. 5. & Cypriano tracta. de cœna
Cyprianus. Dñi, & D. Ambr. in c. 11. epist. 1. ad Corint.
Ac proinde ab antiquis tēporibus semper
Christiani illa vsi sunt ab. Adducēdis autē
patrum testimonijs abstinebo; quia sunt in
numera. Hac igitur voce vtendū est, non
illa, quā introducere conantur hæretici, eā
que appellationē cœnæ Dñi repudiat D.
D. Ambros. Ambr. c. 11. 1. ad Corint. Sed quæ adferunt
hæretici pro sua illa voce videamus. Putāt
& magnis clamoribus prædicāt eum esse
modū loquēdi Apostoli in epist. 1. ad Cor.
cum ait; Cōuenientibus vobis in vnum, iam
nō est Dñicam cœnā māducare, &c. Quā
epistolā modo amplectuntur modo reij-
ciūt. Sciēdū vero est, quod Apostolus nū
quam nomine cœnę intellexit sumptionē
corporis & sanguinis Dñi, vt manifestē cō
Athanas. stat ex D. Chrys. & D. Atha. & OEchume
Chrysost. nio, & D. Ambr. alijsq; interpretibus. Quo
OEchumen. niā ipse de ea cęna loquebatur, in qua vnus
esuriebat, alius autē erat ebrius. Nunquam
verò permissum fuit, aut vsitatū in eccle-
sia tātū epotare de illis speciebus, vt ebrie-
tas inde redundaret. Cœnā ergo appellat
Apostolus, quæ publica erat, & quæ pro-
miscue pauperibus & diuitibus parabatur
de cōmunibus cibis, & eā opponit priuatæ
quā vnusquisq; præsumebat ad manducā-
dū, nō expectatis alijs. Solebant enim Chri
stiani cōuiuia publica statis diebus intra ec
clesias suas celebrare tanquā mutuæ frater
nitatis testimonia, eaque vocabant cœnas
Dñicas, siue, quia post perceptionē corpo
ris & sanguinis Dñi, quod ipse Dñs in cœ-
na exhibuit discipulis, cœnæ istæ exhibe-
bantur, siue, quia illæ cœnæ communes
Luc. 14. erant pauperibus, & potētioribus ad imita-
tionē Dñi, qui omnes ad cœnam vocabat.
Quæ ratio placet Chrysostō. Vel quia fie-
bāt intra ædes sacras, quas antiqui appella
bant Dñicas. Quacūq; autem ratione illæ
cœnæ Dñicæ dicerētur, certū est Aposto
lo. 1. Cor. 11. nō placuisse, quod illæ haberē 1. Cor. 11
tur in ecclesia, siquidē dicit, Nunquid do-
mos nō habetis ad māducandū, & biben-
dū, aut ecclesiam Dei contemnitis? Et cer
tum etiam est, quod eæ cœnæ cōstabant
è cōmunibus cibis, quibus vnicuiq; in do-
mo sua vesci liceret. Atq; hinc ortū habue
re illæ, quas modo charitates dicimus; an-
tiqui verò Græci, agapes appellabāt, que in
porticibus ecclesiæ annexis sternebantur,
sicut ex Tertulliano, & Clemēte Alexan Tertul.
drino, & Paulino, & priscis Christianis appa Clem.
ret. Absit autē, vt extra portas ecclesiæ eij Paulin.
cerētur, si cōstarent è corpore Dñi. Quan
do vero Apostolus subiungit; Institutionē
Sacramēti cōcedimus hæreticis, eū innue
re, vel quod Corinthij cœnas illas habue-
rint pro Sacramēto, vel potius, quod perce
ptionē Sacramēti illis miscuerint. Quod ta
mē vtrūq; improbat Apostolus, vt cōstat
ex eius verbis, quibus eos relegat in do-
mos suas ad ea ratione māducādum, & bi-
bendum, Certum igitur est, quod Aposto
lus eo loco prādium, quod cōmunibus è
cibis parabatur, appellat cœnā Dñicam ob
eam inter alias, quas iam adduximus, cau-
sam, quod fieret ad imitationē cœnæ Dñi.
Vnde redarguit eos, quod cū ea cœna, &
Dominū, & Apostolos, magistrum, & dis-
cipulos ex æquo cōtinuerit ac proditorem
ipsum ciborū, & mysteriorum participem
habuerit, Symbolumq; fuerit dilectionis,
& humilitatis, tēperantiæ atq; modestiæ,
Corinthij tamē per insolētiā pauperes de-
spiciebāt, & diuites quidē opipare, lauteq;
cœnabāt, & inebriabāt alij verò cōplures
esuriebāt. Et hoc inquit Apostolus, nō est
Dñicam cœnā māducare, hoc est, ad imi-
tationē cœnę Dñi cœnam instituere, sicut
hæc vestra instituta est. Et hæc pro primo
argumēto hæreticorū sumpto ex testimo-
nio Apostoli, quē malè intellexerūt, quia
sanctos patres legere, aut eis credere nolue
rūt. Secundū verò eorū fundamentū est,
quod Ignatius, & D. Aug. accipiant nomē
cœnæ Dñi, pro isto Sacramēto: ergo ità il-
lud nūcupare debemus. Nā & Cyprianus

tractatui de hoc Sacramento inscripsit
hunc titulum, De cœna Dñi. Respondetur de more esse ministris Sathanæ ambigua quæq; sectari, & obscuriora lucidioribus anteferre, vt sagittēt in obscuro rectos
Psal.10. corde. Nec alia de causa aduersarij nostri
ea voce delectantur, quam quod sperent
Ignatius. aliquam se inde opem laturos suis fraudibus. Demus ergo, quod S. Ignatius semel
D. August. vel ad summum bis cœnam Dñi appellauerit, fateamur, quod D. August. aliquando non abhorret ab ea voce: cum tamen
libri capere non possint testimonia, quibus
patres, in quibus est Augustinus, vtuntur
nomine Eucharistiæ, cumq; hæc vox longo & integro ecclesiæ sæculorum ordine
recepta fuerit populariter, cur ea neglecta,
vtar voce cœna Dñi, quam rarissime pauci quidam patres vsurpauerunt, quia in vltima cœna hoc sacramentum institutum
est? Respondebunt hæretici, vt credo, in
promptu ratio est quoniam ea vox ambigua est, & flexibilis ad vtranq; partem, &
vtilis nobis ad decipiendum. Hoc si dixe-
D.Cypria. rint, id certe dicent, quod in mente habēt.
Quod autem ex Cypriano addiderūt nullius est momenti. Tu, quia acturus de hoc
Sacramento, quod in cœna Dñi institutū
est, inscribere potuit titulum, quo diceret
se de ea cœna tractaturum. Tum, quia nō
probabunt aduersarij, quod ipse posuerit
illum titulum. Tertio & maximè, quia toto sermone non vsurpat eā vocem cœna
Dñi pro isto sacramento. Vtitur vero voce Eucharistiæ sermone de baptismo Christi, & manifestatione Trinitatis, & de oratione Dñica ibi, panem nostrū quotidianū
& epist.17. & epi.72. & alijs pluribus locis.
Et hæc sufficiant, vt admoneamus retinendum esse huius vocis vsum.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Eucharistia sit Sacramentum.


ORPORIS & sanguinis Dñi Sacramētum rectissimè Eucharistia, id est, bona gratia nuncupatur, cum vere, &
realiter Christum contineat, qui est fons,
& origo omnis gratiæ. Quod autem sit Sacramentum, declaratur in hunc modum:
Omne remedium ordinatum principaliter in subsidium vitæ spiritualis sub sensibilibus signis, dicitur Sacramentum: sed
Eucharistia est huiusmodi: ergo est sacramentum. Declaratur minor propositio.
Nam cum corporalia gerant similitudinē
rerū spiritualium, fit, vt quemadmodum
in viuentibus corporeis non sola requiritur generatio, per quam vita comparatur,
nec sufficit vis etiam augmentatiua, per
quam viuens ad perfectam quantitatem
deducitur, sed requiritur etiam alimentū,
per quod homo & augetur, & conseruatur: similiter in spirituali vita præter baptismum, quæ est spiritualis regeneratio, & cōfirmationem, per quam spirituale augmētum nobis acquiritur, necessariū est aliud
Sacramentum, quod vitam eandem spiritualem conseruet & tueatur: hoc vero Sacramentum est Eucharistia, vnde sub speciebus, quæ nutriunt vitam corpoream nobis est propositum. Atq; hæc veritas diffinita fuit in concilio Florentino sub Eugenio.4. in instructione Armenorum, & in Conc.Flo.
concilio Trident. sess.7. capit.1. & in capite
firmiter. de summa Trinitate, & fide catho Conc.Trid.
lica, & in ca. cum Martha. de celebratione c.1. & c. firmiter de sum
missarum. ma Trinita.

Sed quoniam in hoc Sacramēto, quoad
propositum attinet, inueniuntur quatuor,
primum est consecratio, quæ fit per verba
sacramentalia, habentia vim atque virtutem transsubstantiandi panem & vinum,
in corpus & sanguinem Christi. Secundū
est species ipsæ sacramentales, hoc est, externa accidentia panis & vini. Tertium corpus & sanguis Christi, sub his speciebus cōtenta, & quartum deniq; vsus & sumptio
earum specierum, dubium est, quodnam
istorum sit vere ac proprie Sacramentum
Eucharistiæ, & pro quo illorum supponat:
nam de hac re sunt variæ doctorum sentētiæ. Marsil. in.4. q.1. artic.1. & q.6. artic.2. & Marsil.
D. Thom. in.4. distinct.8. quæstione. 1. di- D.Tho.
cunt consecrationem esse Sacramentum
Eucharistiæ. Alij affirmant corpus Christi
sub speciebus contentum, esse proprie sacramentum Eucharistiæ. Ex quibus est

pius

Tho. Vual. pius ille & doctus Thomas Vvaldenſis, libro de Sacramentalibus, cap. 21. Vbi dicit, quod quanuis alijs ſacramentis conueniens ſit hæc definitio; Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum; tamen ſacramentum Euchariſtiæ aliter definire debemus, dicentes, quod eſt inuiſibilis gratia ſub viſibili ſigno. Intelligit autem per inuiſibilem gratiam Chriſtum contentum ſub ſpeciebus. Et ſunt qui aſſerant, quod nec conſecratio, nec corpus Chriſti ſub ſpeciebus contentum, eſt proprie ſacramẽtum, ſed ſumptio eius, & vſus, ad quem cætera omnia ordinantur.

Pro explicatione huius rei præmittendum eſt cum Magiſtro in quarto, d. 8. (Magiſter.) cuius ſententia hac in parte approbata eſt in cap. cum Martha de celebratione miſſarũ. §. diſtinguendum eſt. quod in ſacramento Euchariſtiæ ſicut in quolibet alio ſacramẽto tria inueniuntur. Vnum, quod eſt ſacramẽtum tantum, aliud, quod eſt res tantũ, tertium, quod eſt res & ſacramentum ſimul. Sacramentum tãtum eſt illud, quod ſolum habet ſignificare. Res tantum eſt id, quod ſignificatur per ſacramẽtum, neq; tamen ipſum conſideratur, vt ſignum. Res verò, & ſacramentum ſimul eſt, quod & ſignificatur, & ſignificat. Ratio autem ſacramenti conſiſtit in ſignificando.

Hoc ſuppoſito ſit prima concluſio: Cõſecratio Euchariſtiæ, nec eſt ſacramentum tantum, nec res & ſacramentũ ſimul. Probatur: Conſecratio, vt nomen præ ſe fert, eſt actio, per quam efficitur ſacrum, vel ſacramentum: ergo ipſa non eſt ſacramentũ ſed ſacramentale quid, & via ad ſacramentum.

Item ſacramentum Euchariſtiæ, ſiue accipiatur pro eo, quod eſt ſacramentum tantum, ſiue pro eo, quod eſt res & ſacramentum ſimul, non conſiſtit in fieri, ſed in facto eſſe, vnde peracta conſecratione adhuc reſeruatur in ſacrario: ſed conſecratio tantum conſiſtit in fieri: ergo ipſa non eſt ſacramentum. Hic ſi obijcias, ſolere dici à philoſophis; quod in inſtantaneis idem eſt fieri, & factum eſſe; ergo nihil vetat quominus conſecratio, quanuis conſiſtat in fieri ſit ſacramentum: reſpondetur ſenſum eius dicti eſſe, quod in inſtantaneis in inſtanti, in quo eſt verum dicere, quod aliquid ſit, eſt verum dicere factum eſſe: itaque in eodem inſtanti illuminatur aer, & eſt illuminatus, non autem volunt ſignificare philoſophi, quod in actionibus inſtantaneis idem formaliter ſit actio, & terminus actionis. Quod ſi id illi dicerent falſo dicerent, ſed non dicunt.

Secunda concluſio. Sumptio Euchariſtiæ nullo modo eſt ſacramentum. Probatur. Sumptio ſacramenti nihil eſt aliud, quam applicatio ſacramenti requiſita ad hoc, vt illud habeat ſuum effectum, ſicut applicatio cibi requiritur ad hoc, vt cibus nos nutriat, & habeat ſuum effectum: ergo ea ſumptio non eſt ſacramentum. Probatur conſequentia: Quia in vniuerſum loquendo applicatio rei, & res, quæ applicatur, diſtinguuntur: applicatio enim cibi non eſt cibus, & applicatio ligni ad ignem non eſt lignum.

Secundo argumentor: Quia vſus rei nõ eſt ipſa res, ſed ſumptio ſacramenti eſt vſus eius: ergo non eſt ſacramẽtum. Atque hac ratione ſecũda vtitur ad hoc probandum Sanct. Thom. 3. parte, quæſtione. 78. articulo primo. (D. Tho.)

Tertia concluſio. Si loquamur de Euchariſtia, vt eſt ſacramentum tantum, corpus Chriſti contentum non eſt ſacramentum Euchariſtiæ. Hæc poſtulabat, vt hoc loco poneretur, ſed declaranda eſt paulo inferius in hoc articulo.

Quarta concluſio. Si loquamur de Euchariſtia, vt eſt ſacramẽtum tãtum; ſic eſt dicendũ, quod ſpecies ſenſibiles panis, & vini, vt ſigna quędã ſenſibilia ſunt propriè ſacramẽtu. Itaq; quẽadmodũ in baptiſmo ablutio eſt res ſenſibilis ex ſe indeterminata, determinatur verò adhoc, vt ſit peculiare ſignũ per hãc formã: Ego te baptizo in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti: ità, & ſpecies ſenſibiles in Sacramẽto Euchariſtiæ ex ſe ſunt indifferẽtes, determinãtur verò ad ſignificãdum corpus & ſanguinẽ Chriſti per has formas partiales; Hoc eſt corpus meũ, & hic eſt calix ſanguinis mei, &c. & per eas cõſtituũtur in eſſe ſacramẽti. Ex quo ſequitur, quod hoc nomen Sacra-

mentũ Eucharistiæ in recto supponit pro
Magister. speciebus. Quam sententiam tenet Magi
Innocent. ster in.4.d.8.c.vlt.& Innocentius in capit.
cum Martha.de celebratione missarum,
& S. Tho.3.p.q.73.art.1. Dicit verò Inno-
B.Tho. centius eo loco, species sacramentales esse
propriè sacramentum Eucharistiæ, signi-
ficans corpus Christi verum sub specie-
bus contentum, atque etiam vnionem spi
ritualem per gratiam, ex qua resultat cor-
pus Christi mysticum. Et probatur cõclu
sio ratione. Nam Sacramentum est signũ
sensibile, quod modo supponimus ex sen-
tentia Theologorum: ergo sacramentum
Eucharistiæ est signum sensibile: & qui-
dem permanens, quia sacramẽtum hoc est
permanens; sed in eo nil aliud sensibile per
manens inuenitur præter species panis, &
Tho. Vald. vini: ergo illæ propriè sunt sacramentum.
Et quidem, quod incautè Thomas V val-
densis negauerit sacramentum Euchari-
Conc. Trid. stiæ esse, quemadmodum & alia sensibile
signum, constat ex concilio Tridentino,
Sess.13.cap.6. vbi dicitur commune esse sa
cramento Eucharistiæ cum alijs sacramẽ-
tis, quod sit inuisibilis gratiæ visibilis for-
ma. Dicendum ergo est, quod sit aliquid
sensibile propriè, & formaliter. Nec verò
potest supponere pro alio sensibili, nisi pro
speciebus manentibus, vt deductum est:
Igitur sacramentum Eucharistiæ videtur
sic diffiniri posse, vt sit sacramentum insti
tutum in speciebus panis & vini, significans
vtrunque corpus Christi, verum, scilicet,
& mysticum.

Quinta conclusio, Corpus Christi sub
speciebus contentu, est in Eucharistia res
Magister. & sacramentum simul. Hanc conclusio-
nem tenet Magist.in.4. d.8.& habetur in
ca.cum Martha. de celebratione missarum
& in cap.hoc est. de conse.cratione.distin. 2.
Sed vt eam perfectè intelligamus, adue-
rtendum est, quod corpus Christi verum
sub speciebus contentum, dupliciter po-
test considerari. Vno modo quatenus con
tinetur sub ipsis speciebus, & est quodam-
modo effectus consecrationis. Ex eo enim
quod illa materia sensibilis conuertitur in
corpus Christi per consecrationem resul-
tat, quod corpus ac sanguis Christi sub illis
speciebus contineatur. Et secundum hanc
consider ationem corpus Christi verè ha-
bet rationem rei significatæ per species sen
sibiles. Quoniam sicut vnus panis ex mul
tis granis efficitur: ita vnum corpus con- D. August.
stat ex multis membris. Et sicut panis est
alimentũ vitæ corporalis: ita corpus Chri-
sti est alimentum vitæ spiritualis. Et quia
sacramenta efficiunt, quod significant, &
significant quod efficiunt, & forma illa;
Hoc est corpus meum significat corpus
Christi.

Secundo modo verum Christi corpus
ibi contentum potest considerari secundũ
quod significat corpus Christi mysticum.
Nam quemadmodum corpus cõstituitur Conc. Colon. Symb. Apost.
ex multis membris: ità corpus Christi my
sticum coalescit ex multis personis in ea-
dem fide, & charitate conuenientibus. Et 1.Cor.10.
hoc est quod dicebat Apostolus, 1. Corin-
thio.10. Vnus panis, & vnum corpus mul-
ti sumus omnes, qui de vno pane, & de
vno calice participamus. Et secundum
hanc considerationem corpus Christi con
tentum sub speciebus est sacramentum, ac
proinde est res simul & sacramentum.

Sexta conclusio. Res tantum in hoc sa-
cramento est gratia, qua anima suscipien-
tis alitur, & vegetatur, siue vnio corporis
Christi mystici. Hæc conclusio est acce- Magister.
pta à Magistro, & Innocentio locis cita- Innocent.
tis, & est communis. Sed pro eius expli-
catione aduertendum est, quod quia gra-
tia & charitas non modo est vita ecclesiæ,
& omnium animarum Sanctarũ, sed etiã
est ratio, & causa eius vnitatis, qua iusti om
nes, & inter se se, & cum Christo iuncti,
& copulati sunt, non aliter atque in cor-
poralibus vita hominis non modò est eius
vita, sed etiam est ratio vnitatis membro-
rum omnium, & inter se se, & cum capite
ipso; fit inde, vt idem sit dicere, quod res
in hoc sacramento est gratia, vel quod est
vnitas, & charitas, qua omnes dignè su-
mentes inter se se coniuncti, & copulati
sunt. Sacramentum enim hoc conferen-
do gratiam efficit eam vnitatem. Atque D. Aug.
hanc veritatem innuebat Diuus Augu-
stinus tracta.26. super Ioannem dicens de
hoc sacramento; O Sacramentum pie-
tatis;

taris; ô signum vnitatis; o vinculum charitatis. Ex quibus omnibus inferre possumus, quod quemadmodum in viuentibus naturalibus necessaria est realis vnio alimenti, & aliti ad hoc, vt viuens nutriatur, & vegetetur: ita etiam ad hoc, vt Christus in Eucharistia contentus sit alimentum animæ necesse est, quod secundum rem vniatur cum homine. Et ex tali vnione, secundum rem resultat vnio secundum affectum; quæ consistit in eo, vt maneamus in Christo per charitatem. Atque hinc est, quod in capite.

c. Firmiter. firmiter. de Summa Trinitate, & fide catholica, & in cap. cum Martha de celebratione missarum. dicitur, quod in Eucharistia ad perficiendum mysterium vnitatis accipimus ipsi de suo, quod accepit ipse scilicet, Christus de nostro, id est, de nostra natura.

c. cum Martha.

Iam vero contra id, quod diximus conclusione prima, quod consecratio, non sit sacramentum argumentor primo. Quia sacramentum est id, quod efficit quod significat, eiusmodi est actio consecrandi: ergo illa est sacramentum. Respondetur, quod si sensus maioris sit, quod sola sacramenta efficiunt quod significant; consequentia erat bona, sed maior est falsa. Quoniam plures sunt actiones, quæ efficiunt quod significant; & tamen non sunt sacramenta, vt constat in pluribus benedictionibus, & consecrationibus. Si autem in maiori solum velis asserere, quod id cõuenit sacramentis licet sit eis commune cum alijs; conceditur maior, & minor, & negatur consequentia: quia medium non distribuitur, quemadmodum nec in ista, homo est viuens sensibile, & eiusmodi etiã est Leo: ergo homo est Leo. Igitur si maior constaret ex definitione, aut adæquata proprietate rei bene deduceretur ea ratio, quia tamẽ constat ex prædicato cõmuni, ideo similes omnes rationes nil valent. Præterquam, quod cum sacramenta dicuntur efficere quod significant terminus eius efficientiæ debet esse gratia gratum faciens & sacramentalis, quod applicari non potest illis verbis: & tertio dico inde solum loqui, quod ea verba sint forma sacramenti eo modo, quo infra dicemus.

Secundo argumentor. Ex forma sacramenti, & eo, cuius est forma, efficitur sacramentum: sed verba illa, Hoc est corpus &c. sunt forma consecrationis: ergo consecratio est sacramentum. Ad hoc respondetur, quod ea verba nec sunt forma consecrationis, nec corporis Christi cõtenti, sed specierum sacramentalium, quatenus eæ species per ea verba determinantur ad significandum corpus Christi verum, & mysticum. In sacramentis enim id dicitur habere rationem formæ, quod determinat materiam ad significandum. Et certum est, quod species panis & vini, quæ de se sunt indifferentes, determinantur ad significandum corpus Christi ex verbis adiunctis. Ac propterea verba dicũtur forma specierum, non solum in fieri, sed in facto esse. Propterea quod ex prolatione consummata verborum, per quam perficitur consecratio, resultat, vt tales species sint sacramentum, significans corpus Christi atque hæc significatio manet in ipsis speciebus; quantumuis forma transierit. Quod si verba ad consecrationem comparentur potius videbuntur habere rationem principij actiui, quam formalis.

Sed contra hac solutionem insto in hũc modum. Nam si albedo sit forma albi, albedine transeunte transit album: ergo si verba sunt forma specierum illarum atq; sacramenti, illis transeuntibus dissoluetur sacramentum. Respondetur, quod ea verba sunt forma etiam manens specierum ratione determinationis relictę in speciebus per consecrationem non tamen secundum substantiam verborum. Videmus autem, quod actione translacta manet terminus, qui est eius effectus, quasi formalis; sicut transacta conuersione à peccato manet homo conuersus.

Insto secundo, quia vehementer est falsum dicere, quod verba consecrationis non sunt eius forma, in quantum est actio. Nec enim esset talis actio, vel consecratio, nisi per ea verba formaliter.

Respõdetur, quod in ordine ad cõsecrationem passiuè acceptam certũ est, quod ea

verba se habent, vt principium. Et hoc est, quod diximus. Quanuis autem sint ratio formalis consecrationis actiuè sumptæ, sunt tamen eius forma, vt actionis Sacramentalis, non vt Sacramenti. Specierum verò sunt forma vt sacramenti, ratione determinationis illis impressæ. Videbitur autem fortasse hæc res difficilis intellectu, nisi persæpe quis in ea cogitationem posuerit.

Tertio loco argumentor: Nam consecratio sacerdotis est Sacramentum ordinis: ergo consecratio Eucharistiæ est Sacramentum Eucharistiæ. Ad hoc neganda est consequentia. Nam in Sacramento ordinis cum quis consecratur verè ei confertur gratia per eam consecrationem. Cæterum in consecratione Eucharistiæ cum materia conuertitur in corpus & sanguinem Christi, quanuis sit ibi effectus gratuitus, non tamen est gratia gratum faciens, sed efficitur postea ab ipsa Eucharistia. Ad h[illegible] verò, quod aliquod sit verè & propriè Sacramentum, necesse est, vt applicatum sit signum practicum gratiæ gratum facientis, quæ proprietas conuenit & speciebus sacramentalibus, & consecrationi sacerdotis, non tamen consecrationi Eucharistiæ. Atque huius signum est, quod consecratio in ordine non dicitur, nisi sacerdotis. In hoc vero sacramento consecratio dicitur esse Eucharistiæ consecratio: ergo est actio, qua sacramentum conficitur, non vero Sacramentum ipsum.

Dixi conclusione secunda, quod sacramentum Eucharistiæ non est eius sumptio. Contra quod opponitur, quia sumptio est inuisibilis gratiæ sensibile signum, significans, quod corpore Christi spiritualiter alimur & nutrimur: ergo est sacramētum. Respondetur, quod sumptio sacramenti non est signum gratiæ sacramentalis; sed requiritur ad hoc, vt sacramentum conferat gratiam. Et quidem in naturalibus, quāuis requiratur applicatio cibi, non tamen applicatio est quæ nutrit, sed cibus, nec applicatio specierum refert spiritualem cibū sicut referunt species.

Dixi conclusione tertia, quod corpus Christi non est sacramentum tantum, sicut dicebat Vvald. & docuit etiam Capre. in d. 8. 4. Obijcitur tamen contra hoc; quia corpus Christi contentum sub speciebus confert gratiam: ergo est sacramentū. Respondetur necesse esse ad hoc, vt aliquid sit sacramentum, quod conferat gratiam, vt signum sensibile per se, quod non conuenit corpori Christi, vt contento sub speciebus. Secundo argumentor: Quia cum adoramus sacramentum, adoratio potissimè fertur in corpus & sanguinem Christi: ergo corpus & sanguis Christi sunt sacramentum propriè loquendo. Respondetur antecedens huius enthimematis esse verū sed consequentiam nihil valere. Nā etiam quando adoro imaginem, adoratio fertur in prototypum: quoniam adoro illam propter prototypum, & tamen imago non est prototypus, sed est id, in quo adoratur prototypus. Conclusione quarta respondi dubio proposito dicens, quod si sermo sit de sacramento, tantum sacramentum Eucharistiæ sunt species ipsæ panis & vini, vt determinatæ per verba consecrationis. Contra eam tamen obijcitur primo: Quia in quolibet sacramento nouæ legis id, quod visibiliter obijcitur sensui, efficit inuisibilem effectum sacramēti, sicut ablutio aquæ in baptismo efficit, & characterem baptismalem, & ablutionem spiritualem: sed species panis & vini, quæ subijciuntur sensui in hoc sacramento, non efficiunt, nec ipsum corpus Christi verum, quod est res, & sacramentum, nec corpus mysticum, vel vnionem per charitatem, vel gratiam, quę est res tantum in Eucharistia: ergo species illę visibiles non sunt sacramentum. Respondetur, quod quemadmodum aqua in baptismo, quæ corpus tangit, non abluit cor, nisi per virtutem Spiritus sancti, quæ est sacramenti virtus: ita species panis, & vini non efficiunt aliquid, nisi virtute corporis Christi veri, quæ est virtus huius sacramenti, per quam species illæ visibiles efficiunt vnitatem corporis mystici, siue gratiam, qua mens alitur, quę est res in hoc sacramento.

Secundo argumentor: Quia sacramenta nouæ legis perficiuntur in vsu materiæ, sicut

Tho. Vvald.
Capreo.

sicut baptismus in ablutione & confirmatio in Chrismatis consignatione: ergo Eucharistiæ Sacramentum est vsus ipse materiæ: sed species illæ non sunt vsus materiæ: ergo nec sunt sacramentum. Respondetur, quod quando sacramenta sunt actiones quædam, vt baptismus & confirmatio tunc cum actiones sensibiles perficiantur in vsu alicuius materiæ, necesse est vt fateamur consistere ea sacramenta in eo vsu. At verò Sacramentum Eucharistiæ, proprie & formaliter loquẽdo, non est aliquid transiens, nec actio, vt dictum est: & ideo maior propositio assumpta in argumento generaliter loquendo est falsa, & ratio non procedit. Considerandum verò est hoc loco, cum Sanct. Thom. 3. part. quæst. 73. ar. 1. quod hæc est differentia inter Eucharistiã & alia sacramenta, quod Eucharistia continet aliquid sacrum absolutè, scilicet, ipsum Christum, aqua verò baptismi (vt in ea ponamus exemplum) continet aliquid sacrum in ordine ad aliud, scilicet, virtutẽ ad sanctificandum. Et ideò Sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materiæ, alia vero sacramenta perficiũtur in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum. Et ex hoc etiam consequitur alia differentia, quod in Sacramẽto Eucharistiæ id, quod est res & Sacramẽtum, est in ipsa materia: id autem quod est res tãtum, scilicet, gratia, est in suscipiente: in baptismo autem vtrunque est in suscipiente, scilicet, & character, qui est res & sacramẽtum, & gratia remissionis peccatorũ, quæ est res tantum. Et eadem ratio est de alijs Sacramentis. In fine vero huius articuli admoneo, nemo miretur, si viderit apud authores Sacramentum modo dici species sacramentales, modo corpus contentum, modo consecrationem. Id enim non magis est mirandum, quam si videat naturam modo accipi pro natiuitate, modo pro essentia integra rei, modo pro materia, modo pro forma. Ea vero, quæ diximus vera sunt, vt opinor, proprie loquendo.

(?)

S. Thom.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm sacramentum Eucharistiæ sit vnum, vel plura.

Respondeo dicendũ, quod prædictę species panis, & vini sunt vnum Sacramentum vnitate integrata ex pluribus, quæ cõficiunt aliquod vnum perfectum. Referuntur enim, & ad vnum sub eis contentum, scilicet, ad vnum Christum. Quia quamuis species panis primo repræsentet corpus, & species vini sanguinem; quia tamen sanguis & corpus Christi nec re ipsa inter se se sunt separata nec disiuncta à Christo; ideo ex cõsequẽti quælibet illarum specierum repræsentat Christum; & vtraque simul species perfecte vnum illum repræsentat. Referuntur etiam illæ species ad vnam rem significatam, non sub eis contentam, quæ est corpus Christi mysticum. Et tertio etiam comparantur tanquam signum & causa ad vnam spiritualem refectionem integram & perfectam, habentem similitudinem integræ, & perfectæ refectionis corporalis, quæ cõprehendit cibum, & potum: & sic sub illis speciebus continetur cœleste alimentum vitæ spiritualis. Ex quibus omnibus colligi potest hæc ratio, quod siquidem Sacramentum est signum; & ex illis duabus speciebus completur, & perficitur vnum integrum, & perfectum signum vnius Christi contenti, corporis Christi mystici, & refectionis spiritualis, atque perfectæ per gratiã, & fidẽ, quæ per charitatem operatur; consequens est, quod hoc sacramentum sit vnum. Nec vero aliter loqui licet: quoniam in conc. Florent. sub Eugenio. 4. proponitur ecclesiæ hoc Sacramentũ, tanquam vnum ex septem sacramentis. Et in conc. Trid. Sess. 7. cano. 1. diffinitur Sacramenta non esse plura, nec pauciora, quã 7. Si tamen sacramentũ Eucharistiæ nõ esset vnum, certe essent plura, quam septem. Et sanè maximè congruũ, & rationi consentaneum est, vt Sacramentum vnitatis, quale est hoc, sit etiam vnum.

Galat. 5.

Cõc. Flor.

Conc. Trid.

Sed

Sed cum de vno sermo sit, qui est terminus metaphysicus, nō poterimus effugere disputationem metaphysicam. Præterea cum non desint qui nostræ huic cōclusioni, & doctrinæ aliqua ex parte cōtradicāt. Pro cuius declaratione pono in primis, nō esse viri sapientis existimare vnum vna solum ratione dici. Si enim vnum lapidem vident, atq; considerant, habentē similes partes, & omni ratione indistinctas, considerent etiam & vnum hominem ex mente corpore, carne, ossibus, sanguine, flegmate, capillis, vnguibus, alijsq; pluribus partibus, atq; diuersis conflatum, & resultantem, considerent vnum exercitum, vnum ædificium, vnam ciuitatem, vnum prandium, & vt Aristotelis vtar exemplo, calceum vnum, qui vnus cum sit ex partibus constat & rebus longè diuersæ naturæ, ad formam vnam, & speciem siue rationem redactis. Ille ergo. 5. Metaphysicæ varias tractans acceptiones vnius, quo illas omnes acceptiones ad vnam aliquam certè ingeniose reduceret, tandem tex. 11. concludit in hæc verba. Vniuersaliter ea, quæ nō habent diuisionem ea ratione, qua non diuidūtur, dicuntur vnum. Vt si vna domus in quantum domus, non diuiditur quātumuis alia ratione eam diuiseris; vna tamē est in quantum domus. Si homo in quantum homo non diuiditur, quantumcunq; alijs rationibus diuidatur vnus homo est. Et subiungit; Plurima itaq; vnum dicuntur, eo quod aliquid vnum aut agunt, aut patiuntur, aut habent, aut ad aliquod vnum referuntur. Ex quibus omnibus sic colligo: Quod non diuiditur, ea ratione, qua non diuiditur, est vnum: sed sacramentum Eucharistiæ in eo, quod est perfectè repræsentare Christum contentum, & refectionem perfectam spiritualem, non diuiditur: ergo est vnum. Item, hoc sacramentum vnum aliquid efficit, vnum continet, ad vnum refertur, vt declaratum est: ergo est vnum secūdum Aristotelem ipsum valde strictè & propriè loquentem.

Arist. *5. Metaph. text.*

Cæterum Gabriel in quarto, distinct. 8. quæstio. 2. dicit, quòd quamuis Eucharistia aliqua ratione possit dici vnum sacramentum, tamen propriè, & in rigore sermonis (sic enim aliqui loquuntur) non est vnum nec in genere entis, nec in genere signi, sed duo. Et probat suam sententiam primò; Quia hoc sacramentum propriè non est vnum visibile, nec vnum continuatione, nec enim sunt continuæ species panis, & vini; nec est vnum vnitate signi, vel sacramenti: nam laicus dum recipit corpus, verè recipit sacramētum: & tamen adhuc restant species vini, quæ sunt aliud sacramentum. Et præterea laicus communicans sub vna specie recipit tantam gratiam quantam sacerdos communicans sub duabus: ergo sub vna specie panis continetur verum & perfectum sacramentum, eaque sola significat refectionem spirituale perfectam: parque ratio est de speciebus vini: ergo sacramentum Eucharistiæ non est vnum, sed plura sacramenta. His accedit, quod in Concilio Carthaginensi, cap. 24. & cap. iterato de consecratione, distinctione secunda dicitur, quod Eucharistia est plura sacramenta, & sacerdotes ipsi quotidie missæ sacrificio peracto fatentur, quod eos pura & sancta refecerunt sacramenta, ex quibus confici potest hæc ratio: Quando aliquid est vnum in vno genere, non potest esse plura in eodem genere: sed secundum Concilium Carthaginense Eucharistia est plura sacramenta: ergo non potest esse vnum Sacramentum.

Gabriel. *Conc. Car.*

Vt respondeam his argumentis, & rem declarem, dico primum, quod considerationem illam Sacramenti secundum rationem continui, vel entis, vel visibilis potuisset Gabriel reticere; quoniam est impertinens ad propositum, nec enim est sermo de illa ratione vnius. Alioqui quando sacerdos sumit corpus nunquam sumeret vnum Sacramentum, quoniam semper sunt iam partes diuisæ, & nec quotidiana nostra refectio, nec domus est eo modo vnum quid.

Gabriel.

Dico secundo, quod cum Sacramentum propriè sit signum, eius vnitas debet sumi ex vnitate significationis: & cum species panis, & vini, significent vnam integram, & perfectam refectionem spiritualem, & vnum Christum

sub

sub illis contentum, dicendum est, quod sint propriè & formaliter vnum Sacramentum. Vna enim, & perfecta, ac integra refectio cibum & potum requirit. Et præterea quemadmodum corpus Christi per se, & perfectè significatur per speciem panis: ità eius sanguis per se, & perfectè significatur per speciem vini: & ex consequenti Christus integer & perfectus per species simul panis, & vini integrè & perfectè significatur: ac proinde Eucharistia non est, nisi vnum integrum, & perfectum sacramentum. Arbitror igitur, quod Eucharistia est vnum sacramentum, etiam vnitate specifica, integra & perfecta. Vnum, inquam, secundum rationem sacramenti: sicut domus in genere domus, aut prandium in genere prandij.

Ad primum Gabrielis dico, quod laicus sumens corpus verè recipit sacramentum quoad virtutem eius; non tamē quoad integram, & perfectam significationem. Nec verò species vini sunt aliud sacramentum totale, sed partiale. Et si obijcias, quod sumens corpus etiam sumit sanguinem, quia corpus non est sine sanguine, ergo ibi est perfectum sacramentum & repræsentatio neganda est consequentia. Nam quanuis sumpto corpore sumatur sanguis, id tamen non fit per se, sed per concomitantiam; ac propterea non est ibi perfecta repræsentatio, nec rei contentæ, nec refectionis spiritualis. Nec enim laicus sumit sanguinem per modum potus, & ad perfectam repræsentationem requiritur, quod & corpus, & sanguis Christi sumantur per modum cibi & potus.

Eodem modo respondendum est ad secundum. Quanuis enim verum sit, quod laicus sumens corpus recipit tantam gratiam quantam sacerdos sumens etiam sanguinem per se, id tamen prouenit ex virtute & efficientia corporis Christi, non ex perfecta repræsentatione. Efficit enim corporis Christi virtus, vt quod integrum non est quoad repræsentationem, sit integrum quoad effectum.

Ad tertium respondetur, quod istæ species panis & vini dicuntur plura sacramenta, eo quod nomen perfecti, atq; totius tribui solet etiam partibus, ex quibus totum illud resultat. Et cum istæ partes sint plures, consequenter dicuntur sacramenta in plurali numero. Nec vero est inconueniēs si in his, quæ ordine cōstāt, aliquid sit vnū specie & plura in eodem genere secūdum rationes diuersas. Quod probo. Nam septenarius est vna species in genere numeri, & tamē ternarius, & quaternarius, ex quibus tāquam partibus cōstat, sunt duæ species in eodem genere. Et magna aliqua, ac splēdida domus, quāuis contineat sæpe plures habitationes sufficiētes vni: tamē est domus. Quod vero magis Gabriel miretur in genere ipso substātiæ, vbi maxime ens, & vnum reperitur, cōpositum est vna substātia, & forma est substātia, & materia est substātia, cū discrimine tamē. Illud enim dicitur substātia, vt perfectū quid, & integrum in eo genere, istæ dicūtur substantiæ vt partes substantiæ. Sic & sacramentum Eucharistiæ vnum quid est integrum, & perfectum sacramētum. Est verò plura sacramenta ratione partium, quæ suo etiam modo sunt sacramenta.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm Eucharistia sit de necessitate salutis.



Potest quodlibet Sacramentū dici necessarium ad salute, vel ratione finis, vel ratione præcepti. Ratione finis dicitur aliquod sacramētum necessariū ad salutem, quādo sine illo salus nō potest haberi: qualia sunt baptismus & pœnitētia. Baptismus quidem quoad omnes, pœnitētia verò solum quoad lapsus in peccatū mortale. Cuius ratio est: quia illa sacramēta sunt de necessitate salutis ex parte finis, quæ tollunt defectum incompossibilē saluti: at baptismus & pœnitētia sunt huiusmodi, baptismus sanè quoad omnes propter peccatū originale; quia omnes nascūtur filij iræ (Ephes. 2.) pœnitentia verò quoad eos qui lapsi sunt in peccatum mortale: quod certe est incompossibile saluti, nisi homo de illo conteratur: sunt ergo ista sacramēta de necessitate

salutis

salutis ex parte finis, ità vt sine illis, vel re ipsa & in actu, vel si facultas desit in voto susceptis haberi salus non possit. Cum autem Eucharistia non ordinetur ex ratione sua ad tollendum defectum incompossibilem saluti, sed ad augmentum quoddam & perfectionem in bono, consequens est, quod non sit necessarium absolute ratione finis. At verò ratione præcepti illud dicitur necessarium, quod vt faciamus nobis præceptum est. Et cum scriptum sit Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis, consequens est, quod ratione præcepti Sacramentum Eucharistiæ sit necessarium. Atque etiam si sermo sit de hoc Sacramento quoad rem sacramenti, id est vnionem cū corpore Christi mystico, & gratiam, certum est, quod ea res est necessaria ad salutem necessitate finis.

Ioan. 6.

Proposui breuiter, quid hac in parte dicendum esset: sed postulat rei difficultas vt latius ista tractemus. Supponendum ergo est in primis, quod res alicuius sacramēti potest percipi ante sumptionem sacramenti, ex voto suscipiendi Sacramenti. Quod adeò verum est, vt res vel effectus sacramenti baptismi haberi possit per votum suscipiendi baptismi. Quocircà ante perceptionem huius sacramenti Eucharistiæ potest homo effectum salutis eius percipere per ipsius votum. Est verò differentia inter baptismum & Eucharistiam, quātum ad duo. Primo quidem, quia baptismus est principium spiritualis vitæ, & ianua sacramentorum: Eucharistia verò est quasi consummatio spiritualis vitæ, & omnium sacramentorum finis, si quidem per susceptionem ordinis sit præparatio ad cōsecrandam Eucharistiam. Per susceptionem verò aliorum sacramentorum præparamur ad eam suscipiendam. Quocircà perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam vitam spiritualem; perceptio verò Eucharistiæ ad eam consummandā. Secunda differentia est, quod per baptismū ordinatur homo ad Eucharistiam non aliter atque vita suapte natura ordinatur ad perfectionem ipsius vitæ, & ens atque substantia quælibet ordinatur ad se ipsam in esse perfecto. Et ideò ex hoc ipso, quod pueri baptizātur ordinantur per ecclesiam ad Eucharistiam; & quemadmodum ex fide ecclesiæ credunt, sic ex intentione ecclesiæ desiderant Eucharistiam, & per cōsequens recipiunt ipsius effectum. Sed ad baptismum nemo ordinatur per aliud præcedens Sacramentum: & ideo ante susceptionem baptismi nō habent pueri aliquo modo baptismum in voto, sed soli adulti. Et iccirco rem sacramenti baptismi non possunt percipere sine actuali perceptione sacramenti. Ex quibus plane colligitur, quod saltem per comparationem ad pueros non eo modo sit de necessitate salutis Eucharistia, sicut baptismus.

His constitutis disputandum est primo an saltem adultis sit æquè necessaria Eucharistia, sicut baptismus? Deinde, an etiā paruulis? Pro parte affirmatiua primi dubij est argumentum: Nam sicut in adultis dum adest copia baptismi, non sufficit votum ipsius; sed vltra illud requiritur, vt baptismus in re suscipiatur: ita etiam, dum adest facultas, & tempus suscipiendi Eucharistiam, non sufficit eius votum, sine re. Et sicut, quando non adest copia baptismi, sufficit eius votum: ità quando non adest copia Eucharistiæ sufficit eius votum: ergo respectu adultorum par est, & æqualis vtriusque ratio. Et confirmatur; Quia quæ sunt eiusdem dispositionis, eiusdem obligationis esse debent: sed præceptum de suscipienda Eucharistia, & præceptum de suscipiendo baptismo, sunt æqualis dispositionis: nam de Baptismo dicitur Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei; & de susceptione Eucharistiæ dicitur Ioan. 6. Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quæ verba, vt manifestissimè constat continent dispositionem eandem præcepti. Primum ex asseueratione affirmationis: nam vtrobique dicitur, amen amen dico tibi, & vobis. Secundo ex energia & efficacia coniunctionis adiunctæ; Nisi quis renatus fuerit, & nisi manducaueritis. Postremò ex magnitudine pœnæ non habebitis

Ioan. 3.

Ioan. 6.

tis vitam, & non intrabitis in regnum cœlorum.

Sit in hoc conclusio: Sacramentum Eucharistiæ in adultis non est necessarium necessitate finis, sicut baptismus. Hæc conclusio, vt video, est communis scholasticis, & eam probat Caieta. 3. parte. quæst. 73. artic. 3. Hac ratione baptismus, inquit, sua pte natura est necessarius secundum actualem ipsius exhibitionem: quoniam principium secundum ordinem generationis debet esse secundum rem in esse reali exteriori; Eucharistia verò suapte natura est necessaria secundum votum; quia finis saluatur secundum esse in intentione. Itaque baptismus per se saluat secundum eius perceptionem, & per accidens, vt in voto. Eucharistia vero non solum per se saluat consummando salutem, secundum eius perceptionem: sed etiam per se saluat, vt in voto, eo ipso, quod habet rationem finis.

Caietan.

Hanc Caietani rationem, ob quam Eucharistia nō sit necessaria, sicut baptismus venerātur plures scholastici, qui post Caietanum fuerunt. Ea tamen nihil habet probabilitatis. Primum; quia quanuis quando deest facultas operis, voluntas pro factore putētur ab eo, qui inspector est cordis, quod in baptismo ipso sicut in alijs locum habet: verè tamen, & proprie loquendo, euidenter est falsum, quod finis saluatur secundum esse in intentione, si dicere velis, quod habere finem in intentione sit assequi illum. Quanuis enim is, quem ego habeo in intentione, scilicet æterna beatitudo, & gratia Dei, sit finis meus, non tamen sequitur si habeo in intentione, quod iccircò habeam illum finem: sicut non sequitur, si habeo in intentione sanitatem, quod habeam sanitatem. Et rursus quemadmodum, quando intendo sumere Eucharistiā Eucharistia est finis in intētione mea; ità quando intendo baptismum, baptismus est finis meæ intentionis. Si ergo finis saluatur secundum esse in intentione, eadem ratio erit de baptismo, & de Eucharistia præsertim cum ex natura rei habeat baptismus, vt possit esse præstantior finis hominis, quam sumere Eucharistiā, eo quod baptismus sit de necessitate salutis, Eucharistia verò non item. Tertio, quia mera fictio est asserere, quod baptismus quidem, suapte natura est necessarius in re; per accidens verò in voto; Eucharistia verò suscipitur per se, & ex natura rei in voto. Hoc inquam discrimen nullum omnino habet fundamentum: Sed generaliter tenēdum est, quod præcepta sacramentorum dantur pro actibus suscipiēdi ipsa sacramenta. Sed si copia defuerit sacramenti, tunc res sacramenti percipitur per votum ipsius. Excipere verò ab hac vniuersali, & verissima regula sacramentum Eucharistiæ, & dicere quod per se, & ex natura rei sumitur in voto, nec habet fundamentum, vt dixi, nec omnino caute dicitur. Quia si ex natura rei, & non ob defectum copiæ habet, quod percipiatur in voto, nihil erit cur illud percipiamus in re. Et tandem sicut quia baptismus est principium vitæ non habeo vitam, nisi habeam illud principium vitæ; ita quia eucharistia est causa perfectionis, non habebo perfectionem, sine illa causa: & sicut ob defectum copiæ vnum supple tur per votum, ità & aliud. Legitima ergo ratio, nisi forte etiā ego fallor, huius cōclusionis est ea, quæ sumitur ex natura huius sacramenti. Sumi enim voluit Dominus sacramentum hoc, tāquam spiritalem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius, qui dixit; Qui manducat me, ipse viuet propter me: Itaque hoc sacramentum ex natura sua est iā viuentium, & regeneratorum per gratiam quos in bono perficit, & confortat. Et quia qui viuens est, & regeneratus per gratiam baptismi assequeretur gloriam, quanuis daremus, quod nihil illi vlterioris boni accresceret, & prouenirer, hinc fit, quod hoc sacramentum non sit necessarium necessitate finis, ea ratione qua est necessarius baptismus.

Ioan. 6.

Ad argumentum dico, illud concludere, quod secundum necessitatem præcepti par est vtriusque sacramenti ratio. Negatur verò, sequi ex eo argumento, quod sit æqualis ratio secundum necessitatem finis. Quoniam illo solo constituto, ad quod ordinatur per se baptismus, nempe regeneratione per gratiā, habebo vitā æter-

æternam, & illa dempta non habebo. Ac proinde baptismus est necessarius simpliciter ex parte finis. Perfectio verò illa, ad quam ordinatur Eucharistia, per se loquendo, supponit viuentem iam, & regeneratum, ac proinde absolute loquendo & ex natura rei, posset haberi salus sine illa. Et si dicas, quod ille effectus est gratia, respondetur, quod per se loquendo est augmentum, & confortatio in gratia, vel gratia, quæ supponit gratiam.

Ad cõfirmationem ex testimonio euangelij, respondetur primo, quod sicut ait Diuus Augustinus exponẽs ea verba Ioã. 6. Hunc cibum & potum carnis, & sanguinis sui, societatem vult intelligi corporis, & membrorum suorum, quod est in prædestinatis, & vocatis, & iustificatis, & glorificatis Sanctis, & fidelibus eius. Vnde sicut ipse dicit ad Bonifacium, nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiam si antequam panem illum comedat & calicem bibat, de hoc sæculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat.

Respondetur secũdo, verum esse, quod nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, susceperitque baptismum in re vel in voto, non intrabit in regnum cœlorum & verum etiam esse, quod nisi manducauerit panem cœlestem, susceperitque Eucharistiam in re, vel in voto non habebit vitam in se ipso: vnde ipse baptismus continet votum siue intentionem Eucharistiæ. Quanuis autem re vera ità accidat, quod nisi quis renatus fuerit, & nisi manducauerit, non viuet, non tamen inde sequitur, quod ex natura sua Sacramentum Eucharistiæ sit ità necessarium simpliciter ad salutem, sicut Sacramentum baptismi: sed solum sequitur, vel quod sit ità necessarium sicut baptismus, vel ità coniunctum cum illo, quod est necessarium ad salutem, vt quando hoc non habetur, nõ habeatur id, quod est necessarium ad salutem. Ac proinde, nisi manducauerit quis panem hunc in re, vel in voto non habebit vitam in semetipso. Et ad illam formã argumenti, quod quæ habent dispositionem eandem, debent habere eãdem vim, respondetur id certè intelligendum esse, quantum patitur rerum natura. Ex ratione verò istorum Sacramentorum cõstat, primo quod effectus baptismi est hominẽ regenerare per gratiam. Constat secundo, quod isto solo effectu posito vitam habemus. Constat tertio, quod Sacramẽtum Eucharistiæ supponit hominem regeneratum. Constat denique quod baptismus ordinatur ad Eucharistiam, & cõtinet eius votum. Ex quibus efficitur, quod nisi quis renatus fuerit, & nisi manducauerit non viuet, cum discrimine tamen explicato.

Ex his colligi debet secunda propositio, quod Eucharistia ratione quadam est necessaria simpliciter ad salutem. Loquor verò de Eucharistia in re vel in voto. Probatur: Quia cũ baptismus sit necessarius simpliciter ad vitam, & cum baptismo semper sit cõiunctum votum de Eucharistia, sequitur, quod vbi non est Eucharistia in re, vel in voto, ibi non est id, quod est necessarium ad salutem.

Tertia propositio sit, quod realis, & frequens susceptio Eucharistiæ ex natura sua est maximè vtilis ad perseueradum in gratia, & assequendum vitam æternam. De hac nulla potest esse controuersia. Si tamen quis mihi opponat, quod manducatio cibi corporalis est de necessitate salutis corporalis, ergo manducatio cibi spiritualis est de necessitate salutis spiritualis: nihil certè opponet aduersum huic tertiæ conclusioni. Nam quod necessarium fuerit, vtique & maximè vtile erit: quanuis non vtile præcise. Vt vero constet doctrina tradita, dico ad argumentum ex Durando in. 4. distinct. 9. quæst. 2. quod non est simile de vita corporali, quæ de necessitate tendit ad defitionem, nisi ei subueniatur per alimentum corporale: & de vita spirituali, quam nullus potest amittere, nisi volens. Et ideò alimentum hoc spirituale potest quidem proficere ad perfectionem, & augmentum vitæ spiritualis: sed non est simpliciter necessarium ad continuatio- Durãd.

nuationem vitæ, loquendo ex natura rei.
Est tamen quandoque necessarium ratione occurrentis præcepti, quo adulti omnes tenentur recipere hoc Sacramentum, Diuus Thom. tercia parte, quæstione 73. articulo tertio, & Sotus distinctione octaua quarti, respondent, quod hæc est differentia inter alimentum corporale, & spirituale, quod alimentum corporale conuertitur in substantiam eius, qui nutritur: & ideò non potest homini valere, ad vitæ conseruationem, nisi realiter sumatur; sed alimentum spirituale conuertit hominem in seipsum. Secundum quod August. dicit in libro Confessionum, quod quasi audiuit vocem Christi dicentis sibi, Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ. Sed tu mutaberis in me. Potest autem aliquis in Christum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam sine huius Sacramenti perceptione. Hæc vero responsio non efficit, quin hoc Sacramentū sit necessarium simpliciter, &, ex natura rei saltem in voto: Atq; idem omnino, quod in ea affirmatur de Eucharistia posset quis baptismo accommodare: quoniam vita etiam spiritualis regenerat hominem in Christum. Potest vero aliquis in Christū mutari, & ei incorporari voto mentis, sine perceptione reali baptismi: ergo sequeretur, quod quemadmodum baptismus est necessarius, ita & Eucharistia, secundū dicta istorum authorum. Quod si hic interponas distinctionem illam Caietani, id est per se, & per accidens, iam dixi illam esse in hac parte inanem: quoniam omnia præcepta sunt de actibus præceptorum, ex iubendis, quando præceptum obligat, & facultas adest. Quando autem deest facultas, tunc voluntas à Deo spiritum pro facto reputatur. Et certè si de Eucharistia loquamur per comparationem ad necessitatem præcepti, eius sumptio realis requiritur per se, & quod sumatur in voto est ex accidenti. Si verò sermo sit per comparationem ad necessitatem finis, & quis dicat, quod votum Eucharistiæ per se, & ex natura rei requiritur: ergo is tam necessarium facit necessitate finis Sacramentum Eucharistiæ, quam baptismi, præter hoc, quod facit necessariā per se Eucharistiam in voto, & baptismum in re. Ex accidenti verò baptismum in voto, & Eucharistiam in re. Ex quo inferre posset quis, quod Eucharistia præstat quoadmodum necessitatis in voto, baptismus verò præstat quoadmodum necessitatis in re. Simpliciter verò & vnum, & alterum est necessarium necessitate finis. Quæ omnia mihi non videntur ità probabilia, sicut quæ anteponebam: Tandem autem dico in hoc dubio, quod dum considero testimonia scripturæ, & tam multa, ac tam varia dicta Sāctorum Patrum, quæ qui non iudicat præcipuè in re theologa esse consideranda Theologus non est, sed homo insipiens: ergo dum ista considero fateor, quod hæc quæstio de necessitate Eucharistiæ vincit meum intellectum. Existimo verò & credo, quod realis sumptio Eucharistiæ est necessaria necessitate præcepti. Existimo & credo, quod sine re ipsius & effectu, hoc est sine vnione cū corpore mystico Christi, nulli vnquam salus patere potuit, sine vnione, inquam, vel vt effecta per baptismum, vel etiam per Eucharistiā. Ac proinde ea res est necessaria necessitate finis. Existimo, quod votum Eucharistiæ est coniunctum cum baptismo, ac proinde, quod nemo saluatur sine Eucharistia in re, vel in voto. Existimo, quod quando obligatio occurrit sumendi in re hoc Sacramentum, qui non sumit non assequetur salutem, quoniam violat illud præceptum. Aliæ disputatione iactentur dum modo in omni disputatione hoc retineamus, quod qui non manducauerit carnem, & biberit sanguinem Domini, non habebit vitam in semetipso. De quorum verborum plena, & perfecta interpretatione, fateor me nec inuenisse, nec potuisse excogitare quid omnino in fideat menti. Dixi verò quod assequi potui. Catholicè verò, & humiliter, atq; ex consequenti sapienter me locutum putabo si dixero, quod ecclesia Dei ab Spiritu sancto edocta, optimè interpretatur verba sponsi sui,

D. Tho. Sotus. D. August. Caietan. Ioan. 6.

& illa semper sensit, quod baptismus semper suit necessarius necessitate finis, vel in re susceptus, vel si omnino copia deerat in voto. At verò salus multis côtigit sine sumptione Eucharistiæ, nec eius voto explicito. Et iccircò quamuis eisdem verbis Dominus dixerit, Nisi manducaueritis, & nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, voluit tamen in baptismo inducere necessitatem præcepti & finis, & in Eucharistia necessitatem præcepti. Et quidem in baptismo continetur votum omnium virtutum, & tamen non omnes sunt de necessitate finis, & idem dicendum est de sumptione Eucharistiæ.

ARTICVLVS. V.

An Eucharistia sit paruulis de necessitate salutis.

QVAE pro parte affirmatiua vrgent rationes sunt duæ. Prima Generalis; quia scriptum est Ioan. 6. Amen amen, dico

Ioan. 6. vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quorum verborum mentionem faciens D. August. lib. 1.

D. August. contra duas epistolas Pelagianorum, c. 22. sic habet: Nec illud cogitatis eos, id est, nec illud animaduertitis, paruulos vitam habere non posse, qui fuerint expertes corporis, & sanguinis Christi, dicente ipso, Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Secunda ratio est, quia ab aliquibus patribus legimus factitatum, vt conferretur paruulis Eucharistia; quod procul dubio constat esse verum, & eos ità fecisse.

Ista sunt, quæ potissimum militant pro parte affirmatiua. Sciendum verò est, quod manifesta illa Domini vox; nisi mâducaueritis, &c. diuersos Doctores, & ingenia varia distraxit in varias sententias, quas ad tres possumus reducere. Primi in ea sunt opinione, vt nihil ad infantes pertineat illud præceptum, quoniam arbitrãtur Christum sermonem dirigere ad adultos, actusque iubere proprios adultorum, hoc est, comedere & bibere spiritualiter simul, & sacramentaliter, ac proinde discernere, & iudicare animoque, & fide apprehendere, quis & qualis sit ille cibus, & potus, & se probare ne edant indignè. Quæ omnia, vt videtis, sunt adultorum. Probant verò suam sententiam primùm: Quia ista non possunt conuenire paruulis, ergo illud præceptum non spectat ad illos. Scriptum enim est: Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.

Secundò probant: Quia quamuis eo præcepto non præciperetur Eucharistiæ sumptio Sacramentalis, & realis, sed spiritualis solum, non tamen posset conuenire paruulis; quoniam ad eam requiritur actus fidei, & memoria passionis Domini: non autem possunt paruuli habere eos actus.

Postremo argumentantur: Quia dum infans baptizatur, non propriè manducat, sed renascitur, & aliud est renasci, aliud manducare etiam spiritualiter.

Cum ergo Dominus (inquiunt) apud Ioannem præcipiat carnis suæ esum, siue spiritualem tantum, siue insuper sacramentalem, in neutro sensu illud præceptum infantes potest implicare, vt ipsi teneantur per se manducare etiam spiritualiter: sed sufficit, vt manducent ij, cum quibus paruuli in baptismo membra Christi efficiuntur. Hoc itaque præceptum adultos per se respicit; paruulos verò non, nisi consecutione, & coniunctione quadam.

Secundi fuere, qui considerantes vim & Generalia verba illius præcepti putauerunt necessariò paruulos statim à principio pascendos Eucharistia. Atque ij quamuis id fieri præciperent, vel non putauerunt esse necessarium, sed probabilem aliquam causam pro illius temporis ratione habuerunt, vel certè si id putauerunt esse necessariũ in applicatione præcepti lapsi sunt. Diffiniuit enim Syn. Trid. Côc. Trid. Sessio. 21.

Sessione.21.capit.4. paruulos vsu rationis carentes,non obligari ad sacramentalem Eucharistiæ communionem: siquidem per baptismi lauacrum regenerati,& Christo incorporati adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Atque hæc de secundis.

D. August. Tertia sententia est D. Augustini,in cuius libris multæ dubitationes incidunt,eo quod agens contra diuersos hæreticos ità, vrget illud præceptum, Nisi manducaueritis,modò pro vna manducatione, modò pro altera,spirituali,scilicet, vel sacramentali, vt alteram negligere videatur. Pro cuius declaratione in primis necesse est animaduertere,proprium esse hominū parui ingenij,& angusti particulariter,& diuisim, & vt ità dicam dearticulate pro ingenij paruitate ea,quæ dicuntur accipere,atq; ità aliquibus rebus accommodare, vt non videant,qua ratione illæ sententiæ ad alia etiam se possint extendere. Ingenia verò magna, & capaciora rectè vident, quod cum verba sint notæ,& signa conceptuum,quantò cōceptus aliquis est vniuersalior,& altior,tātò eius verba vniuersaliùs,& altiùs accipienda sunt. Conceptus autem Dei est conceptus intelligentis altissimi,& infinitè perfecti,ac propterea in eius verbis eisdem non modo sunt sensus diuersi,& varia ac diuersa vnius,& eiusdem sententiæ applicatio; sed etiam hæc omnia sunt & præuisa,& intēta ab eo, qui dedit, vt & plura intelligeremus ad ædificationem corporis Christi sub eisdem verbis;& vt sententiam eandem atq; præceptum diuersa ratione diuersis,verè tamē applicaremus:ergo D.August.vt opinor optimè omnium vidit,præceptum quidē illud omnes comprehendere; sed ratione diuersa esse paruulis & adultis applicandum. Vidit, inquam, quod paruuli ex vi eius præcepti nulla ad sacramentalem, & realem Eucharistiæ perceptionem necessitate tenentur,quibus dignè illud percipiendi deest requisita capacitas, sed edere pro ipsis alia membra Christi, quibus inseruntur. Nam quemadmodum cætera omnia, vt est fidei confessio,& inuocatio nominis Domini,&c.per alios explentur

Ioan.6. pro infantibus;siquidem scriptū est; Qui non crediderit condemnabitur, attamen infantes non credunt actu, & salui fiunt, quia illis prodest fides aliena. Quemadmodum igitur infantibus aliena fides; ità & aliena perceptio Eucharistiæ prodest. Marc.16. Ac quemadmodum præceptum de habenda fide Generale est,licet infantes per ætatem nequeant credere actu:ita præceptum de edenda Eucharistia in genere profertur,licet infantes non sint capaces edēdæ Eucharistiæ actu aliquo spirituali. Et quemadmodum adulti tenentur credere actu proprio, quanuis infantibus sufficiat habitu per sacramentum baptismi acquisito credere,sic etiam præceptum, Nisi mā ducaueritis,adultos iubet actu proprio sumere Eucharistiam sacramentaliter, & spiritualiter, licet infantibus sufficiat esse-ctu per baptismum acquisito,& habituali quodam voto sumere Eucharistiā per eos,qui illam suscipiunt. Nam in Sacramento baptismi,& in gratia atque habitu fidei tunc infuso comprehenduntur, & spes,& charitas,& perceptio Eucharistiæ, & inuocatio nominis Domini,& obseruatio mandatorum,& quæcunq; vel facere vel pati fidelis debuisset, si ad eam ætatem & gradum peruenisset, in quo talia præcepta complenda erant. Omnia enim necessaria,& habuisse & fecisse iudicatur is, cuius ciuitatis supernæ concessum est, & per quem non stetit, quò minus obiret omnia munia ciuitatis. Et hoc est, quod D. Aug. D. August. significat in epistola ad Bonifacium dicens: Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquenq; fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate membrum Christi, corporis efficitur, nec alienari ab illius panis, calicisque consortio, etiam si antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat. Hisce videor mihi explicasse Diui Augustini sententiam, & lucem aliquam attulisse lectori, vt eius varia testimonia intelligere possit. Apud quem sapientissimum virū stant simul hæc duo; & quod infantes nulla omnino necessitate teneantur ad sacramē

taliter,& actu manducandum;& quod nihilominus illud præceptum, Nisi manducaueritis,&c. ad illos etiam se extendat. Quemadmodum enim in baptismo habitu credunt: ità & incorporantur corpori Christi,& habitu spiritualiter manducant corpus,& sanguinem Domini. Et ipsum incorporari per baptismum corpori Domini est spiritualiter manducare corpus Domini;id est,esse participem corporis & sanguinis eius.

Sunt verò contra hanc sententiam duo argumenta. Primum: Nam paruuli per alios cum actu;& sacramentaliter nõ manducent,censentur tamen manducare per alios:ergo pari ratione possent censeri baptizati per alios,licet actu non baptizentur. Respondetur negando cõsequentiam. Et ratio est in promptu. Nam membrorum operationes non valent alijs opitulari, nisi fuerint corpori adhærentia: ante baptismũ verò nullum est sacramentum, quo paruuli incorporentur Christo:atq; ideò ipsis nec aliena fides,nec manducatio prodesse potest,nec rem sacramenti possunt percipere. Ex hoc verò,quod pueri baptizantur regenerantur in Christo, & ordinantur ad Eucharistiam. Et sic sicut ex fide ecclesiæ credunt; sic ex intentione ecclesiæ desiderant Eucharistiam,& per consequens recipiunt rem ipsius.

Caiet. Secundo Caietanus,& alij conqueruntur detrahi baptismo,si dicamus præceptũ illud, Nisi manducaueritis,aliqua ratione quæcunque illa sit, ad paruulos pertinere. Sed immeritò certè queruntur. Alioqui declament si placet in fidem,& cætera omnia,sine quibus nemo vitam habebit. Nos vero dicimus,quod quemadmodum hæc fides,scilicet,& gratia,sufficienter efficiuntur in paruulis per baptismum, per quem regenerantur in Christo, & incorporantur eius corpori mystico:ità etiã per illud sacramentum efficiuntur participes corporis,& calicis Dñi. Hoc vero non est detrahere baptismo,sed eius vim explicare,& amplificare dignitatem: cui certè derogat qui dicit,hæc nõ præstare baptismum. Igitur hæc sentẽtia D. August. vt arbitror,tenẽda est. Illa verò prima, quamuis facilis & expedita esse videatur, habet tamen infirma fundamenta. Nam si Eucharistia iccircò pertinet ad adultos,& nulla ratione ad paruulos,quia licet scriptum sit; Nisi manducaueritis carnem filij hominis,& biberitis eius sanguinem,non habebitis vitam in vobis,adiecit tamen Apostolus; Probet autem se ipsum homo, &c. quæ paruulis conuenire non possunt. Dice re posset & alius,baptismũ ad adultos pertinere,& nulla omnino ratione ad paruulos:quia licet scriptum sit; Nisi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu sancto,nõ potest introire in regnum Dei, adiunctum etiam est ab apostolo Petro; Agite pœnitẽtiam,& baptizetur vnusquisq;,quod paruulis conuenire non potest. Ac proinde sicut hoc illatum est falsum, ita & illud fundamentum eius sententiæ est infirmum. Ioan. 6. 1. Cor. 11. Ioan. 3. Actor. 2.

Ad primum propositũ in principio dubij respondetur,quod illa vna & eadẽ sententia non eodem modo applicanda est adultis & paruulis. Adultis enim præcipitur actus sacramẽtaliter manducandi: pueri vero nulla necessitate tenentur manducandi sacramentaliter,sed fiunt participes corporis & calicis Dñi per ipsum baptismum secundum rem illius sacramenti,habitu suscipiendo illud spiritualiter, sicut habitu suscipiunt fidem,& gratiam.

Ad secundum argumentum constat solutio ex dictis circa secundam sentẽtiam.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm institutio huius sacramenti fuerit conueniens.



Quæstio est,& de cõuenientia institutionis huius sacramenti absolutè,& de conuenientia temporis,in quo est institutũ: quam scholastico more & ratione breuiter absoluemus. Constituta ergo cõclusione affirmatiua, quoniam ipse Dominus est, qui instituit hoc sacramentum,cuius nulla actio potest esse,nisi conueniens,ea declaratur, & probatur primùm: Quia sicut generato necessarium est ministrari alimentum ad sustentationem vitæ, & aug-

& augmenti: sic regenerato per baptiſmum conueniens fuit Sacramentum inſtitui ad conſeruationẽ,& augmentationẽ vitæ ſpiritualis receptæ per baptiſmum ta le autem eſt ſacramentum Euchariſtiæ,in quo continetur fons ſpiritualis vitæ: ergo conuenienter fuit inſtitutum. Et præterea, quẽmadmodum animæ vegetatiuæ, quæ eſt formale principium naturalis vitæ rerum generabilium, Deus indidit potentiam generatiuam,per quam res viuens efficitur,& augmentatiuam, per quam genitum augmentatur,& roboratur, & nutritiuam,per quam nutritur,& in eſſe conſeruatur,quandiu viuit:quandiu enim anima lia viuunt nutriuntur iuxta philoſophos:ità conueniens fuit, Deum inter ſacramenta inſtituere tria,per quorum vnũ anima efficiatur viuens vita ſpirituali, & ſupernaturali:& hoc eſt ſacramentum baptiſmi,& per aliud in viuente ſpirituali vita ſpiritualis augeatur,& roboretur, & hoc eſt confirmationis Sacramentum, & per aliud viuens ſpirituale in vita ſpirituali, ſicut per alimentum nutriatur, & confortetur:& hoc eſt Sacramentum Euchariſtiæ. Præterea, æquum fuit, vt in nobis iugis memoria maneret eius ſingularis ſacrificij,quo Dominus ſe ipſum pro nobis obtu lit in ara crucis,ſed hoc fit per hoc ſacramentum:ergo conuenienter eſt inſtitutũ. Qua etiam conuenientia mirabili Sacramentum hoc ſit inſtitutum, declarat Diuus Chryſoſtomus ſermone quodam, inducens Dominum nos omnes alloquentem his:Nam parentes quidem alijs ſæpe filios ſuos tradunt alendos ego autem (inquit) non ita,ſed carnibus meis alo, & me ipſum vobis appono, vos omnes generoſos eſſe volens, & bonas vobis prætendens de futuris expectationes.Quippe vobis hic me ipſum trado multò magis in futuro. Volui frater eſſe veſter; carnem propter vos & ſanguinem aſſumpſi; vobis viciſsim ipſam carnem & ſanguinem, per quæ cognatus veſter factus ſum, trado, Atq; hæc de primo.

Ariſto. 2. de Anima tex. 3. & 4.

D. Chryſoſt.

Quoad ſecundum verò dico ex Diuo Thom. quod conuenienter hoc Sacramẽtum fuit inſtitutum in cœna, quando, ſcilicet, Chriſtus vltimò ſuos diſcipulos eſt allocutus,& cum eis conuerſatus: conueniens enim erat, vt tunc ſe in Sacramentali ſpecie eis derelinqueret, quando ſecundum propriam ab eis erat diſceſſurus. Vnde Euſebius Emiſſenus dicit, quia corpus aſſumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus ſideribus,neceſſe erat, vt die cœnæ Sacramentum corporis, & ſanguinis ſui conſecraret nobis, vt coleretur iugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur, in pretium. Secundo quia ſine fide paſsionis Chriſti nunquam potuit eſſe ſalus, ſecundum illud Romano. 3. Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius. Et ideò oportuit omni tempore apud homines eſſe aliquid repræſentatiuum Dominicæ paſsionis,cuius in veteri quidem teſtamento præcipuum Sacramentum erat agnus paſchalis. Vnde, & Apoſtolus dicit. 1. Corinth. 5. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Succeſsit autem ei in nouo teſtamento Euchariſtiæ Sacramentum,quod eſt rememoratiuum præteritæ paſsionis, ſicut & illud fuit præfiguratiuum futuræ. Et ideò conueniens fuit, vt imminẽte paſsione celebrato priori Sacramento nouum Sacramentum inſtitueret. Vnde Leo Papa dicit, quod vt vmbræ cederent corpori, antiqua obſeruantia à nouo excluditur Sacramento; hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguine ſanguis aufertur,& legalis feſtiuitas dum mutatur impletur. Tertiò, quia ea,quæ vltimò dicuntur ab amicis recedentibus, & magis nos ac vehementius afficiunt, & preſſius hærent memoriæ. Quia igitur, vt Beatus Alexãder Papa dicit nihil in ſacrificijs maius eſſe poteſt, quã corpus & ſanguis Chriſti, nec vlla oblatio hac potior eſt, ideo, vt in maiori veneratione haberetur Dominus in vltimo diſceſſu ſuo à diſcipulis,hoc Sacramentum inſtituit. Et hoc eſt quod Auguſtinus dicit in libro Reſponſionum ad Ianuarium: Saluator quo vehementius commendaret myſterij huius altitudinem vltimum hoc voluit infigere cordibus,& memoriæ diſcipulorum, a quibus ad paſsionem digreſſurus erat. Iſta verò omnia pijſsimè,& ſanctiſsimè compla

D. Tho.

Euſeb. Emi.

Rom. 3.

1. Cor. 5.

B. Leo.

B. Alexa.

D. Auguſt.

Conc. Trid. xa est Synodus Tridentina, Sess. 13. cap. 2. his verbis: Ergo Saluator noster discessurus ex hoc mundo ad patrem, sacramentum hoc instituit, in quo diuitias diuini sui erga nos amoris, velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum: & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annunciare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit hoc sacramentum, tanquam spiritualem animarum cibum, quo

Ioan. 6. alantur, & cōfortentur viuētes vita illius, qui dixit; Qui mādacat me ipse viuet propter me.

Sed contra hæc primò posset quis obijcere, quod in hoc Sacramento multa videntur implicata contra rationem; vt accidentia esse sine subiecto; & maius contineri in minori; & quod homo ab homine manducetur, &c. Sed de his suo loco peculiariter habendus est sermo. Et dicendum est breuiter, hæc non esse contra rationem; sed esse eiusmodi, vt ostendant mirabilem Dei erga nos dignationē, quæ maior est, quam potuisset, aut cogitari, aut intelligi.

Secundo argumentor: Quia hoc sacramentum viaticum dicitur: ergo ab eo temporis initio, quo homines fuerunt in via, debuisset institui. Præsertim cum per hoc sacramētum membra Christi & cum Christo, & inter se vniantur; & Christus Dominus sit caput eorum, etiam iustorum, qui fuere à principio mundi.

Respondetur, quod hoc sacramentum non dicitur viaticum, eo quod sit sacramētum quo debeat vti viator, in quocunque tempore viator extiterit; sed potius eò quod patefacta iam per mortem Christi Iesu Dei æterni & veri hominis via vitæ, quæ antea habebatur ignota muniat & præparet nos ad digne emigrandum è vita, & euolandum in cœlum: ac propterea institui non debuit nisi imminente iam Christi passione. Atq; etiam non fuit conueniēs hoc Sacramentum institui ante aduētum Christi ratione rei contentæ, quæ est ipse Christus, quem non decebat realiter contineri sub specie panis, & vini ante quàm esset de Virgine natus. Nec etiam id conueniebat ratione rei significatæ, & non contentæ, scilicet, ratione perfectionis, & vnitatis corporis mystici: quoniam homines antea erant in statu puerorum, & imperfecto. Hoc vero Sacramentum competebat statui perfecto gratiæ: vnde bona gratia nuncupatur. Nunquam tamen hominibus defuere sacramenta, & auxilia Dei pro ratione temporis, & status, quibus Deum colerent, & ipsi per fidem, & charitatem iungerentur.

Tertio argumentor: Nam philosophi verè dicunt, quod ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus: sed per baptismum, qui est spiritualis regeneratio, accipimus esse spirituale, vt dicit Diuus Dionysius, libr. 2. ecclesiast. Hierarchiæ: ergo per baptismum etiam nutrimur: ergo nō fuit necessarium instituere hoc sacramentum, quasi nutrimentum spirituale. 2. de gener. D. Dion.

Respondetur, quod ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus alimenta enim debēt esse quam similia rei alitæ, vnde & caro carnē nutrit; non tamen eodem modo nobis aduenientibus. Nam ea, ex quibus sumus, nobis aduenīūt per generationem, eadem autem, vel non admodum dissimilia in quantum ex eis nutrimur nobis adueniunt per mādu cationem. Vnde sicut per baptismū regeneramur in Christo: ita per Eucharistiam manducamus Christum. Atq; hæc argumenta rationibus diuersis pugnant cōtra institutionem sacramenti, quam primo posuimus. At verò peculiariter cōtra tempus illud ante passionem, quo institutum est, argumentor quarto loco. Quia hoc sacramentum dicitur memoriale Dominicæ passionis: sed memoria est præteritorū: ergo inconuenienter est institutum, dum adhuc Dñs viueret. Respondetur, quod arguens, totum oppositum inferre debuisset: Eo enim ipso, quia hoc Sacramentum futurum erat memoriale Dominicæ passionis, atq; totius illius temporis fœlicissimi, quo Deus in terris apparuit, & cum hominibus vixit, institutum est paulò ante, quam discederet de hoc mūdo ad patrem: non aliter, atque solet sponsus discedens dulci sponsæ aliquod pignus dare, quo semper ipsius recordetur.

Quinto argumentor: Quia per baptismum aliquis ordinatur ad Eucharistiam, quæ non, nisi baptizatis dari debet: sed baptismus institutus est post Christi passionem, & resurrectionem, vt liquet ex Matthæi capite vltimo: ergo inconuenienter hoc Sacramentum fuit institutum ante passionem. *Matt.c.ulti.*

Ad hoc argumentum, & similia generaliter dicendum est, quod sunt leuissima. Quoniam cum hæc duo non habeant inter se se essentialem ordinem, quoad sui institutionem, sed liberum, scit Deus ingentes causas, ob quas ita fecerit. Dicere tamen poterit nostra imbecillitas, quod quia hoc Sacramentum pignus erat, & memoriale Dei agentis cum hominibus, & discedentis, iccircò dare Deus illud debuit, & instituere cum esset in hac vita. Et secundo, quia figura agni paschalis in hoc Sacramento implebatur, iccirco illo die cœnæ debuit institui. Et tertio, quod quia hoc Sacramentum erat dignissimum, iccirco tunc institui, & relinqui discipulis debuit, cum maximè eius memoria cordibus insigeretur imminente, scilicet, passione, & iam iam diuina largitate se profundente ad extremum ob amoris magnitudinem. Et quarto quia Sacramentum hoc, quanuis sit posterius in perceptione, quam baptismus, est tamen prius in intentione, & ideo debuit prius institui. Et quinto dici potest, quod baptismus iam erat aliqua ratione institutus in ipso Christi baptismo; & iam aliqui baptismo Christi baptizati erant. Vnde Ioannis tertio discipuli Baptistæ dicebant ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eũ. Et præter has plures alias causas, & rationes huius rei poterit quicunque sapiens excogitare. *Ioan.3.*

ARTICVLVS. VII.

Qua ratione præfiguratum fuerit hoc sacramentum.



QVANTO hoc Sacramentum altius est, & mirabilius, tantò pluribus, & expressioribus rationibus præfiguratum est, Deo sic prouidente. Decreui autem de eo non contendere, quæ figura præstatior fuerit, nam nec ipsæ figuræ sunt contentionis, sed vnitatis amicæ: & vnaquælibet earum suo modò & ratione mire exprimit rem significatam. Cum verò in hoc sacramento tria considerare possimus, scilicet, id, quod est sacramentum tantum, species, scilicet, panis, & vini, & id, quod est res, & sacramentum, scilicet, corpus Christi verum, & tertio, quod est res tantum, scilicet, effectus huius sacramẽti: offert se primo loco illud tam celebre Melchisedech sacrificium Gen. 14. de quo Diuus Cyprianus in epist. ad Cæcilium, loquitur in hæc verba: Itẽ in sacerdote Melchisedech sacrificij Dominici sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod scriptura diuina testatur, & dicit: Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum: fuit autem sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat Spiritus sanctus in Psalmis ex persona patris ad filium dicens: Ante Luciferum generaui te. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo vtique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panẽ & vinũ obtulit, quod Abrahã benedixit. Nã qui magis sacerdos Dei summi quã Dñs noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idẽ quod Melchisedech obtulerat, idest, panẽ & vinum, suum scilicet, corpus, & sanguinem. Hæc Cyprianus. Sũtq; huius figuræ plura alia Sãctorũ testimonia, quę modo referre non est nostrum institutum: Videat qui volet Diuum Hieronymum in epistola ad Euagrium, & in Psalm. 109. ibi; Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, Et libro de quæstionibus Hebraicis, & Eusebium Emissenum oratione quinta de Paschate, & Eusebium *Genes. 14.* *Cyprianus.* *Psal. 109.* *D. Hiero.* *Eusceb. Emi.*

Euseb. Cæsa. Cæsariensem libro quinto. demonstrationis euangelicæ capite. 3. Constat itaque illud Melchisedech sacrificium nostrum præfigurasse, maxime quoad speciem, & rem etiam ac sacramentum.

Quoad id autem, quod est res & Sacramentum, siue res contenta, illud certè figura agni paschalis expressit mirabiliter, id quod ex sacris ipsis literis habemus. Nam quod agnus ille paschalis fuerit Christi figura, testatus est Ioannes *Ioan. 19.* Euangelista, capite. 19. Vbi rationem reddens, quare milites non fregerunt crura Christi, ait: Facta sunt autem hæc, vt scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Quæ verba ità, vt à Ioan-*Exod. 12.* ne citata sunt, habentur in Exodo ca. 12. cum de ritu edendi agni paschalis sermo haberetur. Mirabilis autem est illius agni paschalis ad Christum immolatum, & in hoc sacramento contentum consonantia, vt figuræ ad figuratum. In primis enim agnus certè dicitur Dominus noster Iesus *Ioan. 1.* Christus qui tollit peccata mundi. Et sicut agnus coram tondente se, obmutuit, & cum pateretur non comminabatur *Esai. 53.* *1. Pet. 2.* E- saiæ. 53. & 1. Petri primo. Deinde sicut, *Exod. 12.* quando fusus est sanguis illius agni paschalis, perijt omne primogenitũ in terra AEgypti, & facta sunt à Deo iudicia in Deos AEgypti: ità sanguine Christi deleta sunt *Ioan. 12.* omnia peccata, & iudicium factum est mundi, & princeps huius mundi eiectus *Exod. 12.* est foras. Prætereà sanguine illius agni liberati sunt Israelitæ ab exterminatore siue angelo percutiente: & ita sanguine Christi liberamur à Dæmone & à morte quam ille nobis semper inferre conatur. Quod autem eius illius agni figuraret sumptionem corporis Christi, piè declarat San-*D. Gregor.* ctissimus Gregorius, homi. 22. super euangelia, Quid sit sanguis agni (inquit Gregorius) non iam audiendo, sed bibendo, didicimus. Qui sanguis super vtrunq; postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In vtroque etiam poste sanguis agni est positus, quando sacramentum passionis illius cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationẽ quoq; intenta mente cogitatur, simulq; & fide radiatur mens, & ardescit affectus charitate. In nocte etiam illi comedere iussi sunt agnum, quia & nos in Sacramẽto modo dominicum corpus accipimus, & velaminibus, ac speciebus circumuelatum, visuri posteà regem in sua maiestate splendentem, nec nostras ipsorum conscientias nunc videmus. Quadrat & illud, quod cõ-*Exod. 12.* medere illi iussi sunt azymos panes cum lactucis agrestibus. Panes quippe sine fermẽto comedit, qui recta opera, sine infectione mali finis exercet; qui mandata misericordiæ sine admixtione peccati exhibet. Carnes insuper agni cum lactucis agrestibus edendæ sunt; vt cum corpus redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris in fletibus affligamus, quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat à mentis stomacho humorem vitæ peruersæ. Hæc fere Gregorius. Iam verò si spectemus tempus solennitatis agni paschalis, inueniemus, quod per omnia ille typus extiterit rei contentæ in hoc Sacramento. Agebatur enim ea solennitas luna. 14. & 15. mensis Nisan, id est primi, post æquinoctium, scilicet, cum lux iam tenebras, & dies superat noctem. Quia nimirũ, vt ait Rupertus Tuicensis, ab im-*Rupert.* molatione agni immaculati Christi Iesu cœpit lux intimę peccatorum tenebras superare. Nec non & in Aprilis verna tempore tellus reflorescit, totusq; post hyemem quasi post senium iuuenescit orbis. Quæ satis docent, quod modo homo ille antea vetus, atq; aridus, & frigidus prisina peccati, spiritu renouatus, fide viridis, spe lætus, & charitate floridus, paschalis agni epulis intersit spiritualibus. Et tandem acutos ille diabolus, & elegans dæmon Gabrinus fatebatur ritum agni analogũ fuisse huius sacramenti. Nec prætereundum illud est, quod agnum illum paschalem lex iubebat *Exod. 12.* immolari, antequam comederetur: quod maxime suffragatur vsui ecclesiæ. Siquidẽ sacerdos post consecrationem Eucharistiæ offert dicens: Offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis, ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ. Et ipse Dñs mitẽ immaculatus est, quam nos ipsum in hoc sa-

cra

cramento manducemus. Quod si tertio loco effectum Eucharistiæ cōsideremus, fouentis animam & reficientis omni gratiarum munere, aptissime illam præfigurauit
Sap. 16 manna, de quo dicitur Sap. 16. Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis, sine labore omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Et Apostolus de hoc typo loquebatur. 1. Cor. 10. dicēs: Om-
1. Cor. 10 nes eādē escā spiritualē mēducauerunt, & oēs eūdē potū, spiritualē biberūt, &c. Vbi
Exod. 16. fit allusio ad manna, quod Deus legitur de cęlo misisse patribus in deserto Exod. 16. & ad aquas, quę fluxerunt de petra. Nā simili forma, postquam nos per baptismum mare transiuimus, vbi nostra peccata mersa, & extincta sunt, labores, & pericula deserti idest, sæculi huius cœlesti isto pane refecti toleramus, quousq; cœlestem patriam nobis promissam intremus. Atq; eodem allu-
Ioan. 6. dit ipse Dn̄s dicens Ioā. 6. Patres vestri mā ducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso māducauerit, non moriatur, & reliqua, quæ sequuntur capite eodem. Sunt præterea & aliæ huius sacramenti figuræ. Nam quoad rem contentam certissimum est eius figuram præcessisse in omnibus sacrificijs veteris legis; si quidem ea adumbrabant Christum patientem, & se ipsum pro nobis immolantem. Et quidem
Hebr. 9. ipse Apostolus Hebr. 9. docet, quod illud expiationis sacrificium, quando pontifex semel in anno cum sanguine intrabat in Sāncta sanctorum, fuerit figura Christi immolati, & immolantis. Et deniq; bene mihi
D. Damas. videtur docuisse B. Damascenus lib. 4. fi-
Exod. 25 dei c. 14. quod panes propositionis, qui ponebantur super mensam sanctuarij, fuerint vmbra huius sacramenti. Et hæc sufficiāt; quia non instituimus modo singula persequi. Solum volui animaduertere, quod Lutherus tam petulanter, & impudenter inuehitur in figuras huius sacramenti, vt meo iudicio satius esset ea verba delere oblivione sempiterna, quam commemorare. Illum, atq; Vvicleph, aliosq; eiusmodi irrisores impugnat Thomas Vvald. to. 2. Tho. Vual.
de Sacramentalibus à ca. 19. Videndus est de hoc Clitoueus lib. 1. contra Œcolampadium. cap. 2. & 19. & lib. 2. c. 5. & Ioannes Clitoueus.
Gloperius li. contra Sacramentarios ca. 43. Ioan. Glop.
& Gabriel. super canonem lectio. 55. & B. Gabriel.
Bonauent. in 4. d. 8. art. 1. Siquis verò do- D. Bonau.
ctrinam huius articuli legens offendat in eo, quod in sacrificio missæ nulla de agno paschali mentio habeatur, cum sit tam expressa figura, respondetur quod ibi solum ponuntur ea sacrificia, quæ & ex parte offerentis, & rei oblatæ grata fuerunt, Abel, scilicet, Abrahæ, & Melchisedech, qui omnes extiterunt in lege naturæ; quæ non est abrogata sed perfecta per gratiam. Sacrificium verò agni paschalis, & erat legis Mosaicæ, & sæpe offerebatur indigne. Sed aduersus hæc obijciunt hæretici inter alia, quod Melchisedech nō obtulerit panem, & vinum, sed exercitum Abrahæ pauerit, vt constat Gen. 14. pręcipuè, ac euidentius iuxta versionē. 70. & Chaldaicam. Respōdetur, quod si quidem sacri Doctores, illi, in quam, antiqui ecclesiæ proceres, affirmant Melchisedech panem & vinum obtulisse, non dubium, quin graue fundamētū haberet, illud vero esset inter alia, quod illud verbū protulit Gene. 14. in suo fontę habet etiam allusionem ad rē diuinam, & oblatione. Quocirca secundū ipsorū Hebræorum traditiones Melchisedech obtulit panē, & vinū, vt testatur Salomon Iachius, & Rabbi Samuel, & Rabbi Iohai, qui dicitur ante Christū extitisse. Et Philo li. de Abrahamo dicit expresse in Scriptura contineri, quod Melchisedech non solum socios Abrahæ cōuiuio exceperit, sed pro eis etiā hostias obtulerit. Non autem constat hoc, nisi ex illis verbis: Protulit panē & vinum: ergo ex illis colligitur vtrumque fecisse Melchisedech. Ità Matth. Galenus de sacrificio Missę, cap. 3.

QVAESTIO SECVNDA, DE MATERIA HVIVS SACRAMENTI.

ARTICVLVS. I.

An materia huius sacramenti sit panis & vinum.

MIRABILE, vel potius miserabile auditu est, in quot errores, & quales dementias deuenerint hæretici circa materiam huius Sacramenti. Quidam proprio nomine dicti cathariſtæ, id est mundatores, vel purgatores, generali verò Manichæi, cum assererent cibos omnes ex pugna, & commixtione mali Dei malos esse, & infectos, in eam execrabilem superstitionem deuenerunt, vt dicerent, Eucharistiā conspersam cum semine humano sumendam esse, vt inde, sicut de alijs etiam cibis docent, substantia illa diuina purgetur. Quod quam fieret nefaria turpitudine, dicere etiam ac referre pudet. Hac enim de causa eorum virgines infœlicissime violabantur, vt videatis imposturas, & machinamenta Diaboli. Istorum mentionem facit Diuus Augustinus, lib. de hæresibus, cap. 46. His affines videntur qui Cataphryges dicuntur, quod Phrygiæ prouinciam habitarent. Ij teste eodem Diuo Augustino libro citato cap. 26. de infantis anniculi sanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus expungunt, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes. Qui puer si mortuus fuerit habetur apud eos pro martyre, si autem vixerit pro magno sacerdote. Tertio loco constitui possunt Artotyritæ; quibus oblatio propria nomen dedit. Offerunt enim panem, & caseum dicentes à primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ouiū fuisse celebratas. De quibus Augustinus eodem lib. c. 28. Quarto succedant, Aquarij. De quibus mētio fit eo in loco. c. 64. Ij plus nimio amici sobrietatis, eam adeò colebat, vt eius conseruandæ causa, etiam pro calicis consecratione sibi non vtendum vino, sed aqua arbitrarentur. Veritas autem catholica est, quod materia huius sacramenti est panis & vinum: vt constat Matth. 26. Marci. 14. Lucæ. 22. 1. Corint. 11. & diffinitur concilio tertio Carthagin. cap. 24. suorum decretorum, & Sexta Synodo generali cā̄nione. 32. & in concilio Florentino sub Eugenio, 4 in instructione data Armenis, & in concilio Tridentino, sess. 13. cap. 1. Nec in hoc oportet immorari: nam est vox scripturæ, conciliorum Sanctorum, & totius ecclesiæ Dei. Et hæc pro constituenda hac veritate. Sed cum quæritur ratio eius institutionis, vt materia sit panis, & vinum, ego fateor, quod quotiescunq; adsunt eui dentia scripturæ vel ecclesiæ Dei testimonia, hæc est mihi sufficiens, & efficax ratio, ne dicam sola. In similibus enim mysterijs illud Diui Augustini libentissimè audio, cœlum tonat, ranæ taceant. Non tamen hoc ideo dixerim, quod vituperem eos, qui aliquas congruentias pro captu humano offerre conantur: sed potius laudo, dummodo id humiliter modestéque fiat. Qua ratione à sapientissimis viris lectimus tactum. Sunt igitur procul dubio rationabiles causæ huius institutionis. E quibus vna videtur: quia sicut baptismus est spiritualis ablutio: ità Eucharistia est

Margin notes: D. August. — D. August. — Matth. 26. Marci. 14. Lucæ. 22. 1. Cor. 11. Cōc. Carth. Sexta Synod. generalis. Conc. Flor. Cōc. Trid. — D. August.

est spiritualis refectio: ergo sicut materia baptismi est illa, quæ magis conuenit propriè ablutioni: sic conueniens materia Eucharistiæ est illa, quæ aptius, & communius conuenit refectioni. Hæc verò sunt panis & vinum; panis per modum cibi, vinum per modum potus: ergo panis, & vinum sunt conueniens materia huius Sacramenti.

Secundo, quia hoc Sacramentum est refectio viatorum ab hac lachrymarum valle ad Dei gaudia redeuntium. Vnde & viaticum dicitur, refectio autem viatorum, quibus non licet per celeritatem itineris, & desiderium perueniendi in patriam exquisitiora quærere: constat ex facile parabilibus, qualia sunt panis & vinum. Vnde apud nos factum est iam tritum sermone prouerbium. Pane ac vino iter peragitur. Tertia cõgruentia sumi potest ex his, quæ in hoc Sacramento significantur: significatur enim, & res contenta, scilicet, Christus & res non contenta, nẽpe, eius corpus mysticum, & ipsius passio & animæ refectio.
D. August. Quæ omnia illis speciebus aptissimè repræsentantur. Corpus quidem verum, & mysticum, ex eo quod, sicut panis conficitur ex pluribus granis, & vinum confluit ex pluribus racemis: ità corpus Christi verum constitutum est ex pluribus membris; & mysticum constat ex pluribus personis. Ratione etiam suæ præparationis cõuenientissimè panis repræsentat Christi passionem: quia panis in clybano igne concoquitur: & vinum torculari exprimitur. Et simili quadam ratione Dominus, & coctus est igne passionis, & de eius corpore tormentorum, & vulnerum vis sanguinem expressit. Et quemadmodum in passione fluens ille sanguis à corpore est separatus: ita in hoc Sacramento seorsum sumitur species panis, vt Sacramentum corporis, & species vini vt Sacramentum sanguinis. Quod autem significetur etiam animæ refectio, satis ipsum per se constat. Panis siquidem & vinum alimentum est.
D. Damasc. Quartam rationem adhibet Diuus Damascenus. Quia consuetum est hominibus manducare panem, & bibere vinum: ac propterea eis Dominus suam diuinitatem copulauit, faciens ea corpus & sanguinem suum, vt per ea, quæ consueta sunt, & in quibus vita conseruatur, mens ad cœlestem vitam, & superna transferretur. Et denique concludamus cum Diuo Augustino horrori fore, si carnem crudam comederemus, & deuoraremus sanguinem. D. August. Et ideò nobis Dominus in hoc sacramento carnem & sanguinem nobis cummendauit. Et propterea etiam ne ab incredulis religioni Christianæ insultaretur, & nec veritas desit, nec horridum aliquid, aut ridiculum fiat. Istæ ergo videntur causæ, & rationes probabiles: nam veræ, & præcipuæ soli Deo notæ sunt. Id autem syncerissimè affirmandum, & firmissimè credendum est, quod quanuis huius institutionis rationes ignoraremus, nulla tamen materia, conuenientius eligi potuit, quam panis & vini, quam elegit & instituit sapientia Dei.

Argumenta contra veritatem propositam non possunt leuia non esse. Sed opponi solet, quod cum hoc sacramentum sit passionis Christi memoriale, & carnes animalium, quæ in lege veteri immolabantur, significantius passionem repræsentarent, videntur carnes potius, quam panis, & vinum fore consecrandæ.

Respondetur, quod proculdubio si carnes consecrarentur, & ponerentur materia huius sacramenti, plura essent, & grauiora incouuenientia, quam homines possint intelligere. Qui igitur ista dicunt, in qua carne vellent instutui hoc sacramentum? In carne Christi manente sub propria specie, an in carne alicuius animalis? Si materia esset caro Christi sub propria specie, pudet etiam referre, quæ sequuntur. Nam in primis comederemus carnes humanas. Quæ verò est natio tam barbara, & ferina, quæ deuoret humanas carnes? Certè nulla; nisi in belluarum feritatem degenerauerit. Quocirca apud priscos illos Philosophos, atque sapientes, ἀνθρωποφάγοι, monstra habebantur in natura, vt qui humanitatem omnem exuissent. Quid quod si illa caro assaretur, vel coqueretur, iterum videremur Christum crucifigere, si cruda maneret, certè nec immanes

nes illi barbari carnem humanam deuorant crudam. Adde, quod si illa vesceremur tandem consumeretur, Christus verò secundum propriam speciem immortalis, impassibilis, & incorruptibilis est. Et denique quam absurda, & horrida hominibus futura esset ea institutio, Ioan. 6. declarauerunt, qui dicebant: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Si autem caro alterius animalis institueretur in materiam, videremur imitari illa animaliū cruenta sacrificia, quæ in lege veteri celebrabantur: cum tamen verissimè fateamur legem illā cessasse. Et nec illæ carnes crudæ sumi possent, nec paratæ decenter & reuerenter tractari, nec ea animalis caro tam esset communis, quam necessitas postularet. Et præter hæc omnia, falsum est, quod ea caro significantius repræsentaret ea, quæ in Eucharistiæ Sacramento repræsentantur. Species enim panis corpus Christi verum significat, & eius passionem, & vnitatem ecclesiasticā, & solidam refectionem mentis, quæ omnia carnibus animalium non ità quadrant. Atque ex his licet colligere quæ ratio fuerit, cur cum hoc sacramentum, & in lege naturæ, & in scripta significatum fuerit, tamen institutum est in materia, in qua præfiguratum fuit in lege naturæ, & non in ea in qua præfiguratum fuit in lege scripta. Ratio, inquam, est, tum quia lex naturæ perseuerat, lex vero scripta cessauit: tum quia conuenientior fuit materia, in qua prę figurabatur in lege naturæ. *Ioan. 6.*

Solet secundo obijci, quod in aliquibus prouincijs non inuenitur triticum, vel vinum: ergo hæc non est necessaria materia huius sacramenti, quod pro salute omniū est institutum. Communis autem, & vera responsio est, quod debet deferri triticum, & vinum ad eiusmodi regiones, id quod pro vsu huius sacramenti non admodum difficile est. Et hæc de hoc articulo. *B. Tho.*

Sed est dubium, an si esset aliqua regio ad quam non posset asportari vinum, vel conseruari, posset summus Pontifex dispēsare vt solum consecraretur in pane. Quā quæstionem mouet Innocentius tertius, lib. 4. mysteriorum missæ. cap. 23. & indecisam relinquit. Ego vero breuiter ponā quæ certa sunt, deinde id, quod est dubium. Dico ergo primum, quod qui consecraret panem sine vino, peccaret graui peccato sacrilegij. Probatur: Quia est præceptum diuinum consecrandi vtranque speciem: Sic censet Gelasius Papa capit. comperimus de consecratione distinct. 2. & Innocent. vbi supra, & Sanct. Thom. in quarto, dist. 11. quæstione, 2. quia tunc non conficeretur integrum Sacramentum. *Innocent.* *Gelasius.* *Innocent.* *B. Tho.*

Dico secundo, quod si sacerdos conficeret sine vino, esset vera consecratio. Probatur. Quia consecratio panis, vel vini sunt actiones absolutæ, & vna non dependet ab alia: ergo si sacerdos cōsecraret panem verè consecraret. Hæc duo quæ posuimus certè sunt vera. Et quod sacerdos ille consecraret, & quod in nullo casu id liceat inconsulto summo Pontifice, sed peccet grauiter, qui id facit. Sed est dubium, an posset Pontifex dispensare vt id fieret. Quibusdam videtur vera pars affirmatiua, ex quibus est Adrianus in quarto tractatu de Eucharistia, & Angelus verbo Eucharistia. Gabriel super canonem lectione. 53. & Turrecremata in cap. cum primis de consecratione, distinctio. 2. citat Albertū Magnum, qui tamen dubitāter respondet. Et probatur hæc sententia primum: Quia æquum & rationabile videtur, vt pontifex tūc dispēsaret propter intolerabile dānum, quod incurreretur ex defectu sacramenti, præsertim cum illud corpus non esset sine sanguine. Et hæc est ratio angeli. *Adrianus* *Angelus.* *Gabriel.* *Turrecre.* *Alber. Magnus.* *Angelus.*

Secundo argumentor: Quia hoc Sacramentum non est necessarium necessitate finis sicut baptismus, vel pœnitentia pro his, qui post baptismum peccauerunt: ergo poterit in eo dispensari modo supra dicto.

Tertio argumentor: Quia Innocentius octauus dispensauit de facto cum Noruegianis, quod qui dicunt adducunt scholia sten in additiones ad chronicam Eusebij folio. 152. Onufriū in suo chronico. Volaterranum, libro. 7. capit. 4. Sed partem negatiuam tenent Syluester verbo Eucharistia, primo, quæstione quinta, & Paludan. in quarto, distinctio. 11. & Caiet. 3. par. quæstione *Innocent.* *Scholiast.* *Onufrius.* *Volaterra.* *Syluester.* *Palud.* *Caietan.*

stione.74.art.1.& Soto,in.4.distinctio.9. quæst.1.art.1. Ego vero dico, quod apud me prior illa sententia non est probabilis ratio autem est, primum, quia pro secunda sententia militat diuinum præceptum euidenter; illa tamen prior nititur rationibus ex arbitrio hominum profectis atq; illis parui momenti.

Soto.

Et secundo argumentor: Quia quemadmodum baptismus Dei beneficio & largitate institutus est in materia maximè communi secundum rationem lotionis, & tamen quando aqua non inuenitur (quod ex profundo iudicio summi Dei censendum est prouenire) non est vere baptismus; ità sacramentum Eucharistiæ institutum est in materia maxime communi secundum rationem refectionis, quæ tamen integra si defuerit non erit integrum sacramentum. Et tenere videtur hæc ratio à fortiori, vt dicunt; Quia si quid ex æquitate animi diffiniendum esset ab hominibus; potius diffiniendum videretur pro baptismo, qui est omnino necessarius ad vitam, quam pro Eucharistia.

Et tertio confirmo: Quia casus, quem illi authores fingunt, est metaphysicus: re enim ipsa in omni regione haberi potest triticum, & vinum sufficiens pro materia & vsu sacramenti Eucharistiæ. Exercitatus autem in sacris literis videbit, quod sapientissimi Dei lex, & præcepta atq; instituta non respiciunt eos casus metaphysicos nec propter eos hæc præcepta amittunt suam vim. Et quidem hisce temporibus quanuis initio conuersionis alterius orbis, cui sol iustitiæ qui lustrat vniuersa, in nouissimis diebus apparere dignatus est magna dicatur fuisse indigentia vini, & tritici, etiam pro vsu huius sacramenti: non solum tamen non ideo deductus sum ad alteram sententiam, verum etiam mirabile Dei consilium suspexi, & contemplatus sum. Cum enim hoc sacramentum Eucharistiæ illustriorem fidem, & altiorem quandam dispositionem requirat, effectum est Dei prouidentia, vt ipsa necessitate compellente tempus expectaretur, quo homines illi cultiores essent in fide, ne corpus & sanguis Dei conculcaretur.

Ad primum argumentum dico, quod fingere, quod in aliqua regione bene culta, & disposita ad susceptionem huius sacramenti, deficeret modus, quo illuc asportaretur triticum, & vinum sufficiens pro vsu huius sacramenti, est mera fictio. Et tamen hypothesi facta, tribuendum id esset Dei iudicio occulto potius, quam permittendum, vt sine vino consecraretur. Videmus si quidem, quod multi decedũt, quibus accurri non potest per baptismum & id tribuimus Dei iudicio.

Ad secundum dico, quod illud si rectè consideretur, non parum nobis fauet. Nã si in baptismum non cadit dispensatio cum omnino necessarius sit, cur cadet in sacramenti Eucharistię integritatem, cum hoc sacramẽtum non ità necessarium sit.

Ad tertium de dispensatione Innocentij cum Noruegianis dico, quod ego eos authores, quos illi citant non vidi, nec credo verum esse, quod cum ea prouincia in hoc fuerit dispensatum. Quod si dispensatum ab aliquo pontifice fuit, aliud est facere, aliud prudenter & ritè facere.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm materia consecrationis debeat esse præsens.



Conueniunt ferè Doctores in eo, quod cum forma verborum in hoc Sacramento contineat pronomen demonstratiuum, sitque ea demonstratio rei præsentis, secundum sensum, requiritur proculdubio præsentia materiæ, alioqui ex parte formæ supponeretur aliquid falsum. Constat atque hæc doctrina ex vsu ecclesiæ, secundum cuius traditionem, & consuetudinem materia absens non consecratur. Illam vero materiam dicimus esse præsentem, eamq; illius præsentiam requiri, quæ more loquendi & censendi hominum pręsentia rei censetur, vere vt dici possit, hoc est, vel hic est, &c. Quocirca quæstiones illæ quorundam, quid si materia sit post tergũ, quid si post parietem, & c? mihi videntur

dentur quæstiones hominum otio abutentium: nec enim ea materia dicitur præsens & obiecta sensui. Et fortasse non male dicebat Durandus in quæstione. 6. distinctionis. 11. quarti, quod si materia sit in distantia quidem longissima, ad quam tamen se posset extendere visus, nō iccirco præsens esse diceretur. Sicut nec etiam nos per oppositum absentes esse dicimur cæcis, quādo nos vel audiunt, vel tangunt, vel corā ipsis sumus: quapropter cæcus bene posset consecrare.

Durand.

Sed in oppositum argumentor primum, quia quibusdam videtur, quod si quis manibus teneret materiam post tergum tamen positam, eam posset consecrare. Respondetur, quod si res ita haberet mihi etiam id est probabile. Sed ferre non possum hominum ingenia, terentium tēpus in his imaginationibus,

Secundo argumentor: Nam sacramentum matrimonij potest celebrari inter absentes: ergo & potest consecrari materia absens. Ad hoc argumentum quidam negant antecedens. Ex quibus est Caietan. in opusculo de matrimonio. Quo loco quanuis fateatur, quod illud matrimoniū est indissolubile, negat tamen esse Sacramentum. Alij admisso antecedenti negāt consequētiam. Et ratio est: Quia cum fundamentum in Sacramento matrimonij sit contractus quidam naturalis, & ciuilis, quem Dominus euexit ad Sacramenti dignitatem, & consensus vtriusque partis censeatur moraliter præsens per procuratores, fit, vt matrimonij Sacramentum possit celebrari inter absentes. At verò alia sacramenta requirunt præsentiam materiæ, quia consistunt in consecratione materiæ vel personæ: & sic absens non potest baptizari, nec ordinari, nec absolui à peccatis. Ad hunc modum quidam respondent, & certè in baptismo eius susceptio & passio est personalis, in confessione sacramentali actus pœnitentis debet esse personalis, & in Eucharistia præsentem debere esse materiam ipsa forma declarat. Quid vero de matrimonio dicendum sit, non est huius loci pertractare.

Caietan.

Tertio argumentantur aliqui: Nam demonstrationes, quę fiunt per intellectum propriè sunt demonstrationes: ergo quanuis in forma consecrationis claudatur pronomen demonstratiuum, sufficiet ad rationem eius formæ demonstratio per intellectum, quæ potest esse rei absentis.

Respondetur breuiter, quod quemadmodum omnis actio, quæ dicitur ad extra est circa particulare, & quemadmodum peculiariter consecratio est circa particulare: ita demonstratio contenta in forma consecrationis, debet esse alicuius particularis noti ad sensum.

Quarto alij argumentantur, qui tenent oppositam sententiam: Nam quando sacerdos plures hostias simul congregat, tunc consecratio peruenit ad eas, quæ latent sub alijs; posset que etiam sacerdos vinum transsubstantiare calice cooperto: ergo in consecratione, inquiunt, non requiritur præsentia materię. Respondetur, quod quando sacerdos consecrat multas hostias simul, tota illa multitudo est præsens, & quando calix est coopertus etiam est præsens. Atque hinc fit, quod quanuis ex hostijs alia sint sub alijs, & quanuis sacerdos ignoret numerum earum, verè tamen illæ omnes consecrantur, & siue calix coopertus sit, siue secus, vera est consecratio. Adeo, vt licet, casu aliquo mutatum esset vinum, quod sacerdos miscerat, dum tamen subesset vinum, vere consecraretur, quoniam intentio & est & esse debet absolutè consecrandi hoc, vt forma sonat.

ARTICVLVS. III.

An quantitas panis & vini ad materiam huius sacramenti, sit indeterminata.



HIC ponendum est in primis, quod non vertitur in dubiū, an materia huius sacramenti sit indeterminata adhunc sensum, quod possit esse infinita. Sed quærimus, an materia huius sacramenti, vt stat & subijcitur præsentię sacerdotis, sit indeterminata, confusa quadam ratione: quoniam

niam posset esse tanta, vel tanta, maior vel minor.

Secundo ponēdum est, quod aliud est aliquid posse facere, aliud ritè, ac benefacere: non controuertimus modo, quantam materiam possit sacerdos licitè consecrare (id quod secundum prudentiæ leges definiendum esset, pro ratione temporis, & circunstantiarum.) Sed quærimus, an sit indeterminata ea, quam consecrare potest siue id ipse licitè fecerit, siue illicitè; indeterminata inquam, quo ad magnitudinem vel paruitatem subiectam præsentiæ.

His positis respondeo, dicendum, quod quantitas panis, & vini ad materiam huius sacramenti, requisita est indeterminata, modo explicato, tam quoad magnitudinem, quam quoad paruitatem. Cuius ratio est, primum, quia concurrentibus omnibus, quæ sunt de necessitate sacramenti, est verum sacramentum: sed quæcunque sit quantitas panis, & vini præsens sacerdoti, concurret ex parte materiæ; id quod est de necessitate sacramenti: ergo poterit cōsecrari. Igitur dummodo maneat verus panis, & verum vinum, non est aliqua eius quantitas determinata.

Secundo argumentor: Quia in omnibus habentibus materiam ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem: Sicut ideò serram ex ferro conficimus, quia ordinatur ad scindendum, finis autem huius sacramenti est vsus fideliū: ergo oportet, ꝙ quātitas materię in hoc sacramento determinetur per comparationem ad vsum fidelium, non autem potest esse, quod determinetur ad vsum fidelium, qui nunc occurrunt, aliòqui sacerdos paucos parrochianos habens, non posset consecrare multas hostias: ergo relinquitur, quod materia huius sacramenti determinetur per comparationem ad vsum fidelium absolutè: numerus autem fidelium est indeterminatus: ergo dici nō potest, quod materia huius sacramenti sit determinata.

Sunt vero contra ea quæ dicta sunt duæ sententiæ. Prima est asserentium, quod est quidem determinata quantitas panis, & vini pro materia huius sacramenti, ex parte magnitudinis: sed non est ea determinatio nobis nota. Ita tenet Palud. in quarto, distinctione. 11. quæstio. 1. articulo. 3. conclusione. 1. & Alexand. Halensis in supplemento, & Angelus verbo, Eucharistia. Et ad hanc potest reduci illorum sententia, qui dixerunt, quod sacerdos non potest cōsecrare materiam, nisi in determinata quātitate, scilicet ꝗ quantum cedere debet in vsum fidelium. Horum mentionem facit Durandus in quarto, dist. 11. quæstione. 6. *Palud.* *Alex. Alex.* *Angelus.* *Durandus.*

Secunda sententia est aliorum, qui dicunt, quod aliqua quantitas panis, & vini, est ità parua, vt consecrari non possit. Ita tenet Capreolus in quarto, distinct. 13. quæstione. 1. ad argumenta contra secundam conclusionem. Et videtur tenere Palud. dist. 11. quæst. 4. Igitur in gratiam horum doctorum, & præcipuè contra ea, quę nos diximus est argumentum. Primum, quia ea materia, quæ nobis potest esse præsens non potest esse infinita: ergo est finita, & limitata: ergo nota est Deo determinata illa quantitas, quæ potest esse materia cōsecrationis. Respondetur, quod id, quod non est non scitur: & quamuis materia quæ potest esse præsens sacerdoti, non sit infinita, absolutè tamen non est ità determinata, vt hac proposita nō possit proponi alia aliqua ratione maior, quod certè est euidenter, verum moraliter loquendo. Et idcircò verissimè dicimus, quod non est determinata quantitas panis, & vini pro materia huius Sacramenti. *Capreo.* *Palud.*

Secundo argumentor: Quia secundum Hugonem de Sancto Victore, Sacramentum irritum reputatur si contra institutionem celebretur: ergo intentio ministri debet concordare institutioni sacramenti: sed institutio eius fuit propter vsum fidelium: ergo, si minister tantum intendat consecrare, quantum potest in vsum fidelium cedere, verum est Sacramentum; aliter non. Respondetur, quod doctus ille Hugo de Sancto Victore ideò dixit, irritum esse Sacramentum, si contra institutionem celebretur; quoniam si omittatur aliquid eorum, quæ secundum diuinam institutionem pertinent ad rationem sacramenti, irritum erit, & nullum sacramentum *Hugo de S. Victore.*

tum. Atque pro noſtra ſententia doctè contra iſtos arguit Durandus. Primo, quoniam ea tantum intentio miniſtri requiritur, quæ eſt de his, quæ intrinſecè pertinent ad Sacramentum, alia vero nec tollit nec ponit, ſed habet ſe per accidens. Si enim aliquis baptizaret puerum non ea intentione, vt puer gratiam conſequeretur, ſed pecuniæ cupiditate, vel alia ratione, tunc ſiniſtra illa intentio non irritat Sacramentum: ergo pari ratione, quamuis Sacerdos haberet intentionem conſecrandi plures hoſtias, quã eſſent neceſſariæ, dum tamen vellet conſecrare, cõſecratio teneret.

Durand.

Secundo arguit Durandus: Quia magis eſt contra inſtitutionem huius ſacramẽti, ſi conficiatur ſolum intentione faciendi ex eo veneficium, vel ſacrilegium, quam ſi conficiatur abſque intentione, quod cedat in vſum fidelium, vel cum intentione, quod non cedat in eum vſum: ſed primum illud non euacuat Sacramentum: ergo nec ſecundum. Atque hæc de ſecundo argumento.

Tertio argumentor: Quia miniſtris eccleſiæ non eſt à Domino data poteſtas ad ea, quæ faciunt ad irriſionem fidei, & Sacramentorum eius, ſecundum illud 2. Corinthio. 10. Secundum poteſtatem, quam dedit nobis Deus in ædificationem, & nõ in deſtructionem: ſed hoc eſſet ad irriſionem Sacramenti, ſi vellet ſacerdos conſecrare totum panem, qui venditur in foro, & totum vinum, quod reconditum eſt in cellario: ergo ſacerdos hoc facere non poteſt. Reſpondetur, quod poteſtatis miniſtrorum eccleſiæ duplex finis conſiderari poteſt: vnus, qui eſt proprius actus, ſiue effectus eius poteſtatis, alter eſt finis operantis: & ſecundus hic finis non tollit propriũ effectum. Quocirca, ſi ſacerdos intendat conſecrare corpus Chriſti propter aliquẽ malum finem, peccabit quidem propter eam intentionem, ſed nihilominus perficiet Sacramentum, ob poteſtatem ſibi datam.

2. Cor. 10

Quarto argumentor: Nam, ſi quis baptizetur in mari, non tota aqua maris ſanctificabitur per formam baptiſmi, ſed ſolum aqua illa, qua corpus baptizati abluitur: ergo nec in hoc Sacramẽto ſuperflua quantitas panis, & vini conſecrari poteſt. Ad hoc negatur conſequentia: quoniam baptiſmi ſacramentum perficitur in vſu materiæ: & ideo per formam baptiſmi non plus de aqua ſanctificatur, quam quantum venit in vſum: ſed hoc ſacramentum perficitur in conſecratione materiæ, & ideo non eſt ſimile.

Sed quinto loco ij, qui putant dari tam paruam quantitatem panis, & vini vt conſecrari non poſsit, argumentantur; Quia illa materia non eſt ſenſibilis, & ſacramentum eſt ſignum ſenſibile: ergo ea materia non poſſet conſecrari. Negamus tamen, quod detur aliquid, in quo maneat veritas panis, vel vini, & quod id non eſſet ſenſibile, & ex natura ſua & re ipſa; & quando cõſecratur hoſtia quælibet eius pars eſt ſenſibilis, & ex natura ſua, & in ſuo toto, quod per ſe primo conſecratur. Alij obijciunt, quod videatur fuiſſe determinata quantitas vini, quoniam dictum eſt; Hic eſt calix. Oportet vero vinum contineri in calice; ac per hoc quantitatem eius nõ excedere. Sed hoc frigidum eſt, quoniam ſicut cũ dicitur: Hic eſt panis, potuiſſet eſſe maior, aut minor ea materia; & eſſe vnus, vel plures panes: ità & de calice dicẽdum eſt. Et hæc de hoc articulo.

ARTICVLVS. IIII.

An ſolus panis triticeus ſit materia huius Sacramenti.



SCIENDVM eſt, quod res, quæ aſſumũtur ad vſum ſacramentorum, ſunt ſemper illæ, quibus propriè, & per ſe competit ratio ſignificata per nomen, ſicut aqua, quæ eſt materia baptiſmi, eſt aqua naturalis, cui propriè & per ſe, & primo competit ratio aquæ, & non aqua roſacea, vel aliæ eiuſmodi. Et ſimiliter in ſacramento extremæ vnctionis oleum eſt materia, illud, ſcilicet, ſolũ, cui primo cõuenit ratio nominis, ſcilicet, oleũ oliuarum, non oleum amygdalinum, vel ſimilia:

similia: cum ergo panis, & vinum sint materia huius sacramenti, cōstat, quod nomine panis intelligi debet, qui proprie & per se talis est, scilicet, triticeus. Vnde glossa super illud Ioan. 12. (Ioan. 12.) Nisi granū frumenti cadens in terrā mortuū fuerit, Cum sint, inquit, multa grana seminū, nulli se cōparat, nisi frumētū. Vnde mos cœpit ecclesiæ, de hoc solo grano corpus Dñi cōfici. Itē secūdo hoc ipsum declaratur: Quia ad vsum sacramētorū assumitur ea materia, quæ cōmunius apud homines in talē vsum venit inter genera verò panis cōmunius vtitur homines pane triticeo, atq; alij panes non sunt introducti, nisi ob huius panis defectū ergo solus panis triticeus est materia huius sacramēti.

Tertio hoc ipsum probatur; & ex vsu ecclesiæ, (Conc. Flor.) & ex communi sententia doctorū, & quia in cōcilio Florētino explicatū est, quod materia huius sacramēti sit panis triticeus. Et ita docet D. Damasc. lib. 4. c. 14. D. Basilius li. 1. cōtra Eunomiū, Origenes tract. 31. circa illud Matthæi, hoc est corpus meū. Sed quia circa hoc variæ subortiri solēt cōtrouersiæ, & plurimæ dubitationes, iccirco quo eas ad formā aliquā rationis, & artis reducamus, iaciēdū est, & tenēdū firmiter hoc fundamētū, quod materia huius sacramenti est panis triticeus, quod enim aliqui opponūt in aliquibus regionibus nō inueniri, leue est pari siquidē ratione dicere possent, quod vinum nō est materia sanguinis, quia in aliquibus regionibus nō inuenitur. Ex his sequitur primo quod panes cōfecti ex lolio, auena, fabis, cicere, lete, & id genus alia, imò, vt cōmuniter dicitur, & ex hordeo, nō sunt materia huius sacramēti. Sequitur secūdo id, quod est multo euidētius, quod panes vel pastę ex amygdalis, castaneis, nucibus alijsq; eiusmodi fructibus aut radicibus arborum nō sunt materia huius sacramēti. Sequitur (Caiet.) tertio, quod dicere, vt Caietanus dicit, quod dūmodo fiat & resultet panis, nō est curandū ex quibus granis fiat ad hoc, vt sit apta materia huius sacramenti, vel est nihil dicere, vel rem relinquere in ambiguo. Nam quanuis dicat se loqui de eo, qui est, & dicitur verè & simpliciter panis, dicens tamen AEthiopes, quod hordeum est suus panis, & Indi, quod suum marziū est suus panis, & plures regiones antequam tritico vterentur, communiter vtebantur varijs generibus panum; quæ omnia velle vt materia sint sacramenti alienum est à ratione. Ac proinde non habemus vnde colligamus quis sit verus panis & congruens materia huius sacramenti, nisi ex granis atq; genere materiæ, ex quo conficitur panis. Præter hoc autem fundamentum aliud iaciendum est, nimirum, quod dummodo panis sit triticeus, nihil refert ad materiam huius sacramenti, vtrum genera aliqua tritici non modo differant qualitate, sed etiā specie, an non; quemadmodum dummodo sit aliquid vinum vitis, nihil refert; an vuæ sint diuersæ qualitatis, & specie, an secus. Itaque ea quæstio physicis relinquatur, ad nos autem non spectat. His constitutis incipiamus iam summatim, & breuiter declarare quid sentiamus de diuersis materiebus, de quibus Theologi disputāt an sint materia huius sacramenti.

De siligine dico, quod quanuis non sit ità potentis, & solidæ nutritionis, atq; alia genera tritici, vere tamē est triticum, imò & panes ex ipso delicati sunt, & faciles, & gustui iocundi; vt constat ex grauibus authoribus, nos appellamus, trigo candial. Et de hoc non est dubium, quod sit materia huius sacramenti. Quod autem Sanct. Thom. 3. p. quæstione. 74. articulo. 3. dubitauerit, (D. Tho.) an siligo esset materia huius sacramenti, inde prouenit procul dubio, quod existimauerit siliginem significare id, quod nos appellamus centeno; & Græci atque Latini Græco nomine Typham vocant. Sed nec de hoc dubitare debemus esse materiam huius Sacramenti, quoniam est species quædam imperfecta tritici. Vnde ex Typha in terris feracibus solet nasci triticum, & Triticum in arenosis ac sterilibus solet ad Typham degenerare ob virtutis terræ defectum. Et hæc de siligine & Typha. De farre, Hispanè verò, scandra, dico quod est genus tritici, & ex eo nascitur triticū, & illud ex tritico nascitur, & panes ex ipso cōfecti recepti sunt in cōmunē vsum etiā

apud delicatos,illo vtuntur Astures in Hispania;ac proptetea est conueniens materia huius sacramenti. Et qui hoc negant,vt S.Thom.loco citato,fortasse accipiunt far rem pro quadam alia pabuli specie, qua vescuntur animalia apud Cathalonios.

B.Thom.

De spelta,Græcè zeia,non vt aliqui dicunt zea,nam Zea Græcis est Iouis,& Latonæ filia,quæ Diana apud homines,Proserpina apud inferos,Luna in cœlo nuncupatur,igitur de spelta sunt variæ sententiæ. S.Thom.loco citato,& Marsilius in quarto,quæst.6.artic.1.& Syluester verbo Eucharistia,primo,quæst.1.atque alij negant esse materiam huius sacramenti. Albertus Magnus in quarto,dist.11.artic.7.& Thomas de Argentina,artic.1.& Palude,& Soto,& Caietanus tenent oppositum. Ego dico,quod ego speltam nunquam vidi,nec scio quod genus frumenti sit, ac proinde diffinire non possum quid de hoc dicendum sit, nisi generali quadam ratione.

S.Thom. & Scotus. Marsil. Syluest. Albertus. Tho. Argē. Palud. Soto. Caiet.

Dico ergo primum,quod certè Zeia apud Græcos generale nomen est,& accipitur tum pro genere hordei,tum pro pabulo, frumento,tritico,fœno, herba, gramine, quæ ille nomine Xilos,vel Xilon solent significare. Dico secundo , existimare me, quod spelta est varia in varijs regionibus, ac proinde de ea tam diuersa dicuntur.

Dico tertio,quod vbi magis accesserit ad hordeum,quam ad triticum non erit materia huius sacramenti. Sicubi autem , vt quidam referũt,accesserit ad triticum erit materia. Atque hoc documentum seruandum est in similibus, & non imprudenter diffiniendum,quòd omnino sit materia, vel secus. Accidit enim,vt quod frumentum in hac prouincia, & regione appellatur tali nomine,sit materia huius sacramẽti;& in alia prouincia illud idem nomen ac cõmodetur frumento,quod non est materia. Et quod peculiariter hoc inueniatur in spelta,inde mihi fit probabile,quod Palude testatur in pluribus ecclesijs consecrari panem ex spelta,& S.Thom.etiam hoc fatetur. Et quidem si spelta sit quam Græci zeian peculiariter acceptam appellabant, laudat Homerus terram,quæ illa ferat,ac proinde videtur esse delicata species triti-

Palud. B.Tho.

ci. Ex alia verò parte relatũ mihi est,quod spelta in Italia est pabulum iumentorum, ac proinde videntur eo nomine significari genera diuersa frumentorum.

De Amilo dico,quod quanuis S.Tho. loco citato,& Scotus in quarto,distinc.11. quæst.6.& Syluest.verbo,Eucharistia, primo,§.2.dicant non esse materiam conuenientem,cautius tamen mihi videntur loqui qui tenent oppositum. Et ratio est, quia cum amylon fiat ex purissimo tritico & sæpe tã liquida ferè sit ea massa ,ex qua hostiæ conficiuntur,atque amylon, videtur mihi non cautè negari,quod si coagularetur,& condensaretur,fieretque pasta, & coqueretur,esset materia huius Sacramenti. Et ità tenet Palude,& Soto improbare non audet.

Scotus. Syluest. Palud. Soto.

De massa dico,quod quemadmodum carnes nisi sint assæ,vel coctæ non sunt cibus hominum, ità massa, nisi coquatur, vel alia ratione paretur,non est panis, nec materia sacramenti. Cum enim panis efficiatur ex massa,sequitur quod massa non sit panis formaliter loquendo. Si quis verò quærat,an massa & panis differant natura, & specie substantiali. Respondetur, quod S.Tho.in 4.distinct.11.quæst.2.art.2.q.2. & Syluest.verbo Alchimia ques.1.& verbo Eucharistia.1.§.2.& Ricardus in.4.dist. 11.quæst.1.& Caieta.3.p.q.74.art.3. tenent, quod illa distinguuntur specie. Sed Scotus in quarto,dist.11.quæst.6. & Maioris, quæst.2.dicunt ea non differre specie, sed qualitate. Et hæc sententia est mihi probabilior. Et ratio est, quia quanuis carnes coctæ,vel assæ sint cibus hominum,& crudæ non sint cibus hominum, non tamen video cur caro cruda , & assa distinguantur specie,nec id credo magis,quàm si mihi diceretur,quod pomum decoctum, vel assatum differt specie à se ipso, antequam applicaretur igni. Et si arguas,inde sequi, quod panis, vt sic vel non est substantia, vel differt specie à massa , respondetur, quod sicut carnes assæ,cum sint cibus hominis , & sunt substantia,& non differunt à crudis,nisi qualitate diuersa,quæ tamen diuersa qualitas requiritur , vt sint cibus: ità dicendum est de pane,quod natura , & substan-

B.Tho. Syluest. Ricard. Caiet. Scotus. Maior.

substantia rei non differt à massa, sed quã litate, quæ tamen requiritur, vt panis sit panis. Quod secundo aliqui dicunt, scilicet, quod panis non potest reduci ad massam: ergo est differentis speciei, nullius est momenti, quoniam nec carnes assæ, vel coctæ poterunt reduci ad eam ipsam dispositionem, quam habebant dum erant crudæ pluresque similes instantias possemus adducere. Si instes tertio, quoniã vua acerba, acresta, siue omphacium differt specie ab vuis: ergo & panis à massa, nil efficies omnino, quoniam si ea, quę cõmemorasti specie differunt, non eo consistit ea differẽtia, nec inde solum prouenit, quoniam acresta calefit & torretur sole, & fit vua. Sed prouenit ea differentia ex ordine naturæ, qui est inter illas duas species, siue naturas, sicut inter embrionem, & hominẽ: quæ duo & differunt forma substantiali, atq; specie, & præterea habent naturalẽ ordinẽ inter se se. Et rursus ex embrione generatur homo per actionẽ, & vim naturæ. Et pari ratione loquendum est de acresta & vuis, si differũt specie: quod tamẽ mihi nõ est magis certũ, quã quod pomũ maturũ differat specie à se ipso, acri, duro, & immaturo; quod censeo esse falsum. Sed illã accidentiũ diuersitatẽ inde prouenire puto, quod postulet rei natura, vt vna, & eadem species in diuersis statibus diuersas habeat qualitates, sicut caro arietis bona, & salubris est, agni verò non item, & hœdi est bona, non capri. Quid autem dicendum sit quãdo farinæ tritici mixta est farina alterius generis frumẽnti, vt hordei; vt declarem dico in primis, quod si mixtio fieret per appositionem partium, sicut quando grana tritici miscentur granis hordei, tunc in ea parte massæ vel panis, quæ constaret ex farina hordei non fieret consecratio. Si vero sermo sit de mixtione propria, quæ accidit quando tritico dum commolitur mixta sunt grana hordei, in farina vero non est seorsum discreta pars, quæ est hordei ab ea quæ est tritici, & multo minus ea discretio manet in massa iam subacta, ad hoc bene respondent Doctores communiter, quod modica permixtio non soluit speciem: quia id quod est modicum absumitur à magno. Ac propterea, si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo maiorem quantitatem tritici potent exinde confici panis, qui est materia huius Sacramenti. Si vero sit tanta permixtio, vt vel illud aliud frumentum superet triticum quantitate, vel proximè adæquet, non manebit conueniens materia huius Sacramenti. Et absque dubio tenendum est; quod consecrare in materia, de qua dubites, an sit conueniens, est peccatum mortale.

Sed contra ea, quæ dicta sunt argumentor primo: Quia accidit, vt seminato tritico crescat hordeum, lolium, vel auenæ. Id enim, quod re ipsa vsu venire potest, querebatur qui dixit; Grandia sæpe quibus mandauimus hordea sulcis, Infœlix loliũ, & steriles dominantur auenæ. Ex quo sic argumentor: Deductum est Typhã, quod nos centeno, & farrem, esse materiam huius sacramenti, eo signo dato, quod producantur ex tritico: sed seminato tritico accidit, vt crescat hordeum, lolium & auenæ: ergo hæc & similia possunt esse materia huius sacramenti. Maro.

Respondetur non debere sapiẽtem hominem admirari, si ex tritico in terris diuersis, vel etiam in eadem diuersis temporibus generetur granum diuersarum longe specierum, propter diuersam terræ dispositionẽ & diuersos aspectus cœli, & cõstellationum. Aliter tamen ea, quæ commemorauimus, vel similia generantur ex tritico, aliter generantur far, & Typha. Quia illa generantur ex tritico per accidens, & via corruptionis, sicut ex vino generatur acetum, non virtute vini, sed ob impressionem aliquam, & accidens peregrinum, & ex viuo generatur cadauer. Sed Typha & far ordine naturæ & generationis generantur, quando vel triticum est debile, & imperfectum, vel terra minus potens, vel accidit fortasse vtrunque. Et in animalibus videmus, quod fortia generantur ex fortibus, & debilia ex debilibus ordine tamẽ generationis: ergo mirum videri non debet, si ex tritico generetur etiã debile aliquod & imperfectũ triticũ, ob minus potentẽ virtutẽ generãtium.

Secundo argumentor: Quia id quod est corruptum iam transiuit in aliam speciem, sed aliqui conficiunt ex pane corrupto: ergo ille iam non erat triticeus: ergo non solus panis triticeus est materia. Respondetur, quod quando corruptio est tanta, vt soluatur species panis, quod ex colore, sapore, atque alijs accidentibus licet colligere; ex tali materia non potest confici corpus Christi. Aliquando vero non est tanta corruptio, quæ speciem soluat; sed est aliqua dispositio ad corruptionem quod declarat aliqua immutatio saporis; & ex tali pane potest confici corpus Christi, sed peccat conficiens propter irreuerentiam sacramenti.

Tertio argumentor: Nam hoc sacramentum est rememoratiuum Dominicæ passionis: sed magis ad id videtur congruens panis hordeaceus, qui est asperior, & quo Dominus turbas pauit Ioann. 6. (*Ioan. 6.*) quam triticeus: ergo panis hordeaceus est materia huius sacramenti. Respondetur, quod vix inuenitur aliquod frumenti genus, in quo considerari non possit aliqualis congruentia, & comparatio rationum, id tamen non sufficit ad hoc, vt sit materia huius sacramenti. Facileque erit plures rationes tangere dissonantiæ. Nam hordeum nec est panis assuetus hominum, sed equorum pabulum; nec nutrit, nec confortat: suamq; illam duritiem facile poterimus vertere ad intentum oppositum argumenti. Nam dicimus cum D. August. (*D. August.*) quod durities illa significat veterem legem; panis vero triticeus ob suauitatem, significat legem gratiæ, & suaue iugum Christi.

ARTICVLVS. V.

Verùm Christus Dominus consecrauerit in azymo.


GRAECI in ea sunt hæresi, vt putent non licere in azymo consecrare, quæ illis fuit vna ex causis decedendi ab ecclesia Romana, quæ conficit in pane azymo: atque ea de causa Latinos omnes azymitas vocant, & eos anathematizant, vt testatur B. Anselmus in quadam epistola de fermentato, & azymo. Et, vt refert Guido Carmelita non permittunt Latinos sacerdotes in eorum altaribus sacrum mysterium conficere. (*B. Anselm. Guid. Carm.*) Quod si ipsis nescientibus, vel inuitis celebrauerint lauant altaria, quoniam ea credunt, esse polluta ex falso (vt asserunt) sacrificio, per sacerdotem Latinum in azymo confecto. Atque idem affirmant cum Græcis Armeni, & vt quidam dicunt Ruteni.

Probant vero suam sententiam hac ratione: Eo pane conficiendum est hoc Sacramentum à nobis, quo Christus ipse, cum illud Sacramentum instituit, confecit; ipso enim opere exemplum nobis dedit, ac expressis verbis admonuit, vt quemadmodum ipse fecit, ità & nos faciamus: Christum autem in fermentato confecisse euangelium Ioannis testatur dicens, eum ante diem festum paschæ cœnasse cum discipulis, in qua cœna Sacramétum illud instituit, nobisque tribuit potestatem illud conficiendi: (*Ioan. 13.*) at Iudæi, ante pascha vtebantur fermentato non azymo: ergo Dominus consecrauit in fermentato, nec nobis licet oppositum facere. Hæc Græci quorum sententiæ aliqui inuoluunt sententiam Burgensis, & aliorum Latinorum, atque indignè, & parum doctè confundunt vnam cum altera; cum tamen sint longe diuersæ, vt videbimus: ergo Græci dicunt, primo quod Christus confecit in fermentato, & secundò quod non licet conficere in azymo, & tertio, quod confecit antequam Iudæi celebrarent Phase, scilicet, ante illam vesperam, in qua comedebatur agnus paschalis. Quorum prima duo absque dubio sunt falsa: de tertio vero in articulo sequenti disputabimus. Igitur hunc errorem satis reuincemus, si sacrorum euangeliorum protulerimus testimonia manifesta. Matthæus capite 26. sic habet: (*Matth. 26.*) Prima autem die azymorum accesse-

accesserunt discipuli ad Iesum dicentes; Vbi vis paremus tibi comedere pascha? At Iesus dixit; Ite in ciuitatem ad quendam,& dicite ei; Magister dicit, tempus meum prope est apud te facio pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli, sicut constituit illis Iesus, & parauerunt pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim. Et infra. Cœnantibus eis accepit Iesus panem,& benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis,& ait: Accipite,& comedite, hoc est corpus meũ. Hæc

Mar.14. Matthæus: Apud Marcum vero capit. 14. ità legitur: Et primo die azymorum, quando pascha immolabant dicunt ei discipuli: Quo vis eamus,& paremus tibi, vt manduces pascha. Et mittit duos ex discipulis suis,& dicit eis: Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans sequimini eum,& quocunque introierit dicite Domino domus; quia Magister dicit; vbi est refectio mea, vbi pascha cum discipulis meis manducem.&c. Et abierunt discipuli eius,& venerunt in ciuitatem, & inuenerunt sicut dixerat illis; & parauerũt pascha. Vespere autem facto venit cũ duodecim,&c. Et manducantibus illis accepit Iesus panem,& benedicens fregit,& dedit eis,& ait: Sumite, hoc est corpus meũ. Et tandem Lucas capit. 22. scripta reliquit

Luc.22. hæc verba; Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha; & misit Petrum,& Ioannem dicens; Euntes parate nobis pascha, vt mãducemus.&c. Et parauerunt pascha. Et cum facta esset hora, discubuit,& duodecim Apostoli cum eo; & accepto pane gratias egit,& fregit, &c. Constat euidenter ex his testimonijs, quod Dominus instituit hoc Sacramentum ea hora, siue vespera, qua comedit pascha. Pascha autem comedebatur,& parabatur in azymis: ergo absque dubio confectt in azymis.

His nostris fundamentis Græci ità respondent, peior vt sit responsio, & absurdior, quam sententia. Negant tres hos Euangelistas vera narrasse: & apertè dicunt

Ioan.13. esse mentitos,& correctos à Ioanne illis verbis; Ante diem festum paschæ. Sed scire vellemus à quo nam duorum patrum isti didicerint respondere sanctis euangelijs negando eorum veritatem? A Basilio ne, aut summo illo Theologo Nazianzeno, aut Athanasio, aut Cyrillo, aut Chrysostomo? Certè à nullo: nam omnes Græci sancti quatuor euangelia venerantur. Item faciamus Euangelistas non scripsisse euangelia Spiritu sancto dictante,& suggerente, sed cæterorum historicorum more humanum pati,& labi potuisse: quæremus tunc à Græcis, an saltem concedere velint nobis, illos fuisse viros prudentes, iustos, atque cordatos? Quid ergo tres illi viri iusti, atque cordati in mendacium conspirarunt, vt omnes eadem omnino mentientes referrent? Absit à nobis tam insignis insanaque blasphemia. Quid, si euangelistæ humani tantum scriptores fuere, & potuerunt errore labi, cur magis Ioãni crederemus, quam Matthæo, quam Marco, quam Lucæ, quam eis omnibus simul? Hac ergo reiecta dementia, quæ si semel admissa esset proculdubio vim omnem, & auctoritatem labefactaret sacrarum literarum, declaremus Euangelistarum omnium dicta conuenire, & Ioannẽ nihil dixisse, quod cum Matthæo, Marco, vel Luca pugnaret: verum enim consonat vero,& fieri non potest ne vera sint, quæ spiritu Dei scripta sunt. Ergò, cùm mos supputandi dies apud Iudæos sit à vespera in vesperam, vt constat ex scriptura, & cœna ageretur die. 14. mẽsis primi ad vesperam, ideo alij euangelistę dixerunt hæc peracta esse prima die azymorum, computabatur enim ea prima dies ab ipsa vespera, & quia solennitas paschalis habebatur, decimaquinta die mensis primi, & hæc acta sunt die antecedenti, iccircò Ioannes sequens communem rationem supputandi, & naturalem ordinem die cum dixit ante diem festum paschæ, vel vt Græca legunt, ante autem festum Paschæ. Quod autem scriptores sacri in horis, & diebus,& parentibus, ac filijs modo sequantur computationem legalem, modo communem,& naturalem, id constat ex scriptura. Sed vt hæc responsio,& concordia Ioannis euidentior fiat proferamus . scripturæ testimonia

Exod.12. Exodi.12.habentur hæc verba: Seruabitis agnum vsque ad quartamdecimam diem mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam.
Leuit.23 Leuit.23.legitur mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum phase Domini est,& quintadecima die mensis huius solennitas azymorum Domini est. Et idē
Num.28. omnino repetitur Numerorum.28. Mense autem primo, quartadecima die mensis phase Domini erit, & quintadecima die solēnitas. Quid ergo obsecro, accidit Græcis, aut qua occasione paralogizati sunt in his verbis Ioannis? Si testante scriptura,& rei veritate phase comedebatur decimaquarta die mensis, & dies decimaquinta erat dies festus, atque solennis, sic ipsa testante,& loquente scriptura, si & decimaquarta dies est ante decimāquintam,& hic ordo naturalis peruerti aut negari nō potest? Cur non potuit dicere Ioannes, cum de decima quarta die loqueretur ante diē festum paschæ? Id certè dicere potuit, & dixit. Matthæus verò Marcus, & Lucas, supputauerunt dies, secundum consuetudinem legalem à vespera in vesperam. Et iccirco dixerunt Dominum cœnauisse cū discipulis prima die azymorum.

Secundo pro sententia Græcorum argumentor: Nam quidam docti ex Latinis ipsis docent, quod Christus cœnauit cum discipulis, & instituit hoc sacramentum decimatertia die mensis primi; passus verò est die decimaquarta: sed die decimatertia non cœnabatur in azymo, sed in fermentato: ergo Dominus instituit hoc Sacramentum in fermentato. Respondetur, quod quicquid sit de ista aliquorum Latinorum sententia, de qua in articulo sequenti disputandum est, ex ea nō sequitur, quod Dominus, vel cœnauerit, vel instituerit hoc Sacramentum in fermentato. Et ratio est; quia Dominus, qui voluit secundum istorum sententiam præuenire diem azymorum, vt ratio mysteriorum omnium, & figurarum de ipso compleretur, voluit etiam eadem ratione manducare pascha, quam parari iusserat iuxta ritus illos omnes, & ceremonias, quas lex instituerat. Ac propterea sequitur, quod & cœnauerit, & instituerit hoc Sacramentum in azymo, etiam secundum hanc sententiam. Ne verò in hac disputatione accidat æquiuocatio, attendendum est, quod Iudæi computabant menses ac dies secundum cursum lunæ, nos autem iuxta menses solares, fitque sæpè, vt dies siue luna.14.& 15.mensis primi siue Martij succedat in Aprili, iuxta computationem, qua nos vtimur. Et propterea authores nostri nunc ad Martium nunc ad Aprilem referunt diem illum paschatis, sed Iudæi perpetuò illum celebrabant die.14.& 15.mensis Martij iuxta eorum computationem.

ARTICVLVS. VI.

In quo domine Dominus manducauerit Pascha.



AM vero quoniam id postulat ratio huius disputationis ad illam quæstionem veniamus, quæ & grauissima, & mihi quidem longè difficilis est, vtrùm quinta illa feria, in qua Dominus manducauit pascha fuerit decimaquarta luna primi mensis, in qua agnus paschalis secundum legem immolari debuit an vero Dominus celebrauerit pascha vno die antequam à Iudæis celebraretur, luna scilicet decimatertia? qua de re inter Catholicos ipsos non modica dissensio est. Pro illorum verò sententia, qui asserunt eum præuenisse vnum diem (pro qua multum laborat doctissimus Burgensis in caput.26. Matthæi.) argumentor primo: Sex- Burgensis.
ta feria, in qua Christus passus est fuit luna 14. ergo quinta feria præcedens erat decimatertia. Consequentia est euidens; & antecedens habetur Ioann.18. vbi dicitur, Ioan.18.
quod Iudæi non introierunt prætorium Pilati, vt non contaminarentur, sed manducarent pascha. Sed cum pascha manducari non posit legitimè nisi decimaquarta luna ad vesperum, vt habetur Exo- Exod.12.
di.12: Sequitur, quod Christus fuit passus ea die.14. ergo celebrauit ipse pascha die 13.
Secunda ratio est: Nam Ioann. 19. ex- Ioan.19.
presse

presse dicitur: Erat autem parasceue paschæ: cum ergo parasceue alicuius festi idē sit, quod præparatio, ad diem illum festū & non dicatur erat parasceue sabbati, sed parasceue paschæ: manifestè ostenditur, quod in illa die pascha sperabatur, & parabatur. Item si sexta feria ad vesperum, quando Christus passus est, fuisset dies decimaquinta, sequeretur, quod res ipsa, & veritas non corresponderet propriæ figuræ; quòd est magnum inconueniens, cum figura fuerit euidens. Nam cum agnus paschalis absque dubio significaret passionem Christi, & ad eius agni immolationem sola decimaquarta luna esset tempus determinatum: adeo, vt impediti à contaminationis, non possent supplere defectum in decimaquinta, aut alia quacunq; die sequenti, vt habetur Numerorum. 9. sequitur nullo modo dici posse, quod res ipsa figurata per agnū paschalē, scilicet, passio Christi, fuerit die decimaquinta. Quarta ratio est: Quia sexta feria, in qua Christus passus est, non fuit celebris, nec solennis in obseruantia Hebræorum: ergo non fuit dies decimaquinta mensis primi. Consequentia; Nam Exodi. 12. de illa die legitur: Dies decimaquinta, & prima erit sancta ac solennis, nihil operis facietis in ea, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent. Prohibitū igitur est in illa die quicquid operis prohibetur in sabbato, exceptis his, quæ spectant ad vescendum. Assumptum autem probatur: Nam multa fecerunt Iudæi in illa sexta feria, quæ nullo modo licebat fieri in sabbato, & quæ satis ostendunt eum diem non fuisse illis solennem, vt accusare, flagellare, præ lentare, & examinare testes, postulare sententiam definitiuam, quæ omnia exercuerunt in Christum Dei. Et augetur rationis vis. Nam hæc iudicialia, etiam apud nos sunt illicita in diebus festis: multò ergo magis Iudæi, qui tam sequuntur literam occidentem illa festa obseruarent.

Num. 9.

Exod. 12.

Item angariauerunt patrem Alexandri, & Rufi, Marci decimoquinto, quod est prohibitum in diebus solennibus, vt constat Hieremiæ decimoseptimo. Quo loco quamuis de sabbato sermo sit, est idem intelligendum de diebus solennibus. Nec est dicendum, quod hoc facerent ex odio Christi; nam in medio illo odio, & sæuo furore nimis se tenaces ostendebant præceptorum Moysis, legemque obtendebant dicentes, nos legem habemus. Et præterea, quod ille etiam non fuerit Iudæis dies solennis, patet expresse in sepultura Christi: fuit enim sepultus eo die per Ioseph ab Arimathia, & Nicodemum homines iustos, qui nullo modo fecissent id, quod fieri in solenni die non licebat. Vnde super illud Ioannis decimonono, propter parasceuen Iudæorum, dicit Diuus Augustinus: Acceleratam vult intelligi sepulturam, ne aduesperasceret: quoniam iam facere aliquid non liceret. Constat verò, quod si feria illa sexta, fuisset dies decimaquinta, non liceret magis tunc mortuum sepelire, quam in sabbato.

Marc. 15

Hier. 17

Ioan. 19

Ioan. 19.

D. August.

Et D. Hieronymus, super illud Matthæi vigesimooctauo: Venit Maria Magdalena, ait: Sepulto nanque feria sexta Domino mulieres præparauerunt aromata, & vnguenta, quandiu licuit operari; scilicet, vsque ad solis occasum: ergo non fuit solennis ille dies: ergo nec fuit dies. 15.

D. Hiero.

Item eodem loco Ioannis decimonono dicitur: Erat enim magnus dies ille sabbati. Quod ideò dixit Euangelista, quia concurrebant duæ festiuitates, sabbati, scilicet, & diei decimæquintæ mensis primi. Dies enim decimaquinta, & vigesimaprima; erant celeberrimæ festiuitatis; vt habetur Leuitici vigesimotertio.

Ioan. 19.

Leu. 23.

Pro declaratione huius sententiæ, supponunt eius auctores primò, quod dies vnus, & naturalis apud Hebræos computatur ab occasu solis vnius diei, & terminatur ad occasum solis alterius. Et sic intelligitur illud Leuitici vigesimotertio. A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra. Secundo supponendum est, quod mensis apud eos est lunaris, & perficitur ex triginta diebus, & duo-

Leu. 23.

& duodecim horis naturalibus, & duabus tertijs vnius horæ cum tribus minutis; quæ computatio concordat cum computatione Ptolemei, & Astronomorum, est enim vera secundum cursum medium Lunæ, qui est inuariabilis. Atque in hæc duo omnes conuenimus.

Tertio ponendum est, quod annus Hebræorum incipit à Calendis, seu nouilunio, quod est propè æquinoctium vernale. Et hoc tertium etiam est verissimum & constat Exod.12.& 13. Exod.12. Exod.13

Quarto supponendum est, quod omnia festa Hebræorum præter sabbatum exordium computationis, & per consequens mobilitatem per diuersas ferias hebdomadæ sumunt à neomenia, seu nouilunio primi mensis prædicti. Verbi gratia, sit prædicta neomenia, quinta feria, tunc dies solennitatis azymorum erit quinta feria; quia est in luna decimaquinta, & festum tubarum erit in die sabbati. Nam si sex menses Lunares computētur à neomenia mensis primi, quæ ceciderit feria quinta, vsque ad neomeniam septimi, erūt centum septuaginta, & septem dies integri, qui reuoluti per hebdomadas finientur in sexta feria inclusiue. Et sic neomenia mensis septimi erit in sabbato, consequenter festum expiationis erit feria secuda: nam occurrit decima die à festo tubarum, & proportionalis mobilitas atque computatio debet fieri in reliquis festis. Et in hoc etiam quartum omnes conuenimus.

Quinto supponendum est, quod in quacunque die coniunctio luminarium secūdum medium cursum lunæ propè æquinoctium vernale occurrerit, in eadem die est neomenia mensis primi; nisi in certis casibus, in quibus transferenda est ad sequentem diem, & quandoque ad subsequentem. Qui quidem casus sunt duo. Primus, quando talis coniunctio transcendit decimam octauam horam eiusdem diei. Cuius translationis ratio est, quia tūc magis declinat talis coniunctio ad diem sequentem, quam ad illam, in qua est, cum iam transactæ essent tres partes illius diei, & vltima ipsa pars inciperet præteriri. Atque talis coniunctio vocatur apud Hebræos nouilunium vetus, seu antiquū. Itaque si nouilunium æquinoctij vernalis esset in decima octaua hora sabbati, vel infra, tunc neomenia esset in eadem die sabbati, & illa dies esset principium computationis festorum totius anni. Si autem coniunctio esset vltra decimam octauam horam, tunc talis neomenia esset transferenda ad diem Dominicam immediatè sequentem: & per consequens festa illius anni transferrentur ad ferias correspondentes diei Dominicæ, & non diei sabbati.

Secundus casus est, quando nouiluniū vernale occurrerit in secunda feria, quarta, vel sexta. In his enim tribus ferijs non potest figi neomenia æquinoctij vernalis. Ratio autem istius secundi casus pro feria secunda, & quarta est, quoniam si in eis figeretur neomenia primi mensis, tunc festum expiationis, quod est celeberrimum cōcurreret, vel vno die ante sabbatum, vel die sequenti post sabbatum. Et hoc apud Hebræos erat inconueniens, quia cum in eis festis non possent, vt isti dicunt, parari cibaria, grauis fieret populo ea concurrentia diei festi cum sabbato, siue esset à parte post, siue à parte anteriori. Quod autem verè incideret hoc festum expiationis in eo casu cum sabbato modo prædicto, ostēdere nunc omittam, propter prolixitatem calculationis. Sed sufficiat nosse, quod verè si neomenia mensis primi esset feria secunda, tunc festum expiationis esset feria sexta, & sic concurreret cum sabbato à parte anteriore. Et si ea neomenia esset in quarta feria festum expiationis occurreret in Dominica, & sic essent duo dies continui, in quibus non liceret parare cibaria. Ratio autem, quare in feria sexta non poterat figi neomenia mēsis primi, erat, quia in septimo die festi tabernaculorum seu Scenopegiæ, de quo Leu.23. fiebant quædam tantæ lætitiæ, & celebritatis, vt ea in sabbato (vt ipsi aiunt) fieri non liceret. Si autem prima neomenia esset in feria sexta tunc dies septimus festi tabernaculorum esset dies sabbati: quocirca cessaret dicta celebritas, quę vt dictum est non habebatur die sabbati. Ex quibus eliciunt ij authores Leu.23.

regulam

regulam quandam ea eſt, quod prima dies ſolennitatis paſchalis, nunquam eſt feria ſecunda, nec quarta, nec ſexta. Et hæc regula, vt aiunt, habetur in calendarijs Hebræorum, & vbiq; , atque apud omnes diuulgata eſt, & vſq; in hodiernum diem infallibiliter cuſtodita. Ex hoc tam longo notabili quinto, vt lectorem interim præueniamus, ſecundum illum caſum de repellenda feria ſecunda, quarta & ſexta, & regulam ex eo illatam, & omnia, quæ cum eo caſu ſecundo neceſſario cõiuncta ſunt, negamus Burgenſi, qui tenemus oppoſitam ſententiam, cætera concedimus.

Sexto aduertẽdum eſt, quod anno quo Chriſtus paſſus eſt fuit coniunctio luminarium ſecundum medium curſum lunæ propè æquinoctium vernale, in feria quinta poſt decimam nonam horam cum certis minutis. Et in hac computatione, & nos & Hebræi conuenimus. Ex his omnibus colligunt iſti auctores ſuam ſententiam in hunc modum.

In anno paſsionis Chriſti licet coniunctio luminarium fuerit feria quinta, non tamen potuit in ea die figi neomenia propter noui lunij vetuſtatem: quia fuit vltra decimam octauam horam. Debuit ergo transferri ad ſequentem diem: ſed dies ſequens erat ſexta feria, in qua occurrit ſecũdus caſus repulſionis: ergo non potuit figi neomenia etiam in ſexta feria: ergo tranſlata eſt ad diem ſabbati: ergo prima dies paſchalis eo anno fuit dies ſabbati: ergo. Iudæi celebrauerunt phaſe die veneris, & eo die comederunt agnum cum azymis, ad veſperam: & ideo non introibant prætoriũ die veneris, ne contaminarentur. Ergo cum Dominus mortuus fuerit die veneris & cœnauerit feria quinta ſequitur, quod celebrauit paſcha vno die ante quam illud celebrarẽt Iudæi: Iudæi autem celebrabãt paſcha luna. 14. ergo Dominus cum præuenerit vnum diem cœnauit luna. 13. Colligunt iſti auctores ex dictis, quod re quidẽ ipſa neomenia ſiue decimaquinta dies mẽſis primi fuit eo anno feria quinta; ſed propter ipſius vetuſtatem tranſlata eſt ſolennitas, & repulſa ad diem veneris, & hanc repulſionem etiam ſeruauit ipſe Dominus comedens agnum feria quinta ad veſperã ſecundũ legis præceptũ, & habens ac ducens diẽ veneris pro primo die paſchæ. Sed præterea Iudæi trãſtulerunt feſtiuitatẽ feriæ ſextæ in diem ſabbati, quia occurrebat ſecundus caſus repulſionis. Et hanc rationem repellendi non eſt ſecutus Dominus. Ex quibus efficitur, quod Dominus cœnauit die. 14. ad veſperam ſecundum veram computatione legis; & apud ipſum dies primus paſchæ fuit dies veneris. At verò Iudæi propter ſecundum caſum dictum tranſtulerunt diem paſchæ ad ſabbatum: & celebrauerunt phaſe die veneris ad veſperam. Atque ſecundum computum ipſorum, hic dies veneris fuit decimus quartus, & dies iouis fuit dies decimus tertius, ac propterea ſecundum cõputum Iudæorum in eo anno dicunt ij auctores, quod Dominus cœnauit luna. 13. non quod re vera non cœnauerit luna. 14. Colligitur ex his omnibus ſecundũ iſtos, quod tempore paſsionis Chriſti duplex fuit. 14. luna, ſicut & neomenia primi mẽſis. Vna vera ſimul, & legitima, ſecundum computationem Chriſti, alia legitima tantum ſecundum communem, & aſſuetam computationem aliorum præter Chriſtum, & in vtraque decimaquarta luna vterque agnus fuit immolatus verus & Typicus. In decimaquarta enim vera & legitima, quæ fuit feria quinta, Chriſtus, & mãducauit agnum Typicum, & ſeipſum verum agnum ſub Sacramento tradidit diſcipulis. In decimaquarta vero luna legitima tantum, quæ fuit ſexta feria, primum agnus verus eſt immolatus in ara crucis, deinde, & Typicus ab ipſis Iudæis incredulis. Atque per hæc concordari videntur Euangeliſtæ. Mathæus enim, Lucas, & Marcus dicunt, quod feria quinta Dominus celebrauit paſcha, & quod ille fuit dies primus azymorum, ſcilicet, ſecundum cõputationem Chriſti. Ioannes vero dicit, quod feria ſexta fuit paraſceue Iudæorum, & tunc comederunt ipſi paſcha, & is fuit eis dies primus azymorum iuxta eorum omnium eo anno computationem. Ac ſecundum hanc rationem concordantiæ auctores huius ſententiæ reſpondent argumento

Matth. 26. Luce. 22. Marc. 14

mento Græcorum supra facto, quo tres Euangelistas arguebant mendacij. Hæc illi.

Sit in hac quæstione conclusio, quod Dominus celebrauit pascha cœnans agnum paschalem 14. luna ad vesperam, secundum computationem legis, & eadem die pascha celebrauerunt Iudæi. Pro qua declaranda necesse non est iaciamus alia fundamenta præter ea, quæ posita sunt. Ad eam verò comprobandam vno maximè vtar argumento, quod, ni fallor, con uincere debet intellectum bene dispositum; saltem ad hoc, vt existimet partem hanc multò probabiliorem. Rogo ergo Burgensem, & eos, qui illum sequuntur, vtri magis credendum sit Calendario ne illi Hebræorum, & Rabinis, asserentibus eas regulas obseruatas esse semper apud illos, an sacris euangelijs, bene & synceriter intellectis? Respondebunt illi (scio) quoniam pij & catholici sunt, credendum esse euangeliorum synceritati. Producamus ergo eorum testimonia. Matthæus capit. 26. sic habet: Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes. Vbi vis paremus tibi comedere pascha? At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad quẽ dam; & dicite ei; Magister dicit; Tempus meum prope est; apud te facio pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli, sicut præcepit illis Iesus; & parauerunt pascha. Vespere autem facto discumbebat cum discipulis. Hæc Matthæus, Lucas verò capite. 22. ista dicit: Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur pascha, &c. Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. (De eo die appropinquante, qui dicitur pascha, de illo ipso asseuerat euangelista, quòd venit.) Et misit Petrum, & Ioannem dicens: Euntes, parate nobis pascha. At illi dixerunt: Vbi vis paremus? Et dixit, &c. Et parauerunt pascha. Et cum facta esset hora discubuit. Hæc Lucas. Et tandem apertissimè omnium Marcus hæc scripta reliquit: Et primo die azymorum, quando pascha immolabant dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, vt manduces pascha? Et mittit duos, &c. Vespere autem facto, venit, & discumbe. &c. Ex quibus breuiter formo hanc rationem: Nos dicimus, quod primus dies azymorum, quando pascha immolabant synceriter, & verè intelligitur, quando immolabant Iudæi: contrarij dicunt intelligi, quando immolabat Christus, qui præuenit vnum diem, & non quando immolabant Iudæi: qui ergo non videt syncerius nos interpretari hanc scripturam, quam illi, is adhæreat illis, & non nobis. Atque idem conetur eludere manifestissimum, & euidentissimum testimonium, quale videtur istud. Quod verò Ioannes non fuerit contrarius, & qua ratione concordet cum cæteris euãgelistis satis dilucide explicatum arbitror articulo superiori. Et certè Græci idcirco dicebant, tres hos euangelistas non narrasse vera, & à Ioanne fuisse correctos: quia videbant eos euidenter affirmare id, quod nos affirmamus, scilicet, quod eo die, in quo Iudæi celebrauerunt, & comederunt pascha comedit, & Christus. Quocirca, & ipse Dominus dicebat Matthæi. 26. Scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur: ergo traditus est, quando fiebat pascha à Iudæis. Nec aliud patitur generalitas eorum verborum, atque synceritas: ergo eadem vespera, vel nocte, & Dominus, & Iudæi manducauerunt pascha: cum scriptum sit; Quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens, &c.

Matth. 26.
Lucæ. 22
Marc. 14
Matth. 26.
1. Cor. 11

Sed præter hoc argumentum, quod videtur sufficiens, alia sunt non leuia signa falsitatis oppositæ sententiæ. Primum, si non poterat neomenia, vel nouilunium figi feria secunda, quarta, vel sexta: qui credi potest, quod legislator omnia prospiciens, & singula quæque atque minuta tam studiosè præscribens, atque designans nullam fecisset huius rei mentionem, præsertim cum illi dies impediti continerent, nihil minus quam medietatem septimanæ? Certè non est probabile.

Sed

Sed credēdum est eam trium feriarum exceptionem merum inuentum fuisse aliquorum Rabinorum post mortem Christi.

Et secundo loco argumentor: Nam isti dicunt, iccirco non posse celebrari festum expiationis die præcedente, aut subsequente sabbatum; quoniam non poterant in ea celebritate secundum legem parari cibaria. Hoc autem est falsum: quia Exodi. 12. cum sermo esset de prima, & vltima die paschatis, quæ erant celeberrimæ dicitur; Nil operis facietis in ea, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent: ergo idem seruādum esset in festo expiationis, & similibus nisi Dominus iussisset oppositum expresse. Ac propterea credendum est, quod in quocunque festo licebat parare cibaria, præterquam in die sabbati, qui excipiebatur, in significationem, quod eo die requieuit Dominus ab vniuerso opere, quod patrarat.

Exod. 12

Tertio obijcio: Nam ijdem authores asseuerant, non potuisse figi neomeniam siue primam diem mensis in sexta feria; quoniam si figeretur occurreret dies postrema tabernaculorum in die sabbati, quod erat inconueniēs, quia fiebant ea die quædam tam solennia, vt die sabbati fieri non possent. Hæc autem ratio mihi videtur supra modum improbabilis, & à ratione aliena. Nam quæ tanta celebritas postremæ illius diei tabernaculorum esse potuisset, vt in die sabbati haberi non deberet, liceret, ac posset, cum ea omnia, quæ tunc fiebant ad religionem & cultum Dei pertinerent, ad quem, & sabbatum & festa omnia referebantur? Aut quis dicet, quod maxima, & valdè solenni diei festi solennitate festum violatur, aut quod feria quæcunq; non tollit festi celebritatem, dies verò sabbati tollit festi celebritatē? Præterea comprobo hanc partem; quia est expressa sententia Diui Augustini in epistola ad Casulanum presbyterum. Quo loco habentur hæc verba: Considerato Euangelio ipsa quarta sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Iudæi: intermisso autem vno die, cuius vespera Dominus pascha cum discipulis manducauit, qui finis fuit eius diei, quē vocamus, quintam sabbati. Deinde traditus est ea nocte, quæ iam ad sextam sabbati, qui dies passionis eius manifestus est pertinebat. Hic dies primus azymorum fuit à vespera incipiens. Sed Matthæus Euangelista, quintam sabbati dicit fuisse primam diem azymorum, quia eius vespera sequente futura erat cœna paschalis, qua cœna incipiebat azymum & ouis immolatio manducari. Et paulo inferius: Consilium fecerūt principes sacerdotum, vt Iesum dolo tenerēt, & occiderēt. Intermisso autem vno die, de quo die dicit euangelium, prima autē azymorum, accesserunt discipuli ad Iesum dicentes; Vbi vis paremus tibi comedera pascha. Hoc ergo die intermisso passus est Dominus, quod nullus ambigit sexta sabbati. Et D. Chrysostom. in capit. 26. Matthæi dicit, quod quinta sabbati, quam Matthæus appellat, primam azymorum, quia illa nocte Iudæi debebant comedere azyma, Christus iussit discipulis parare pascha, & vespere facto cœnauit. Idem docet Diuus Hieronymus super eum locum. Et Magister Historiarum capite, de cœna Domini, aduersus Græcos, & Innocentius lib. 4. de mysterio missæ capite secundo, & Beda lib. de natura rerum capit. 63. & latissimè defendit hanc partem Abulensis, secunda parte sui defensorij. Et tandem Iosephus grauissimus auctor, & rituum Iudæorum peritissimus lib. 3. antiquitatum, cap. 13. affirmat inuiolabiliter à Iudæis obseruatum, vt quartadecima luna, nimirum naturali simul, & legitima agnus immolaretur, & quintadecima esset solennitas paschæ.

D. Aug.

Matth. 26.

D. Chryso.

D. Hierō.

Magist. Hist.

Innocent.

Beda.

Abulensis.

Iosephus

Superest, vt faciamus satis illis argumētis, quæ formauimus pro illa sententia, quæ certè selecta sunt, & potissima eorū, quæ illi auctores confecerunt. Ad primum negamus, quod luna illa, in qua Christus passus est, fuerit apud Iudæos decimaquarta; fuit enim decimaquinta. Et ad probationem, quia Ioannis 18. dicitur quod Iudæi non introierunt ad Pilatū, vt non contaminarentur; sed manducarent pascha, respondetur ex Diuo Chrysostomo, quem sequitur

Ioan. 18.

D. Chrysost.

D.Tho. tur D.Thom.3.p.quæst.46.artic.9. quod ibi pascha non dicitur agnus paschalis; qui immolatus fuerat luna decimaquarta, sed dicitur cibus paschalis, id est azymi panes, & alia quæ immolabantur. Itaque pascha accipitur ibi pro toto festo Iudæoru, quod septem diebus agebatur. Et quidem euidenter constat ex Numeris capit.28. quod illa decimaquinta die, in qua Dominus passus est, præter hoc, quod Iudæi comedebant azyma, agebantur etiam alia, per quę Iudæi dici possent comedere pascha, & cauere ne contaminarentur. Sic enim dicitur quintadecima die solēnitas. Septem diebus vescentur azymis, quarum dies prima venerabilis, & sancta erit: omne opus seruile non facietis in ea; offeretisque incēsum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem, & sacrificia singulorum ex simila, quæ cōspersa sit oleo: tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem, & decimam decimę per agnos singulos, & hircum pro peccato vnum. Cum ergo textus dicat, quod ea dies erat venerabilis, & sancta, & hæc agēda essent in ea; satis consequenter dicitur in euangelio, Iudæos cauisse ne contaminarentur, quicquid Burgēsis dicat, illa omnia fieri posse ab immundis, quod credo esse falsum. Et ita tenet Innocentius lib.4. cap.4. & Magister historiarum. Quod si modo etiam ab immundis ille dies celebratur, vt ait Burgensis, respondemus parum nos curare, quid modo faciant Iudęi, nec esse probabile eos per orbem terrarum, tam multis sæculis dispersos caste retinuisse, & conseruasse suas omnes ceremonias.

Num.28. Burgensis. Innocent. Magist. hist.

Secundum argumentum fuit; Quia de eo die, in quo Dominus mortuus est, dicitur Ioann.19. Erat autem parasceue, id est, præparatio paschæ: ergo ea die pascha sperabatur, & parabatur. Nec enim dicitur, Erat parasceue sabbati, sed paschæ. Respōdetur, quod quanuis Burgensis opinetur parasceuen dici vigilias festorum, siue solennitatum, quibus parabantur, quæ pro festo erant necessaria; dicendum tamen est, quod parasceue, hoc est, præparatio nullius festi esse dicebatur, nisi sabbati, eo quod in solo sabbato non liceret parare cibaria. Vnde simpliciter parasceue idem erat, quod feria sexta, siue illa non esset festum paschatis, siue esset festum paschatis, siue ante festum. Et hoc clare docet Marcus c.15. dicens; Quia erat parasceue, quod est ante sabbatum. Est enim periphrasis; quasi diceret: dico autem parasceuen, diē qui est ante sabbatum, sic enim appellatur.

Ioan.19. Marc.15

Igitur ad argumentum dicimus, quod cum Ioannes ait; Erat autem parasceue paschæ, planus, & verus sensus eius literæ est, erat parasceue, quę incidebat in pascha te sicut nos dicere solemus, era viernes de Pasqua, quod occurrerit ille dies intra pascha. Non autem est sensus, quod erat parasceue paschæ, id est, præparatio ad diem illam decimamquintam, siue primam paschæ. Nec enim vigiliæ eorum festorum dicebantur parasceue; sed feria sexta communi nomine appellabatur parasceue.

Ioan.19.

Tertium argumentum fuit: Quia nisi dies parasceue esset decimaquarta non corresponderet figura figurato: agnus enim immolabatur die decimaquarta: ergo verus agnus debuit immolari eo die. Atque hanc rationem quoniam Burgensis vrget oportet expendamus. Et supponendum est ex dictis, quod dies vnus, & legitimus computabatur Iudæis à vespera, siue principio tam noctis in vesperam sequentem. Ac proinde agnus paschalis, qui nocte antecedenti diem decimumquintum comedebatur, iuxta computationem legis immolabatur intra decimumquintum diem: erat enim ea nox pars diei decimæquintæ, integræ atque legitimæ. Quocirca vna erat solennitas diei ac illius noctis rememoratiua transitus Domini percutientis AEgyptios, & saluantis populum suum. Atque hoc constat ex Exodo cap.12. Hoc supposito quæremus ab his auctoribus, quando malint pati Christum, quo hæc figura impleretur congruenter, die claro, an nocte? Dicent illi, quoniam sapientes sunt, vtique non nocte, tum quoniam Dominus verè nostri amantissimus mortem pro nobis pati voluit, valde ignominiosam,

Exod.12.

sam, & patentem mundo huic cuius prin
cipem ea morte eiecturus erat foras, tum
Ioan.12. ob euitanda multa alia inconuenientia,
quæ obscuritas, & ambiguitas, & tenebræ
noctis afferunt: die ergo claro pati debuit.
Tunc vltra debuisset pati die decimaquar-
ta, antequam incepisset solennitas noctis,
& diei decimæquintæ? Non vtique, quia
dies decimaquarta non erat solennitas tran
situs Domini percutientis AEgyptios; sed
dies decimaquinta in qua Dominus con-
gruentissimè pati voluit percutiens popu
lum AEgyptiorum, id est peccata, & affi-
gens illa cruci ac redimens populũ suum.
Vnde & ab ipsa nocte, in qua cœpit ea so-
lennitas, cœpit etiam Dominus pati, si qui-
dem traditus est, & ignominiose affectus
ac deductus. Si tamen hæc omnia nocte,
& die antecedenti essent peracta, ante quã
solennitas transitus Domini dies, scilicet,
decimusquintus adueniret, tunc certè ra-
tionabilius obijceretur, quod figura non
respondebat veritati. Nunc verò mirificè
exprimit figura figuratum, si quidem qua
nocte incepit, figura, id est, solennitas trã
situs Domini, ea nocte cœpit veritas, idest
passio Domini. Et quando peragebatur
solennis ille dies, tunc peracta est veritas
passionis, & Dominus transiuit de hoc
mundo, & percussit Sathanam, atque pec-
cata.

Quarta ratio erat: Quia sexta feria, in
qua Christus passus est non fuit celebris,
nec solennis in obseruantia Hebræorum:
ergo non fuit dies decimaquinta mensis
primi: hæc enim erat solemnis, & sancta.
Ad hoc negatur antecedens. Et ad proba-
tiones illas dicitur, quod Iudæi non flagel-
lauerunt, aut crucifixerunt Christum ma-
nibus suis, sed Gentilium, & ministrorum
Pilati. Quod autem ipsum comprehende
runt, duxeruntque ad pontifices, & ad Pila
tum, non quidem id fieri debuit in die fe-
sto; sed homines nefarij arbitrabantur se
obsequium præstare Deo si ea omnia exer
cerent in Christum Domini. Et ad illud
de sepultura respondeo, existimare me li-
citum esse eo die solenni sepelire mortuũ.
Et fortasse licitum etiam erat emere aro-
mata, & alia pro officio sepulturæ. Verum

est tamẽ, quod nõ necessario illi colligunt
ex Lucæ. 23. quod mulieres eo die, quo
Christus mortuus est emerunt aromata. *Luc.23.*
Et ratio est secundum quosdam, quia quã
uis ipse dicat, quod mulieres sepulro Chri
sto reuertentes parauerunt aromata. Mar-
cus tamen cap. 16. hoc interpretatur dicens *Marc.16*
quod emerunt quidem, & parauerunt aro
mata: sed cum trãsisset sabbatum, qui erat
dies duplici nomine, & per se etiam cele-
berrimus, ob quam causam dicitur, quod
sublata sunt, ne manerent corpora sabba-
to: erat enim magnus dies ille sabbati. Nõ
autem ideò dicitur, quod sabbatum tunc
fuerit prima dies paschæ. Augustinum ve *D. August.*
rò non est, quod Burgensis nobis obijciat;
euidenter enim constat, quod multis ver-
bis expresserit, & docuerit nostram senten
tiam in epistola citata. Ex illius autem ver
bis tractatu. 120. in Ioannem solum colligi
tur, quod in die sabbati ab occasu solis fe-
riæ sextæ non licebat sepelire mortuum,
quod nec nos negamus, nec fauet Burgen
si. Non autem inde sequitur, quod die pri
ma paschatis non liceret, aut saltem non
esset tam solenni religione obseruatum,
atque in sabbato. Diuus etiam Hierony- *D. Hiero.*
mus solum innuit, quod licuit eo die para-
re aromata pro sepeliendo mortuo. Et de
difficili ista quæstione hactenus.

Solet hoc in loco interseri controuersia,
an peccent Græci conficientes in fermen-
tato. Et videtur, quod peccẽt: quia & schis-
matici sunt, & errant dicentes, conficien-
dum in fermentato, & non in azymo; atq;
ità videtur Scoto in. 4. dist. 11. quæstio. 3. & *Scotus.*
Paludano, quæst. 1. artic. 4. Ego vero dico
breuiter cum Diuo Anselmo opusculo *D. Anselm.*
de fermentato, & azymo, & S. Thom. 3. p. *D. Tho.*
quæst. 74. articul. 4. & Caietano, & Soto, *Caiet.*
quòd non peccant, imo debent seruare suũ *Soto.*
ritum. Quod probo primum ex Concilio *Conc. Flor.*
Florentino dicente, vnumquemque iuxta
suæ ecclesiæ, siue orientalis, siue occiden-
talis consuetudinem, conficere debere si-
ue in azymo, siue in fermentato.

Secundo probo. Quia panis fermenta-
tus est materia sacramenti. Tertio, quia
Græci in conficiendo in fermentato ha-
bent significationem, & causam rationa-
bilem.

bilem. Significationem quidem, quia Verbum patris indutum est carne, sicut fermētatum miscetur farinæ, vt ait Beatus Gregorius in registro. Causam verò ob detestationem hæresis Nazaræorum, qui legalia euangelio miscebant; ob quam rationem etiam ipsa ecclesia Latina dicitur aliquando consecrasse in fermentato in aliquibus partibus. D. Gregor.

Quarto & postremò, quia scisma non soluit ritus permissos & rectos ecclesiarū: hic verò ritus permissus est, nec caret ratione ecclesiastica. ergo non peccant Græci illum seruando, imo verò peccarent priuati faciendo oppositum: quia turpis est pars quæ non conformatur toti. Et ad rationem in oppositū dicitur, quod schismaticis non est adhærēdum in eo, quod schismatici sunt, nec in eo, quod errant; illi vero non errant, quia conficiunt in fermentato, sed quia dicunt confici non posse in azymo. Nec vero schismatici sunt, quia conficiunt in fermentato sed alijs de causis. Ecclesia vero Latina extincta iam Ebionitarum hæresi, & damnata Iudæorum perfidia, de lege veteri retinenda, non ex eorū imitatione, sed iustis de causis, & significationibus cōficit in azymo. Primùm ob traditionem acceptam à D. Petro, & Paulo, vt testantur Innocen. 3. li. 4. de offic. missæ c. 4. & quia teste Apostolo. 1. Corin. 5. azyma significat synceritatem & mentis puritatem. Et præterea; quia cum sit cibus sacramētalis, est à prophanis cibis distinguēdus, quod enim pertinet ad religionē, ratio ipsa postulat, vt seiungatur à vulgari, atq; cōmuni, ne veniat in contemptū. Vnde olim vtraq; ecclesia in azymo cōsecrauit, referente Innoc. 3. loco citato.

ARTICVLVS. VII.

Vtrum vinum vitis sit propria materia huius sacramenti.

IN hoc articulo nō est cur immoremur. Quamuis enim olim extiterint quidā hæretici, Aquarij dicti à dogmate proprio, quia in aqua cōficere se putabāt, quos refert D. Aug. li. de hæres. ca. 62. nec tamē inter catholicos est aliqua controuersia, nec verò vlla in re ipsa difficultas. Ac propterea respōdeo dicēdū ex D. Tho. quod de solo vino vitis potest cōfici hoc sacramētū. Primū quidē propter institutionē Christi, qui in vino vitis hoc sacramētū instituit. Quod cōstat manifestè ex tribus euāgelistis Matthæo, Marco & Luca, qui oēs agentes de Dñica cœna dicūt, Christū calicē porrexisse discipulis, & dixisse; Nō bibā à modo de hoc genimine vitis, vsq; in diē illū, cū illud bibā vobiscū nouum in regno patris mei: ergo Dñs instituit hoc sacramētū in vino vitis. Secūdo: Quia ad materiā sacramētorū assumitur, vt supra dicebamus, id quod propriè & cōmuniter habet talē speciē. Proprie autē vinū dicitur, quod est ex vite: alij vero liquores dicūtur vinū secundū similitudinē quandā ad vinū vitis. Tertio, quia vinū vitis cōgruētius est ad significandū effectū huius sacramenti, quæ est spiritualis lætitia; cū de eo dicatur, quod vinū lætificat cor hominis. Et ità determinatū est c. in sacramētorū. de consecratione. d. 2. & c. nō oportet & c. in sacramēto, & c. sicut. & in cōc. Trid. ses. 13. c. 1. & 3. & can. 2. D. August. B. Tho. Matth. 26. Marc. 14. Lucæ. 22. Psalm. 103.

Sed cōtra hoc sit primū argumētū: Quia in qualibet aqua potest fieri baptismus: ergo in quolibet vino, licet sit malorum, aut malogranatorū potest cōfici hoc sacramētū. Respōdetur, quod quemadmodū baptismus potest fieri in qualibet aqua simpliciter & naturali: ità hoc sacramentum potest confici in quolibet vino simpliciter, & naturali: quale est vinū vitis: & quemadmodum baptismus non potest fieri in aqua rosacea, aut alia eius generis; ita nec potest confici hoc sacramentum in vino malorū, aut alio similis rationis, quia nec vna est vera aqua, nec aliud verum vinū. Conc. Trid.

Secundo argumentor: Acetum est species vini ex vite, & in eo non potest confici: ergo falsum est, quod vinum vitis sit propria materia huius Sacramenti. Respondetur, quod prima propositio videtur falsa, & quod quemadmodum de pane totaliter corrupto, non potest confici hoc Sacramentum; ità nec de aceto; potest tamen confici in vino acescenti, sicut

sicut, & in pane qui tendit ad corruptionem: peccat tamen conficiens ob irreuerentiam, & periculum cui se exponit.

Tertio argumētor: Sicut vinū est ex vite: ita etiā agresta, & mustū: sed de his nō videtur posse confici hoc Sacramentum, secundum illud, quod in sexta Synodo legitur didicimus, quod in quibusdam ecclesijs sacerdotes sacrificio, oblationis coniungunt vuas, & sic simul vtrunque populo dispensant: præcipimus igitur, vt nullus sacerdos hoc vlterius faciat. Et Iulius Papa reprehendit quosdam, qui expressum vinum in Sacramento Dominici calicis offerebant: ergo videtur, quod vinum vitis non sit propria materia huius sacramenti. Respondetur, quod agresta est in via generationis, & nondum habet speciem, & qualitatem vini, ac propter hoc de ea non potest confici hoc sacramentum. Mustum autem iam habet speciem vini, nam eius dulcedo est signum, quod cōplete iam digestum sit à naturali calore, vt dicitur quarto meteororum: & ideo de musto potest confici hoc Sacramentum. Non tamen debent vuæ integræ huic sacramento misceri; quia iam esset ibi aliquid præter vinum. Prohibetur etiam, ne multum simulatque exprimitur de vua offeratur; quia id est indecens propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri. Vnde ab eodem Iulio Papa dicitur, si necesse fuerit botrus in calice prematur. Vuæ autem non sunt consecrabiles, quia non continent vinum sub forma potus, sed cibi. Permissum tamen est quibusdam ecclesijs in Can. didicimus. de cōsecratione. d. secūda, vt post oblationes corporis, vuas seorsum benedictas populus, qui petierit accipiat, & fructuum gratias agat. Itaque non erant illæ vuæ consecratæ, sed benedictę. Et quidem si vinum omnino fuerit congelatum, non poterit consecrari: quia, vt sic non habet rationem, & formam potus.

Sex. Synod.

Iul. Papa.

Arist.

Iul. Papa.

ARTICVLVS. VIII.

Quod aqua sit vino permiscenda.

REQVIRIT temporum ratio, vt quæ modo Dei ecclesia facit, ac ritus, quos tenet antiquorum Patrum, & consuetudinum authoritate, comprobemus. Præsertim, cum hac in parte iam à nobis dissenserint Græci, & Armeni, qui teste Guidone Carmelita loco. 11. & 24. & Innocentio asserebant nullam omnino aquā miscendam esse vino in hoc Sacramento. Quod autem miscenda sit probatur primo: Quia hoc sacramentum fit in memoriam Dominicæ passionis, Apostolo testāte. 1. Corinth. 11. & dicente: Quotienscunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis, donec veniat. At quando Christo mortuo vnus militum lancea latus eius aperuit continuo exiuit sanguis, & aqua, vt habetur Ioann. 19. ergo conuenienter aqua miscetur vino, quæ aquam de Christi latere simul cum sanguine exeuntem repræsentet. Hoc autem, & esse faciendum, & ab ipsis ecclesiæ primordijs factum esse, atque, vt ego arbitror, ab ipso Petro, probatur. Nam Alexander primus (qui vicinus fuit temporibus Apostolorum, nam sub AElio Adriano imperatore rexit ecclesiam, vix quadraginta annis transactis à morte Ioannis euangelistæ) sic ait in decretis suis, quæ inseruntur in primo tomo Conciliorum: In sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter missarum solennia Domino offeruntur, non debet (vt à patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrunq; permixtum, quia vtrunque ex latere eius in passione profluxisse legitur. A patribus se hæc accepisse dicit antiquus ille pōtifex, qui esse nō poterant, nisi, vel ipsi Domini discipuli, vel qui cum ipsis vixissent.

Guid. Car.
Innocent.

1. Cor. 11

Ioan. 19.

Alex. Papa

Item D. Cypria. epist. 3. quæ est ad Cæcilium, sic ait; Quando in calice aqua vino miscetur Christo populus adunatur: quæ copulatio, & coniunctio aquæ, & vini sic miscetur in calice Domini, vt commixtio illa non possit ab inuicem separari. Et multa alia addit ad propositum spectantia. B. August. de ecclesiasticis dogmatibus, cap. 75.

D. Cypr.

D. August.

cap.75.in Eucharistia inquit: Non debet so la aqua offerri, vt quidam sobrietatis falluntur imagine: sed vinum cum aqua mixtum: quia & vinum fuit in redemptionis nostræ mysterio, cũ dixit Dominus: Non bibam à modo de hoc genimine vitis. Et aqua mixtum; non quod aqua post cœnam dabatur, sed quod de latere eius lancea perfosso, aqua cum sanguine egressa, vinum de vera eius carnis vite cum aqua expressum ostendit. Præterea in collectario, quod Beatus Martinus Bracharensis episcopus fecit ex concilijs orientalibus capit.55. legitur: Non oportet aliquid aliud in sanctuario offerri, præter panem, & vinum, & aquam, quæ in Typo Christi benedicuntur; quia dum in cruce penderet de corpore eius sanguis effluxit, & aqua. Rursus concilium Carthaginense tertium suorum decretorum cap.24. sic habet: In sacramentis corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum, aquæ mixtum. Et sexta Synodus generalis contra Armenos canone.32. loquitur in hæc verba: Quoniam nouimus in regione Armenorum vinum tantum in sacra mensa offerri, aquam illi non miscentes; qui incruentum sacrificium peragunt, & obtendentes ecclesiæ doctorem Ioannem Chrysostomum in interpretatione Matthæi hoc asserentem, vt iam nunc ab ignorantia liberentur illius patris mentem orthodoxe aperimus. Cum enim hydropastarum hæresim, qui pro vino sola aqua in sacrificio vsi sunt, subuerteret, illam orationem composuit, in qua aquæ in sacrificio missæ adiunctionem admouere illi existimant; cum tamen non doceat sanctus per solum vinum oblationem fieri; quandoquidem, & suæ ecclesiæ vbi est illi administratio pastoralis tradita, aquã vino miscendam tradidit, quando incruentum per agi sacrificium oportet ex pretioso, & honorando nostri redemptoris sanguine, & aqua contemperationem attendens; quæ in totius mundi viuificatione effusa est, & peccatorum redemptionem. Et in omni etiam ecclesia, vbi spiritualia luminaria refulserunt, hic ordo diuinitus traditus seruatur. Nam & Iacobus Domini nostri Iesu Christi secundum carnem frater, & Basilius Cæsariensis Episcopus, cuius gloria omnem terrarum orbem peruasit, mystico nobis in scripto tradito sacrificio, ità per agendum in sacro mysterio ex aqua, & vino sacrum poculum ediderunt. Et qui Carthagine conuenerunt sancti patres, ità apertè tradiderunt. Si quis ergo episcopus, vel presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem facit, deponatur, vt im perfectè ac simpliciter mysterium enuncians, & quæ tradita sunt innouans. Hæc Sexta Synodus. Denique concilium Florẽtinum sub Eugenio quarto in instructione Armenorum, Tertium, inquit, est Eucharistiæ sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Præter hæc verò, & alia testimonia, quæ studiosus vnusquisque congerere poterit, sunt plures rationes congruẽtes. Primum quidem, quia Dominus ipse creditur à sanctis patribus, & doctoribus ecclesiæ instituisse hoc sacramentum in vino aqua permixto, vt in ea gẽte erat de more iuxta illud Prou.9. Bibite vinũ, quod miscui vobis. Et hæc congruentia constat ex verbis ipsis concilij Florentini, in instructione Armenorum. Atque item constat ex concilio Carthaginensi tertio iam citato.

Secunda congruentia sumitur ex repræsentatione passionis Christi quam iam tetigimus. Tertia sumitur ex D. Cyprian. epist.3. libri secundi iam citata. Quo loco, sic inquit: In sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tantum quis offerat sanguis Christi incipit esse si nobis: siue verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: quando autem vtrunq, miscetur, & adunatione confusa sibi inuicem copulatur, tunc sacramẽtum spirituale, & cœleste perficitur. Et Iulius Papa dicit: Videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinẽ Christi: ergo cum in calice vino aqua miscetur Christo populus adunatur. Hæ & similes congruentiæ huius rei afferri possunt pro hac

hac sententia, quæ recepta est apud omnes Doctores: & habetur extra de celebratione missarum, c. vltim. & de consecratione dist. 2. c. 1. 2. 3. 4. & 5. & c. cum omne. distinctione ead.

c. ult. extr. de celebr. miss.

Sed contra eam argumentor primo: Quoniam aqua, quæ miscetur, & si modica sit, manet in sua natura: ergo cum hoc sacramentum non possit confici in aqua, sequitur, quod illa non sit miscenda vino. Respondetur, quod aliqui docti physici asseuerant, aquam licet modica sit nõ conuerti tunc in vinum, & mihi quidẽ id videtur nõ omnino improbabile. Ac proinde sapiẽter Innocentius Tertius noluit hac in parte diffinire, quid dicendum sit, vt constat ca. cum Martha extra de celebratione missarum. Quicquid autem sit de hac sententia, cõstat tamẽ, quod modica aqua nõ transmutat vinum à sua natura. Ac proinde cum vinũ sit materia huius sacramenti, non ideò non ritè conficietur, quod modica aqua vino misceatur.

Innoc.

Secundo argumentor: Nam cum pane non apponitur aliquid aliud alterius frumenti: ergo nec cum vino debet apponi aliquid aquæ. Respondetur, quod significationis, & rationis congruentia nõ postulat primum; postulat verò secundum, vt declaratum est.

Tertio argumẽtor: Nam Melchisedech non legitur obtulisse, nisi panem & vinũ: erat autem illud eius sacrificium figura huius sacramenti: ergo nec in hoc misceri debet aqua. Respondetur, quod alijs figuris significabatur aqua, vt per eã, quæ fluxit de petra in eremo, præterquã, quod aqua non est de essentia materiæ huius sacramenti.

Gene. 14. *Num. 20*

ARTICVLVS IX.

Quod permixtio aquæ non sit de necessitate huius sacramenti.

Concilium Tridentinum Sess. 22. capite. 7. dicit præceptum esse ecclesiæ, quod aqua vino misceatur: ac proinde innuit, quod id non sit de necessitate, & essentia sacramenti. Ità sentit Magist. in quarto, distinct. 11. & ibi scholastici omnes, & Innocentius lib. 4. de officio missæ. capit. 32. & ita docet Cyprianus Papa, canone scriptura. Pro cuius sententiæ declaratione sciendum est, non esse necessarium, quod quicquid peculiare fuit in passione Christi peculiariter ac propriè significetur speciebus huius sacramenti, quod est memoriale Dominicæ passionis: sed satis est, si membra illa sanctissimi illius corporis varijs cruciatibus affecta, & cõtrita significẽtur pane: sanguis verò pro nobis effusus repræsentetur vino. Alioqui & punctiones capitis, & fixuram ac perforationem manuum, pedumque, & cætera similia oportuisset necessario significari isto sacramento. Quo constituto probatur nostra conclusio ratione Innocentij Tertij; quia in omni opinione, vel modica illa aqua admixta vino conuertitur in vinũ, vel saltem nullum est inconueniens si cõuertatur: ergo in omni opinione si verba consecrationis cadant super vinũ purum, id est, cum quo nulla omnino tunc sit aqua, illa erit materia sacramẽti: ergo aqua non est de necessitate sacramenti.

Conc. Trid. *Magister.* *Innocent.* *D. Cypr.*

Secundo argumentor, quia fatetur ecclesia Latina Græcos vere conficere, & tamen dicuntur illi nõ apponere aquam: ergo non est de necessitate huius sacramenti. Quicquid igitur obijciat Armacanus libro. 9. de quæstio. Armenorum cap. 9. hic tamen est sensus ecclesiæ, quod appositio aquæ non est de necessitate sacramẽti. Illa verò quorundam doctorũ ratio, & quidẽ cõmunis pluribus, quod quia aqua significat coadunationem populi cum Christo, iccircò non est materia necessaria huius sacramẽti, nec enim hoc sacramẽtũ perficitur in vsu, qui vsus & sumptio efficit illã vnitatẽ, hæc inquã ratio mihi non probatur. Quia sicut panis & vinum significant Christi passionẽ: ità etiã aqua, quæ fluxit de latere Christi significauit eius passionẽ abluentẽ peccata, & ad id etiam refertur aqua, quã nos apponimus. Et quẽadmodũ aqua, quã apponimus, significat nõ modo passionem abluentem peccata, sed etiam populum coadunatum Christo: ità & panis, & vinum, hoc idem significant.

Armacan.

D. August. Et propter hanc rationem (vt aiunt sancti patres) Dominus sacramentum corporis & sanguinis sui in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur: quia hoc sacramentum est symbolum charitatis, & vnitatis populi, tum cum Christo, tum inter se se. Quæ certe vnio effecta per hoc sacramentum supponit sumptionem sacramenti, in qua non perficitur Sacramentum.

Sed contra hæc argumentor primo: Quia admixtio aquæ naturalis ad farinam est de necessitate huius sacramenti, cum constituat substantiam panis: ergo admixtio eiusdem aquæ cum vino est de necessitate huius sacramenti. Respondetur, quod quicquid sit de antecedenti, consequentia nihil valet; quoniã aqua requiritur ad constituendum panem; non tamen requiritur ad hoc, vt cõstet vinum. Verum est tamen, quod de antecedenti est cõtrouersia. Nam S. Tho. 3. par. q. 74. tractans hunc B.Tho. articulũ tenet, aquã naturalẽ esse necessariã, ita, vt panis esse nõ possit materia sacramenti, nisi cõstans & coagulatus fuerit ea aqua. Caietanus verò tenet oppositũ: quoniam aqua nõ est pars essentialis panis, sed Caiet. materia transiens. Et quanuis panis fiat siue resultet ex farina & aqua sæpe tamẽ ex materijs transeuntibus diuersæ speciei resultat aliquod tertium vnius, & eiusdem speciei, sicut idẽ sanguis generatur ex diuersis cibis. Et mihi certè videtur esse posse sufficientem humorem in aquis rosaceis ad congelãdum panem eiusdem speciei. Pro D. Tho. vero & alijs facit, quod Dñs instituit sacramẽta in his materijs, quæ cõmunius sunt in vsu apud homines, non autem est in vsu panis ille ex aqua rosacea. Quæ ratio apud me nõ est parui ponderis; præsertim, quod non est extra litem illa cõsequentia, quam reliquit, vt notam Caietanus: Hæc materia est eiusdem speciei cũ illa: ergo est consecrabilis. Quia quanuis succus vuæ sit eiusdem speciei cum musto, non tamen vua est consecrabilis. Et pari ratione negaret fortasse quis, quod panis ex aqua rosacea sit materia huius sacramenti, quanuis sit eiusdem speciei.

Igitur in hoc dico primum, quod qui conficeret in pane ex aqua rosacea, peccaret mortaliter. Quod nec Caietanus, nec aliquis sapiens negabit. Tum, quia in re grauissima mutat ritum ecclesiæ: tũ, quia exponit se grauissimo periculo sacrilegij. Dico secundo, quod vtraq; illarum opinionum est probabilis. Nam ad nostram rationem dicet Caietanus, quod si panis est eiusdem speciei; & sub forma panis, nihil requiritur vlterius. Et certè consideratis omnibus probabilior est mihi sententia Caietani.

Secundo argumentor: Quia de cõsecratione dist. 2. c. cum omne. dicitur; Non potest calix Domini esse aqua sola, aut vinũ solum, nisi vtrunq; misceatur. Sed hoc interpretandum est cum Magistro, dist. 11. Magister. non potest, id est, non debet. Et quidem quod iure non fit impossibile reputatur in iure. Et quando additur hæc similitudo, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, nisi vtrunque scilicet, aqua & farina fuerit adunatum; respondendum est, quod ea similitudo tenet quantum ad id, quod debet fieri, non tamen quantum ad necessitatem. Nam aqua est de essentia panis, non autem de essentia vini. Sed addendum est, quod qui consulto nõ misceret aquam peccaret mortaliter, quia variat sacramentorum ritum contra præceptum ecclesiæ.

Tertio argumentor: Quia si aqua non esset de necessitate huius sacramenti, non referret, quæcunq; aqua huic sacramento apponeretur; & ita posset apponi aqua rosacea, vel quæcunq; alia huiusmodi quod non habet vsus ecclesiæ: ergo aqua est de necessitate huius sacramẽti. Respõdetur, ex D. Tho. quod quia admixtio aquæ ad vinũ nõ est de necessitate sacramẽti, nõ refert quantũ ad sacramẽtũ necessitatẽ quæcunq; aqua misceatur vino, siue naturalis, B.Tho. siue artificialis, quãuis quantũ ad conuenientiam sacramẽti peccet, qui aliã aquã misceet, nisi naturalẽ, & verã: quia de latere Christi pendẽtis in cruce aqua vera profluxit, nõ humor flegmaticus, vt quidam dixerũt, ad ostẽdendũ, quod corpus Christi erat verè compositum ex quatuor elementis: sicut per sanguinem fluentẽ ostẽdebatur,

debatur, quod erat compositum ex quatuor humoribus, vt Innocentius Tertius dicit in quadam decretali. Innocent.

ARTICVLVS. X.

Vtrùm aqua miscenda sit vino in parua quantitate.

Distinguendum est semper in similibus quæstionibus, quid requiratur ex necessitate ipsius sacramenti, vt conficiatur, vel quid facto cõgruum & rationabile sit. Sẽper enim conficietur sacramentum, si in calice manserit species vini, quantacunq; aqua apponatur. Nos verò semper id facere debemus, quod congruum est, & rationabile. Est autem rationabile, vt modica aqua misceatur. Et ratio est: Quoniã modica illa aqua, aut vertitur in vinum (vt quidam dicunt) aut non vertitur, sed manet, vt alij. Si vertatur in vinum, nullum est inconueniens, sed potius est congruẽs: quia vinum solum est, quod conuertitur in sanguinem, ac proinde nulla erit tunc, vel minima particula calicis, quæ non sit verus sanguis. Propter quod laudabilis est eorum consuetudo, qui ante introitum parant calicem, vt longius tempus relinquatur vino transmutandi aquam. Si autem hoc habet natura rerũ, vt modica illa aqua non distrahatur à sua natura, nec distrahi possit per vim vini, quod de more infundi solet, saltem hoc habebimus, quod aqua cum modica sit, non transmutabit vinum: ergo tutius & rationabilius est, quod modica aqua apponatur. Secundo cõstat hoc ipsum ex ritu & more ecclesiæ, & ex cap. perniciosus. extra de celebratione missarũ, & ex c. com Martha, & ex concilio Florẽ- Conc. Flor. tino. Exacta vero illa aquæ infundẽdæ modicitas, quam quidã exaggerant mihi non videtur admodum grauis, quia nec ille ipse calix, quem Dñs benedixit, tam modica vt credo fuit aqua permixtus. Verum est tamen, quod illud cõsiliũ nõ est perniciosum. Sed contra hæc argumẽtor primo: Quia si tam modica aqua miscenda est vino, sufficere videretur, quod in barillo, vel vase, ex quo infunditur vinum, mixta fuisset ante aliqua pars aquæ: quod non videtur verum. Respondetur, quod nihilominus postea aqua miscẽnda est. Quoniam aqua illa prius mixta vino in barillo nõ est apposita ad significandum illud, quod significat appositio aquæ cum vino offerendo. Vnde prius debet vinum in calice poni: & sic vino iam deputato ad offerendũ debet aqua addi, & apponi.

Secundo argumentor: Quia licet modica aqua sit mixta vino, per artem tamẽ potest separari à vino, scilicet, cum lana, vel iunco decorticato: ergo aqua nunquã conuertitur in vinum: ergo non necesse est apponere modicam aquã. Respõdetur, quod quicquid sit de conuersione aquæ illius modicæ in vinum, est tamen miscẽnda, vt supra declaraui. Ad hoc verò argumẽtum respondet S. Tho. in. 4. dist. 11. super literã Magistri, quod illo artificio separatur humor quidam, qui potest separari etiam à vino puro non tamen aqua: erat enim iam conuersa in vinum. S. Tho.

Tertio argumentor: Quia si modica aqua corrumpitur à vino, iam nõ est cum consecratur: ergo non est necesse illã prius apposuisse. Respondetur negando consequentiam: quia si aqua nõ apponeretur excluderetur significatio: sed cum aqua apponitur, & in vinum conuertitur, significatur, quod populus Christo incorporatur.

QVAESTIO TERTIA, DE EXISTENTIA ET VERITATE CORPORIS CHRISTI IN HOC SACRAMENTO.

ARTICVLVS. I.

Quod species panis, & vini non solum per modum signi, & figurae contineant corpus Christi.



ACCGREDIMVR disputationem grauissimam, de existentia corporis, & sanguinis Domini, in hoc Sacramento. In qua ego fateor me ferre non posse homines quosdam, vel minus prudentes, vel lapsos temporum vitio, qui cum quaestio sit, & agatur de supernaturali Dei decreto, atque consilio, quod perscrutari non potest, nisi Spiritu sancto Dei, comprobant tamen suam fidem rationibus quibusdam ex Logica aut Philosophia petitis non paruam occasionem exhibentes, haereticis nos irridendi, vt qui rationibus Physicis probare nitamur, id quod ratio ipsa dictat excedere rationem omnem. Ego igitur rem hanc ità tractare curabo, vt simul ostendam viam conuenientem, & proprium modum, quo similes veritates fidei in cordibus fidelium nutriri debent, & roborari, ac nutritae, & roboratae, ab haereticis defendi. Ergo Sacramentarij haeretici istorum temporum affirmant species illas panis dici corpus Domini, solum per modum figurae, & signi: non aliter atque dictum est; Petra autem erat Christus. Quae res vt multorum assensu comprobetur, atque nos ei tanquam iam iudicatae assentiamur, conferunt in eam aliquorum patrum testimonia. 1. Cor. 10.

Et in primis vbique ex Diuo Augustino proclamant illud epistola vigesimatertia. Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sunt sacramenta, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque etiam nomina accipiunt. D. August.

Sicut ergo secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi: ità Sacramentum fidei fides est. Et idem Diuus Augustinus contra Maximinum libro tertio, capite vigesimosecundo, Haec Sacramenta, inquit, sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostendant semper attenditur: quoniam signa sunt rerum aliud ostendentia, & aliud significantia. Et in Leuiticum, quaestione. 58. Solet, inquit,

inquit, res, quæ significat, eius rei nomine vocari, quam significat: sicut scriptum est, septem spicæ sunt septem anni, & petra erat Christus. Diuus etiam Cyprianus de vnctione Chrismatis ita habet: Dedit Dominus noster inmensa, in qua vltimum cum Apostolis participauit con uiuium, proprijs manibus panem, & vinum: in cruce verò proprijs manibus cor pus tradidit vulnerandum, vt in Apostolis secretius impressa synceritas exponeret gentibus, quomodo panis & vinum, caro esset, & sanguis, & quibus rationibus causæ effectibus conuenirent, & diuersa nomina, vel species ad vnam reducerentur essentiam, & significantia & significata eisdem nominibus censerentur.

Gene. 41.
1. Cor. 10
D. Cypr.

Præterea Cyrillus libro quarto, in Ioannis capite decimo, ita loquitur. Quomodo maiores Iudæorum panem Angelorum spiritualem comederunt? Perspicuum est, quoniam Christi qui vniuersa continet atque nutrit figura quædam erat manna sensibile, icircò quod vmbra veritatis erat, veritatis nomine in spiritu appellatur, & eo quod angeli terrestri cibo participare nequeunt; vel nolentes à veritate ad figuram impellit auditores, & ad Christum, qui etiam Angelorum panis est, ænigmatica oratione reducit. Theodoretus quoque Dialogo primo scribit in hæc verba: Manifestus est scopus his, qui sunt initiati sacris, voluit enim eos, qui diuina mysteria participant, ne ad eorum, quæ videntur, naturam attendant, sed per nominum mutationem credant, quæ ex gratia facta est transmutationi. Qui enim naturale suum corpus frumentum, & panem appellauit, atque item se ipsum vitem nominauit; idem ipse ea etiam, quæ videntur symbola corporis & sanguinis sui appellatione honorauit: non equidem naturam ipsam transmutans, sed adijciens gratiam naturæ.

D. Cyrill.
1. Cor. 11
Luk. 16
D. Theod.

Ex his Sacramentarij triumphant; & Caluinus admonet sine vlla exceptione obseruari, vt quoties patres scribunt, in pane edi à nobis corpus Christi, & sanguinem addatur in mysterio seu Sacramentaliter, seu methonymice, ita omnis cesset contentio. Ita se edoceri ab Augustino, & Theodoreto, asseuerat Beza, & vna cum OEcolampadio defendit, patres illa verba, Hoc est corpus meum semper interpretatos fuisse pro figura signo, antitypo, exemplari, similitudine, imagine, significatione, memoria, commemoratione, ac repræsentatione corporis Christi.

Matth. 26

Hæc isti. In quibus considerandum est, quod cum gloriari soleant, se ex solis scripturis religionem haurire, non tamen ex scripturis possunt aliquid afferre, ex quo vel apparenter colligatur ea verba, Hoc est corpus meum, figurate, vt ipsi volunt, esse intelligenda, sed in eo laborarunt, vt pauca quædam & obscura sanctorum Patrum dicta veniantur, quibus tenebras offundant innumerabilibus, & clarissimis eorum testimonijs. Igitur vt veritatem fidei declaremus, & miseræ istorum cæcitati occurramus, sciendum est, vel potius recolendum, quod siue consideretur in hoc Sacramento Sacramentum ipsum, id est, species panis, & vini relictæ, siue res ipsa, id est, verum corpus Domini, siue ritus, quo hoc Sacramentum conficitur, omnia hæc recte dici possunt, & dicuntur signa, Sacramenta, symbola, vel figuræ. Species enim illæ significant corpus; & sanguinem Domini, quem continent. Ritus, quo hoc Sacramentum celebratur, ac celebratio ipsa, rememoratio est Dominicæ Passionis, corpus ipsum Domini vnitatem gratiæ, quam in nobis efficit, figurat atque significat: ac proinde inanis fuit hæreticorum labor in recensendis Sanctorum testimonijs, quibus hoc Sacramentum corporis Domini, signum vel figura nominatur. Hæc enim affirmamus, omnes catholici eo ipso, quod hoc sacramentū appellamus sacramētū. Dicimus tamē & catholi

cè defendimus, quod in hoc mysterio sacratissimo, & est signum & res contenta, & est figura, & res figurata. Et quod hæc ratiocinatio est hæretica, & demens; Est figura, aut signum: ergo vacat re figurata: quod non modo est verum loquendo de speciebus, vel de ritu conficiendi, sed etiam quamuis sermo sit de ipso corpore Domini, non iccirco veritas, & præsentia corporis negatur, quod affirmetur de illo esse signum, aut Symbolum alicuius rei. Sicut quamuis sedens Dominus in gloria patris significet, quod debeamus ea, quæ sursum sunt, quærere, iuxta Apostolum: non tamen sequitur: ergo verè Dominus non sedet in gloria Patris. Et quamuis mortuus fuerit, vt significaret nos debere mori peccato, non tamen ideo non est mortuus. Et hoc est, quod Nicena illa Synodus secunda, actione septima contra Iconomachos diffiniuit in hæc verba: Nemo vnquam Sanctorum Apostolorum, qui tubæ sunt Spiritus sancti, aut gloriosorum Patrum nostrorum incruentum nostrum sacrificium in memoriam passionis Christi Domini nostri, & totius suæ dispensationis factum imaginem corporis illius dixerit. Legas quousque voles, nusquam inuenies nec Dominum, nec Apostolos nec patres incruentum illud sacrificium, quod à sacerdote offertur, imaginem dixisse; sed ipsum corpus & ipsum sanguinem.

Colos. 3.

Conc. Nice.

Hactenus Concilium. Quod accipiendum est in eo sensu, quo ea de re tunc disserebatur. Putabant enim Iconomachi quod in Eucharistia sola resideret imago corporis, & non re vera corpus ipsum. Cuius oppositum tunc patres diffiniuerunt: non quod putarent, dici non posse, quod in eo Sacramento, sit signum etiam, & figura corporis Domini, vel ipsum Domini verum corpus, imaginem esse posse rerum aliarum.

Et secundo pro hac veritate argumentor: Nam Græci, & Latini patres hoc nomine; Eucharistiam anteponunt figuris veteris legis, quod veritatem, & corpus ipsum ac sanguinem Christi contineat. Rationemque reddunt, cur decuerit veram Christi carnem, & sanguinem sub panis ac vini signo præberi. Et quoniam articulo sequenti hæreticos obruemus Sanctorum patrum testimonijs, asserentium, veritatem & præsentiam corporis Domini in Sacramento: iccirco liceat modo pauca quædam enumerare, atque illa breuiter perstringere. Diuus Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia, capite tertio, dicit, quod per signa altaris Christus, & signatur, & sumitur. Diuus Damascenus, libro quarto, capite decimoquarto, Non est, inquit, figura panis & vinum corporis, & sanguinis Christi (absit hoc) sed est ipsum corpus Domini Domino dicente; Hic est corpus meum. Theophylactus etiam quoniam incidit in ætatem infectam illa hæresi, quam retulimus, hæc etiam scripta reliquit: Dicens; Hoc est corpus meum ostendit, quod ipsum corpus Domini est panis, qui sane deificatur in altario, & non est respondens figura. Non enim dixit: Hoc est figura, sed, Hoc est corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiam si nobis videatur panis. Diuus Augustinus, & citatur de consecratione, distinctione secunda. Corpus, inquit; & sanguis Christi est veritas, & figura: veritas dum Spiritus sancti virtute ex panis, & vini substantia efficitur, figura id, quod exterius sentitur. Plura alia sunt, quæ citare possemus, ni si timeremus excedere scholæ limites; habemus enim testimonia Leonis primi, epistola vigesimatertia, Remigij in Psalmo vigesimoprimo. Hilarij Papæ, & Hilarij Episcopi Pictauiensis, & Euthymij, atque aliorum. Et Diuus Anselmus de diuinis officijs; sic habet: Christi benedictione panis fit corpus eius, non significatiuum tantum, sed etiam substantiue. Nec enim ab hoc Sacramento figuram omnino excludimus; nec eam solam admittimus. Veritas est quia Christi corpus est: figura est, quia immolatur quod incorruptibile habetur. Si hoc corpus Christi corpus significa

D. Dion.

D. Damasc.

Matth. 26.

Theophil.

D. August.

S. Leo.

B. Remig.

Hilar.

Euthym.

D. Ansel.

ficatiuè tantum, non etiam substantiue fieret, hoc figura tantum non veritas corporis Domini existeret. Sed vt in fine huius articuli aliquam legendis authoribus sacris, & antiquis lucem afferamus, aduertendum est, quod qui inciderunt in tempora, aut Iconomachorum, aut Bertrami cuiusdam, aut Berengarij, aut eorum hæreticorum, qui negauerunt veritatem corporis Domini adorari in Sacramento, ij omnes consulto abhorrent à nomine figuræ in hoc Sacramento illudque reijciunt. At verò quotiens Catholici patres se colligunt, & quid verum sit expendunt, non refugiunt figuræ, aut Sacramenti, aut signi nomen: sed affirmant in Sacramento altaris, & esse signum Sacramentum, & figuram, & etiam veritatem corporis, & sanguinis Domini adesse: nec ferre possunt Christi verba dissolui in figuram. Ac propterea fere omnes, qui post Diuum Augustinum fuere, pronunciant in canone, hoc est de consecratione, distinctione secunda. Hoc est, quod dicimus, quod modis omnibus probare contendimus, sacrificium ecclesiæ duobus modis confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne, & sanguine sacramento, & re sacramenti. Et quanuis doctissimi viri censuerint canonem hunc minimè ex Augustino, sed ex Lanfranco sumptum, melius verò Maldonatus de societate Iesu vir eruditus sensit, verba esse Augustini. Et ratio est, quoniam Algerus Lanfranco cōtemporaneus ea citat, vt Augustini.

D. August.

Algerus.

Redeamus modo ad patres, quorum auctoritates hæretici nobis obijciunt. Et quidem Diuus Cyrilus nobis fauet: nam manna dicit appellatum panem Angelorum, eo quod esset figura veri panis Angelorum, qui in Sacramento continetur. Inferre vero, quod in Sacramento non sit veritas corporis, quia eius veritatis figura appellata est nomine conuenienti veritati, est nihil dicere. Nec etiam immoremur in Cypriano. Siquidem verissimum est, quod Dominus panem, & vinum dedit discipulis, id est species panis, & vini. Tradidit vero crucifixoribus, & verum corpus, & speciem corporis. Et articulo sequenti euidenter ostendemus Diuum Cyprianum docuisse veritatem, & præsentiam corporis Domini: Igitur his non immoremur: quia nec ipsi hæretici hæc magni faciunt, sed vni Augustino, & Theodoreto nituntur.

D. Cyril.

Horum igitur dicta videamus. Et quidem pro Diuo Theodoreto considerandum est; quod ipse, & alij Græci non apertè loquebantur de Sacramento corporis, & sanguinis Domini, quoniam animaduertebant paganos, & catechumenos qui sæpe vel scripta legebant, vel audiebant, quæ dicebantur, non esse capaces tam alti, & ineffabilis mysterij. Vt igitur hæreticorum ignorantia, vel malitia deprehendatur, Diui Theodoreti fidem ipsius Theodoreti verbis expressam referamus. Nihil autem optabilius nobis posset accidere, quàm, si hæretici Theodoretum audirent. Ille ergo in Dialogo secundo, qui appellatur, inconfusus folio. 369. sic habet (Introducuntur verò Eranistes: & Orthoxus, quorum Eranistes dubitantis, atque discipuli personam sustinet, Orthodoxus verò, & Magister est, & fidem declarat.) Orthodoxus: Dic ergo mystica symbola, quæ Deo à Dei sacerdotibus offeruntur, quorumnam dicis esse symbola? Eranistes. Corporis, & sanguinis Domini. Orthodoxus: Corporis, quod verè est, vel quod vere non est? Eranistes: Quod vere est. Orthodoxus: Optime: oportet enim imaginis esse exemplar archetypum. Etenim pictores imitantur natura, & eorū quæ videtur depingunt imagines. Eranistes: Verū. Orthodoxus: Si ergo diuina mysteria corpus, quod verè est representant ergo corpus etiam

D. Theod.

nunc Domini quoque corpus est; non in naturam diuinitatis mutatum; sed impletum diuina gloria. Eranistes: Opportune accidit, vt verba faceres de diuinis mysterijs. Nam vel ex eo ipso tibi ostendam corpus Domini in aliam mutari naturam. Responde ergo ad mea interrogata. Orthodoxus. Respondebo, Eranistes. Quid appellas donum, quod offertur ante inuocationem sacerdotis? Orthodoxus: Non oportet apertè dicere: est enim verisimile adesse aliquos mysterijs non initiatos. Eranistes. Respondeatur ænigmatice. Orthodoxus: Id quod sit ex eiusmodi seminibus nutrimentum. Eranistes: Aliud autem signum, quomodo nominamus? Orthodoxus: Commune etiam hoc nomen, quod potius speciem significat. Eranistes. Post sanctificationem autem, quomodo ea appellas? Orthodoxus: Corpus Christi, & sanguinem Christi. Eranistes: Et credis te fieri participem corporis Christi, & sanguinis? Orthodoxus: Ita credo. Hæc Theodoretus: videant hæretici, quibus faueat. Atque idem Theodoretus Dialogo 3. folio 399. cum silentium, & aures petiuisset, hæc verba, sanctissimi Ignatij in epistola ad Smirnenses, refert ac veneratur. Eucharistiam, inquit, & oblationes illi non admittunt, quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem seruatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam pater sua benignitate suscitauit. Hic certè hæretici nescio quid habeant, quod hiscere possint? Igitur ex his respondetur illa Theodoreti verba Dialogo primo, quæ habentur non longè à principio obscura esse, vt Eranistes ipse fatebatur, sed vera. Ait enim in summa non esse attendenda quæ videntur, quoniam sunt species panis & vini, sed credendum esse mutationi, quæ fit ex gratia: siquidem cùm antea ibi non esset corpus Domini postea tamen est corpus Domini. Et cum ait Theodoretus, quod manet earum rerum natura, de speciebus ipsis loquitur panis, & vini, quæ manent. Et quamuis ille sensisset, quod manet substantia panis, non sequitur, quod negauerit præsentiam corporis Christi. Sed nec existimo illum docuisse, quod maneat substantia panis, sed speciem appellauit naturam.

D. Theod.

B. Ignat.

Ad primum testimonium ex Diuo Augustino necesse non est respondere: quoniam nec apparenter contra nos adduci potest, nihilque dicit ille sanctus eo loco quod non recipiant omnes catholici. Aliud enim est dicere, quod sub speciebus & sacramentis non sit verum corpus ac sanguis, quod nusquam dixit Augustinus; aliud verò asserere, quod sacramenta corporis ac sanguinis, aliqua ratione possunt dici corpus & sanguis, propter significationem, scilicet, & imaginem.

Ad secundum testimonium ex lib. 3. contra Maximinum cap. 22. respondetur, quod D. August. eo loco longissimè aberat ab eo, vt de Eucharistia disputaret, aut negaret existentiam corporis Domini. Vt autem euidenter ostendatur, quam impie hæretici populum curent seducere, & quam stupide inducant testimonia, ipse Augustinus producatur; & constabit quod cum loqueretur de illis tribus spiritu, aqua, & sanguine, de quibus 1. Ioan. 5. Quoniam Maximinus opponebat, quod dicatur illa esse vnum, cum non sint vnius substantiæ: respondet Augustinus, hæc esse sacramenta, id est, signa, in quibus non quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur: quoniam sunt signa rerum aliud existentia, & aliud significantia: Et declarans, quæ similitudia, subdit: Tria nouimus de corpore Domini exiisse cum penderet in ligno. Primo spiritum, vnde scriptum est; Inclinato capite tradidit spiritum. Deinde, quando latus eius perforatum est sanguinem & aquam. Quæ tria, si per se ipsa intueamur, diuersas habent singulaque substantias, ac per hoc non sunt vnum: si vero ea, quæ his significata sunt, velimus inquirere, non absurde occurrit ipsa Trinitas, vt pater per spiritum, filius per sanguinem, Spiritus sanctus per aquam significetur, qui tres sunt vnus Deus verus. Ecce quo deuenit testimonium, & quam absurde hæretici illud citauerunt. Qui prætere-

D. Aug.

1. Ioan. 5.

Ioan. 19.

rea

rea satis ostendunt, quantùm in sole caligent. Nam quamuis Diuus Augustinus loquens de Sacramento Eucharistiæ dixisset, quod sacramenta aliud existunt, & aliud significant, quid dixisset, quod non sit verissimum? Certè si species panis significant corpus Domini, bene colligitur: ergo non sunt corpus Domini: non tamẽ colligitur, ergo non est sub illis corpus Domini. Imo & de ipso corpore Domini, si rectè dicitur, quod significet vnionem nostram inter nos, & cum Deo, bene sequitur, ergo ipsum corpus non est ea vnio sicut bene colligitur, quod sanguis Christi non sit verbum, si significat verbum. Ad illud autem ex Leuitico respondere non curabo: quoniam, quamuis soleant res significari nomine eius rei, quam significant, sed propriè & frequentius significantur nomine proprio; & ità corpus Domini appellatur corpus, quia verè est corpus. Illud autem in fine huius articuli animaduertendum esse duxi, quod nõnunquam antiqui patres, vt constat ex prima Synodo Nicena, corpus Domini in Sacramento appellant Symbolũ, id est pignus amoris, & arrham hæreditatis.

Con. Nice.

ARTICVLVS. II.

Quod in hoc Sacramẽto sit corpus Christi secundum veritatem.

INuestigabiles sunt congruentiæ, & inenarrabiles, ac soli Deo cognitæ maximæ: vtilitates, quæ nobis ex ea Dei dignatione prouenerũt, qua dignatus est nobis suũ corpus, & sanguinem sub speciebus panis & vini, derelinquere. Charitas enim Dei in nos summa demonstratur, nostra in ipsum accenditur, spes roboratur, fides instruitur, & subijcitur Deo, tota hominis mens atque spiritus tam inestabili Sacramento fouetur, & deificatur. Non autem est meum institutum congruentias has, & vtilitates prosequi, sed ita ex scripturis, & patribus, & concilijs ostendere veritatem, vt & catholicorum fides roboretur, & hæreticorum error, & impudentia cõfundatur, nec habeat aliquid quod possit obtendere. Igitur, vt ab scripturis incipiamus, illæ sunt manifestæ. Matthæus cap. 26. ait: Accepit panem & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite &, comedite, hoc est corpus meum. Lucas c. 22. dicit: Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens; hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Testatur Marcus cap. 14. quod manducantibus illis accepit Iesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum. Ioannes quoque cap. 6. refert hæc verba Saluatoris: Panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita, & nisi manducaueritis carnem filij hominis, & bibẽritis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et, qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Doctor gentium Paulus a Corint. 11. Dominus, inquit, Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem & gratias agens fregit & dixit: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commẽmorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, hóc facite quotiescunque biberitis in meam cõmemorationem. Et 1. Corinth. 10. Panis, quem frangimus non ne communicatio corporis Domini est. Hæc de testimonijs scripturæ. Quidam verò author cum de hac re sermonem instituerit hæc verba præmisit. Non apparet ex euangelio coactiuum aliquod ad intelligendum hæc verba propriè. Ego verò nego à viro Theologo indignius quicquam dici potuisse. Primum: nam quibus alijs verbis deberet scriptura asseuerare hac veritatẽ? Nũquid dicere debuisset Dominus: Hoc est corpus meum, nõ metaphoricè, sed propriè? Quis iam erit stupidus qui hæc postulet à diuinarum scripturarum grauitate? Dixit autem, Hoc est corpus meum: & caro mea verè est cibus, & alia eiusmodi.

Matth. 26.
Luca. 22.
Marc. 14.
Ioan. 6.
1. Cor. 11.
1. Cor. 10.
Ioan. 6.

Secundo, quia iuxta regulam Augustini ab omnibus viris doctis meritò, & ne-

D. August.

cessario receperam, quotienscunque, vel ratio ipsa non postulat, vt oratio metaphoricè intelligatur: sicut cum dicitur; Petra autem erat Christus, vel ex antecedentibus & cõsequentibus, atq; alijs scripturæ locis, id nõ colligitur, tunc verba intelligenda sunt propriè. At verò nihil est, aut in testimonijs citatis, aut in alijs scripturæ locis, cur ea verba intelligẽda sint metaphoricè: ergo debet intelligi propriè. Et procul dubio nulla est alia ratio dubitãdi de illis verbis, nisi quod aliqui homines tam offendũtur tãta Dei bonitate, credere vt illã non possint. Volo dicere, nõ sibi persuadeant. Nec vero patres hęc ad literam alia ratione interpretati sunt, quam quod ad literam intelligẽda essent. Sed eorum verba audiamus.

1. Cor. 10

Origen.

Origenes hom. 7. in Numeros, & 17. in Leuiticũ: Tũc ait, in ænigmate erat manna cibus, nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus: sicut & ipse dicit; quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus.

Ioan. 6.

D. Cypr.

Cyprianus de cœna, non iam ad elaborata impensis, & arte conuiuia populus inuitatur, sed immortalitatis alimonia datur, à communibus cibis differẽs; corporalis substãtiæ retinens speciem, sed virtutis diuinæ inuisibili efficiẽtia probans adesse præsentiam. Et videndus est ipse lib. 2. epist. 3. & de oratione Dñica ibi, panem nostrum.

D. Ambr.

D. Ambro. de his, qui initiãtur mysterijs c. 8. & 9. & libr. 4. de sacramẽtis, ca. 3. comparãs manna cũ Eucharistiæ sacramẽto sic habet, Ista esca, quam accipis, iste panis viuus, qui de coelo descẽdit, vitæ æternæ substantiam subministrat, & quicũq; hũc panem manducauerit nõ morietur in æternum: & corpus est Christi in veritate, &c. Potior est lux quam vmbra, veritas quã figura; corpus authoris, quam manna de coelo.

D. Hiero.

Hieronymus in caput. 2. ad Titum. Tãtum interest inter propositionis panes & corpus Christi, quãtum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exẽplaria futurorum, & ea ipsa, quæ per exemplaria præfigurabantur. Idem Hieronymus ad Eluidium: Dominus Iesus ipse conuiua, & conuiuium ipse comedens, & qui comeditur, de cõsecratione. dist. 2. c. nec Moyses.

D. Basil.

D. Basilius, serm. 2. de baptismo: grauius, & terribilius est in animæ impuritate cõstitutum, corpus Christi temere contingere, quã sic accedere ad arietes & tauros, dicente Apostolo: Itaq; qui edit panẽ, & bibit poculum Dñi indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Et infra: Si immunditia tantum cõstrictus tã terribile iudicium habet quãto magis qui cum in peccato sit corpus Domini cõtingere audet?

1. Cor. 11

Gaudent.

Gaudentius episcopus Brixiẽsis. In hac veritate qua sumus, vnus pro omnibus mortuus est, & idem per singulas ecclesiarum domos in mysterio panis ac vini reficit immolatus. Hæc agni caro est, hic sanguis est: panis enim, qui de coelo descendit, ait, Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.

Cyr. Alexã.

Cyrillus Alexan. lib. 4. in Ioannem c. 14. 16. & 18. & li. 3 ca. 36. Non erat manna cibus verus, id est, panis de coelo, sanctum vero Christi corpus ad immortalitatem, & vitam æternã cibus est. Sed aquam illi ex petra biberũt, quid igitur inde lucrati sunt qui mortui fuerunt? Non erat igitur potus ille verus, sed verus potus est sanguis Christi, quo tota dicitus mors euertitur, atq; destruitur: nõ enim hominis simpliciter sanguis est; sed eius, qui naturali vitæ coniunctus vita effectus est.

B. Leo.

Leo papa sermone septimo, de passione: Vt vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines, sub præsentia veritatis antiqua obseruantia nouo tollitur Sacramento. Hostia in hostiam transit, sanguis sanguinem excludit, & legalis festiuitas dum impletur mutatur.

D. Chry.

D. Chrysostom. homilia. 80. in Matth. & 60. ad populum: Quos radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc coronam pertractat; lingua, quæ cruentatur hoc admirabili sanguine; veniat in mentem tibi, quo sis honore affectus, qua mensa fruaris: ea nanque te nos alimur, quam angeli videntes tremunt: neo absque pauore propter fulgorem qui inde resilit aspicere possunt. Hic aduersarij stultissime obijciunt, quod Chrysostomus in his homelijs dicat incorporalia subesse signis. Ex quo inferunt ibi, non esse corpus Christi.

Sed

Sed dicendum est, quod quia verum Christi corpus modo incorporali & insensibili subest signis visibilibus, iccircò Chrysostomus insensibilia, & intelligibilia appellat ea quæ subsunt. Bernardus sermone in cœna Domini gloriosa, & amabilis sponsa in terra sponsum habes in Sacramento in cœlo habitura es, sine velamento. Et hic & ibi veritas, sed hic palliata ibi manifesta. Eusebius Emissenus homilia.5. de paschate. Quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & illaturum sideribus, necessarium erat, vt nobis in hac die sacramentum corporis, & sanguinis sui consecraret, vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium, & vt perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia. Algerus lib.2. cap.3. Sacramentum vnum omnibus legalibus sacramentis, dignius superordinauit, quo & nobis prædictas incommoditates horroris, vel splendoris, corpus suum abscondendo auferret, & veritate sui corporis vmbras seu figuras sacrificiorum veterum cōplendo, vt superfluas repelleret, &c. Egregium igitur, & super omnia excellens Sacramentum nobis prouidit Deus in sacrificio suo, quo corporis & sanguinis sui veritatem panis, & vini qualitatibus tectam abscondit digna causa. Cassiodorus in Psalm.109. Tu es sacerdos in æternum, cui potest veraciter & euidenter aptari, nisi Domino Saluatori, qui corpus & sanguinem suum in panis, ac vini erogatione salutariter consecrauit? sicut ipse in euangelio dicit; Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. D. Gregor. in illud Iob.6. Nūquid rugiet onager, præsepe natus im pleuit, qui cibum semetipsum mentibus mortalium præbuit dicens; Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo, & homilia paschali late. D. Hilarius lib.8. de Trinitate: Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, quæ scripta sunt legamus, & quæ legerimus intelligamus, & tunc perfectæ fidei fungemur officio. De naturali enim Christi in nobis veritate quæ discimus, nisi ab eo discimus stultè atque impiè discimus. Ipse enim ait: Caro mea vere est esca, & sanguis meus verè est potus. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis, & sanguinis, non est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra vere caro est, & verè sanguis est. Hæc esse nostram fidem dicit Hilarius, negat Caluinus. Iuuencus presbyter antiquior Hieronymo, discipulos docuit proprium se tradere corpus. Edocuitque suum se diuisisse cruorem, atque ait: Hic sanguis populi delicta remittet; hunc potate mecum, iam veris credite dictis. Arnobius in Psalm.110. Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis. Quando hoc dixit misericors & miserator Dominus, tunc sine dubio quando escam dedit corporis sui timentibus se. Irenæus martyr discipulus Policarpi discipuli Beati Ioannis euangelistæ, lib.5. aduersus hæreses: Quando & mixtus calix, & fractus panis percipit Verbum Dei fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, &c. quomodo negant carnem capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ & sanguine & corpore Christi nutritur? Hugo lib.2. de Sacramentis parte octaua multis hoc prosequitur, & cap.7. ait: Quod videmus, species panis est & vini: quod autem sub specie illa credimus, verum corpus Christi est, & verus sanguis Iesu Christi, quod pependit in cruce, & fluxit de latere: nec per panem & vinum, corpus & sanguinem tantum significari credimus, sed sub specie panis, & vini verum corpus, & verum sanguinē consecrari. Sanctissimus Ignatius in grauissima illa sua epistola ad Romanos. Panem Dei voco panem cœlestem, panem vitæ, qui est caro Iesu Christi filij Dei viui; qui natus est in nouissimo ex semine Dauid & Abrahæ, & potum voco sanguinem eius, qui est dilectio incorruptibilis, & vita æterna: Haimo comment. super Paul. in ea verba: Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, Iste panis, inquit, transit in corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed vnum corpus. Isidorus lib.1. de ecclesiasticis officijs capit. 18. Panis, inquit, quem

D. Bern. — Euseb. Emiss. — Algerus — Cassiod. — Ioan.6. — Iob.6. — D. Greg. — Ioan.6. — D. Hila. — Ioan.6. — Iuuencus. — Arnobius — Matth.26. — Psalm.110 — Irenæus — Hugo. — Ignatius — Rom. — Haimo. — Isidorus.

D.Dionys. Theodoret. Hilarius. Anselmus Remigius
què frangimus corpus Christi est. Testimonia D.Dionysij Theodoreti, Hilarij Papę D.Anselmi, Remigij, & aliorū nō retuli, quoniam articulo præcedenti relata sunt. Igitur cum hæc ita se habeant, & luce clariora sint, valde mirandum est, tantam esse hæreticorum mentiendi libidinem, tam proiectam impudentiam, & inauditam insaniam, vt non vereantur affirmare priscos authores id sensisse de Eucharistia quod ipsi profitentur. Porro, quam nihil frontis sit ijs, qui hoc asserere non dubitauerunt luce clarius perspiciet, qui Gropperum testimonia veterum legerit proferentem, & vt cæteros taceam, Garetium, qui de ea re proprium opus elucubrauit, atque omnium, qui vnquam in ecclesia floruerunt, iudicia diligentissimè collegit. Habemus præterea expressam diffinitionem concilij Ephesini vnius, scilicet, ex illis quatuor, quæ B. Grego. venerabatur, vt quatuor euangelia, cui præfuit Cyrillus Alexandrinus. Verba concilij in epistola quadam missa ad Nestorium sic habent: Sic ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur participes sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum redemptoris effecti, non vt communem carnē percipientes (quod absit) nec vt viri sanctificati, & verbo coniuncti secundum dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam possidentes habitationem; sed vere viuificatricem, & ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter, vt Deus existēs, quia proprie carni vnitus est, viuificatricem eam esse professus est. Et ideo quamuis dicat ad nos, Amen, amē dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non tamē eam, vt hominis vnius ex nobis existimare debemus. Quomodo enim iuxta naturam suam viuificatrix esse caro poterit hominis? Sed, vt vere propriā eius factam, qui propter nos filius hominis est factus & vocatus. Et hæc verba concilij legit OEcolampadius, nec puduit ità respondere, vt diceret, non haberi in actis concilij, sed in epistola Cyrilli. Vide te euasionem stolidam, quasi non constet ex titulo epistolæ, & ex eius tenore mis-

Gropper.
Garetius.
Conc. Ephes.
D.Greg.
Ioan.6.

sam fuisse nomine Cyrilli præsidētis, & omnium patrum, qui conuenerāt, aut quasi inserenda esset actis concilij, & eam missurus esset Cyrillus, antequam cum patribus, qui aderant contulisset. Certè veritas catholica est ea fides, quam & Cyrillus, & patres illius concilij ostendunt se habuisse de hoc Sacramento. Atque hoc loco valde aduertendum est, quod quamuis impius ille Nestorius negaret Christum esse Deum personaliter, non tamen negabat carnem eius hominis esse in sacramento, sed dicebat esse carnem puri hominis, vt colligi potest ex concilio. Tam erat nostra veritas recepta tunc ab vniuersa ecclesia. Eadem fides declarata est à Concilio Vercellensi tempore Leonis Noni, in quo Berengarius damnatus est, & in Concilio Romano sub Nicolao secundo, in quo Berengarius confessus est, & abiurauit suum errorem, & habetur de consecratione distinctione 2. capit. ego Berengarius. Atque errorem eundem damnat concilium Constantiense recensens eum tertio loco inter errores Vvicleph. Et eandem veritatem catholicam late & declarauit, & diffiniuit concilium Tridentinū, præcipuè sessione 13. cap. 1. Quis fuerit author huius hæresis scire perparum refert. Dici solet, quod Berengarius ille, de quo modo mentionem fecimus. Quod si verum est, dignum certè ea hæresis habuit authorem: nam is assistentem Dæmonem circunferebat, vt constat ex Guillelmi bibliotheca, lib. 3. de gestis Angliæ. Ego vero existimo hanc hæresim ab ipsis ecclesiæ initijs incepisse tempore Marcionis. Nam cum ille negaret Christum habuisse verum corpus, non potuit fateri veritatem corporis Domini in Eucharistia. Et præterea cum Nestorius negaret vnitatē suppositi in Christo consequens est, vt negaret carnem Dei esse sub Sacramento, & ita re ipsa negabat asserebat tamē esse carnem hominis sancti, in quo Deus habitabat. Verum est tamen, quod hi duo hæretici antiqui non directè, sed consequenter & quasi ex accidenti oppugnabant hanc veritatem. Et ante Berengarium extitit Bertramus, quidam, qui docuit hunc errorem

Cyr. Alex.
Conc. Verc.
Conc. Rom.
C. Bereng.
Conc. Const.
Conc. Trid.
Guillel.

Claudius. Paschasius. rem, vt refert Claudius de Saintes: & contra quem scripserunt Rabbanus Maurus, & Paschasius. Post Berengarium surrexit Vvicleph damnatus in Concilio Constātiensi, & tandem nostra tempestate sacramentarij, quorum principes fuere Carolstadius, & OEcolampadius tutantur hanc hæresim.

ARTICVLVS. III.

Quo hæc eadem veritas probatur ex Augustino.



Simulatque de Eucharistia alijsque fidei mysterijs proposita quæstio est statim clamitant illi veritatis inimici Augustinus, Augustinus. Ac proinde necessarium duximus, hoc peculiariter articulo ostendere euidenter hæreticis, quod D. August. docuit veritatem corporis & sanguinis Domini in Sacramento Eucharistiæ. Ab adducendis autem plurimis testimonijs abstinebo, tum ne legenti molestus sim, tum maximè quoniam id non est necessarium. Quia si hæretici tantillum vellent attendere, viderent nullum antiquorum tam frequenter hanc veritatem docuisse. Lib. de verb. Apostoli, tomo. 10. sermone secundo, sic habet: Locutus est nobis Dominus de corpore & sanguine suo, quod corpus dixit escam, sanguinem potum, sacramentum fidelium, (agnoscunt fideles) audientes autem quid aliud, quam vitam audiunt? In quo testimonio obseruādum est, quod D. Chrysost. August. & Chrysosto. & alij patres dum de hoc mysterio tractant, sæpe interfantur, hoc est, interponunt ea verba, agnoscunt fideles, norunt fideles; quoniam sæpe aderant catechumeni, & pagani, qui non erant capaces mysteriorū. Ac proinde non mirentur hæretici, si aliquādo patres rectè, & obscurè loquūtur. Alijs enim in locis manifestè declarant veritatem. li. 1. Tim. 2. 2. contra aduers. legis & proph. cap. 9. to. 6. Mediatorem Dei, & hominum hominē Christum Iesum carnem suam nobis mā ducandam bibendumq; sanguinem dantem fideli corde, & ore suscipimus, quantuis horribilius videatur humanam carnē manducare, quam perimere, & humanū sanguinem potare, quam fundere. Tractatu. 27. in Ioann. tom. 9. Quid credidimus; & quid cognouimus? Quia tu es Christus filius Dei viui. Id est, quia ipsa vita æterna tu es, & non das in carne & sanguine tuo nisi quod es. Lib. 3. de Trinitate. cap. 10. Sicut infantes non nouerunt quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione consumitur: vnde vel quomodo conficiatur, vnde in vsum religionis assumatur, & si nunquam discant experimento, vel suo vel aliorum, & nunquam illam speciem rerum videant, nisi inter celebrationes sacramentorum cum offertur & datur, dicaturque illis auctoritate grauissima, cuius corpus & sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omnino in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium, & de latere percusso liquorem illum omnino fluxisse, &c. Affirmabat ergo Augustinus sub illa specie esse corpus, & sanguinem Domini. Lib. 12. contra Faustum, cap. 10. tom. 6. Habet magnam vocem Christi sanguis in terra cum eo accepto ab omnibus gentibus, respondetur, Amen. Hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorū. In Psal. 93. cū loqueretur Augustinus de sanguine Christi fuso ab hominibus; Fuderūt inquit, pretiū suū, vt biberēt pretiū suum.

Sermone etiam de verbis euang. & citatur à Beda in 1. Corinth. cap. 10. multis declarat hanc veritatem. Beda. Quando Christus manducatur, vita manducatur, nec occiditur, vt manducetur, sed mortuos viuificat: quando manducatur reficit, & non deficit. Non ergo timeamus fratres manducare istum panem, ne forte finiamus illum, & postea quod manducemus non inueniamus. Manducetur Christus, viuit mā ducatus, quia resurrexit occisus, &c. Per partes mā ducatur & manet integer totus. Per partes mā ducatur in sacramēto, & manet integer totus in cœlo: manet integer totus in corde tuo. Totus enim erat apud patrem, quando venit in Virginem, impleuit

uit illam nec recessit ab illo, veniebat in carnem, vt eum homines manducarent: & manebat integer apud patrem, vt angelos pasceret. Tom.7. de peccatorum meritis & remiss. lib.1.c.24. Non dubitemus etiã pro infantibus baptizatis sanguinem fusum qui priusquam funderetur sic in sacramẽto datus, & commendatus est, vt diceretur: Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Tom.9. de cataclismo. c.4. Non offeratur sacrificium imaginis agni, sed ipsum agnum, quem quotidie immolamus, comedimus, & cuius sanguinem bibimus, &c. In quo illud etiam contra hereticos huius temporis obseruandum est, quod non sustinet August. id, quod latet sub speciebus dici imaginem agni. Quanuis enim corpus & sanguis Christi in sacramento aliquid aliud referre posit, nõ tamẽ est imago corporis & sanguinis sui, sed corpus ipsum & sanguis. De quo omnino videndus est D. Damasc. libro.4. fidei capit.14. De peccatorum meritis & remiss. lib.2. cap.26. Non vnius modi est sanctificatio: nam & catechumenos secundum quendam modum suum, per signum Christi & orationem, manus impositionem puto sanctificari, & quod accipiunt, quanuis nõ sit corpus Christi, sanctum est tamẽ, & sanctius, quam cibi, quibus alimur, quia sacramentum est. Hoc testimonium dicerem esse euidentissimum, nisi timerem iniuriam facere cęteris iam citatis omnia enim sunt luce clariora. Item in Psal.33. serm.1. in fine sic habet: Quomodo intelligatur, Ferebatur manibus suis, in ipso Dauid secundum literam non inuenimus, in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando cõmendans ipsum corpus suum ait: Hoc est corpus meum. Et li.12. contra Faust. ca.10. Nunc bibitur, quod de latere Christi manauit. Et psal.98. De carne Mariæ carnem accepit, & in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. De consf. d.2. c.47. citantur hæc, quæ sequũtur ex Augustino, atq; ex ipso citat Algerus valde antiquus, & cõtẽporaneus Lãfrãci, cui à quibusdam ea verba tribuũtur: Hoc

Math.26

D. August.

D. Damasc.

D. August.
Algerus.

est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, sacrificium ecclesiæ duobus modis confici duobus constare, visibili elementorũ specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne, & sanguine, & sacramẽto, & re sacramenti, id est, corpori Christi, &c. Et cõcludit: Est igitur sacramentũ & res sacramẽti corpus Christi. Sed si placet nõ defatigemur in re manifestissima: complura enim sunt, & euidentia testimonia quæ possemus adducere. Sed quæ aduersus hæc cæcitas hæreticorum opponit videamus. Diuus Augustinus in Psal.98. explanãs illud Ioã. 6. Verba, quæ ego locutus sum vobis spiritus & vita sunt, ait spiritaliter intelligite, quod locutus sum, non hoc corpus, quod videtis mãducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis cõmendaui spiritualiter intellectum viuificabit vos. Hæc Augustini verba olim Berengarius (quod ipsum hodie sacramentarij faciunt) ità accipiebat, vt crederet ab Augustino negari veritatẽ corporis Christi in Eucharistia, scilicet, quia dixit nõ hoc corpus quod videtis mãducaturi estis, &c. Declarauit autem docte hoc testimonium, & respondit hæreticis Iuo Carnotensis Episcopus vir sanctitate & doctrina præclarus in epistola ad Armericum. Ipsum, & non ipsum (inquit) corpus manducaturi estis; ipsum quidem materiali essentia; sed non ipsum visibili forma. Quanuis enim Dominus semel in distinctione membrorum suorum in manifestatione corporis sui se obtulerit, hostiam viuentem passibilem, & mortalem, quotidie tamen sub velamento panis, & vini à sancta ecclesia immolatur, & non in partes scissum, atque cruentum corpus eius fidelium ore percipitur. Et hoc est quod dicitur; Non hoc corpus, quod videtis manducaturi estis: nec enim, quod de altari sumimus Beatus Augustinus verum corpus esse negaret, qui hoc in plerisque tractatuum suorum locis euidenter affirmat, Hactenus Iuo. Sed, & ante eum Guimundus Episcopus ecclesiæ Auernensis graui-

D. August. Ioan.6.

Iuo.

Auersi

gratiter increpat Berengarium, & insurgit in eum his verbis: Infoelix homo diu in peste hæretica inueteratus, suadēte Diabolo, cuius retibus pene inexplicabiliter implexus est: libentius omnes ingenij sui vires ad aucupādum vnum verbum, quo male intellecto, propagatam stultitiam munire videatur accommodat, quam diuinarum scripturarum prouidentissimam vigilantiam, contra se valide reclamantē vel tenuiter attendat. In eodem quippe Psalmo hæc præmisit Augustinus. Suscepit Christus de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnē accepit, & in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Si ergo ipsam carnem, quam de carne Mariæ accepit, & in qua hic ambulauit, nobis manducandam ad salutē dedit quo modo non hoc corpus, &c. Hæc Guimūdus. Adijciunt alij dictum esse ab Augustino: Non hoc corpus, quod videtis, &c. Sicut dictum est ab Apostolo cum de resurrectione corporum ageretur, non hoc corpus, quod futurum est seminas. Cæterum sensus Diui Augustini est apertissimus, & solum immoramur propter hæreticorum instantiam. Nam Magister & scholastici distinctione. 10. respondent verē & sufficienter, quod manducatur ipsum corpus inuisibiliter, non ipsum visibiliter. Quod etiam D. August. contra Adimātum Manich. cap. 12. ait, non dubitasse Dominum signa corporis & sanguinis sui appellare corpus, & sanguinem, non iuuat hæreticos: nam certum est, quod species illæ panis, & vini signa sunt corporis & sanguinis Domini, non tamen signa sine re, quēadmodum sanguis animalis, de quo eo loco disputabat Augustinus signum est animæ. Coniūcta vero sunt sanguis, & anima.

D. August.

1. Cor. 15.

Magister.

ARTICVLVS. IIII.

Quo probatur hæc veritas ex miraculis.



Nemo qui Sanctorum vitas, & exēpla legerit, potest ignorare, quod sæpe hæc mystica corporis & sanguinis sacramēta, aut propter dubios, aut certè propter ardentius amantes Christum, visibili specie in agni aut carnis, & sanguinis forma monstrata sint, quatenus de se Christus clementer adhuc non credentibus fidē faceret, vel amantibus sese ostenderet euidētius; ità vt dū sacrificiū peragebatur videretur agnus, vel caro in manibus, & cruor in calice, vt quod latebat in mysterio patesceret in miraculo; & quia duri cor de sumus in quibusdam Deus omnibus satisfaceret. Et quanuis ad hæc miracula comprobanda eo Lucæ testimonio nō abuteremur, quo dicitur Dominus discipulis oculos aperuisse fractione panis, euidenter tamen scribit Apostolus, 1. Corinth. 11. multos Corinthiorum occubuisse, varijsque morbis affectos esse, quia irreuerenter tractauerint hæc sacramenta, tam ex defectu fidei, quam debitæ dispositionis, & puritatis. Nec verò putent hæretici, nos ista modo fingere. Nam hæc ipsa verba, quæ ego modo retuli, inuenient ante septingentos annos scripta reliquisse Paschasium Corbiensem lib. de Christi corpore, ca. 4. Cui si fidem non adhibuerint, non in eo magnopere morabimur: nam credent fortasse Cypriano. De lapsis, quo loco multa miracula enarrat, præsentiam Domini comprobantia, quæ certè fuit Cypriani fides. Credent, & Ignatio sanctissimo & antiquissimo in epist. ad Ephesios, quo loco vna cum Cypriano docet, Dæmones sæpe Dei maiestatem fatentes ipsius carnis præsentiam ferre non potuisse. Credent & Theologorum columini Gregorio Nazianzeno in oratione funebri de sorore. Credent Prospero Aquitanico li. 4. cap. 6. Credent his, quæ referunt Nicephorus, & Sozomenus lib. 8. cap. 5. & lib. 16. ca. 36. Credent & Diuo Grego. lib. 3. Dialogorum. Credent Chrysostomo homil. 6. ad populum Antiochenum, & homil. 45. in Ioan. Quo loco dicit, quod hic sanguis mysticus dæmones expellit, & procul efficit: vbi nanque eum in nobis viderint in fugam vertuntur & fugiunt. Credent Ambrosio, qui in Psalm. 118. sermone. 8. scripsit hæc verba. Cum hospitium tuum aduersarius viderit occupatum cœlestis fulgore

Luce vltim.
1. Cor. 11.

Paschas.

D. Cypr.

D. Ignat.

Nazianz.

Prof. Aquit.
Nicephor.

D. Grego.
D. Chry.

D. Ambr.

fulgore præsentiæ intelligit, locum tentamentis suis per Christum esse interclusum, fugiet, recedet. Credent & Augustino, qui vel loca ipsa, in quibus sacrificium offertur, plurimum ad sanctificationem, & emundationem valuisse testatur. Li. 22. de ciuitate Dei, c. 8. Credent innumerabilibus alijs, quorum omnium dicta referremus, nisi timeremus transilire modum scholasticæ resolutionis: non enim aduersus hæreticos tam depugnamus, quam fideles de fide catholica instruimus. Quod si ijs omnibus hæretici non adhibent fidem, certum est, eos non habere fidem. Si quis tamen obijciat contra hanc ex miraculis rationem collectam, sanctos patres, non dicere hæc fieri per præsentiam corporis Domini, sed sacramenti: ergo non inde colligitur, corporis præsentia.

D. August.

Respondetur falsum esse, quod ipsi nō dicant sæpe per præsentiam corporis & sanguinis Dñi fieri. Quod si quando dicūt fieri per sacramenti præsentiam id certè idem valet: nam euidenter probauimus ex ipsis quod docuerim in hoc sacramēto esse verum corpus & sanguinem Domini.

ARTICVLVS. V.

De congruentijs, quibus hæc veritas à sanctis patribus ostenditur, & comprobatur.

NON defatigabor procedere vlterius in afferenda veritate catholica, & demonstrare, quod quamuis dictio, sacramentum, accepta pro sacramento tantum, pro signo, & figura vsurpetur, & accepta pro sacramento & re sacramenti aliqua ratione signum & figura, dici queat, vetant tamen sancti patres, & doctores ecclesiæ sacramentum Eucharistiæ dici figuram corporis absentis, aut apprehendi vt signum inane, & sincere. Quod declaro primum: Nam vna ratio, quam sancti assignant, cur Christus præbeat nobis carnem, & sanguinem sub sacramento est, quoniam status noster, inquiunt, medius est inter legem Mosaicam, & statum beatorum, vt nō sine causa ecclesia militans Auroræ in canticis comparetur, in qua vera lux, & radij solis noctis tenebris miscentur, & adumbrantur. In lege autem præiuerunt vmbræ Christi, figuræ nudæ & imagines: in cœlo facie ad faciem Deus, & Christus videtur: restat ergo, vt militantis ecclesiæ medius status sit, Christum habere, præsentem quidem, vt distemus ab vmbris legis, circumuelatum autem, & tectum sacramentis, vt differamus à beatis. Et sumpta est hæc differentiæ ratio ex Diuo Augustino lib. 12. contra Faustum cap. 20. Cuius verba sunt: Quod post alios septem dies dimissa columba reuersa non est, significat finem sæculi, quando erit sanctorum requies, non adhuc in sacramēto spei, quo in hoc tempore consociatur ecclesia, quando bibitur, quod de latere Christi manauit, sed iam in ipsa perfectione salutis æternæ cum tradetur regnum Deo & patri, vt in illa perspicua contemplatione immutabilis veritatis nullis mysterijs corporalibus egeamus. Quo loco Augustinus veritatem sanguinis fatetur, atque præsentiam. Spem vero ad perfectionem retulit fruitionis Dei. Et sumitur eadem differentiæ ratio, & ex verbis illis D. Bernardi sermone primo in cœna Domini. Gloriosa, & amabilis sponsa in terra sponsum habet in sacramento, in cœlis habitura est sine velamēto, & hic, & ibi veritas, sed hic pallia ta ibi manifesta.

Cant. 6.

D. August.

Gene. 8.

1. Cor. 15.

D. August.

D. Bern.

Secunda congruentia sumitur, ex conditione nostra, quia enim corpore constamus & mente: idcircò ratio ipsa, & rei naturæ postulat, vt res spirituales seu spiritualiter existentes sub rebus corporeis nobis exhibeantur. Ex hac ratione vtitur D. Chrysostom. hom. 86. in Matth. & 60. ad populum Antiochenum. Si incorporeus, inquit esses, nude ipsa dona incorporalia tradidisset. Quoniam verò corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus traduntur tibi intelligenda. Christus bibit ex sanguinis sui calice, ne auditis illis verbis dicerent, quid igitur sanguinem bibimus, & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur, &c.

D. Chrysost.

Tertia ratio est, vt Christus erga nos suam

nobis

nobis commendet charitatem, & humilitatem, dum se propter nos demittit iterum ad hæc terrena elementa. Et hanc rationem assignat humilis, & sapiens Augustinus in Psalmo. 33. ab illis verbis, nisi humilis esset seque humiliasset Dominus Iesus, eum nec manducare nec bibere potuissemus; & cætera, quæ sequuntur eo loco. D. Aug.

Quarta ratio est, vt fides nostra circa sacramentum exerceatur, & nobis præsentia rei non apparentis sit, tum materia fidei, tum occasio meriti. Colligitur autem hæc ratio ex Diuo Augustino, tractatu. 45. in Ioannem, & ex Algero libro secundo, capite tertio, vbi sic habet: Fides, qua eorum qui Deum visuri sunt corda mundantur, quod non videt credit, nam si vides non est fides, credenti colligitur meritum videnti redditur premium. Eat ergo Dominus, eat ne videatur, lateat, vt credatur, creditus desideretur, vt desideratus habeatur. Quia ergo in hac peregrinatione nostra expedit latere Christum vt credatur, bene Christus sub sacramento dedit nobis se ipsum, vt per hoc nobis, & fidei meritum; & gratiæ suæ augeat beneficium. Et hæc Algerus ipse dicit se ab Augustino accepisse, & verum dicit, quia similia verba habentur tractatu. 68. in Ioannem. Algerus. D. August.

Quinta ratio est, ne esset horrori carnis manducatio visibilis, & conspicua. Et assignatur hæc ratio à pluribus patribus. Vide Cyprianum in cæna, & Diuum Ambrosium libro sexto, de sacramento capite. 1. vbi sic habet: Vera est caro, sicut ipse dixit: & verus est potus. Sed forte dicas, quomodo vere. Qui similitudinem sanguinis video non video veritatem. Primo omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur, vt possit mutare, & vertere genera & instituta naturæ. Audientes discipuli, quod carnem suam daret ad manducandum recedebant; solus Petrus dixit: verba vitæ æternæ habes. Ne igitur plures hoc dicerent, quasi quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis in similitudinem quidem accipis sacramentum, sed vere naturæ gratiam virtutemque consequeris. Et Diuus Cyrillus Alexandrinus epistola ad Calosirium Episcopum contra Anthropophagos, Ne horreremus, inquit, carnem, & sanguinem, apposita sacris altaribus, Deus condescendens fragilitati bus nostris, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ, quasi quoddã semen viuificatiuum inueniatur in nobis. Et ex hac quinta ratione satis colligitur, alia atque sexta vt, scilicet ipsa caro Christi spirituali modo existens, vere tamen ac proprie in sacramento corporeo mãducari posset. Postrema vt coram oculis staret præsentissimi Christi monimentũ, in quo visibiliter adoraretur, & coleretur. Et haberetur sacrificium externum dignum sanctissima vera, & diuina religione, & duraturum vsq; in finem sæculi. Et hanc rationem assignant Eusebius Emissenus homilia quinta de paschate, & Diuus Cyprianus, de cæna & Algerus libro secundo, capite tertio. Necessarium, inquit Eusebius, erat vt nobis in hac die sacramentũ coporis, & sanguinis sui consecraret, vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium, & perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia. D. Cypria. D. Ambros. Ioan. 6. D. Cyr. Alc. Euseb. Emis. D. Cypria. Alger.

ARTICVLVS. VI.

De argumentis, quæ hæretici conficiunt contra veritatem huius sacramenti.



MVLTI HOMINES offensi immensa Dei largitate, & tanti beneficij magnitudine, nunquam sibi persuaserunt sub Sacramento altaris latere verum corpus & sanguinem Domini Sapienterque dicebat Diuus Augustinus sacramentum carnis non intelligi ab hominibus, quia caro sunt.

 An

An verò hic sextus articulus, obiectio potius aduersariorum quam veritatis catholicæ confirmatio inscribendus sit non bene determinatum habeo. Mira enim, & miseranda sunt absurda, quæ incurrunt aduersarij dum conatur suam hæresim tueri, siquidem eo impietatis deuenerunt, vt Ioachimum Vadianum libr. 4. de Aphorif. & Petrum Viretum libro. 7. de Sacramentis, capit. 14. non puduerit profiteri in hac controuersia, corporum proprietati, & naturæ rerum non scripturarum testimonio, aut Dei omnipotentiæ nitendum esse, oportereque sequi naturam ducem non eloquia Dei. Et extat inter hæreticos Anonymi Galli liber de conciliandis discordijs Eucharistiæ, in quo ponit pro fundamento non putandum nefas Dei omnipotentiæ ex ratione resistere, atque ex rationibus naturalibus contra eam, & scripturas agere. Et certè Caluinus scribit rogatum Seruetum, cur tam nefarij schismatis, author esset respondisse, quia nequeunt in intellectum meum venire, quæ in sensum non cadunt. Nec verò dubium, quin Deus, & eius fides, & gratia in intellectum huius hæretici non venirent, quia hæc in sensum non cadunt. Sed videamus, qualia sint, quæ obijciunt. Clamant in primis nos fieri pugnantia multa, & contradictoria. vt quod corpus Christi sit in tantillo fragmento panis, quod simul in tot locis vertetur, quod ponamus substantiam sine accidentibus, & corpus sine suis proprietatibus, & accidentia sine subiecto.

Secundo argumentantur; quia Christi incarnationi fit iniuria, siquidem ei humanitatis, & corporis negamus proprietates. Tertio, quia cum Marcione Christi veritatem redigimus ad phantasmata. Quarto, quia derogamus eius gloriæ; siquidem ipsum subijcimus iterum elementis.

Quinto, quia hoc est contra scripturas, quæ manifestè loquuntur de ascensu Christi. & eius discessu à mundo isto. Postremò, quia Diuus Basilius in sua lyturgia, & Nazianzenus in oratione, pro sorore Gorgonia sacramenta hæc appellant, antitypa: non ergo vere est corpus, & sanguis Domini sub his speciebus. Non hæc argumenta refero, quod sint alicuius momenti; sed ne habeant, quod quærantur hæretici nos eos inaudita causa condemnare: ergo qui obijciunt quod corpus Christi stare non posit sacramentaliter sub fragmento panis, nec in pluribus locis simul & quod corpus habere non posit alium modum, & proprietates essendi, prout est in sacramento, alias prout est in cœlo, & quod accidentia posint esse sine subiecto: qui, inquam, hæc obijciunt, quid aliud faciunt, quam bellare cum Deo, atque in eas angustias redigere eius potentiam, nihil vt posit, quod natura non potest, nihil agat nisi quod homines possunt intelligere, quo nihil amentius ac stultius fingi potest. Hos itaque, & mille eorum figmenta relinquamus, contenti illis verbis Diui Augustini in epistola ad Volusianum. Hic si ratio quæritur non erit mirabile; si exemplum poscitur non erit singulare; demus Deum aliquid posse quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.

D. Basil. Nazianz. D. Aug.

Ad secundum negatur, quod Christi incarnationi inferatur iniuria per doctrinam sacramenti corporis & sanguinis sui, sed potius eius gloria & honor augetur ob tam insigne, & singulare beneficium, Nec tollimus proprietates corporis eius; sed constituimus alias proprietates, & modum essendi pro vt est in cælo: alias pro vt se nobis (quæ summa eius bonitas fuit) contemperauit, & reliquit sacramentaliter in terra. Vehementerque falsum est illud tertium, quod cum Marcione redigamus Christi veritatè ad phantasma. Nã cũ Marcio negauerit Christum assumpsisse verum corpus, ac proinde cõsequẽter fuerit inficiatus, sub sacramento altaris esse verum corpus, & sanguinẽ Domini, cõsiderare deberẽt inimici veritatis, vtri magis accedãt ad Marcionem, ipsi, qui negant in sacramento altaris corporis Domini præsentiam, & ueritatem an nos qui confitemur.

Ad

Ad quartum, quod imminuatur Christi gloria, respondetur, quod Dominus maximè in hoc sacramento suam bonitatem, & charitatem commendat, ac proinde suam maiestatem amplificat, tantum abest, vt diminuat. Non autem valdè mirandum est, si mali homines, & superbi Dei in nos bonitatem, & mirabilem dignationem arbitrentur esse detrimentum honoris. Nam & diabolus ipse, cuius isti sunt filij Dei, semper humilitate offensus est.

Ad quintum dico, quod nos non abolemus scripturas. Sed potius iuxta Domini, & patrum sententiam fideliter tenemus, & credimus eas omnes scripturas de ascensu, & discessu Christi simul stare cum præsentia corporis in sacramento per diuinam potentiam, & voluntatem, atque institutionem Christi.

Postremum autem argumentū, ideo adduxi, & constitui, quod ea Nazianzeni, & Basilij vox tam impotenti gaudio nonnullos hæreticos extulit, vt qua si parta iam victoria triumphum canant mirabilesque plausus excitent. Et in primis Beza fortiter clamat, antitypon, antitypon. Quo vno satis illi ostendunt, quam perditam, & malam causam defendant, si quidem tam leue fundamentum ità magnificiunt. Ijs igitur ego non meam, sed Diui Damasceni sanctissimi, & sapientissimi viri expositionem, & responsionem opponam, qui quasi iam grauissimas has dissensiones de Eucharistiæ sacramento præsagiret, hoc velut alexipharmaco Ecclesiam Dei voluit præmunire. Is ergo quarto libro fidei. capite decimoquarto, cum retulisset deiferum Basilium solitum esse appellare sacramenta ista exemplaria corporis, & sanguinis Domini, subijcit hæc verba. Ἀντίτυπα δὲ τῶν μελλόντων λέγονται ὐχ ὡς μὴ ὄντα ἀληθῶς, &c. Hoc est, Exemplaria autem futurorum dicuntur non vt non existentia verè corpus, & sanguis Christi, sed quoniam nunc quidem per ipsa participamus Christi diuinitatem tunc autem intellectualiter per solam visionem. Hæc Damascenus. Quem vt Græcum authorem minimè dubitandum

D. Damasc.

D. Basil.

est græcas voces intellixisse: & vt veterem scriptorem, floruit enim annis ab hinc octingentis credendum est antiquæ ecclesiæ fidem nobis fideliter testatam reliquisse. Ne vero quenquam ignarum linguæ græcę fallant impostores isti, sciendum est, quod antitypon dupliciter accipitur apud rectè loquentes. Vno modo pro eo, quod ex alio ità deductum, & translatum est, vt habeat similem formam. Et hoc modō accepit hanc vocem Beatus Paulus ad Hebræos nono, ibi, Non enim in manu facta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum. Alio modo accipitur ea vox pro eo, quod est contrapositum, & in quod aliud respiciat. Secundum quam acceptionem vsurpauit eam vocem Diuus Petrus, prima canonica, capite tertio, quando baptismum appellat antitypon diluuij, quasi respondens figuræ. Et Diuus Basilius sermone de inuidia accipit in hac significatione, pro èconträ posito. Quibus constitutis, quæ certe sunt vera, quærendum est ab hæreticis, in qua acceptione velint sanctos illos Doctores eam vocem, antitypō, vsurpauisse. Si pro eo quod est contrapositum, & in quod aliud respicit, nihil certè aptius, & congruentius de sacramento Eucharistiæ dici poterit, quam si appelletur, antitypon, veterum figurarum, quas adimpleuit. Si verò accipiatur pro re eiusdem formæ, & quæ contineat aliquam rationem figuræ iam Diuus Damascenus, & alij responderunt, quod esse eo modo exēplaria, & pignora futurorum bonorū, non tollit corporis & sanguinis veritatem Christus enim Dñs, vt continetur in speciebus sub velamine antitypon quid dicitur fuit ipsius, vt clare videtur in cœlo. Peculiariter autem in D. Greg. Naziā. obseruandū est, quod ipse eo sermone, quē hæretici citāt, in laudē Gorgoniæ disertis verbis scribit Gorgoniā inuocasse eū, qui super altari honoratur. Isti verò qui instauratores, ac vindices antiquæ, & veræ pietatis ac religionis haberi volūt, nobis ob eādē causam idololatriæ crimē impingūt. Sed nihil est certū, & firmū apud eos: mille figmēta quotidie cōfingūt, mille hæreses exuscitat, acerrimè inter se sedigladiātur, adeo, vt ipse

Hebr. 9.

1. Petr. 3.

D. Damasc.

Nazianz.

Dd 2 Bu-

Bucerus verissimè hac in parte scripserit hæc, quæ nos pro hæreticis adduximus argumenta; & alia sexcenta, quæ ipsi confingunt inepta esse, irreligiosa, inconsequêtia, impia, blasphema.

ARTICVLVS. VII.

De his quæ obijciunt Iudæi atque pagani contra veritatem huius sacramenti.



QVANDIV altissimo iudicio Dei positum est velamê in oculis Iudæorum, obijciût nobis multa contra fidem huius sacramenti. Et in primis vocant nos ad libros veteris testamenti in quibus per arcam Dei maxima miracula, & publica ac toti populo manifesta facta sunt. Quando enim populus Israel transiuit Iordanem, sacerdotibus portantibus arcam Dñi, viderunt id aquæ, & timuerût, & reueritæ sunt Dei maiestatem, atque potentiam; ac superiori quidem parte eius fluminis aquæ magno impetu decurrentes conuersæ sunt retrorsum, & steterunt ad instar montis intumescentes. Inferiori vero parte fluxit aqua ad mare Mortuum, ac populus vniuersus per arentem alueum transiuit, stâtibus sacerdotibus super siccam humum in medio Iordanis. Et tempore Samuelis cum arca Domini capta esset à Philistæis & in Azoth deducta, Deus magna & mirabilia fecit in Azotios, & in Idolû eorum: tamq; seuere in illos animaduertit, vt ipsi magno timore perculsi, atque perterriti arcam Domini in terram Israel reducendam curauerint. Quacunque verò transibat, & vbicunque manebat complura edebat miracula. Et prætereaquando Oza extendit manum suam, & tetigit arcam Dei tenuitque eam, quoniam calcitrabant boues, & flecti ac declinare illam fecerunt, iratus est indignatione Dominus, quod ausus fuerit Oza arcam vel tetigisse, & percussit eum eodem in loco & mortuus est. Si igitur per arcam testamenti, in qua nec Deus, nec Christus continebatur, sed solû tabulæ lapideæ continentes præcepta decalogi, & vrna mannæ, quam Deus præceperat reseruari in testimonium generationibus futuris, & virga Aarô, de qua Num. 17. tot miracula Deus faciebat, quænâ qualia, & quanta prodigia facturum arbitramur per sacrosanctum illud, & supra modum mirabile sacramentum, in quo Christus ipse ac Deus ineffabilis côtinetur. Oppositum vero videmus manifestissime: nam sæpe idololatræ barbari & Saraceni in oppida Christianorum ingruêtes destruxerunt templa, euerterunt altaria, profanarunt sacra seruosque Dei ac virgines mactarunt ad aras, tanta feritate; vt si quidâ ex vobis (dicet Gentilis) nobis obijciebat Priamum sanguine fœdantem quos ipse sacrauerat ignes, possimus nos ac iure potiori debeamus vobis obijcere Apostolos & Martyres, ac Virgines vestras sanguine fœdantes illa ipsa altaria, sub quibus affirmatis Christum ac Deum vestrum re ipsa, & vere contineri: nec tamen vnquam defendit vos, nec se ipsum. Vbi est ergo Deus vester. Respondeo verò, quod mirabilia quæ Deus vel facit, vel reuelat suis, quædam eo referuntur, & ordinantur, vt videntes credant Deo, atq; ea fides magis ac magis firmetur & augeatur in animis eorum. Qualia fuere tempore Moysis conuersio virgæ in colubrû, plagæ AEgypti, diuisio maris rubri, eductio aquæ de petra pluuia mannæ. Vnde Exodi. 4. cum scriptura cômemorasset quędam istorû adiecit. Credidit populus: & Exod. 14. Credidit populus Dño, & Moysi seruo eius. Alia vero mysteria siue miracula sunt, quæ ideò fiunt, vel reuelantur à Deo, vt per eorum fidem exerceamur, & probemur, & mereamur. Et huiusgeneris est creatio cœli, & terræ, incarnatio Verbi Dei, partus Virginis, resurrectio Domini. Ita verò diuina prouidentia temperauit hæc omnia, vt quibusdam ex his miraculis per alia fidem faciat. In veteri enim testamento satis comprobauit Deus se vnum esse, & creasse cœlum, & terram per alia miranda, quæ fecit. Et in nouo ipse Dominus dans visum cæcis, auditum surdis, ægris, & leprosis sanitatem, mortuis vitam, satis comprobauit veritatem aduentus sui.

Acci-

Marginal notes: Iosue. 3. — 1. Reg. 5. — 2. Reg. 6. — Hebr. 9. — Num. 17 — Lib. 2. Aug. li. 1. de ciuit. c. 2. — Exod. 4. Deut. 8. Exod. 4. — Exod. 14 — Matth. 11.

Accidit autem nonnunquã, vt velit Deus vnius ac eiusdem mysterij, siue miraculi maiestatem. & credi sine miraculo, vt fides exerceatur, & nonnunquam fieri per illud alia miracula, vt fides firmetur, quẽadmodum voluit Deus in veteri testamẽto, vt crederetur nomini eius, & quod ipse esset verus Deus, & in confirmationem huius veritatis. Aliquando faciebat miracula, inuocato nomine Dei: vt constat. 3.
3.Reg.13 Reg. 13. Vbi propheta Helia magno spiritu dicente, & inuocante, Domine Deus Abraham, & Isaac, & Iacob ostende hodie quia tu es Deus Israel, cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustũ. Et in nouo testamento voluit Dominus credi & inuocari nomen Iesu. Et nonnunquã etiam eo inuocato nomine fiebant miracula, vt con-
Actor.3 stat Actor. 3. vbi in nomine Iesu consolidatæ sunt bases, & plantæ hominis claudi, & exiliens ambulabat. Accedendo vero propius ad obiectionem Iudæorũ, dico, quod etiam in arca veteris testamenti ita sapientia Dei tẽperabat suam potentiam, vt non
1.Reg.4 nũquam sineret capi ab hostibus, quasi nihil ibi esset, quod custodire ad Deum pertineret. Nõnunquam vero per eam faciebat miracula, & eodem modo nunc per admirabile Eucharistiæ sacramentum, aliquando Deus non facit, & aliquando facit miracula. Ex quibus nos supra nonnulla retulimus: & possemus cõmemorare cõplura, quæ in ecclesiæ historijs autenticis habentur. Differt verò inter hoc miraculum, & alia veteris testamenti, quod illa vt in plurimum ordinabantur ad hoc, vt populus duræ ceruicis, & rudis persuaderetur. In nouo vero testamento Incarnatio Domini, & Eucharistiæ mysteriũ præcipue eo referuntur, vt ecclesia Dei ea credens probetur, ac subdatur Deo, & in fide
Ioan.20. ac gratia augeatur. Vnde scriptum est: Beati, qui me non viderunt, & crediderunt nunquam tamen hæc reliquit Deus, sine miraculorum testimonio. Quia vero dum hæc scribo Segobizdego, placuit illud miraculum recensere, quod in hoc ipso oppido communi totius populi voce certum est contigisse, in domo Synagogæ Iudæorum, quæ hodie in ecclesiam consecrata dicitur corpus Christi, nomine accepto à magnitudine miraculi. Res ergo ita gesta est. Cum Iudæi à quodam sacrista formam consecratam accepissent, & in sua Synagoga essent congregati decreuerunt in opprobrium, & irrisionem fidei nostræ ineffabile sacramentum inijcere in caldariam feruentis aquæ, siue resinæ. Quod cum attentassent, sacra forma sursum ascendit, & contremuit Synagoga, & postes ac arcus illius non modo concussi, sed & discissi sunt. Atque id ipsorum Iudæorum testimonio est patefactum.

Igitur ad Iudæos dico, quod hoc mysterium eo refertur, ac ordinatur præcipuè, vt per eius fidem probemur, & mereamur, non tamen Deus illud ita deseruit, quin plura, & ingentia miracula fecerit per illud. Ad Gentiles autem veniamus, nobis obijcientes strages Christianorum, quæ in templis, & altaribus factæ sunt, nec tamen defensi à Christo sumus. Dico verò, quod quanuis Christianorum sit alia fides ab alijs, & vbi est alia fides spes & amor non possit vita non esse diuersa, tamen in his, quæ sunt communi consuetudine, & iure gentium introducta, omnes conuenimus, nec voluit Deus præcipue in malis ferendis, & tolerandis nos discernere à cæteris, ne ipsi potius seruiremus, vt liberaremur à malis, & affluremus bonis, quam propter se ipsum. Quo posito & cõstituto referãt nobis Gẽtiles, si possunt quando apud eos, vlla bella ita gesta sint, vt victores propter Deos eorum, quos vicerant, parcerent victis, & nullum ferirent confugientem ad templa Deorum suorum, & cum semper viderint sine discrimine prophana sacraque direpta, & fera homicidia senum, virginum, sacerdotum, & infantum in ipsis templis perpetrata, quando in Christianos viderint hæc eadem fieri recognoscant Dei sapientiam, qua voluit ista temporalia bona, & mala bonis, & malis esse communia, ità tamen, vt in vnitate, & similitudine affectionum maneat dißimilitudo patientium.

bat, quod sicut Verbum assumpsit humanitatem: ita in sacramento per virtutem verborum assumit filius Dei in vnitatem suppositi, panem quidem mediante corpore, vinum autem mediante sanguine. Et ob hanc rationem dicebat verificari, quod panis sit corpus, & vinum sit sanguis, ex communicatione, scilicet, idiomatum. Non autem audebat confictor iste asserere, quod Verbum immediatè assumeret panē, aut quod mediātè tota humanitate assumeret panē: quia videbat inde sequi, quod Verbū esset panis; & putabat se hoc incōueniens vitare, si diceret, qd Verbum assumit panem solo corpore mediante. Et differt inter duas has istorum hæreticorū sentētias, quod illa prima ponebat panis & corporis Christi esse duo supposita distincta, quàuis aliqua ratione vnita. Secunda vero sententia, quæ multo amentior, & absurdior est, ponit quidem cum prima naturam panis & vini ibi manere, sed negat manere suppositum: quoniam facit Verbum assumere eas naturas in vnitatem suppositi. Contra quam sententiam multum aliqui laborant satis, sine causa, meo iudicio. Quid enim necesse est laborare cōtra frenetici somnia, aut arreptitij? Qui præter quamquod nullum habet fundamentum, nec effugit inconueniens, quod studebat vitare? Nam quemadmodum quia Verbum assumpsit carnem, dicitur incarnatus; & quemadmodum Christus ratione quantitatis dicitur, quantus, quæ tamen quantitas conuenit propter corpus: ità si Verbum assumeret panem diceretur panis, vel impanatum. Sed absurda ista relinquamus. Tertio loco Lutherus, quanuis initio rectè senserit ea oratione Christi, Hoc est corpus meū, comprehendi substantialem mutationem panis; tamen postea multis in locis, quos Heildebergenses coaceruant contendit per pronomen hoc, cum dicitur, Hoc est corpus meum, panem significari; & quod proprie affirmetur panis est corpus. Sic enim scribit libro de captiuitate Babylonica: Crede firmiter, non modo corpus Christi esse in pane, sed panē esse corpus Christi. Idem docet in libro de defensione, τῶ ρητῶ Verborum cœnæ. Tandem vero robustior Dęmon factus vidit non posse dici proprie, quod panis sit corpus Christi, & asseruit id esse intelligendum per Synecdochen, eo quod in pane, vel sub pane manducaretur corpus Christi, vt aiunt, Sueuici & Germani se ab illo audiuisse. Perstitit vero semper in eo, quod manet ibi substantia panis simul cum corpore Christi. Confessio Vvitembergensis dicit, quod quemadmodum Ezechiel loquens de Hierusalem descripta in latere dixit: Ista est Hierusalem: ita Dominus loquens de figura corporis sui. (Nec enim illi putant in Sacramento esse verum corpus Christi) dixit; Hoc est corpus meum. Ioannes Alasco hoc pro tota cœnæ actione intellexit. Carolstadius putat per illud, hoc, Dominum ostendisse corpus, quod mensæ accumberet. Alij illud, hoc, accipiunt pro aduerbio loci; ac si diceretur: In hoc loco, & actione cœnandi est corpus meum; & ità habetur in Biblijs impressis Geneuæ. Sed non mergamur, obsecro, in incomprehensibilitatem confusionis istorum hominum. Audietis enim alios orationem Christi cum triuialium rerum, & forensium proprietate comparare. Solent enim qui vendunt dicere, Hoc est optimum vinum, cum tamen vites ostendant. Et hi quidem dignam hæresis suæ stoliditatem incurrerunt. Nam cū nonnulli ex eis asserant ibi nō esse verum panem, sed solam figuram corporis Domini, certè si ipse dixit; Hoc est corpus meum, & ibi non sit verum corpus, mendacem cauponem eum fecerunt. Audietis alios orationem eandem, non solum à triuiali, & forensi genere dicendi seiungere, sed ab omnibus etiam naturæ legibus eximere, & nescio quam sermonis diuini proprietatem illi tribuere, alios in varias figūras torquere; ab alijs censeri, panis est corpus meum prædicationē esse naturalem, ab alijs metaphysicam, & supernaturalē. Ab Illirico mixtam, & sacramentalem, & ab eodem Illirico, atque Erithreo partim dici, & partim negari esse identicam.

Matth. 26.

Ezech. 5

ni: ac proinde non est ponenda ibi aliqua alia substantia subiecta.

Tertio argumentor: Nam phrasis Hebræa hoc habet, vt pro nominibus demõstratiuis permutet aduerbia demonstrandi, eaque accipiat loco pronominũ. Quod liquet: Nam ea verba Moysis; Ecce sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus, Paulus Græce loquens vertit, Hic est sanguis testamenti: ergo credendũ est, quod cũ Christus loqueretur lingua Hebraica sic effatus est. Ecce est corpus meũ quod translatum fuit Græcorum more, hoc est corpus meum: ità vt idem prorsus vtraque locutio valeat, & ostendat. Hebr. 9.

Quarto argumentor: Nam hac in parte regulam Dialecticorum valere volunt acutissimi quique Lutherani, nec Beza potest resistere, qua docentur talia esse subiecta qualia permittuntur à prædicatis: secũdum quam illud, hoc, non potest denotare, nisi id, quod pro nobis datur. Sequitur enim; quod pro vobis tradetur: & non est traditus pro nobis panis aut vinum: ergo ea pronomina demonstrate non possunt talia subiecta qualia Lutherani dicunt. Ad iungendum vero est huic rationi, quo firmior sit, quod corpus in eis verbis non accipitur pro figura, aut similitudine corporis, sed pro corpore vero, vt docet fides catholica.

Quinto argumentor: Quia voces illæ, hic, & hoc, quando promissionem antecedentem consequuntur, exhibent & repræsentant id ipsum, quod fuerat promissum, quod factum fuisse videmus à Deo in filio suo vnigenito: quem cum prophetis, & patriarchis sæpe promisisset, tandem exhibens eum ait, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Quod si quis alium hominem, præter filium Dei, ea voce paterna ostendi affirmaret stultissimus meritò haberetur. Et eodem plane modo, cum Christus pluribus verbis carnem suam in cibum ac sanguinem in potum promisisset, tandem liberans fidem ait; Accipite, & comedite, hoc est corpus meũ, hic est sanguis meus. Panis verò, & vinum denotata his verbis non sunt sicut nec promissa. Matth. 26.

Sexto, & vltimo veritatem catholicam comprobo ex patribus in hac forma: Panis & vinum conuertuntur in corpus, & sanguinem Christi: ergo non manent simul cum corpore, & sanguine Christi. Liquet consequentia, & antecedens probo. D. Ambros. de his, qui initiantur mysterijs cap. 9. sic habet: Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. Eusebius Emissenus Dominica de palmis, Tunc per se, nunc per ministros ait, Hoc est corpus meum. Tanta verò est efficacia ac virtus sermonis huius, vt illico fiat, quod dictum est. Idem Eusebius Emissenus etiam homilia. 5. de paschate. Inuisibilis, inquit, sacerdos creaturas in substantiam corporis sui & sanguinis secreta potestate conuertit dicens; Accipite, &c. Irenæus lib. 4. cap. 32. & 57. docet Christum eum accepisse, qui ex creatura panis est, & gratias egisse dicendo; Hoc est corpus meum, & panem & vinũ percipiendo hoc Verbum Dei fieri Eucharistiam corporis, & sanguinis sui. Tertullia. lib. 4. in Marcionem. Panem corpus suum fecit dicendo; Hoc est corpus meum. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi. 5. Deum benignissimum oramus, vt super illa proposita sanctum Spiritum emittat, vt panem, quidem faciat corpus Christi; vinum verò sanguinẽ Christi, omnino enim, quod attigerit Spiritus sanctus hoc sanctificatur, & transmutatur. Gregorius Nissenus, Panis, inquit, statim per verbum in corpus mutatur, vt dictum est à verbo, Hoc est corpus meum. Chrysostomus homilia de proditione Iudæ, Potestas, inquit, & gratia tota Christi est, Hoc est corpus meum, ait, hoc verbũ res propositas transmutat D. Hieronym. in epistola ad Euagrium ait, panem dicendo, Hoc est corpus meum in corpus trãsfigurari. D. August. serm. 28. de verbis Domini. Dixi vobis; quod ante verba Christi, quod offertur panis dicatur. Vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Et legendus est, lib. 3. de Trinitate, à cap. 2. vsque ad 10. vbi cõuersionem panis in corpus Chri-

D. Ambr. Euse. Emis. Irenæus Tertull. Cyr. Hiero. Greg. Nisse. D. Chrysost. D. Hiero. D. August.

sti recenset inter opera Dei, quibus versat
D.Damasc. creaturas ad nutum D. Damascenus li.4.
c.14. Illud discere non est alienum, quod quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum, & aqua per potum in corpus, & sanguinem comedentis bibentisq; mutatur, nec fiunt aliud corpus, præter id, quod erat prius; sic propositionis panem, & vinum per inuocationem & aduentum Spiritus sancti ratione naturam superante
Theophyl. in corpus, & sanguinẽ Christi transmutari. Et Theophylactus in caput. 6. Ioannis. Transformatur, ait, panis per mysticam benedictionem in carnẽ Domini. Etenim in carne ambulante Domino, & ex pane alimoniam admittente panis ille, qui mãducabatur in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ eius carni: igitur, &
D.Cypria. nunc panis in carnem Dñi mutatur. Cypr. de cœna Domini: Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus à potentia verbi factus est
Anselmus caro. D. Anselmus in illa verba. 1. Cor. 11. Hic calix nouum testamentum est, &c. Nec mirum, inquit, quod de pane & vino carnem, & sanguinem suum fecit. Nam, & in quolibet homine carnem, & sanguinem de pane, & vino facit, quia panis comestus mutatur in carnem, & vi-
D. August. num potatum vertitur in sanguinem per creatoris operationem. Diuus Augustinus in libro Sententiarum Prosperi: Nos autem in specie panis & vini, quam videmus res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem honoramus; nec similiter comprehendimus has duas species, quemadmodum ante consecrationem comprehendebamus, cum fideliter fateamur ante consecrationem panem esse, & vinum quod natura formauit: post consecrationem verò carnem Christi, & sanguinem, quod benedictio consecrauit. Et hæc suffi-
D.Ambr. ciant. Possemus autem & plura referre, qui volet videat Ambros. lib.4. de Sacra-
Isidorus. ment. cap.4. Isidorum lib.1. de Eccle-
D.Basil. siasticis officijs capit.18. Basil. libello de ritu Missæ. Gregorium Nissenum lib. de mystica vita Moysis. Est autem diffinitum,
Conc.Const. & Trident. quod non maneat substantia panis in hoc Sacramento, in concilio Constant. sessione.8. & Trident. sessione.13. canone secundo, & in concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, & refertur de summa Trinitate, & fide catholica, capit. firmiter. Restat, vt refutemus ea, quæ aduersarij obijciunt, id est, obijcere possunt. Et primo
Rup. Abbas quidem Rupertus Abbas libro secundo, super Exod. capite. 10. ait; Sicut filius Dei nõ destruxit naturã humanã sed assum-
Gelasi. papa. psit, ita Christus in hoc Sacramento non destruxit substantiam panis, sed vniuit. Et Gelasius Papa in opusculo contra Eutichetem, & Nestorium dicit, quod in altaris sacramento, facta etiam consecratione, manet panis vinique substantia.

Ad Rupertum dico, quod quãtum cõstat ex eis verbis videtur doctus ille vir, & pius in ea sententia fuisse, quando veritas
Canus. fidei illi non erat declarata, quod non est mirandum. Ad testimonium autem Gelasij dico, quod Canus de locis libro sex-
Vualden. Ruardus ro, capit. 8. ad nonum, aliquibus coniectoris probat, quod ille liber non est Gelasij; quod etiam tenet V valdensis de sacramentis capit.92. & in hoc propendet Ruardus Taper, de sacramento Eucharistiæ, & fortasse ita est. Quicquid autẽ de hoc sit aliud est põtificẽ aliquid diffinire, & ecclesiæ proponere, quod ipsa recipiat, aliud vero tractatũ aliquẽ, aut opusculũ edere, in quo suam ipse peculiarem sententiã dicat; quod fecit auctor eius opusculi, quicunq; ille fuerit, & fecerunt multi pontifices.

1. Cor. 10. Secundo argumentor: Prima Corinthiorum decimo, dicitur. Panis, quem
Actor. 2. frangimus, non ne communicatio corporis Domini est? Et Actorum secundo dicitur; quod erant perseuerantes in fractione panis: vbi certe sermo est de Eucharistia: ergo in scriptura corpus Dñi appellatur panis: ergo vere manet ibi panis.

Ad hoc quidam catholici docti viri, & pij negant, quod in scriptura corpus Christi appelletur panis: nisi quan-
Ioan. 6. do expresse habetur sermo de pane cœlesti: sicut quum dicitur: Hic est panis, qui de cœlo descendit. Et eodem modo respondebant Luthero quidam hæretici eius aduersarij, qui putabant cum pane nõ manere corpus Christi.

Ac

Ac propterea quando Lutherus proponebat, quod in scripturis corpus Domini appelletur panis, negabant id esse verū. Nos autem dicimus, morem esse scripturæ appellare res earum rerum nominibus, ex quibus factæ sunt. Sicut Genes. 2. Eua dicitur os & caro; quia ex osse, & carne facta est. Et Exod. 6. serpens dicitur virga; quia ex virga factus est. Et Ioan. 2. dicitur, quod cum gustasset Architriclinus aquam factā vinum. Quo nomine Apostolus appellauit vinum, eo quod ex aqua factum esset. Pro quo videndus est D. Gregor. de consecratione distinctione. 2. capit. species. Et est etiam scripturæ mos res tales nominare, quales apparent, sicut Genes. 18. angeli appellantur viri, quia apparuerunt in forma humana. Eucharistia igitur panis dicitur, quia & ex pane facta est, & apparet panis.

Gene. 2.
Exod. 6.
Ioan. 2.
D. Greg.
Gene. 18.

Tertio argumentor: Quia de consecratione distinct. 2. cap. ego Berengarius. Berengarius ex præcepto concilij profitetur fidem in hanc formam: Confiteor verum corpus Christi in veritate, manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Oportet ergo ponere in Eucharistia substantiam panis ratione cuius verificetur ea locutio. Quamuis enim species sacramentales frangantur, tamen cum illæ non sint vnitæ in persona Verbi, non erit verum corpus Christi frangi, & atteri dentibus. Respondetur, quod corpus Christi dicitur attrectari, frangi, & atteri ratione specierum. Nam licet non vniantur Christo personaliter, habent tamen maiorem vnionem cum eius corpore, quam locus cum locato. Et nos quando videmus species dicimus, videre nos Christum: & quādo species eleuantur ac mutant locum dicimus, eleuari Dominum, & mutare locum. Itaque ille loquendi modus verificatur ratione specierum. Prouenit autem, & promanauit ex eo, quod nos in loquendo intelligendo, & nominando affixi sumus sensibilibus. Considerandum est autem, quod ille loquendi modus non magis verificaretur ratione panis si maneret, quam verificatur modo ratione specierum.

Quarto argumentor: Quia forma panis est artificialis, ac proinde panis est sub genere accidentis: sed omnia accidentia manent in Eucharistia: ergo manet & panis. Respondetur, quod panis non est de genere accidentis, sed entis per se atque substantiæ. Quod si connotat qualitatem aliquam & dispositionem parum refert: nam & carnes assę, & cibi vt sic sub genere sunt entis per se.

Quinto argumentor: Quia Picus Mirādulanus in apologia de Eucharistia, quæstione. 9, dicit esse probabile, in Eucharistia quod maneat suppositum, & existentia panis sustentans immediate quantitatē licet non maneat essentia panis nec materia. Respondetur, quod ea sententia Pici est falsa, & aliena etiam à philosophia. Et certè Concilium Tridentinum, Sesio. 13. canone. 2. diffiniuit in mirabili hac & singulari conuersione manere duntaxat species panis & vini. *Picus Mirā.* *Conc. Trid.*

Sexto argumentor: Quia in alijs sacramentis manet substantia materiæ: ergo, & in hoc. Respondetur, quod in alijs sacramentis non est realiter ipse Christus, sicut in hoc.

Septimo argumentor: Quia multa vitabimus inconuenientia, si dicamus manere panem cum corpore Domini: ergo ita dicendum est. Respondetur certum esse, quod si quidem à Deo est institutum, & ordinatum, ne panis substantia maneret hoc fuit multò conuenientius. Solent verò hæretici occasionem sumere deficiendi à fide ob difficultatem rei. Quocirca rectè Hilarius octauo de Trinitate; Hæretici, inquit, fidem potius constituunt, quam accipiunt, dum quæ volunt sapiunt, & nolunt sapere quæ vera sunt, cum sapientiæ veritas hæc sit, interdum sapere quæ nolis. *Hilarius.*

Octauo arguebat Lutherus: Quia euāgelistæ apertè dicunt, quod Christus accepit panem, & dixit; Hoc est corpus meū: ergo sensus est; Hoc, id est, hic panis, quē accepi, est corpus meum. Respondetur Christum quidem accepisse panem. Cæterum cum sermo eius operatorius sit, quemadmodum dicendo, Fiat lux, fecit lucem: ità dicendo; Hoc est corpus meū, fecit *Matth. 26* *Gene. 1.*

tionis sententia assumpta in maiori digna certe est suo authore. Quemadmodum enim Deus, quia ipsa bonitas est non male faciet, vt magnifice dicebat Plato: ita & ipse Deus quoniam est ipsum esse nullum ens annihilabit, nec id facere dignum erit immensitate suæ largitatis.

Plato.

Tertio argumentor: Quia vt colligere licet ex articulo præcedenti, hanc antiqui patres in hoc mysterio analogiam obseruauerunt, vt quemadmodum in vnoquoque nostrum caro & sanguis de pane & vino fit, quo vescitur corpus: ità Dominus de pane, & vino corpus suum fecerit, quo alitur spiritus: sed panis & vinum quo nos vescimur non annihilatur: ergo nec panis, & vinum in Sacramento annihilatur; sed transmutatur. Videte articulo præcedenti dicta Damasceni, Cypriani, Anselmi Theophylacti. Verum est tamen, quod in transmutatione naturali manet materia rei transmutatæ, in hac verò non.

D. Bon.

Quarto argumentor: Nam cum effectus sacramenti significentur per formam & hæc forma, Hoc est corpus meum, nec significet nec innuat annihilationem panis, sed côuersionem, non est, cur dicamus eum annihilari.

Quinto argumẽtor: Nã quando ex aere naturaliter fit ignis, licet veræ sint istæ tres enunciationes post productionem ignis, aer non est, aer non est aliquid, aer nihil est: falsa vero est ista: Aer est annihilatus, propterea quod terminus eius mutationis nô fuit annihilatio aeris, sed exilstentia ignis; & quia ignis factus est ex aere, & prætereà quia manet materia quæ fuit materia aeris: sed in nostro proposito terminus côsecrationis nô est nô esse panis, sed esse sacramẽtale corporis Christi, & ex pane fit corpus Christi: ergo non annihilatur panis. Et aduertẽdũ est, quod quãuis in hoc exemplo aliqua peculiaris ratio militare videatur ex parte aeris ne dicatur annihilatus, quæ non militat pro pane, nempe, quod in igne manet materia, quæ fuit aeris, ex alia tamen parte est alia ratio ne panis dicatur annihilatus, quæ inuenitur in hoc mysterio, & non in mutationibus naturalibus. Illa est, quod quando ex aere, verbi gratia, fit ignis non conuertitur forma aeris in formam ignis; sed corrumpitur: nec côuertitur aer in ignem; sed corrumpitur aer, & ex materia aeris & forma adueniente fit ignis. At verò in nostro proposito nec materia, nec forma panis, nec ipse panis corrumpitur, proprie loquendo, sed conuertitur in corpus Christi. Hic si quærat quis, quomodo hoc fiat, iam dixi, & iterum atq; iterum repeto satis esse hominis insipientis existimare, quod cum hæc mysteria tractamus, aut capere possimus cum cogitamus, aut ea capi dũ dicimus. Postremo loco argumentor: quia ex patribus articulo præcedenti citatis côstat quod panis mutatur in corpus Christi: ergo non annihilatur.

D. August.

Sed contra hæc arguitur primo: Quia inuenitur, in hoc mysterio transitus per se a b esse panis ad non esse panis, & transitus per se à non præsentia corporis Christi ad præsentiam corporis Christi. Ex quo sic arguitur: Si secundus transitus non concomitaretur primum, primus esset annihilatio: ergo & modo formaliter est annihilatio, quia ratio eius non variatur per secundũ illũ transitum concomitantem.

Ad hoc dico, quod si quando ex aere fit non aer, sisteret ibi ea mutatio, non esset corruptio naturalis, quia corruptio naturalis vnius est generatio alterius, nô tñ inde licet inferre: ergo vere ea non est corruptio naturalis, & pari ratione, quãuis si ex pane non fieret nisi non panis dicenda esset annihilatio, re tamen vera non est ibi annihilatio, quia non sistit ibi motus. Et dico prætereà esse vehementer falsum, quod terminus per se intentus in hac trãsmutatione mirabili sit non esse panis sed est esse Sacramentale corporis, quod autẽ sit terminus medius vel minus principalis nihil nobis obstat. Et addendum est tertio, quod illud etiam non esse panis æquiuoce sumitur in annihilatione panis, & in hoc mysterio. Nam si annihilaretur panis ità non esset, quod nulla prorsus ratione esset. At vero in mirabili hac conuersione licet non maneat panis, manet tamen id, in quod panis est transmutatus. Et multis alijs modis posset quis respondere similibus

libus argumentis, quæ certè dum agitur de myſterijs fidei me mouent perparum ſatiuſque nobis eſſet conſiderare in primis ſcripturam ac ſententias patrum, deinde pro captu noſtro congruentes aliquas rationes adiungere ſicut ab Auguſtino, & alijs viris ſapientibus, atque præclaris videmus factitatum.

D. Auguſt.

Secundo argumentor: Si panis annihilaretur, & corpus Chriſti poneretur præſens ſub illis ſpeciebus, eodem prorſus modo ſe haberet tam panis, quam corpus Chriſti, quantum ad omnem conditionem, tã eſſendi, quam non eſſendi; ſicut modo ſe habet: ſed quod ſe habet prorſus eodẽ modo atque ſi eſſet annihilatum eſt annihilatum: ergo panis eſt annihilatus, vel redactus in nihilum.

Reſpondetur, quod maior eſt vehemẽter falſa. Aliter enim ſe haberet tunc panis, aliter corpus Chriſti, aliter & ipſe Deus ad illam actionem. Aliter quidem panis, quia ſi eſſet annihilatus, nec eſſet panis, nec id, in quod eſſet conuerſus, maneret: modo verò licet non maneat panis, manet tamen id, in quod panis eſt conuerſus, id enim quod erat panis eſt corpus Chriſti. Aliter ſe haberet & corpus Chriſti: quia compararetur ad panem, vt plurimum, ſicut ad terminum à quo abiectũ prorſus diſiectum, & relictum: modo verò comparatur ad panem, ſicut ad id, ex quo factum eſt corpus ipſum Chriſti per tranſſubſtantiationem, vel cõuerſionem. Et tandem aliter ſe haberet ipſe Deus. Nam tũc in nihilum redigeret ſuam creaturam; quod valde alienum eſt ab eius bonitate. Modo verò in melius eam tranſmutat atque conuertit pro ſua magnificentia, & gloria. Et hæc de hoc dubio. Quæ vero à nobis concluſio ſtatuta eſt ſtatuitur ab Hugone lib. 2. de Sacrament. parte. 8. capit. 7. & nono, & conformis eſt ſententiæ Magiſtri in quarto, diſtinct. 11. & Sancti Thomæ, tertia parte. quæſt. 75. artic. 3.

Hugo.

Magiſt.
B. Thom.

Sed dicunt quidam, & id certè minus probabiliter, quod per conſecrationem, panis & vinum reſoluuntur in præiacentem materiam, hoc eſt, in elementa, quæ eſt materia, in quà mixta reſolui poſſunt. Sed conſiderandum eſt, quod ſi eiuſmodi motus, vel reſolutio interueniret, aut inciperet in inſtanti terminante conſecrationem, aut ante illud inſtans. Si incipiat in inſtanti quo iam terminata eſt conſecratio; quum in illo inſtanti corpus Chriſti ſit ſub hoſtia, & in eodem ſit panis incipiens moueri motu reſolutionis, vel locali, vel quocũque alio, ſequeretur, quod ſimul eſſet corpus Chriſti, & ſubſtantia panis. Quod autem panis in illo inſtanti eſſet probatur: quia motus incipit per primum non eſſe: ac proinde verum eſſet dicere, panis nunc non mouetur, & immediatè poſt hoc mouebitur: & quia motus non fit in inſtanti; ſed prius mobile relinquit vnam partem quam aliam; ſequeretur, quod nõ ſolum per inſtans, ſed etiam per aliquod tempus eſſet ſimul corpus Chriſti, & ſubſtantia panis ſub aliqua parte hoſtiæ. Si vero huiuſmodi motus incipiat ante terminum conſecrationis, tunc cum inter quælibet inſtantia ſit tempus intermedium, in quo fiat motus, & mobile relinquat aliquas partes hoſtiæ, ſequitur quod in eo tempore, quo aliqua pars hoſtiæ relicta eſt, nec erit ſubſtantia panis, vt quæ iam particulam illam reliquerit, nec corpus Chriſti, corpus enim Chriſti ante inſtans, quod terminat totum hoc tempus medium non eſt ſub hoſtia. Si quis verò dicat hæc, quæ nos diximus rectè concludere, ſi ea reſolutio fieret per motum, & tempus ad modum reſolutionum naturalium, poni vero poſſet fieri inſtantaneè & per modum mutationis, cõtra hoc argumentor primo: Quia ſi ea reſolutio in elementa, & mutatio fieret in inſtanti, cum in eo etiam inſtanti diſceſſura eſſent elementa per motum localem ab hoſtia, ſenſu certè perciperetur ea diſceſſio.

Secundo argumentor: Quia elementa non conuertuntur in corpus Chriſti: ſi ergo panis reſoluitur in elementa, panis nõ conuertitur in corpus Chriſti: quod eſt contra doctrinam patrum. Sed iſta omittamus, quia nec in Theologia nec etiam in Philoſophia graui habent fundamentum.

ARTICVLVS. X.

Vtrum in hoc sacramento fiat conuersio vel trãssubstãtiatio panis in corp⁹ Christi: deq; eius ratione & modo.



NOSTRA sapientia & intellectus in ecclesia Dei viui est credere scripturis sanctis iuxta antiquorũ patrũ & conciliorum traditionem & interpretationem. Ac propterea cum articulo octauo huius quæstionis ex patribus adductis constet, quod illi id, quod fit per verba consecrationis appellauerint conuersionem, vel commutationem, vel transmutationem, & concilium etiam Lateranense sub Innocentio. 3. appellauerit, transsubstantiationem, & concilium Trident. sessio. 13. ca. 4. dixerit proprie & aptè ab ecclesia Dei conuersionẽ hanc esse eo nomine significatam, cum hoc, inquam, ità sit, id relinquam procerto, & procedã ad declarandum modum eius conuersionis, pro humani ingenij imbecillitate. Dicendum ergo mihi videtur cum S. Tho. quod hæc conuersio non est similis conuersionibus naturalibus; sed est omnino supernaturalis, & sola Dei virtute effecta. Vnde Diuus Ambrosius dicit in lib. de Sacramentis. Liquet, quod præter naturæ ordinem, virgo generauit; & hoc quod cõficimus corpus ex virgine est. Quid ergo quæris naturæ ordinem in Christi corpore cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex virgine. Et super illud Ioã nis. 6. Verba, quæ ego locutus sum vobis spiritus & vita sunt, dicit Chrysost. Id est, spiritualia sunt, nihil habentia carnale, nec consequentiam naturalem, sed exempta sunt ab omni tali necessitate, quæ in terra & à legibus, quæ hic positæ sunt. Manifestum est autem, quod omne agens agit in quantum est in actu, quodlibet verò agẽs creatum est determinatum in suo actu, cũ sit determinati generis & speciei. Et ideò cuiuslibet agentis creati actio fertur super aliquem determinatum actum: determinatio autem cuiuslibet rei in esse actuali est per eius formam. Vnde nullum agens naturale, seu creatum potest agere, nisi ad immutationem formæ. Et propter hoc omnis conuersio quæ fit secundum leges naturæ est formalis: sed Deus est actus infinitus; vnde eius actio se extendit ad totã naturam entis: nõ igitur solum potest efficere conuersionem formalem, vt, scilicet, diuersæ formæ sibi in eodem subiecto succedant; sed cõuersionem totius entis, vt scilicet, tota substantia huius conuertatur in totam substantiam illius. Et hoc agitur diuina virtute in hoc sacramẽto: nam tota substantia panis conuertitur in totam substantiam corporis Christi; & tota substantia vini in totam substantiam sanguinis Christi. Itaque in qualibet conuersione naturali manet subiectũ, in quo succedunt sibi diuersæ formæ, vel accidẽtales; sicut cum album in nigrum conuertitur, vel substantiales, sicut cum aer in ignem: vnde conuersiones formales nominantur. Sed in conuersione prædicta subiectum transit in subiectum, & accidentia manent. Vnde hæc nominatur conuersio substantialis, vel transsubstantiatio. Considerãdum est præterea ad hoc, vt aliqua ratione coniectemus, quomodo subiectũ in subiectum vertatur, quod quidem natura facere non potest: igitur considerandum est, quod omnis transmutatio substantialis, quæ fit à natura, præsupponit materiã, per quã subiecta indiuiduãtur, & quæ incorruptibilis est, & ingenerabilis. Vnde natura facere non potest, quod hæc substantia fiat illa, sicut, quod hæc arbor fiat illa. Cæterum materia subiecta est virtuti diuinæ, cum per ipsam producatur in esse. Vnde diuina virtute fieri potest, quod hæc substantia indiuidua in illam præexistentem conuertatur. Sicut enim virtute naturalis agentis, cuius operatio se extendit tantum ad immutationem formæ, & speciei, hoc totum in illud totum conuertitur, secũdum variationem speciei, & formæ, scilicet, aer qui corrumpitur in hunc ignem generatum: ità virtute diuina, quæ materiam non præsupponit, sed eam producit, hæc materia conuertitur in illam, &

per

Marginalia: Cõc. Later. — Conc. Trid. — S. Thom. — D. Ambros.

per consequens hoc indiuiduum in illud. Indiuiduationis enim,& ratio,& principium est hæc materia; sicut forma est principium speciei, & ratio constituens. Ex quo liquet, quod in conuersione panis in corpus Christi, non est aliquod subiectum commune permanens post conuersionē, cum transmutatio fiat, etiam secundum primum subiectum, quod est indiuiduationis principium, manentibus solis speciebus siue accidentibus panis. Accidit igitur in hac conuersione contrarium eius, quod in mutationibus naturalibus accidere solet, in quibus vel manet primum subiectū id est: materia,& variantur accidentia, vel manet substantia ipsa variatis accidentibus, vt quādo ex calido fit frigidum. Hic autem econuerso manet accidens,& transit substantia, ac proinde est substantialis quædam successio, & vt explicatius loquar,& aptius, transsubstantiatio. Si quis autem impius,& hæreticus, aut infidelis in hæc scripta inciderit,& quia hæc mirabilia,& inusitata sunt in natura, ideò illa non credit, considerare debet, quod Deus ità certas leges rebus attribuit, vt eius voluntas sit super omnia. Potentia quippe sua numeros creaturæ dedit, non ipsam potentiam eisdem numeris alligauit, vnde & spiritus eius faciendo mundo super ferebatur, non corporalibus locis, sed excellentia potestatis, vt ait August. libr. 6. de Gen. ad lit. c. 13. Gen. 1.

Hæc pro huius rei intelligentia dicta sint vniuersali quadam ratione. Modo verò modi & rationes explicandi rem hanc referendi sunt. Et mihi quidem videtur, quod quanuis in naturalibus albedo non fiat nigredo, nec vna forma fiat altera, sed in materia, in qua erat forma aeris, succedat forma ignis,& rursus sit etiam impossibile vt per naturam hæc materia huius entis, aut desinat esse omnino, aut conuertatur in materiam alterius; cæterùm virtute agentis infiniti, quod habet actionem in totum ens, potest eiusmodi conuersio fieri. Eo quod cum vtrique formæ, & vtriq; materiæ communis sit natura entis, potest actor vniuersalis entis conuertere id, quod est entitatis in vna, in id, quod est entitatis in altera. Non ita vt panis quidem dicatur conuersus in corpus Christi: prædicata verò vniuersalia panis, vt substantia,& entitas eius, maneant. ridiculū enim est hoc: sed ità, vt panis,& eius corporeitas,& substantia,& entitas,& vt breuiter dicā, totus panis vertatur in corpus Christi. Ita tamen, vt cum panis, & sit corpus & substantia & ens, atque etiam corpus Christi, sit corpus & substantia,& ens, facta consecratione,& manente solo corpore Christi maneant ea prædicata, in quæ panis,& corpus Christi conuenerunt. Manent verò non vt sunt panis, sed vt sunt corporis Christi,& similitudine quadam rationis. Et præterea panis manet, nō simpliciter, nec secundum aliquod sui prædicatum, sed manet in quantum manet id, in quod conuersus est panis. Facta enim consecratione hæc est vera: Id quod erat panis, nunc est corpus Christi, alioqui non diceretur panis conuersus in corpus Christi, nec diceretur hæc esse transsubstatiatio propriè. Hæc est sententia Caieta. 3. part. quæstione. 75. artic. 4. & videtur esse D. Ambros. libro. 4. de Sacramentis, cap. 4. & refertur de consecratione, dist. 2. ca. re vera, & Hugonis libr. 2. de Sacramentis capit. 8. & 9. & Innocentij tertij, libr. 4. de officio missæ, cap. 7. & Vvaldensis de sacramentis. capit. 70. & 71. Videntur autem quidā authores, qui Caietanum impugnant, immeritò illum improbasse, quorum argumenta, quæ plurima conficiunt, referrem si necesse esset. Sed necesse non est: quoniam, quod pace eorum dixerim, non intellexerunt Caietanum. Id quod manifestè constat ex argumentis, quæ contra illum formauerunt. Quæ omnia eo tendunt, vt comprobent, non manere in pane nec panem ipsum, nec eius aliquā partem, nec illa eius prædicata, substantiam, & entitatem, &c. Quod est verum & assertum à Caietano. Si quid verò huic nostræ sententiæ obijci posset illud est, quod D. Thom. cuius ego ingenium longe ante pono pluribus. 3. part. quæst. 75. articulo. 8. negat has propositiones; Panis fit corpus Christi; panis erit corpus Christi. Et ratio ipsius est, quia hæc conuersio conuenit cū crea-

Caieta. D. Ambro. Hugo. Innocent. Vvalden. D. Tho.

creatione in eo quod in neutra illarũ est aliquid cõmune subiectũ vtriq; extremorũ: ergo sicut in creatione nõ cõcedimus, ꝙ nõ ens erit ens, vel quod non ens fiat ens; quia requiritur ad veritatẽ earũ propositionũ, quod maneat in vtroq; extremo eadẽ materia, vel subiectũ: ita nec in hac transmutatione mirabili id cõcedendũ est: Nihilominus tamẽ dicẽdu est cũ Innocẽtio, & Magistro, & alijs, quod illæ propositiones sunt veræ. Et ad rationẽ D. Tho. respondetur negãdo consequẽtiã illã, ab extremis creationis ad extrema trãssubstãtiationis traductã. Est enim lõgẽ dispar ratio: quoniã nõ ens nõ cõuertitur in ens per creationẽ. Et iccircò inepte, & fallò diceris, ꝙ nõ ens erit ens, vel ꝙ nõ ens fiat ens. Sed in mutatione naturali, & in hac cõuersione, vnũ extremũ transit in aliud, panis, scilicet, in corpus Christi, & aer in ignem. Aliter tñ & aliter. Nã in naturalibus fit trãsmutatio per hoc, ꝙ materia aeris priore forma abiecta suscipit formã ignis: in hoc verò sacramẽto tota substãtia panis trãsit in totũ corpus Christi. Et ꝙ illæ propositiones sint admittẽdæ, probatur: Quia receptũ est, ꝙ per cõuersionẽ, siue trãssubstantiatione panis fiat corpus Christi, & fieri per trãssubstantiationẽ nõ est cõditio diminuẽs ad fieri: ergo vere panis fit corpus Christi. Et certe qui cõcedũt, ꝙ panis cõuertitur in corpus Christi & instãt in ꝓprietate huius locutionis cõcedere debent, ꝙ panis fit corpus Christi. Nã ipsum conuerti in corpus Christi est fieri corpus Christi. Quod autem omnes instare debeamus in proprietate huius locutionis, id constat ex concil. Triden. sessio. 13. can. 2. dicente, quod hanc conuersionem ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat. (Conc. Trid.) Et hæc pro nostra sententia. Nunc videamus, quid adferãt illi, qui eã impugnãt. Dicũt ipsi, ꝙ cõuersio intelligẽda est hoc modo, ꝙ panis omnino desinit esse & loco eiꝰ ac sub eis accidẽtibus, sub quibus erat panis succedit corpus Christi. Et pari modo loquendũ est de vino & sanguine. Hæc illi vtinã tã verè ac plenè, quã clarè. Nã quærimus ab eis, Præter quam, ꝙ panis desinit esse & succedit corpus Christi, cõuertitur ne panis in corpus Christi, an nõ? fit transsubstantiatio propriè loquendo an non? Si cõuertitur, propriè loquẽdo hoc ipsum est pane per cõuersionẽ fieri corpus Christi, quæ est nostra sentẽtia: Si nõ, ergo vos nec ponitis, nec fatemini re ipsa trãssubstãtiationẽ, & cõuersionẽ. Nã quãuis Deus re ipsa intendat ponere corpus vbi desinit esse panis, nõ tamẽ ea erit cõuersio & trãssubstãtiatio, nisi cõuertat panem in corpus. Prętera duo sunt, quæ maximè ostendũt nostrã sententiã ad veritatẽ, & synceritatem fidei, maxime accedere, hanc verò, quam modo tractamus esse imperfectã. Primum est decretũ illud citatum concilij Tridentini: (Conc. Trid.) Si quis negauerit mirabilem illam, & singularem cõuersionem totius substãtiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus, duntaxat, speciebus panis & vini, quam quidem conuersionem catholica ecclesia aptissime transsubstantiationẽ appellat; anathema sit. Quæ verba multò plenius, & syncerius obseruat nostra sententia, quam illorum.

Secundum est: Quia si in hoc sacramento, potius esset quædam successio, quam conuersio, frustra Doctores antiqui laborassent in asserendo, quod Dei omnipotentia quascunque res potest conuertere, & transmutare. Denique isti bene sentiunt angustias suæ sententiæ, & ponunt quendam ordinem necessariũ inter conuersionem, & corpus Christi. Debent autẽ se declarare eo modo, quo nos explicuimus, si hæc conuersio dicẽda propriè conuersio est. Alia sententia est quorundam, (Durã. d. 11. q. 3.) qui putauerunt non totam substantiam panis conuerti in corpus, sed fieri conuersionem instar generationis, vt videlicet, per consecrationem excludatur forma panis à materia, & eam materiam anima Christi informet. In hac vero sententia non est immorandum: quoniam ponit ea, quæ iam in concilijs damnata sunt, scilicet, non fieri conuersionem totius substantiæ panis, & non manere sola accidentia panis, sed etiam materiam, & consequenter accidentia, non esse sine subiecto.

Quæ omnia, præterquã quod sunt contra deffinitionẽ ecclesiæ, non habẽt etiam aliquod fundamentũ quod euertere necesse sit. Quo vero etiam attingamus ea, quæ, quis secum ipse cogitare, & effingere posset in hac difficultate, sciẽdum est ex Scoto in 4.d.11.q.3. quod triplex transsubstantiatio fingi posset. Prima illa, quæ à nobis exposita est, qua tota substantia conuertitur in totam substantiam præexistentem, & manentem: quod inuenitur in hac conuersione panis in corpus Christi. Secunda est, qua tota substantia cõuertitur in aliã; ita, vt alia producatur in esse de nouo; ita quod ante ea substantia, quæ est terminus ad quem, non esset: quam Scotus vocat transsubstantiationem productiuam. Tertia transsubstãtiatio est adductiua solum termini ad quem illò, vbi erat terminus a quo absq; eo quod vnũ aliquid vertatur in aliud. Prima harum transsubstantiationũ à nobis est declarata, probata, & constituta. Secunda non habet locum in hoc sacramento: quoniam corpus Christi præexistit. In tertia vero atq; adductiua termini nulla reuera est transsubstantiatio, nulla conuersio: quia solum ponitur, per eam panis redigi in nihilũ cũ successione corporis Christi in loco vel sub accidẽtibus panis: de quo supra egimus. Cæterum non existimo, me rationem huius conuersionis exactè declarauisse, nisi peculiariter de eius termino dixero quæ necessaria videbuntur. De quo tres inueni probabiles sententias; si forte illæ tres dicendæ sunt: nam bene declaratæ ferè coincidunt. 1. & 3. Prima dicit, quod terminus in hac conuersione est Christus secundũ esse sacramentale; & illud esse sacramentale, nõ est accidens sed substantia: quia si Christus non haberet aliud esse, quam illud, quod habet in sacramẽto esset substãtiale. Atq; hęc sententia, si rectè intelligatur vera est. Secũda sentẽtia, quã tenet Gabriel in lect. 40. super can. & seq. Soto in quarto, d.9.q. 1.art.4. docet, quod terminus conuersionis est corpus Christi. Nam licet existat prius Christus in cœlo; hoc tamen nõ est necessario requisitum ad hoc, vt existat in hoc sacramẽto. Quia verba cõsecrationis habent vim transsubstantiãdi panẽ in corpus Christi, etiam si corpus Christi nõ existeret in cœlo. Nã verba efficiunt, quod significant. Sicut quãdo quis accedit ad cõfessionẽ, iustus quãuis & gratus Deo sit, ac de peccatis cõtritus accedat, vera tamen sunt illa sacerdotis verba; Ego te absoluo, quia ex vi sua illa verba possũt absoluere: & accidit, quod homo ille esset iam liber à culpa & pœna. Et pari ratione verbis cõsecrationis accidit, quod nõ producãt Christũ de nouo, quia antea erat: de se vero virtutem habent transsubstantiandi panem in corpus Christi, & producendi illud; etiã si Christus non præexisteret. De qua sententia dico, quod de his rebus sobrie, & circumspecte loquendũ est: ità vt nihil de veritate, aut minuatur, aut redũdet: & quantũ in nobis fuerit, etiam hic illud obseruemus, his nec detrahas nec addas. Quod ideo admoneo, quoniã videtur mihi hæc sententia liberior esse, & eo procedere, vt cõcedat, quæ cõcedere nõ est necesse: ac propterea nec certa est nec valde probabilis. Quod probo primum: Quia in nullo sacramẽto, & generaliter in nulla causa per se inuenietur, quod semper priuetur suo effectu per se, siue ille sit totalis: siue partialis: quamuis enim nõnunquã accedat quis ad baptismũ iustificatus, sępe sępius tamẽ iustificatur per baptismũ: sed secundũ hãc sententiã semper cõsecrationis verba priuantur aliquo effectu, ad quem habent virtutẽ per se: ergo ea sententia infirmior est. Declaro minorem: Nã verba cõsecrationis habent virtutẽ producendi corpus, & sanguinẽ Christi de nouo, illis non antea existentibus: & hæc virtus atq; potestas nũquã quoad hoc reducitur ad actũ: ergo ea verba semper priuantur aliquo effectu, ad quẽ habent virtutem per se. Secũdo argumẽtor: Quia re ipsa panis nõ conuertitur in corpus nõ præexistẽs: ergo credibile est Dei sapientiã quæ nil facit frustra, ità suã virtutẽ tẽperasse, vt quantũ est ex vi & efficacia cõsecrationis nõ fiat cõuersio panis in corpus Christi; etiã si non præexisteret, sed in corpus præexistentis Christi Dñi. Tertio argumentor: Quia dũ ista sententia verba cõsecrationis, & retinere & vrgere vult

Scotus.

Gabriel.
Soto.

Deuter. 4.

vult ea nõ obseruat, sed euertis potius. Scri-
Matth. 26. ptũ enim est; Hoc est corpus meũ. Quibus verbis rectè cõsideratis, sicut significatur cõuersio panis in corpus Christi; ita etiã innuitur cõuersio panis in corpus Christi præexistentis. Nõ enim dictũ est; Accipite & comedite, hoc est corpus Christi, sed, hoc est corpus meũ, qui, inquam, præexisto cũ meis ipsis verbis cõficiar. Ex quo licet colligere quarto, quod si hæc verba ex natura rei supponũt Christũ existentẽ: vt cõstat, quia sunt verba Christi: ergo nõ possũt habere, pro termino ex natura rei, productionẽ corporis & sanguinis Christi nõ existentis. Tandẽ argumẽtor, quia quãuis hoc mysterium sit ineffabile tamẽ (quod catholice & verissime dico) maius opus est incarnatio Verbi Dei, quã quod ipsum Verbũ factus homo se ipsum sumendũ fidelibus dereliquerit in hoc sacramẽto. Si autẽ hęc sentẽtia vera esset, maius opus esset hęc cõuersio & transsubstãtiatio, quã incarnatio verbi Dei quoniam per se efficeretur per eã, & quod verbũ fieret caro, & quod esset sub his accidẽtibus & si hoc per se nõ efficitur, certe non efficitur vt Christus nunquam antea existens existeret in hoc sacramento. Ego vt rem declarem, & dicam quod sentio pono in primis, quod quando est sermo de substantiali mutatione inter terminos positiuos, primũ instans mutationis in quo mutatio, & fit & facta est, est primũ esse termini ad quem, & primum nõ esse termini à quo. Verbi gratia. Quando aer cõuertitur in ignem, illud instans, in quo ignis & fit & factus est, est primũ esse ignis, quia ignis tũc est & immediatè ante nõ erat, & est primũ non esse aeris, quia aer tunc non est, & immediatè antea erat. Secũdo pono, quod terminus per se formalis, & integer alicuius actionis effectiuæ debet haberi per eam actionem; alioqui non esset terminus eius. Tertio constituo, quod cũ verba consecrationis proferuntur, aut prolata sunt, quanuis conficiatur corpus Christi, hæc tamen propositio est falsa absolutè; Corpus Christi nũc est, & immediatè ante non erat. Hæc autẽ est vera, Nũc panis conuersus est in corpus Christi, & immediate antea non erat conuersus. Et hæc etiam, Nunc est corpus Christi, vt confectus ex pane, & vt sic immediate ante non erat; & similes propositiones omnes sunt veræ. Ex his respondetur ad dubium terminum huius actionis esse, quod panis conuertatur in corpus Christi, vel corpus Christi, vt confectum ex pane, vel corpus Christi, vt contentum sub speciebus panis, & sacramentatum, quod idem existimo voluisse primam illã sententiam, quam supra commemoraui.

Sed vt clarius, & euidentius diluantur argumenta, quæ formari possunt contra illam, de termino sententiam, obseruandum est, quod terminus in hac actione sacramentali referri potest, & ad verba consecrationis, siue consecrationem ipsam, & ad conuersionem ipsam substantiæ in substantiam. Si referatur ad consecrationem, proculdubiò terminus eius est panem conuerti in corpus Christi. Si vero eius conuersionis terminus quæratur, illud certè est corpus Christi contentum sub speciebus. Addendũ tamen est his, quod terminus iste absolute & integre sumi debet per cõparationẽ ad cõsecrationẽ nõ vero per cõparationẽ ad cõuersionem substãtiæ in substãtiã. Quod probo euidẽter quia inter doctores hoc cõtrouertitur, scilicet, quis nã sit terminus formæ huius sacramẽti efficiẽtis, quod significat: cõuersio autẽ non est forma huius sacramenti: sed effectus formæ vnde aliquando adest forma, & non est cõuersio ob defectũ materiæ, vel intentionis. Et quidẽ in cæteris sacramentis, hoc spectare licet: terminus, enim integer baptismi est regenerare per gratiam; terminus pœnitentiæ liberare à peccatis per gratiam; terminus cõfirmationis roborare per gratiã, terminus Eucharistiæ alere & nutrire per gratiã, qui omnes termini formaliter diuersi sunt quanuis in vltimum terminum gratiæ conuenerunt. His positis facillimum est respondere obiectionibus. Cũ enim disputas in hũc modũ, terminus actionis effectiuæ debet haberi, & acquiri per eam actionem: sed corpus Christi modo nõ habetur per hãc actionẽ quia antea erat: ergo non est terminus huius actionis, respondetur nihil ab his inferri contra nos: nec enim dicimus quod esse corpus Christi absolute sit terminus con-

ſecrationis ſed quod panem cõuerti in corpus Chriſti & eſt terminus, & habetur per conſecrationem. Si vero directe formaretur ratio contra nos adhunc modum: Terminus actionis debet haberi per eam actionem: ſed per hanc non habetur conuerſio panis in corpus Chriſti, ergo panem conuerti in corpus Chriſti non eſt terminus, iam liquet quod minor & eſt falſa & hæretica. Verum age & propter aliquorũ moleſtiam ſatisfaciamus eis qui loquũtur de corpore Chriſti per comparationem ad conuerſionem & arguunt in hunc modũ: Terminus debet haberi de nouo & acquiri per ſuam actionem ita vt antea non ſit, ſed corpus Chriſti erat antea: ergo non poteſt eſſe terminus huius actionis. Reſpõdetur primo, quod certe cõuerſio ad cõſecrationis verba conſecuta quãuis ſignificetur vt actio non eſt actio, ſed effectus potius & paſsio & terminus actionis. Sed ne videamur fugere & elabi è manibus dico, quod ſi conuerſio accipiatur vt actio virtutis Dei conuertentis vnum in aliud negandum eſt quod terminus eius actionis debeat produci de nouo, ita vt antea non eſſet: nam ad veram conuerſionem vel tranſſubſtantiationem ſatis eſt quod vna ſubſtantia cõuertatur in aliam, ſiue illa alia de nouo fiat ſiue antea fuerit. Itaq; hęc conſequẽtia nil valet: Hæc ſubſtantia nõ fit de nouo: ergo non eſt terminus cõuerſionis: poteſt enim hæc ſubſtantia ante extitiſſe: & pręterea eſſe modo in quantum alia cõuerſa eſt in ipſam. Sed hæc duo exerceant ingenium & nos reſpõdeamus, tertio ad illã minorem: Corpus Chriſti erat anteà ſecundum modum eſſendi quẽ habet in cęlo, cõcedo: vt eſt ſub Sacramento negatur: & hoc fit per conuerſionem, & non requiritur vt nullo modo illud corpus eſſet antea, imo vero requiritur fortaſſe vt eſſet. Secũdo loco argumentor; quia in hac actione nihil producitur de nouo ſecundum eſſe ſubſtantiale, ſed ſecundum eſſe accidentiale ſcilicet ſecundum eſſe hic vel ſub his accidentibus: ergo hæc mutatio nõ eſt ſubſtantialis nec debet dici traſſubſtantiatio. Reſpondetur quod conſecratio habet terminum ſubſtãtialem productum de nouo qui eſt panẽ cõuerti in corpus Chriſti exiſtẽs ſub accidẽtibus panis. & in hoc termino totali & integro includitur corpus Chriſti quod nõ eſt neceſſe vt de nouo exiſtat ad hoc vt ſit terminus cõuerſionis. Poteſt enim Deus cõuertere vnam ſubſtantiam in aliam præexiſtentem: quod vero ſimul cum termino ſubſtantiali fit productum aliquod eſſe accidentiale nullum eſt inconueniens. Nam & natura etiam quando vnam ſubſtantiam tranſmutat in aliam dat ei ſimul ſua accidentia. Et quemadmodũ ſi Deus conuerteret lapidem in arborem floridam terminus totalis eſſet ſubſtantia cum accidentibus: ita & in noſtro caſu dicẽdum eſt. Quod enim pręexiſteret ea arbor vel quod non præexiſteret parum refert ad hoc vt dicatur eſſe tranſſubſtantiatio & conuerſio in ipſam. Ad argumentũ diſtinguo antecedẽs: Nihil producitur de nouo ſecũdũ eſſe ſubſtãtiale; ita vt antea nõ eſſet ſimpliciter cõcedo: Nihil producitur de nouo ſecũdũ eſſe ſubſtantiale, ideſt terminus modo habitus productus & confectus per hanc actionem & conuerſionem, non eſt ſubſtantia, ſiue antea fuerit ſiue ſecus, negatur. Nam per eã actionẽ cõficitur corpus Chriſti cũ certis quibuſdã accidẽtibus: panis verò qui antea erat nec corrumpi dicendus eſt nec annihilari: ſed deſiiſſe eſſe ſecũdum ſe totum per conuerſionẽ totius in aliud. Diſputãt hoc loco multi quid ſit qđ poſsit cõuertere Deus. In quo dico breuiter quod me habebit fautorẽ qui aſſeruerit quod nõ ſolum corpus in corpus ſed etiam accidẽs in accidẽs, & ſpiritus in ſpiritũ, & corpus in ſpiritũ & ſpiritus in corpus, & ſubſtantia in accidens & accidens in ſubſtantiam, & denique inter creata quodlibet in quodlibet cõuerti poteſt Dei omnipotentia. Et quando aliqui obijciunt ꝙ vt poſsit à Deo fieri cõuerſio debet eſſe cõmunicatio vtriuſq; extremi in materia vel in accidẽtibus ac proinde nõ poſſet Deus cõuertere angelũ in hominẽ, reſpondeo ꝙ ſatis mirari nõ poſſum aliquorũ hominũ pueritiam qui quod vel non viderunt factum, vel nõ poſsũt intelligere id cõtinuo negãt Dei omnipotentiæ, cui certe poſsibile eſt omne id quod ipſi Deo intelligibile eſt.

Demus

Demus ergo Deū, & aliqua & multa, & in
numera posse quæ nos fateamur intellige
re non posse, his habitis diximus quid trac
in parte nobis verū esse videatur: & emer
simus humane lector ex pelago opinionū
hominū, & quod maius est vix i peruenimus. Vt unā vero tetigerimus veritatem.

ARTICVLVS. XI.

Quòd in hoc sacramento maneant accidentia panis & vini.

VEritatem hanc, quod in sacra
mento maneant accidentia pa
nis & vini, & sensus ipse, & ec
clesia vniuersalis comprobat.
Sed vt exactè eam intelligamus, sciendū
est, quod in pane sunt accidentia duplicis
generis. Quædam de genere ad aliquid &
fundata in ipsa substantia panis. Qualis est
relatio identitatis inter hūc panem, & aliū
eiusdem speciei, relatio effectus ad causam
relatio creaturæ ad creatorem. Alia sunt
accidentia panis absoluta, vt quantitas, sa-
por, color, humor, &c. Hæc posterioris ge
neris accidentia manent: & ideò absolute
dicendū est, quod manent accidentia pa-
nis, nec id negari potest. Accidentia verò
Ricard. & Durand. illa prioris generis nō possunt manere, vt
bene dicunt aliqui Doctores. Et ratio est,
quia dicūt essentiale ordinē ad fundamē-
tū, siue subiectū in actu; nā si modo nō est
panis, nō potest esse verum, quod hic pa
nis est idem in specie cum altero, sed quod
fuit; nec potest esse verum, quod est
creatura, sed quod fuit. Et quamuis tollas
panem, & dicas idem in specie cum pane,
certè nec id manet, igitur de eo quod ma-
nent accidentia, nec est dubiū, nec id ali-
ter necesse est cōprobare, quàm ex sensu
Innocent. & ecclesia. Sed adfert Innocent. li. 3. de of
ficio missæ ca. 34. rationes ad hoc cōgruē-
tes. Prima, quia nō est cōsuetū hominibus
sed horribile, carnes hominis comedere, &
sanguine bibere. Et ideò proponūtur no-
bis caro, & sanguis sumēda sub speciebus
illorū, quæ frequentius in vsum hominū
veniunt, scilicet panis & vini. Secunda, ne
hoc sacramentū ab infidelibus irrideatur,
si sub specie propria Dñm manducemus.
Tertia, vt dum inuisibiliter corpus & san-
guinē Dñi sumimus, hoc proficiat ad me
ritum fidei. Atq; de his congruentijs nos
etiam latius egimus supra.

Sed contra conclusionem argumentor
primo: Quia per sensum, nō modo appre-
hendimus, & intuemur accidētia, sed etiā
substantiam: & quod intuebamur ante cō
secrationē per sensum id ipsum intuemur
postea: sed postea nō intuemur substātiā:
ergo nec accidētia: vel si intuemur accidē
tia, sequitur, quod intueamur substantiā.
Dicunt quidam ad hoc, quod nos nō solū
notitia intellectiua, sed sensitiua etiam co-
gnoscimus substātias intuitiuè, siue intue
mur substantias, & quod post cōsecratio-
nē manent eædem notitiæ sensitiuæ, quæ
erant ante, & quod manent notitiæ intuiti
uæ panis, & vini, quæ tum falsæ sunt, tum
non cohærent. Nā si manent post cōsecra
tionē eædē notitiæ sensitiuæ intuitiuæ, &
antea per sensum intuebamur substātiā:
ergo & post cōsecrationē intuemur sub-
stātiā quod est falsum, quia nemo intue-
tur, quod nō est: cū sermo nobis sit de ve-
ra notitia, nō de apparenti & falsa; id quod
significat hoc nomē, notitia intuitiua. Di-
cendū ergo, quod sensus id habet à natura
sua, quod percipiat siue intueatur cōcreta
accidētiū, verbigratia, albū formaliter, sed
substātias proculdubiò non intuetur, nisi
per aliud siue per accidētia. Ac proinde cū
sensus in hostia cōsecrata videat totū suū
obiectū per se nō decipitur. Nā quamuis
cū eis accidētibus sit semper cōiuncta sub
stātia secūdū ordinē naturę, ac proinde in
fidelis colligat ibi esse substātiam panis; nō
tamē tenetur author naturę seruare illum
ordinē, nec essentia accidētis id per se & ne
cessario habet, vt actu sit in subiecto. Ac
proinde nec infidelis nec is fidelis, qui ali-
quā hostia putat nō esse cōsecratā, cū con-
secrata sit, decipitur à Deo, sed se ipsi deci
piūt. Et cōsiderandū etiā est, quò hæc ple-
nius intelligantur, & possimus satisfacere
aliquorū obiectionibus, quod accidentia
per cōparationē ad sensum, sunt ipsa obie
ctā, quæ sentiūtur & apprehēdūtur primò
& per se, & tāquā obiectā, quæ. Et quia cū

his obiectis secundum naturã sunt cõiunctæ substãtiæ, iccircò meritò inualuit hic vsus loquẽdi, ꝙ sensus ipse apprehẽdit, & percipit substãtias. Vere tñ, & per se obiectũ, vt quod, sensus sunt accidẽtia in cõcreto. Quocirca bruta, in quib⁹ sensus præcise viget, nõ percipiunt substãtias formaliter & proprie loquendo, licet à nobis dicatur agnus videre lupum. Sed percipiunt solũ rationes accidẽtales amici, & cõuenientis, inimici & cõtrarij, dulcis & amari, moti, & immoti, magni & parui, albi & nigri, &c. Nos vero, cum de animalibus loquimur, vsurpamus modos loquẽdi sumptos à cognitione nostra, non aliter, atq; dicere solemus, sitientem equum bibere velle, cum tñ velle non nisi voluntate fiat. Secundo argumentor: Quia remoto priori, remouetur posterius; sed substantia est naturaliter prior accidenti, vt probat Arist. 7. met. cum igitur facta consecratione non remaneat substãtia panis, in hoc sacramento videtur ꝙ nec possint remanere accidentia eius. Respõdetur, ꝙ sicut habetur in lib. de causis, effectus plus dependet à causa prima, quam à causa secunda. Et ideo virtute Dei qui est causa prima, fieri potest, vt remaneãt posteriora prioribus sublatis. Tertio argumentor: Nam fides nostra, nec debet esse, nec est contra rationem, vel sensum, sed supra ipsam: sed sẽsus iudicat esse panẽ in hoc sacramento, & fides credit non esse panem sed substantiã corporis Christi: ergo fides est contra sensum. Respondetur falsum esse, ꝙ sensus iudicet ibi esse panẽ: sensus enim non iudicat nec percipit, nisi sua obiecta, scilicet accidentia. Intellectus autem, cuius proprium obiectum est substantia, vt habetur 3. de Anima. fide præseruatur à deceptione, & eruditur non necessario, & infallibiliter colligi ex accidentibus, ꝙ sit ibi propria substantia, nisi secũdum naturalem ordinem. Quod non est fidem esse contra sensum, vel intellectum: sed illos superare, & attingere, quæ ipsi nõ attingunt. Vltimo argumentor: Quia ꝙ manet conuersione facta est subiectũ mutationis: si ergo manent accidentia panis in transmutatione videtur, ꝙ sint subiecta. Respondetur, ꝙ in transmutatione natura li id, quod manet est subiectũ. In hac vero conuersione mirabili, id ꝙ manet sunt accidẽtia præexistẽtis substãtiæ panis, & vini.

Cicero. Arist. Arist.

ARTICVLVS. XII.

Quod in hoc sacramento non maneat forma substantialis panis.



Certa res est & cõstat ex dictis, ꝙ in hoc sacramẽto nõ manet forma substantialis panis, quia tota substãtia panis cõuertitur in corpus Christi, sed forma substãtialis panis est de substãtia panis: ergo ipsa etiã fortmac õuertitur in corpus Christi. Et secundò probatur: Quia inter substãtiã cõuersam, & eã, in quã est cõuersio est proportio quædam cõuersi ad id, in quod est cõuersum: sed in corpore Christi, in quod fit cõuersio & est materia & forma corporis, & totum ipsum corpus: ergo quãdo cõuertitur panis in ipsum & materia, & forma & totus ipse panis cõuertitur. Sed est difficultas in diluendo quodã argumento. Illud est: Nã forma corporis Christi est anima; dicitur enim 2. de Ani. ꝙ anima est actus corporis: sed nõ potest dici ꝙ forma substãtialis panis cõuertatur in animã: ergo videtur, ꝙ remaneat facta cõsecratione. Pro declaratione huius argumẽti, sciẽdũ est, ꝙ Alex. Aphrodis. & A Egid. Rom. & S. Tho. pluribus in locis, & quantũ ego ex ipso colligere possũ Arist. tenent, ꝙ in quocunq; cõposito, est vna solũ forma. Itaq; in homine est vna tantũ forma, verbi gratia anima rationalis, quæ vt est forma substantialis, dat esse substantiæ, vt actus corporis dat esse corporis, & simili proportione dat ordine quoda rationis, cæteros gradus viuentis, & animalis & hominis. Alij vero philosophi tenent oppositũ, dicentes esse diuersas formas in vno cõposito, quę suo ordine cõstituũt illud in diuersis gradibus, vel saltẽ ponendã esse formã quandã corporeitatis distinctã à peculiari forma hominis, vel cuiuscunq; animalis aut plantę. Et est vtraq; sententia probabilis, nisi apud quosdã, qui vel quia nunquã legerũt nisi sua, vel ob infirmitatẽ intellectus, aut puerilẽ quãdam affectionem vni philosopho vel authori, statim reijciunt, quæ dissonant eius sententiæ.

Arist. Alex.

tiæ. Nos vero, quoniam certè ignoramus quid secreti hac in parte lateat in natura, & vtra earũ sententiarũ vera sit, curabimus secundũ vtranq; satisfacere argumẽto, vt quicquid sit de opinionibus hominũ nos saltẽ nõ recedamus à religionis nr̃ę sanctę sententia, scilicet, ꝙ forma substãtialis panis nõ manet, sed cõuertitur. Ergo tuendo eorũ philosoforũ sententiã, qui asserũt, in quolibet homine esse vnã solũ numero formã responderi posset, quod forma panis conuertitur in formã corporis Christi secundũ quod dat esse corporeũ, nõ autẽ secũdũ quod dat esse animatũ tali anima. Quę responsio, & perspicua videtur, & se ipsam statim offeres. Sed insurgit cõtra eã Scot. in. 4. d. 11. q. 3. in hũc modũ: Si hostia cõsecrata à Christo in cæna fuisset seruata per triduũ mortis, permã sisset eadẽ res primo cõtenta sub hostia: ergo permã sisset eadẽ forma corporis Christi cõstituẽs illud corpus: sed anima Christi nõ permã sit tũc cõstituendo, & dãdo esse corporis; quia fuit separata à corpore: ergo cõuersio non fuit facta in animam Christi secundũ aliquem eius gradũ. Id enim, in quod fuit facta conuersio, manet in triduo, & anima vt dãs esse corporis nõ mã sit in triduo, Hęc Scotus. Ego verò ad idẽ argumentor in hunc modũ: Quãuis esse corporis secundũ rationẽ cõmune sit brutis, & rationalibus, viuentibus, & nõ viuentibus: tamẽ reipsa & metaphysice loquẽdo, nõ logicè, aliud esse corporis est illud, quod dat forma animalis, aliud quod dat forma plantæ; aliud quod dat forma lapidis. Quod non probo. Sed suppono; quia constat ex metaphysica Aristotelis & ex doctrina eorũ, cõtra quos modo disputamus. Tũc sic: Si quidẽ aliud est specie, per vos, esse corporis, quod dat anima rationalis, & quod dat alia forma, in quod istorũ vultis, vt sit cõuersio facta per se primo? Si in esse corporis, vt est ab anima rationali; Sequitur, quod in triduo non maneret in hostia res primo cõtẽta, quod est falsum. Si verò fit cõuersio in esse corporis, nõ datũ ab anima, sed acceptum ab alia forma, non tuemini vestrã sententiam: & conceditis argumentũ, quod intendit, nimirũ, ꝙ sit in homine duplex forma substantialis. Nihilominus, si quidẽ diximus hãc sententiã esse probabile declarãdũ nobis est, quo pacto illã tueri possimus. Pro quo supponendũ est, ꝙ cum in hoc sacramento cõtineatur verũ ipsum corpus Christi & vera materia, ac forma eius, cõsequẽter quod sufficit ad idẽtitatẽ corporis secũdũ se, sufficit ad idẽtitatẽ cõtenti sub hoc sacramẽto, & quod aliqua ratione variauerit corpus, variauerit etiã eadẽ ratione cõtentũ sub hoc sacramẽto. Secũdo supponendũ est, quod etiã post mortem Christi corpus eius erat idem, quod antea identitate numerali suppositi & materiæ, imò & existentiæ secundũ probabilem sententiã. Et hæc identitas sufficit, vt quãuis per dissolutionem animæ superuenerit forma cadaueris, & cõsequenter vnita & assũpta fuerit ab eo supposito, tamen illud corpus in triduo sit idẽ simpliciter quod fuerat viuũ & qđ posteà resurrexit, & viuit in æternũ cũ aliqua tamen variatione in illo triduo, quę se cõpatitur cũ identitate simpliciter. Quibus positis ad argumentũ Scoti dico, ꝙ si hostia cõsecrata in cæna fuisset seruata in triduo, maneret res primò contenta sub illa, sicut idẽ corpus, ꝙ antea erat viuũ posteà fuit mortuũ. Par enim idẽtitas, vel variatio ponenda ac requirenda est; si quidẽ idẽ corpus Christi est cõtentũ in hoc sacramẽto. Et tunc ad cõsequentiã: ergo maneret eadẽ forma numero, dãs esse corporis: nego cõsequentiã; sed solũ sequitur, ꝙ maneat idẽ corpus, & tã idẽ, atq; fuit idem corpus Christi viui & mortui, cũ qua identitate, se cõpatitur diuersitas formæ. Quẽadmodũ enim illud corpus mortuũ erat idẽ cũ viuo, habebat tñ nouã formã, pari ratione in sacramento materia corporis Christi erat cũ noua forma. Cęterũ idẽ corpus Christi, ꝙ antea erat fuit in illo triduo constitutũ per nouã formã. Et si instes, ꝙ in illã formã nunquã facta est cõuersio, respõdetur, ꝙ sufficit factã fuisse cõuersionẽ in corpus Christi remanens semper idem numero, per quãcũq; formã cõstituatur. Atq; vt magis possint ista, quę sanè sunt difficilia insidere menti, aduertendũ est, ꝙ etiã apud nos vsitato sermone dici solet, & verè idẽ corpus mortuũ, quod fuerat viuũ,

propter materiæ identitatem, cum tamē secundum dogma Peripateticorum nec sit vtriusque eadem forma, nec idem suppositum, nec idem esse existentiæ: quanto ergo potius id de corpore Christi affirmare debemus, in quo manet, & eadem materia & suppositi vnitas, & secundum plures scholasticos identitas existentiæ? Quæ tria efficiunt, vt quamuis diuersa forma soleat efficere rem totam diuersam simpliciter, quoniam trahit secum diuersum suppositum, & existentiam, tamen id in proposito efficere non potest sola diuersitas formæ. Et quidem Theologus, qui sequi volet modum philosophandi Aristotelis, & Alexandri Aphrodisæi, ità respondere debet. Atque ex his poterit etiam satisfacere argumento, quod nos formauimus pro sententia Scoti. At vero secundum alios facilis est vt videtur; & expedita solutio obiectionis, quod conuersio formæ panis fiat in formam dantem in Christo præcise esse corporis, quæ forma mansit in triduo. De hoc tamē inferius disputauimus quæstio. 4. artic. 1. argum. 4. Nec enim qui ponunt formam corporeitatis effugiunt difficultatem.

Sed contra conclusionem art. argumentor secundo loco: Forma panis efficitur per artē: ergo est quid artificiale: ergo est antecedens: ergo manet post consecrationem. Probatur consequentia, quia per nos accidentia manent. Ad hoc nego primam consequētiam: Nam multa naturalia produci possunt arte, quorum tamen principium nunquam est ars; sed natura; sicut quando aliqua arte producuntur ranæ; quocirca quamuis ad panem conficiēdum concurrat hominum operatio, forma tamen panis substantialis est. De eo vero, an virtute ignis decoquentis Massam producatur forma substantialis vel non, diuersa est opinio scholasticorum. Mihi semper visum est verius, quod quemadmodū carnes crudæ, & assæ sunt substantiæ, & eiusdem speciei, & nihilominus assæ, quonia exiccatę & dispositæ ac depuratę sunt, sunt cibus hominum, crudæ verò nō sunt cibus hominis: ità massa cocta, vel non cocta eiusdem speciei substantialis est; sed cocta est cibus, & appellatur panis: non cocta vero nec est cibus nec appellatur panis. Dicat vnusquisque, quod volet, parū refert, quamuis non parum intersit inquacunque re proposita attingere veritatem.

Tertio argumētor; Quia secundum eā sententiam, quæ ponit vnam tantum formam in homine, scilicet, animam rationalem; noua illa forma, quam corpus habebat in triduo, quasi aduentitiē spectaret ad corpus Christi, in supplementum separatæ ad tempus propriæ animæ: ergo in casu supra proposito ab Scoto potius concomitanter, seu consequenter ad mortem Christi, & separationem animæ, quam ex vi sacramenti, noua illa forma cōtenta fuisset sub seruata tunc hostia, respōdetur. Cōcedo totum.

ARTICVLVS. XIII.

Quod ista conuersio fiat in instanti.



TENENT. Doctores, & communis ecclesiæ sensus, quod ista conuersio fit in instanti, quod non erit difficile rationibus ostendere, & comprobare supposito ac cōstituto, quod efficitur hæc conuersio virtute Dei. Probatur ergo primo; Quia succesio in opere est propter aliquam resistentiam pauētis ad agens, vt probari posset ex Aristo. 4. & 7. Physic. Sed nulla est resistentia panis ad virtutem diuinam per quam fit conuersio: ergo illa conuersio non est successiua: ergo est in instanti. Secundo: Quod non suscipit magis & minus, nō acquiritur successiue, nisi subiectum, ex quo fit vel terminus à quo alteretur, id est, successiue disponatur: at vero ad hanc conuersionē, nec panis, nec corpus Christi alteratur, vel successiue prædisponitur, vt constat: ergo cōuersio fit in instanti. Tertio: Succesio in mutatione causatur, vel ex resistentia mobilis ad motorem, vel medij, vt docet Cōmentator. 4. physic. commento. 71. virtus autem cōuertens panem in corpus Christi non

Aristot. 4. text. 17.

Commenta.

non est limitata, quia est virtus Dei: ergo
illi virtuti non resistit substantia panis.
Nec vero est resistentia ex parte medij,
vel spacij, tum, quia virtus agentis est illi
miiata, vt diximus, tum, quia in hac con-
uersione, non est mutatio localis: ergo nul
la est resistentia ex parte spacij, vel medij.
Quarto: In huius generis transmutatione
totum conuertitur in totum, id est, totus
panis in totum corpus Christi: & nec pars
post partem; quia tunc sub eisdem specie-
bus esset pars panis, & pars corporis nec
perfectum post imperfectum, quia id nec
in substantijs generaliter, nec peculiariter
in corpore Christi contento sub speciebus
habet locum: ergo fit conuersio in instan-
ti. Sed perspicua, & elegans, & cæteras om
S.Thom. nes comprehendens est ratio S. Thom. 3.
part. quæst. 75. artic. 7. Illa est huiusmodi;
Quod aliqua transmutatio non fiat in in-
stanti potest prouenire, vel ex parte termi
ni, qui successiue acquiritur suapte natura,
& suscipit magis ac minus, vel ex parte sub
iecti, quod successiue disponitur, vel ex de
fectu virtutis agentis: sed in hac conuersio
ne substantia corporis Christi, quæ est ter
minus nõ suscipit magis & minus, nec est
subiectum aliquod, quod successiue præ-
pareтur, & præterea res agitur potenti, &
infinita virtute Dei: ergo agitur in instan-
ti.

Sed contra hæc argumentor primo:
Quia si hæc conuersio fit in instanti, aut in
eodem instanti, in quo vltimo est substan
tia panis sub dimensionibus, est etiam sub
eisdem corpus Christi, aut in alio. Non in
eodem, vt constat, quia cum corpus Chri
sti contineatur sub speciebus per transsub
stantiationem panis, implicatio contradi-
ctoriorum est asserere, quod simul ac in
eodem instanti, sit & substantia panis, &
corpus Christi. Si in alio, tunc cum inter
quælibet duo instantia, sit tempus mediũ
Arist. vt mõstratur sexto physicorum conuer-
sio substantiæ panis in corpus erit in tem-
pore. Omnis enim conuersio, & transmu
tatio, inter cuius initium, & complemen-
tum interiacet tempus, est in tẽpore. Pro
dissoluendo hoc argumento multi multa
S.Tho. Ricard. dicunt, quæ referunt S. Tho. & Ricardus,
& alij. Sed constituto, quod & substantia
& prolatio etiam verborũ desinit esse per
primum non esse, & quod illud primum
non esse antecedentis substantiæ, est pri-
mum esse consequentis. Respondetur bre
uiter, quod in illo eodem instanti, in quo
primo non est substantia panis, est corpus
Christi. Quo vno verbo tota soluitur dif
ficultas. Falso verò supponebat argumen
tum, quod substantia panis desinat esse per
vltimum sui esse. Ita respondent Alexan. Alexan.
Halensis, & S. Tho. & Ricard. & Gabr. 42 S.Tho.
lectione super canonem. Ricar.

Secundo argumentor: Quod fit nondũ Gabriel.
est, vt habetur primo perihermenias: sed
si panis conuerteretur in corpus Christi in Arist.
instanti, tunc simul conuerteretur, & esset
conuersus, simulque fieret conuersio, &
facta esset: ergo non fit in instanti. Respon
detur, quod in his, quæ fiunt successiue,
verum est nondum esse id, quod fit: at ve
rò in mutationibus instantaneis, simul est
fieri, & factum esse; sicut simul est illumi
nari, & illuminatum esse. Verũ est tamen
quod ratione prius est fieri, quam factum
esse: siquidem fieri intelligitur, tanquã me
dium inter non esse, & factum esse. Et præ
terea quia in talibus dicitur quid factũ esse
secundũ quod iam est; fieri autem secun-
dum quod antea nõ fuit. In rebus autem,
quæ fiũt, prius intelligitur & est nõ fuisse,
quã esse, & ideo, &c.

Tertio argumentor: Impossibile est, trã
sire distantiam, nisi in tempore: sed inter 6.Physic.
panem & corpus Christi plures interiecti
sunt gradus naturæ, atq; substantiæ mag-
naq; distantia est: ergo nõ potest fieri hic
transitus vel cõuersio, nisi in tẽpore. Res-
pondetur, quod quanuis in maiori propo-
sitione sermo esset nõ modo de distãtia spa
cij, sed etiam graduũ naturæ, excepta sem
per intelligitur Dei potentia. Pateq; solu
tio ex dictis in articulo.

Quarto argumentor: Quia verba conse
crationis proferũtur successiue: ergo con-
uersio est successiua. Incidi in quosdam,
quos fatigabat hæc ratio, nescio qua ratio
ne. Facilis enim & vera solutio est, quod
licet virtus diuina operetur ad prolationẽ
verborum, operatur tamen in primo in-

stanti, quo verba prolata sunt, eorumque significatio completa est, & non durante sucesſione prolationis. Et ita respondet Alex. Allen. & D. Tho. Quod si obijcias, quia forma tunc non est; ergo nihil potest efficere actiue, respondetur, quod sufficit immediate præcesſiſſe. Et hic est modus agendi rerum sucesſiuarum: per motum enim aſſequimur terminum & tamen quãdo terminus est, motus non est.

Alexan.
S. Tho.

Postremo argumentor: Toto tempore prolationis verborum est verum dicere; Iste sacerdos consecrat, vel conuertit panem in corpus Christi: ergo est verum dicere, quod eo tempore est consecratio siue conuersio: ergo conuersio est in tempore. Respondetur, quod consecratio proprie loquendo non est conuersio; sed est actio proferendi verba, quibus panis cõuertitur in corpus Christi. Ac proinde licet consecratio fit in tempore, non tamen conuersio. Si tamen quis vtrumq; nomen velit accipere pro eodem dicere ille debet: quod consecratio, vel conuersio accepta pro actione, quæ habet pro termino & effectu transſubstantiationem, est actio succesſiua & fit in tempore. Alio modo accipitur consecratio vel conuersio pro termino huius actionis, qui est desitio panis, & primum esse corporis Christi. Et secundum hãc acceptionẽ negatur quod conuersio vel consecratio fiat in tempore, aut ꝙ tempore toto prolationis verborum sit verum dicere, sacerdos conuertit panem in corpus Christi, vel consecrat secundum hanc acceptionem.

ARTICVLVS. XIIII.

Vtrum hæc sit falsa, ex pane fit corpus Christi.

IN hoc articulo declarabimus primo, quid de re ipsa tenendum & intelligẽdum sit. Deinde, qui sint in hoc sacramento vsitati modi loquendi. Tertio qui illorum sint proprij, qui improprij. Breuiter tamen pro more nostro de re ipsa sciendũ est, quod conuenit hæc conuersio cũ creatione in eo, quod in neutra illarum est aliquod cõmune subiectũ vtriq; extremorum, cuius cõtrarium inuenitur in omni trãsmutatione naturali. Differt vero hæc cõuersio à creatione, quia in creatione vnum extremũ, scilicet, nõ ens nõ transit, nec conuertitur in aliud. In conuersione verò vna substantia transit, & conuertitur in aliam. Et conuenit hæc conuersio cũ transmutatione naturali in duobus, licet non similiter. Primo quide; quia in vtraq; vnũ extremorum transit in aliud panis scilicet, in corpus Christi, & aer in ignem. Aliter tamen hoc accidit vtrobique. Nam in hoc sacramen to tota substãtia panis transit in totum corpus Christi: sed in transmutatione naturali materia vnius suscipit formam alterius, priori forma deposita. Secundo conueniunt in hoc, quod vtrobiq; remanet aliquid idem. Differenter tamen. Nam in transmutatione naturali remanet eadem materia vel subiectum. In hoc autem sacramento remanent eadẽ accidentia. Hæc tantum pro rei ipsius intelligẽtia, in quæ omnes, qui vere ac catholice loquũtur, & conueniunt & conueniat necesse est. Pro modis loquendi sciendũ est, quod apud sanctos habentur isti modi loquendi, panis fit corpus Christi, ex pane fit corpus Christi, de pane fit caro Christi, panis est corpus Christi. Inter scholasticos etiam controuertuntur alij, vt, panis potest esse corpus Christi, panis erit corpus Christi. Hæc de modis loquendi.

Pro tertio, qui illorum sint proprij, qui improprij supponendum est, quod cũ de modo loquendi sermo est, non tã formãdi sunt, & vrgendi syllogismi, quam attendendus communis & receptus hominum cõcipiendi modus. Si enim ego dicerem; Hæc herba nascitur apud Italos, ridiculus satis videretur, qui affirmaret id falsõ dici. Quoniam illud, hęc, est demonstratiuum alicuius singularis & indiuidui, & nullum singulare idem nascitur apud Hispanos, & Italos. Ridiculum certè. Nam cum homines audiunt ea verba concipiunt, quod genus illud herbæ habetur apud Italos. Nec minus, sed magis ridiculus esset barbarus aliquis, & idiota, qui affirmaret dici nõ potuiſſe genus herbæ, quod illa esset species non genus, quod logici definiunt. Sed

ista

ista omittamus. Hoc posito de primo illo modo loquendi, Panis fit corpus Christi, quem probat Diuus Bonauentura, im probat Diuus Thomas dico, quod ille meo iudicio est verus, & proprius modus loquendi. Nec enim quando audimus ea verba, intelligimus significari per ea, quod forma panis, vel materia maneat; sed quod panis conuertatur in corpus Christi. Quod si panis conuertitur in corpus Christi, vt fides docet, ego non possum intelligere cur non possit dici; Panis fit corpus Christi. Nec enim est discrimen, nisi in hoc, quod fieri est magis vniuersale, quam conuerti. Quod enim conuertitur aliud fit in aliud: non tamen omne, quod fit conuertitur: nam album fit nigrum, & non conuertitur in nigrum. Et isto loquendi modo, inter alios vtitur antiquissimus Irenæus discipulus Polycarpi, libro quinto, aduersus hæreses, & Damasc. libro quarto, cap. 14.

D. Bonau. B. Tho. Irenæus. Damasc.

De secundo modo loquendi: Ex pane fit corpus Christi, dico, quod ille proculdubio est verus & proprius. Dicit enim illud, ex, ordinem, vel termini, à quo, vel subiecti, vel causæ efficientis, & denique quencunq; ordinē. Quocirca de Deo scriptū est, quod ex ipso, & per ipsū facta sunt omnia; quod dicit ordinē causę efficientis. Et ex aere dicitur fieri ignis, atq; ex materia & forma compositum, vbi inuenitur ordo subiecti. Et tādem dicimus, quod ex non albo fit album, & ex non ente ens, & ex nocte dies. In quibus locutionibus designatur ordo termini à quo vel prioris, & posterioris. De tertio modo. De pane fit corpus Christi, paulo presius nobis est disputandum, quoniā maior est in eo declarando difficultas. Sciendum ergo, quod D. Aug. li. de nat. bon. c. 26. & 27. loquitur in hæc verba: Ex ipso, non hoc significat, quod de ipso. Ex ipso enim (Deo) cœlum & terra; quia ipse fecit ea, non autem de ipso, quia non de substantia sua, sicut aliquis homo, si gignat filium & faciat domum. Ex ipso filius & ex ipso domus, sed filius de ipso, domus de terra, & ligno. Hactenus Aug. Ex quibus, colligunt Magister & S. Tho. quod illud, de, designat causam consubstantialem, quæ attenditur penes conuenientiam virtusq; extremi in substantia vel parte substantiæ.

Rom. 11. D. August. Magist. S. Thom.

Sed aduertendum est, quod ea verba non ita premenda sunt, vt præpositio, de, semper designet principium consubstantiale. Hoc enim est falsum: cum scriptum sit Matt. 1. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Christus vero, vt homo & natus ex Virgine, non est consubstantialis Spiritui sancto. Et si esset sermo de illo vt Deus, dici non potuisset, quod est de Spiritu sancto licet sit consubstantialis ei. Atq; idem constat ex illo; Qui conceptus est de Spiritu sancto. Hoc bene aduertit Driedo li. de dogmatibus tract. 2. c. 1. & S. Tho. in 4. d. 11. q. 1. ar. 4. q. 3. Vltra hoc vero considerādum est, quod quamuis ea differentia inter præpositiones, de, &, ex, docte & verè assignata sit à D. Aug. considerata earum proprietate; semper enim vel vt in plurimum præpositio, de, designat quod de substantia eius rei factū sit aliud, tamē id potest cōtingere dupliciter. Vno modo, ità, quod aliquid fiat de aliqua substantia, ipsa substantia manente; sicut de lapidibus, & lignis fit domus. Alio modo ita, vt fiat quidem vna substātia de alia; nō tamen manente, sed conuersa in eam substantiam quæ fit de ipsa. Quibus constitutis dico, ꝙ hæc propositio, de pane fit caro Christi, quanuis non sit tam propria, sicut illa, ex pane fit caro Christi, mihi tamen videtur propria duplici ratione. Prima: quia mihi non videtur impropria illa propositio, Qui cōceptus est de Spiritu sancto quanuis ibi nō designetur causa cōsubstātiationis: ergo simile erit in proposito. Secunda, quia, si profunde consideratur testimonium & differentia D. Aug. fauet certo ratione quadam huic loquendi modo, tantum abest, vt obsit. Quod probo: quia quanuis in hac conuersione non maneat forma, nec materia panis, tamen corpus Christi nō fit de homine, nec de ligno, nec de lapide, sed de pane: non tamen manente sed cōuerso in corpus. Et deniq; hęc propositio, de pane fit corpus Christi de se nō generat malum sensum, vel absurdum; nisi quis velit eam interpretari non bene.

Matth. 1. Driedo. B. Thom. D. August.

Non

Matth.1. 1.Cor.15

Nō enim offendimur cū audimus. Quod in ea natum est de Spiritu sancto est, aut secundus homo de cœlo cœlestis, & similes. Nec ea propositio ità ferit aures, vt sit impropria diceda: ergo nec ista de qua loquimur. Quartus modus loquēdi erat; Panis est corpus Christi. De quo breuiter dico duo, quæ certissima sunt. Primū, quod ea propositio inuenitur apud patres. Secūdum quod est impropria. Quoniam quā do extrema nō sunt simul, atq; cōiuncta, non potest vnum de altero propriè di cari. Nec enim dices; Aer est ignis, aut nox est dies, aut ens est nō ens; licet vnum illorū fiat, ex alio: sed panis & corpus nō sunt simul: ergo dici nō potest propriè, quod panis est corpus. Cæterum, quia solemus nominare res nominibus eorum, quæ antea erant, vel eorum quæ apparent esse, iccircò sancti modum illum loquendi vsurpauerunt; Panis est corpus Christi.

De illo altero modo loquēdi, Panis potest esse corpus Christi, dico, quod mihi nō benesonat. Innuere enim videtur, quod aliquado panis futurus sit, aut esse possit re ipsa corpus Christi. Et illud verbū, esse, non relinquit nobis sufficiētem locum interpretandi, quod potest esse corpus, quia potest conuerti. Igitur ego non admitto, quod ea sit propria locutio. Quanuis facile possimus interpretari, quod panis potest esse corpus Christi per potentiam conuertentis illum in corpus Christi. Et eadem fere ratio est de illo loquendi modo. Panis erit corpus Christi.

Postremo loco in hoc articulo sequentes regulas statuēdas putaui. Prima: Omnia verba significantia identitatem panis ad corpus Christi, vel esse simul cum illo, faciunt sensum falsum: ac proinde sunt exponenda, si inueniantur in patribus. Secūda: Verba, quæ significauerint mutationē ex parte corporis Christi, faciunt sensum falsum. Vnde cū dicimus; Ex pane fit corpus Christi, nō intelligitur mutatio esse in corpore Christi, sed in pane, verum est tamen quod si Christus, cum fit consecratio comparetur, nō ad se ipsum existentē sub alijs speciebus, sed existētem in cœlo, aliter se habet post cōsecrationem quā ante. Tertia regula: Verba, quæ significauerint causalitatem propriè dictā in pane per cōparationem ad corpus Christi, faciunt sensum falsum: quia panis nec est materia cōponēs nec forma, nec efficies, nec finis corporis Christi. Quarta: Verba, quæ significauerint trāsitum, vel cōuersionem vnius substantiæ in alterā, faciunt sensum verū. Proprijssimè enim dixeris, quod panis cōuertitur in corpus Christi. Accepi istas regulas ex sancto & docto viro Bonauentura, in quarto dist. 11. quæst. 6. paucis ferè mutatis. Cum autem de modo loquendi agitur, optima regula mihi esse videtur, bonū ingenium & temperatum, atque assuetū lectioni bonorum authorum ac rectè loquentium. Hæc enim ingenia apprehendunt propositiones, secundum suam vim, atque naturam. D.Bonau.

QVAESTIO

QVAESTIO QVARTA, DE MODO, QVO EXISTIT CHRISTVS IN HOC SACRAMENTO.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm totus Christus sit sub hoc sacramento.

RECEPTVM EST A Theologis, ità, vt de illo dubitari, non liceat, quod totus Christus sit in hoc sacramento. Sciendum tamen, quod aliquid Christi est in hoc sacramento dupliciter. Vno modo ex vi sacramenti: alio modo ex naturali concomitantia. Ex vi quidem sacramenti est sub speciebus huius sacramenti id, in quod directè conuertitur substantia panis, & vini praeexistens, pro vt significatur per verba formae, quae sunt effectiua in hoc sacramento, sicut & in caeteris. Matth.26. Verba vero formae sunt in consecratione panis; Hoc est corpus meum: in consecratione autem vini, Hic est sanguis meus. Ex naturali autem concomitantia est in hoc sacramento illud, quod realiter est coniunctum ei, in quod praedicta conuersio per se terminatur. Si enim aliqua duo sunt realiter coniuncta, vbicunque est vnum realiter oportet & aliud esse.

Haec est summa eorum, quae dicturi sumus. Sed quoniam hic articulus est primus huius quaestionis, iccircò iacienda sunt in eo aliqua fundamenta, quae pro intelligentia totius quaestionis sunt necessaria. Dam. d.10 q.2. Et in primis pro declaratione terminorum cum queritur; vtrū totus Christus sit in hoc sacramento; supponendum est, quod cum Christus sit subsistens in duabus naturis, constansq; ex eis, scilicet, diuina & humana, possumus considerare in ipso triplicem totalitatem. Prima est naturarum diuinae, & humanae in supposito; ita, vt ipsae vna cum supposito totum Christum conficere dicantur.

Secūda est solius naturae humanae, quo ad partes eius physicas, & essentiales, quae sunt materia & forma, vel corpus, & anima. Tertia totalitas est partium quantitatiuarum, vel integrantium: quale est caput, brachia, pedes, &c. Et haec pro totalitate. Pro modo vero existendi sciendū est, quod communiter recepta est haec distinctio, quod in hoc sacramento aliquid est directè, & ex vi sacramenti; Aliquid verò concomitanter & indirectè. Directè & ex vi sacramenti dicitur esse illud, quod significatur per verba sacramenti, quae efficiunt, quod significant. Cōcomitanter autem & indirectè dicitur esse illud in hoc sacramento, quod non separatur ab eare, quae est in eo ex vi sacramenti.

Secundo aduertendum est, quod si consideretur ratio & natura substantiae in eo, quod substantia illa tota, quoad partes essentiales, & quantitatiuas requisitas ad essentiam, continetur indifferenter in parua vel magna quantitate, estq; natura substātiae tota sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur: ac proinde consequenter est tota in toto, & tota in qualibet parte. Opposita vero cōditiones his, quas substantiae tribuimus, conueniunt, quantitati, si habeat quantitas propriom & naturalem modum essendi quantitatis.

Et aduertendum, quod non dicimus eas tres cōditiones, quas commemorauimus conuenire cuilibet substantiae, siue illa ho

corpus viuum, quale tunc habebat: ergo tale corpus est ex vi sacramenti, viuum ergo & rationale continentur in sacramento ex vi sacramenti. Materiam huius argumenti controuertunt Hugo li. 2. Se sacramentis parte. 8. capit. 3. & Innocent. lib. 4. de officio missę, cap. 12.

Sed dicendum est breuiter, quod ex vi consecrationis nec consecratur corpus viuum, nec corpus mortuum; sicut nec corpus mortale nec corpus immortale: sed simpliciter corpus, vt verba sonãt, siue viuũ siue mortuũ. Quanuis enim Christus dum viueret inter homines cõsecrauerit, non tamen consecrare voluit ex vi formæ, nisi corpus. Quocirca eadem illa forma viendum esset; siue consecratemus in triduo cũ erat mortuus; siue ante pasionẽ, cum adhuc viueret in hac vita mortali, eadem inquam cũ ea qua modo vtimur, quando resurgens ex mortuis iam nõ moritur, mors illi vltra nõ dominabitur. Quocirca ridiculũ esset, si quis putaret, Christum consecrauisse corpus mortuũ propterea quod nos non vescimur carnibus, nisi mortuis, & ipse dabat carnem suam ad manducandum; nec enim præbet nobis carnem suam sub specie carnis: ac proinde ex eo, quod noster cibus est ea caro, nemo potest inferre quod debet esse mortua. Rom. 6.

Tertio argumentor: Nam Christus incipit esse in hoc sacramento per conuersionem panis, & vini: sed panis & vinum non possunt conuerti, nec in diuinitatem Christi, nec in eius animam: cum ergo Christus existat, ex tribus substantijs, diuinitate, anima, & corpore, consequens esse videtur, quod nõ sit totus Christus in hoc sacramento. Respondetur, quod quia cõuersio panis, & vini nõ terminatur ad diuinitatem, vel animam Christi, consequens est, quod diuinitas vel anima Christi non sit in hoc sacramento ex vi sacramenti, sed ex reali con comitantia. Quia enim diuinitas corpus assumptum nunquam deposuit, vbicunq; est corpus Christi necesse est eius diuinitatem esse concomitantem eius corpus. Caro enim Verbi Dei est ea, qua participes efficimur in hoc sacramento, vt docet Concilium Ephesinum, anima autem intriduo realiter fuit à corpore separata. Et ideò si in illo triduo mortis fuisset hoc sacramentu m celebratum, nõ fuisset ibi anima Christi nec ex vi sacramẽti, nec ex reali concomitantia. Sed quia Christus resurgens ex mortuis iam nõ moritur, vt habetur ad Rom. 6. iccirco anima eius semper est realiter corpori vnita, ac proinde in hoc sacramento semper est, & corpus Christi ex vi sacramenti, & anima Christi ex reali coniunctione ad corpus. Ex quibus bene cõsequẽs est, quod si hostia in triduo consecrata cõseruata fuisset vsq; ad diem resurrectionis, tunc sub eis accidentibus esset & contineretur etiam anima Christi per coniunctionem, siue concomitantiam ad corpus, quod solum præfuerat ibi ex vi sacramenti. Cōc. Ephes. Rom. 6.

Quarto argumentor: Quia Christus est in hoc sacramento, pro vt competit refectioni fidelium, sed ipse dicit Ioan. 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus: ergo solum caro, & sanguis Christi continentur in hoc sacramento: sunt autẽ aliæ partes corporis Christi vt ossa: ergo non cõtinetur totus Christus sub hoc sacramento. Ioan. 6.

Ad hoc argumentum, & cætera omnia eius generis liquet solutio, ex eo, quod non dat nobis Christus suum corpus sub specie carnis: sed sub specie panis. Ac proinde ineptè opponitur, quod ossa nõ possunt manducari. Quod habet locum, si proponerentur manducanda in propria specie; quod longisime abfuit à Dei sapientia. Et præterea dicendum est, quod in hoc sacramento sub speciebus panis continetur ex vi sacramenti, non solum caro, sed totũ corpus Christi, scilicet ossa, nerui, & alia huius modi. Et hoc apparet ex forma huius sacramenti, in qua dicitur; Hoc est corpus meum. Et ideo cum Dominus dixit Ioa. 6. Caro mea vere est cibus, caro ibi accipitur pro corpore toto. Dixit vero eo in loco, Caro mea vere est cibus, & nõ corpus meum vere est cibus: quoniam homines carnibus vesci dicimur, non corporibus. Ac proinde cum de corpore suo loqueretur, in quãtum est cibus, dicere maluit; Caro mea vere est cibus. Videtur autem

tem mihi sequi ex his, quod qui ponunt formam corporeitatis coæuam materiæ, non ponant sufficiens principium formale corporis Christi, contenti sub speciebus ex vi sacramenti. Et ratio est, quia forma corporeitatis vt sic, non dat esse corporis humani, non carnes, non ossa, non neruos, non organa illa, atq; compaginem, quæ corpus humanum efficiunt. Ac proinde illi theologi non effugiunt, quin in triduo ponant aliquam formam de nouo aduenientem. Et ratio est: quia in eo corpore mortuo erat caro & os: (siue vniuoce, siue æquiuocè non curo: erat enim ibi caro & os) & caro & os sunt de genere substantiæ. ergo constituuntur per formam substantialem, dantem formaliter esse carnis, & ossium: sed talis non poterat esse forma corporeitatis; quia illa habet suum effectū formalē secūdū istos etiā in lapide. Et prætereà est forma distincta ab inferioribus formis: ergo effugere illi non possunt, quin ponant tunc formā aliam præter formam corporeitatis.

Quinto argumentor: Quia corpus maioris quantitatis non potest contineri sub minoris quantitatis mensura: sed mensura panis, & vini consecrati est minor, quam mensura corporis Christi, ergo non potest esse, quod totus Christus contineatur sub hoc sacramento. Respondetur, quod facta conuersione panis in corpus Christi vel vini in sanguinem, accidentia vtriusq; manent. Ex quo patet, quod dimensiones panis, vel vini non conuertuntur in dimensiones corporis Christi, sed substantia in substantiam. Et sic substantia corporis Christi vel sanguinis est sub hoc sacramento ex vi sacramenti; non autem dimensiones corporis, & sanguinis Christi, nisi per concomitantiam, vt infra dicemus. Est itaq; corpus Christi in hoc sacramēto per modum substantiæ, & non per modum quantitatis. Propria vero totalitas substantiæ continetur indifferenter in parua vel magna quantitate, sicut tota natura aeris in magno vel paruo aere. Substātia enim, & prior est magno & paruo de genere quantitatis, & indifferens, ac etiam abstrahens ab ipso. Vnde tota substātia corporis & sanguinis Christi cōtinetur in hoc sacramēto post cōsecrationem.

Sexto argumentor: Nam sanguis nō est pars hominis actualis, sed potentialis: ergo quanuis sub speciebus panis sit anima per concomitantiam ad corpus, non tamen debet dici, quod etiam sit sanguis ibi per concomitantiam. Respondetur quod verbum Dei assumpsit non modo animā & corpus, quæ conficiunt essentiam naturæ humanæ, sed ea omnia etiam, quæ pertinent ad integritatem & perfectionem humanæ naturæ, ac sunt ad eius consistentiam necessaria: inter quæ præcipuum locum tenet sanguis. Quanuis verò sanguis non sit pars actualis, sicut corpus, sed sit alimētū animalis conuertendum in substantiam alit per calorem, & facultatem naturæ quod peritissimi quiq; medicorum & philosophorum tenere videntur, est tamē sanguis realiter coniunctus corpori, & ad naturalem perfectionem, vitam, & consistentiam animalis requisitus. Et icirco non dubium, quin sub speciebus, sub quibus est corpus ex vi sacramenti sit etiam sanguis per coniūctionem cum corpore, & sub speciebus, sub quibus est sanguis ex vi sacramenti, sit etiam corpus per concomitantiam.

Septimo loco argumētor: Nam si re ipsa nihil continetur sub vna specie, quod non contineatur sub altera, consequens esse videtur, vt altera earum superfluat. Respōdetur ꝙ qui hoc modo disputat, giā attēdit ad rem, quæ sub specie continetur, vel vno vel altero modo, vt non attendat ad rationem sacramēti. Deberet autem vtrūq; respicere, ac considerare, & panem in corpus, & vinum in sanguinem Christi consecrari, ad repræsentandam Christi passionem, in qua seorsum fuit sanguis à corpore separatus. Vnde in forma consecrationis sanguinis fit mētio de eius effusione, Secundo id fit, quia cum hoc sacramentum sit cibus, & alimentum vitæ spiritualis, decuit, vt quemadmodum homines ad vitā naturalem tuendam & conseruandam cibo viuntur, & potu: itā Dominus suis præberet spirituale alimentū sub speciebus potus & cibi, quo eius omnimoda sufficientia

tia & perfectio intelligatur. Nollem verò; vt quæreret quis, cur peculiariter sanguis consecretur, & non vel pars aliqua corporis, vel alia pars potentialis, cum videat, quod hoc sacramentum est memoriale passionis Domini, qui tot ac tam dira pertulit in corpore suo, quod continebat actu omnes suas partes: atq; ita pertulit, vt sanguine etiam effuso nos redemerit de misera bili nostra conuersatione.

ARTICVLVS. II.

Vtrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum panis, & vini.



CVM in hoc sacramento substantia corporis Christi sit ex vi sacramenti, quantitas autem dimensiua per concomitantiam, vt in superioribus ex parte dictum est, & articulo sequenti magis declarabitur, consequens est, vt corpus Christi sit in hoc sacramento per modum substantiæ, id est, per modum, quo substantia in eo quod substantia habet esse sub dimensionibus, non autem per modum dimensionum, id est, non per modum illum, quo quantitas, dimensiua corporis, est sub quantitate dimensiua loci. Declaratum verò est supra quod natura substantiæ tota est sub quali bet parte dimensionum, sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte aeris, est tota natura aeris; & sub qualibet parte panis, est tota natura panis: totus ergo Christus est sub qualibet parte specierum panis, & vini. Et quidè si quæstio sit, vtrùm totus Christus contineatur sub qualibet parte specierum facta diuisione, id est habèdum pro certo; quoniam ità diffiniuerunt concilium Florentinum, & Trid. sessio. 13. cap. & can. 3. & habetur de consecratione, d. 2. c. singuli, & est doctrina D. August. serm. quodam Dñicæ. 5. post Epiphaniā & Ambr. de his qui initiantur mysterijs c. 7. & 8. Atq; vt constat Matt. 26. & Lu. 22. Dominus prius benedixit panem, dende fregit, & dedit. Hoc itaq; est certum de fide, & constat ex vsu ecclesiæ.

Conc. Flor. & Trident.

Sed illud controuertunt Theologi, an Christus totus sit sub qualibet parte speciert, hostia integra manente. Partè negatiuā tenèt aliqui Doctores, vt referūt Dionysius in. 4. d. 10. & Alex. Alen. 4. p. q. 40. mēb. 3. ar. 5. & Bonau. in. 4. d. 10. prima parte, distinctionis q. 5. & tenet Altisiod. li. 4. de materia Eucharistiæ tract. 5. c. 8. Sed partē affirmatiuā docuit Innoc. li. 4. de officio Missæ, c. 8. Et eā sententiā merito, vt ego existimo receperūt oēs scholastici. Quam probo simul & declaro: Nā si totū aliquod substātiale sit per modū substātiæ, sub aliquo toto; tunc totū illud substantiale, est sub qualibet parte eius; sicut tota natura, & species aquæ est in qualibet parte aquæ, & tota anima in qualibet parte corporis: cum ergo corpus Christi cōtineatur in hoc sacramēto per modū substātiæ, inquā cōuersa est substātia panis, manētibus eius dimēsionibus, cōsequens est, vt sicut tota substātia panis erat ante, sub qualibet parte diuisibili suarū dimēsionū, ita integrum corpus Christi sit sub qualibet parte diuisibili earundē. Secūdo argumētor: Quia, si ità est integrū Christi corpus sub tota hostia, quod nō sit totū sub qualibet parte: ergo cōcedendū est, quod sit tantū, quāta est hostia: ergo signari posset pars, vbi est caput, & nō pes: & vbi est vnū brachiū, & nō alterū. Hoc autē apparet falsum multis rationibus. Primū; quia sequeretur, quod in corpore Christi, vt cōtinetur sub hostia esset positio partiū in ordine ad quātitatē hostiæ: ac proinde si esset diuisa pars hostiæ parua vel corpus Christi fieret minus, vel nō cōtineretur totum sub ea parte diuisa.

Dionys. Alexan. D. Bonau. Innocen.

Secūdo: Quia si designata qualibet parte hostiæ, non continetur sub ea totum corpus Christi, contineatur, verbi gratia, caput: ergo pedes continebuntur sub aliqua parte inferiori: ergo pro diuersa inuersione hostiæ inuertitur, & corpus Christi, quod est ridiculum. Denique si eorum Doctorum sententia vera esset, resistendum etiam esset ac repugnandum his, quæ supra statuimus; & sæpe dicturi sumus de modo, quo Christus existit in hoc sacramēto; qui est modus essendi substantiæ,

Sed contra hæc erat argumentum quorundam antiquorum: Quia speculum integrum non continet, nisi vnam formam: si verò fractum fuerit in singulis partibus, apparẽt singulæ formæ: ergo similiter, dicendum est, quod in tota hostia est totus Christus, nõ in partibus: si verò partes fuerint separatæ manet in qualibet parte.

Respondetur, quod apud rectè intelligentes, comparatio nullam habet vim ad rem comprobandam; sed vbi res fuerit vel habita pro comperta, vel sufficienter comprobata; tunc verò adhibita comparatio illam declarat & illustrat. Quocirca si ad hoc argumentum solum responderemus, quod quemadmodum sub qualibet parte aquæ est tota & integra essentia aquæ, & quemadmodum sub qualibet parte corporis est tota & integra anima: ità sub qualibet parte specierum est totus Christus, & integer, sufficiens esset responsio, & cõparationem eluderemus comparatione.

Sed dicendum est præterea, quod forma apparens in speculo generatur in ipso per reuerberationem veræ formæ. Ac proinde si sit vna superficies speculi, fit & vna reuerberatio, & vna forma tantum, vel imago in toto speculo: fracto vero speculo sunt & multæ superficies, & multæ reuerberationes, & multæ imagines. Itaque si absolutè esset imago in speculo, & non ex sola reuerberatione formæ naturalis, nunquam speculo fracto plures imagines integræ apparerent. Corpus autem Christi continetur sub speciebus panis absolutè, & per modum substantiæ, ac propterea ante fractionem hostiæ est totum in tota, & totum sub qualibet parte hostiæ; quemadmodum ante sub qualibet parte panis erat tota natura panis. Sed instabit quis in hunc modum: In hostia sunt aliquæ particulæ adeò exiguæ, vt sint minores minimo, in quo potest conseruari panis: ergo in illis non est totus Christus. Ad hoc respondent quidam, vt B. Bonauenr. in quarto, distinct. 10. quæst. 5. quod Christus non continetur, nisi sub illa particula hostiæ, quæ diuisa, & existens per se potest esse panis. Mihi videtur dicendum esse, quod quælibet particula quantumcunque minima panis, est panis, & quod illæ partes ità se mutuo iuuent, & contineant, in suo toto, vt aliqua conseruet in toto naturam panis, quæ ab illo seiuncta, & separata naturam illam retinere non posset ob sui paruitatem. Quod mihi ipse videor ad sensum experiri in elemento aquæ; quælibet enim aquæ pars existens in toto certè est aqua; si quidem ex eis partibus, tanquam homogeneis, resultat aqua. Tam verò exigua guttæ particula solet ab aqua decerpi, vt eo ipso, quod à suo toto conseruante disiuncta fuit, euanescat in elementa. Existimo igitur, quod sub qualibet particula hostiæ, quantumuis minima ea sit, cõtinetur corpus Christi. Sed quid si aliquis Theologus hæc omnia cõtendat superare, & affirmare velit, sub quolibet hostiæ puncto contineri corpus Christi. Respondetur, quod quamuis quidam nescio qua ratione commotus id dixerit, certè est inopinabile: quoniam corpus Christi est sub quantitate, ac dimensionibus panis, & pũctus nec est quantitas, nec pars quantitatis, nec sub eo erat panis.

B. Bonauen.

Secundo loco argumentor: Nam species panis diuidi possunt in infinitum: si ergo Christus totus est sub qualibet parte specierum sequeretur, quod infinities esset in hoc sacramento. Respõdetur, quod quẽadmodũ, quãuis anima sit sub qualibet parte corporis, vel aqua sub qualibet parte aquæ, non sequitur, nec quod sint ibi multæ animæ, vel aquæ, nec quod multoties sint ita etiam in nostro casu nil valet illa deductio: numerus enim sequitur diuisionem. Et ideo quandiu quãtitas manet indiuisa actu nec substãtia alicuius rei est plures sub dimẽsionibus, nec illæ substãtiæ sunt plures.

Tertio argumentor: Nã corpus Christi, cũ sit organicũ, habet partes inter se distantes: est enim de ratione corporis organici determinata distantia singularũ partiũ ab inuicẽ, vt manus à pede: sed hoc nõ posset esse, si sub qualibet parte specierũ esset totus Christ⁹: oporteret enim, ꝙ sub qualibet parte esset quęlibet pars, & ita vbi esset vna pars esset alia: nõ ergo potest esse, quod totus Christus sit sub qualibet parte hostiæ.

Ad hoc

Ad hoc dico, quod materiam huius argumenti plenius intelliget qui legere volet sequentem articulum. Est verò dicendum, quod ista determinata partium distātia in corpore organico fundatur in quantitate dimensiua: ipsa autem natura substantiæ præcedit quantitatem. Et quia conuersio substantiæ panis directè terminatur ad substantiam corporis Christi, quod corpus est in hoc sacramento per modum substātiæ: iccirco ipsa quidem partium distantia est certè in Christi corpore: sed illud corpus non comparatur ad hoc sacramentum secundum eam distantiam, sed secundum modum substantiæ.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm tota quātitas dimēsiua corporis Christi sit in hoc sacramento.



CVM in similes quæstiones incido, & me ipsum, atque hominum ingenia exigua considero, non possum in spem aliquam adduci rem intelligendi. Cum autem Dei potentiam mirabilem specto, & fide præmunior, illud audiens; Nisi credideritis non intelligetis, iam mihi videor omnia penè intelligere. Et quidem in quæstione proposita cum credamus, quod corpus Christi integrum est sub speciebus panis ex vi sacramenti, & quod anima Christi, & sanguis, & diuinitas etiam est ibi per concomitantiam, non video, cur Doctores quidam negent ibi etiam esse quātitatem corporis Christi, nisi quoniam illud est difficile intellectu. Conandum igitur est, vt ostendamus id esse aliquomodo intelligibile nobis. Nam quod sit verum, & ratio adducta probat, & communis Theologorum sententia tenet, paucis quibusdam exceptis. Tenent, inquam, D. Thom. D. Bonauentu. AEgidius Romanus, Ricardus, Scotus, Palude, Maior, in quarto, distinctione. 10. Gabriel in can: lectione. 43. Alexand. Alensis, quarta part: quæstione. 40. membro. 3. articulo quarto, & alij.

Esai. 7.

D. Tho. AEgydius D. Bonau. Scot. Alex. Gabriel.

Supponendum ergo est in primis; pro aliqua huius rei intelligentia, seu minori ignorantia, quod corpus Christi Domini secundum se, & prout est in cœlo, ita est quantum, propriè loquendo, vt habeat etiam debitum modum quantitatis, & positionem, tum partium secundum se, tū in ordine ad locum. In hoc verò sacramento dicimus ita esse ipsum corpus Christi quantum, vt careat in quantum est sub sacramento commensuratione illa ad locum, & positione siue situ, qui constituit vnum ex decem prædicamentis. Careat, inquam, & situ, & eo etiā, quod vel antecedenter, vel consequenter coniunctum est ex natura rei cum situ, nec ab eo vlla ratione potest separari.

Secundo recolendum est ex dictis, quod substantia in his, quæ ad propositum attinent habet duas proprietates.

Prima, quod substantia integra, & perfecta in eo, quod substantia saluatur in magna, vel parua quantitate, & continetur sub qualibet parte suarum dimensionum, vt constat in aqua vel aere.

Secunda proprietas est, quod quælibet substantia si seruet proprium modum essendi, est tota in toto, & tota in qualibet parte, vt videmus in anima, ac cæteris substantijs spiritualibus, si forte aliqua ratione se applicuerint loco, vel rei quantæ. Quod autem hoc in substantijs corporalibus non videamus, ideo est, quia non seruant proprium modum essendi substantiæ in eo quod substātia, sed rei quantæ, vel quantitatis.

Tertio supponendum est, quod etiam quantitas secundum suā naturam, & modum naturalem essendi habet tria. Primū quod habet partes diuisas, & extensas in ordine ad se: est enim ratio diuisionis & extensionis. Secundum, quod facit, vt substantia, cui inest, habeat partem extra partem. Tertium, quod tam suas, quam partes substantiæ facit commensurari loco. Et quanuis aliqui nitantur primum ex his separare per Dei potentiam à secundo, & tertio, propterea quod primū illud est magis intrinsecū, nos tū hoc nō faciemus, tū

ne addamus aliam difficultatem, tum maxime, quia illud non est necessariũ ad propositum nostrum.

Quarto supponendum est, quod cùm corpus Christi sit in hoc sacramento per substantiam suam ex vi sacramenti; dimẽsiones autem corporis Christi sint ibi ex naturali concomitantia, quam habent ad substantiam, fit vt hic accidat oppositum eius, quod inuenitur in corporibus naturalibus, existentibus in loco: nam corpus naturale est in loco, mediantibus dimensionibus, scilicet quia quantum est. Dimensiones autem corporis Christi sunt sub speciebus panis; quia ibi est corpus Christi, scilicet, ex coniunctione ad corpus, quod per se est sub speciebus: non autem ideo, quod corpus Christi sit sub illis ratione suæ quãtitatis, aut quod quantitas, sit per se sub speciebus.

Quinto considerandum est, quod alio modo se habet aliquid substantiale ad id, in quo vel sub quo est, & alio modo aliquid quantum, quando est in alio quanto. Nam totum quantũ ità est in aliquo, quod totum non est in parte; sed pars in parte, & totum in toto. Sicut in corpore naturali videmus, quod sic est in toto loco totum, quòd nõ est totum in qualibet parte loci: sed partes corporis aptantur partibus loci, eo quod corpus sit in loco mediãte quantitate. Si vero sermo sit de toto substantiali præcise & per se cõtento sub alio habet ex natura sua, vt possit totum esse sub qualibet parte; sicut tota anima est sub qualibet parte corporis; & tota species aquę sub qualibet parte aquę. Sermo enim est de totalitate substantiali, non de totalitate quantitatiua.

Vltimo aduertendum est, quod quemadmodum quamuis in pomo coniũgatur coloratum & dulce, tamen pomum comparatur ad visum, vt coloratũ, non vt dulce, & dulce non est in visu per modũ dulcis, sed per modum colorati. Cuius ratio est, quia pomum non comparatur ad visum per se, vt dulce, sed vt coloratum. Pari proportione intelligẽdũ est, ꝙ quia per se, & ex vi huius sacramẽti est in altari substantia corporis Christi; quantitas verò dimensiua est per accidens, siue per aliud, & concomitanter, iccirco non magis ibi quærendæ sunt proprietates quantitatis, quam in pomo colorato quærantur proprietates dulcis per comparationem ad visum. Ac proinde sicut dulce ibi non exercet proprietates dulcis, quia non est in colorato, nisi per accidens in comparatione ad visum: ita quantitas dimensiua corporis Christi, quamuis sit re ipsa in corpore Christi secundum suum naturalem essendi modum; & vt sic habeat situm per comparationem ad locum, & exerceat quascunque alias proprietates; tamen non comparatur ad species panis per se, sed per accidens, scilicet, ratione substantiæ corporeæ, existentis per modum substantiæ sub illis speciebus. Atque iccircò quantitas re ipsa coniuncta cum corpore Christi nec exercet, nec exercere potest eas proprietates, quas habet quando per se ipsam comparatur, vel ad locum, vel ad corpus, vel ad aliquid aliud. Nec hoc est peculiare in quantitate corporis Christi; quoniam etiam alia accidentia Christi non exercent ibi suas proprietates.

Hæc pro declaratione nostræ de quantitate sententiæ dicta sint. Et ex illis aliquæ rationes deduci possunt, quibus pro tenuitate ingenij humani comprobetur. Prima, & ea certè maximi ponderis, & generalis est: quoniam si sint duo realiter coniuncta, vbi est vnum, debet esse aliud: sed quantitas est realiter coniuncta corpori Christi: ergo vbi est corpus Christi, debet etiam esse eius quantitas. Quæ ratio, si vera & efficax non est (intellecta maiori, sicut in præcedentibus exposuimus) quæ obsecro alia relinquetur Theologis ad declarandum, & probandum, quod vbi est sanguis, est & corpus & anima, & vbi est corpus, etiam est, & anima, & sanguis? Certè nulla. Vnde ista ratione vtuntur omnes ad comprobandum, quod in triduo non esset anima Christi sub speciebus corporis: quoniam re ipsa non erat coniuncta corpori.

Item argumentor secundo: Corpus naturale

rale viuens, & organicum, nõ haberet debitum eſſe, niſi realiter haberet coniuncta illa accidentia, quæ ratio corporis naturalis, & viuentis requirit. Sed corpus Chriſti exiſtens in ſacramento re ipſa eſt corpus naturale & viuens: ergo habet realiter cõiuncta ſua accidentia: ergo & quãtitatem. Tertio declaro & probo, quod quantitatẽ corporis Chriſti non commenſurari ſpeciebus non debeat exiſtimari cauſa, quod ibi non ſit quantitas corporis Chriſti. Quoniam quantum commenſuratur alij quando applicatur ei primo & per ſe per ſuam quantitatem, ſicut verbi gratia, locatum applicatur loco. Hic autem eſt ẽ conuerſo: quia quantitas corporis Chriſti eſt ſub ſpecie per ſuam ſubſtantiam, quæ per ſe primo, & immediatè ſub illa ſpecie continetur. Quarto argumentor: Multi concedunt, & bene, poſſe fieri per Dei potentiã abſolutam, vt vna ſubſtantia ſecundum ſe totam coexiſtat pluribus corporibus ſeparatis, ſitque vnum corpus in pluribus locis: ſi ergo poteſt vna ſubſtantia ſecũdum ſe totam coexiſtere pluribus corporibus à ſe diſtinctis, & ſeparatis: ergo, & poterit coexiſtere ſecundũ ſe totam pluribus partibus eiuſdem corporis: ergo & poterit eſſe totus Chriſtus ſub qualibet parte hoſtiæ. Quinto: Deus per ſuam potentiã poteſt duo corpora facere coexiſtere ſimul eidem loco; ſicut clauſo virginis vtero natus eſt mundo Dominus, & prodijt de ſepulchro, nondũ reuoluto lapide: ergo pari ratione poterit Deus facere vt ſub re, vel in loco vbi eſt vna pars corporis, ſit & alia & alia & omnes: ergo & poterit eſſe totus Chriſtus ſub qualibet parte hoſtiæ. Deniq; in ſimilibus quæſtionibus vnica hæc mihi ratio eſt, quod nihil Dei potentiæ negare debemus, niſi quod manifeſtiſsimè pugnet cum lumine rationis, vt ſi quis diceret, poſſe Deum factum reddere infectũ. Non enim iuxta modum cauſarum naturalium diuina eſt coarctanda potentia, quę omniũ creaturarũ virtutẽ excedit in infinitũ, nec ad negandũ aliquid poſſe fieri Dei omnipotentia experta ſufficiunt, niſi parũ cõſideratis, cũ totum ordinem cauſarũ naturalium poſsit immutare Deus, & iam cõ ſtet, eum flatu oris ſui præter ordinem, & ſupra ordinem rerum feciſſe permulta. A ſæculo enim non eſt auditum virginem ſine viro concipere, duo corpora exiſtere ſimul, ita vt ſe penetrent, mortuos reſurgere ad vitam, ſolem ſubſiſtere, vel etiam reuerti, accidentia eſſe ſine ſubiecto, mare diuidi, quæ tñ conſtat diuinitus eſſe facta. Sed de his ſatis; ad obiectiones veniamus.

Obijciunt primo contra nos: Quia partes corporis Chriſti ſunt inter ſe diſpoſitæ, & ordinatæ: ergo habent inter ſe ordinem & poſitionem: ergo vna ſecundum ſe diſtat ab alia: ergo etiam per ordinem ad locum vna diſtat ab alia: ergo commenſurantur loco, & ſpeciebus, quod non contingit in hoc ſacramento.

Ad hoc Scotus in quarto, d. 10. q. 1. quem ſequitur Sotus diſtinctione. 10. quæſtio. 1. articulo quarto, & alij recentiores, reſpondent, quod ordo quantitatiuus, & poſitio partium in toto, quanuis ex natura rei habeat commenſurationem partium in ordine ad locum tanquam propriam paſsionem, hæc tamen paſsio eſt ſeparabilis per Dei potentiam à poſitione quãtitatiua partium ſecundum ſe: & hoc facit Deus in hoc ſacramento. Itaque diſtat quidem frons ab ore per totam longitudinem, quæ eſt inter frontem, & os: diſtat, inquam, vt eſt ſub his ſpeciebus, & tamen ſecundum ordinem commenſurationis ad locum nihil diſtat. Quam ſententiam cum mecum ipſe conſidero, videor mergi in aliam acatalepſiam, ſiue incomprehenſibilitatem: Quis enim diceret, quod frons diſtat ab ore, vt eſt ſub ſpeciebus per totam longitudinem interiacentem inter frontem; & os. Et tamen nec vt eſt ſub illis nec in ordinẽ ad locũ diſtet ab ore frons? Quod tum eſt difficile intellectu, cũ ſi fieri Dei omnipotentia poſsit nõ tamẽ eſt factũ neceſſariũ: igitur, aut ego vna cũ B. Tho. Ægidio Romano, & Ricardo, quos ſequor hac in parte fallor, aut hæc ſententia eſt falſa. Putant enim iſti, quod inter corpus Chriſti, vt eſt ſub ſpeciebus, & ſpecies ipſas interiaceat quantitas corporis Chriſti. Hoc autem, vel non eſt verum, vel ea omnia negãda ſunt, & euertenda, quæ ſupra diximus.

Scotus. Soto.

S. Thom. Ægydius. Ricar. in 4 d. 10. ar. 1. q. 2.

Probo autem id non esse verum: Quoniã id solum est immediatè, & per se primo sub speciebus, in quod fit transsubstantiatio per se: cætera vero sunt per concomitã tiam: sed transsubstantiatio fit per se in solam substantiam corporis Christi: ergo illa per se subest speciebus singulari & ineffabili modo, non vero ipsa cum sua quantitate subest per se primo. Quocirca, si hæc iterum repetenda & inculcanda sunt, dico cum Beato Thoma. 4. contra Gent. cap. 64. quod substantia panis directè conuertitur in substantiam corporis Christi: dimensiones autem corporis Christi sunt in sacramento ex naturali concomitantia: nõ autem ex vi conuersionis. Quemadmodum enim, quia substantia panis, ibi non remanet, sequitur, quod substantia corporis Christi sit ibi ex vi cõuersionis: ita, quia dimẽsiones panis remanẽt sequitur, quod dimensiones corporis Christi non sint ibi ex vi conuersionis. Modo ad argumentũ. Cum ais: partes corporis Christi, vt sunt sub speciebus, sunt ordinatæ, cõcedo antecedens. Cũ infers: ergo vt sic habent positionem de genere quantitatis, nego cõsequentiam. Sunt enim ordinatæ ordine substantiali, qui anteuertit ordinem quantitatis. Atque hic si quæras primo, cur corpus Christi sub speciebus non commensuretur loco, respondeo, quia non comparatur ad hunc locum mediantibus dimensionibus proprijs, sed mediantibus dimensionibus panis remanentibus, quibus adæquatur locus. Si quæras secundo, cur corpus Christi non commensuratur saltem speciebus, respondetur, quia non comparatur ad eas per quantitatem suam, sed per substãtiam suam. Ac proinde sicut est impertinens ad gustum, quod pomum sit coloratum, quia coloratum non comparatur per se ad gustum: ità est impertinens per comparationem ad species, quod corpus Christi habeat, tãtã vel tantã quantitate, vel etiam quantitatem: est enim ibi modo substantiali non quantitatiuo. Si quæras tertio, quomodo hæc aut fieri, aut plene intelligi possunt, de me quidem respondebo, vt quæras alium doctiorem. Tibi autem illud in mentem reuocabo, altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne fueris scrutatus. Plurima enim supra sensum hominum ostensa sunt per fidem & reuelationem vnigeniti Dei, qui hæc enarrauit nobis.

B. Tho.

Eccles. 3.

Ioan. 1.

Secundo loco obijcitur ex Durando: Id quod est per se & de quidditate alicuius, non est ab ipso separabile: sed de ratione quidditatiua quantitatis est esse extensionem, & habere partes positione distantes secundum se ipsam: ergo id non potest ab ipsa separari: ergo non potest esse sub speciebus quantitas per modum substantiæ. Respondetur, quod si nos diceremus, quã titate corporis Christi comparari per se ad species panis, difficile esset argumentum. Quia tamen per se sub eis dimensionibus panis est corpus Christi, & quantitas concomitanter tatum ad corpus, iccirco sicut sub qualibet parte specierum panis est totum corpus, ità & tota quantitas. Et quẽadmodum non valet hæc cõsequẽtia; Coloratum est immutatiuum visus: ergo in quantum coniungitur cum sapido, per cõparationem ad gustum est immutatiuum visus: ita non valet: Quantum per se habet, positionem & distantiam partium: ergo in quantum coniungitur cu substantia habente modum substantiæ habet positionem & distantiam partium. Solum enim sequitur, quod quantum secundum se illud habeat, sicut in priori exemplo solum sequebatur, quod coloratum secundum se sit immutatiuum visus: non autem sequitur, quod vt coniungitur cum sapido, & per comparationem ad gustum sit immutatiuum visus.

Durand.

Tertio obijcitur à quibusdam; Quia si corpus Christi ex vi transsubstantiationis non habet etiam quantitatem, quomodo est viuens sentiens & organicum, &c? Respondetur, quod illa quidem tria accepta pro substantia anteuertunt quantitatem. Et præterea ista obijcere est scrutari Dei maiestatem, ac proinde est puerile.

Quarto argumentor: Imposibile est duas quantitates dimensiuas esse simul, etiam si vna sit separata, & alia in corpore naturali, vt docet Aristo. 3. metaphysicæ: sed in hoc sacramẽto manet quantitas dimensiua panis: ergo non est ibi quantitas di-

Arist.

di-

dimensiua corporis Christi. Respondetur, quod duæ quantitates dimensiuæ nō possunt naturaliter simul esse in eodem: ita quod vtraque sit ibi secundum proprium modum quantitatis dimensiuæ. In hoc autem sacramento quantitas dimensiua panis est secundum proprium modum, scilicet, secundum commensurationem quandam, non autem quantitas dimensiua corporis Christi: sed est ibi solum, quia coniuncta est re ipsa cum substantia corporis Christi, & ex cōsequēti nō est ibi, nisi ratione substantiæ, & per modum substantiæ.

Vltimo argumentor: Quia totum corpus Christi continetur sub qualibet parte hostiæ consecratæ: sed nulla quantitas dimensiua tota continetur in aliquo toto, & in qualibet parte eius: ergo impossibile est, quod tota quantitas dimensiua corporis Christi contineatur in hoc sacramento.

Ad hoc constat solutio ex dictis, maximè notabili vltimo. Quia enim modus cuiuscunque rei determinatur secundum id, quod conuenit ei, & consideratur per se, non autem secundum id, quod conuenit per accidens; sicut dulce est in visu secundum quod est coloratum; & quia ex vi huius sacramenti est in altari substantia corporis Christi; quantitas autem dimensiua eius est ibi concomitanter, & quasi per accidens: ideò quantitas dimensiua corporis Christi est in hoc sacramento, non secundum proprium modum, vt sit tota in toto, & singulæ partes in singulis; sed secundum modum substantiæ, quæ in eo quod substantia habet vt sit vel possit esse tota in toto, & tota in qualibet parte: atque eo solum sub qualibet parte hostiæ est tota quantitas corporis Christi, quia ibi est totum corpus Christi.

ARTICVLVS. IIII.

An pater diuinus, & Spiritus sanctus contineantur in hoc sacramento per concomitantiam.



Quoniam sub hoc sacramento, sicut continetur suppositum Verbi Dei ratione corporis, ac sanguinis Christi, ità continetur diuinitas: si quidem suppositum est diuinitas; ita existimare quis posset, quod quia in sacramento est deitas, & deitas est Pater, & filius, & Spiritus sanctus; sint etiam sub hoc sacramento, pater & Spiritus sanctus, idcirco placuit rem breuiter declarare sequētibus ꝓpositionibus.

Prima propositio: Corpus & sanguis Christi, sunt sub speciebus panis & vini, per se primo. Probatur: Quia in hæc fit cōuersio panis & vini.

Secunda: Partes integrales corporis, & sanguinis, etiam sunt sub speciebus per se & ex vi conuersionis: Patet, quia vel corpus est suæ partes integrantes, vel sine illis nec constare nec intelligi potest, & proportionalis ratio est de sanguine: ergo.

Tertia: Verbum Dei, diuinitas, anima, sanguis, quantitas, dona & virtutes, accidētia denique omnia re ipsa coniuncta, & inhærentia Christo sunt sub speciebus panis per concomitantiam. Hæc liquet: quia vbi fuerit corpus Christi debet esse sua quantitas; si re ipsa coniuncta illi sit quantitas; & vbi fuerit corpus debet esse anima, si re ipsa corpus habet animam: & ità de cæteris. Et quia hæc ratio non probat, nisi quod ista sint ibi, probo, quod non sint per se primo, sed per concomitantiā; quia conuersio, & transsubstantiatio panis per se nec fit in Verbum Dei, nec in deitatem nec in animam, nec in sanguinem, nec in quantitatem, nec in dona, & virtutes, nec deniq; in accidentia quæuis, sed in corpus Christi, cui illa omnia realiter coniuncta sunt: ergo illa cōtinētur per cōcomitātiā. Hæc verò propositio proportionaliter aptāda est speciebus sanguinis. Nec enim sub illis est per se primo corpus sed sanguis.

Quarta propositio: Pater, & Spiritus sanctus, sunt in hoc sacramento secundum omnem illam rationem efficientiæ, secundum quam est verbum. Patet: quia indiuisa sunt opera Trinitatis ad extra, cū Deus operetur, vt vnus.

Quinta. Vbicunq; est Verbum Dei sub

hoc sacramento, ibi etiam est pater & Spiritus sanctus. Nō dico, quod eodem modo est sub sacramento, sed quod vbicūq; est, quod est clarius cœlo: nam Deus est vbiq;, & pater aq; Spiritus sanctus est Deus.

Sexta propositio: Dicendū etiā est, quod pater & Spiritus sanctus sint in hoc sacramento, secundum quod sunt consubstantiales Verbo. Itaq; (fingere enim licet scholasticis) quamuis Deus non esset vbiq;, vbicunq; tamē esset Verbū esset etiam pater & filius, quia vbicunq; est Verbum est sua essentia, & vbi est essentia filij est etiā essētia patris & Spiritus sancti: quia vna est eorū essentia. Et hoc solum est, quod volumus asserere hac conclusione.

Septima propositio: Secundum aliquā rationem est sub illis speciebus filius secundum quam non est pater. Liquet hæc quia filius continetur sub illis, vt suppositum sui corporis per se contenti sub illis nec pater verò nec Spiritus sanctus sunt supposita eius corporis. Quo circa quēadmodum persona Christi dicitur fuisse in sepulchro, non tamen persona patris: nec enim pater fuit mortuus, aut sepultus, aut descendit ad inferos, quoniam non erat vnitus hypostaticē corpori, aut animæ: ità nec dicitur pater aut Spiritus sanctus esse sacramentatus.

Vltima propositio: Propriè, & absolutè loquendo, pater & Spiritus sanctus non dicuntur esse sub speciebus sacramentalibus per concomitantiam, sicut est suppositum Verbi, aut anima, aut quantitas, & cæteræ eiusmodi. Probatur: Quia ea tantum dicuntur esse per concomitantiam sub speciebus, quæ ita cum corpore Christi coniuncta sunt, vt prædicentur de supposito corporis in recto, vt dicunt logici, siue id sit in concreto, siue in abstracto, filius enim Dei est quantus, & animatus: ac proinde vbi fuerit per concomitantiam Verbum Dei, debet etiam esse & quantitas & anima. Parque ratio est de cæteris. At vero filius Dei quamuis sit quantus, & animatus, & Deus & deitas, non tamen est pater nec Spiritus sanctus: ergo dici nō potest, quod contineatur sacramentaliter, & cōcomitanter pater & Spiritus sanctus sub speciebus sicut filius. Sicut non dicimus, quod pater est sepultus, & tamen fideliter credimus quod filius Dei est mortuus, & sepultus. Item pater & filius, vt sic realiter distinguuntur, ergo non quia filius continetur sub hoc sacramento debet dici quod continetur pater.

Sed contra hāc vltimā propositionem arguitur primo: Quia sicut corpus Christi non est pater; ita nec est verbum Dei nec anima, ergo falsum est, quod ea tantum sint per concomitantiam in hoc sacramento, quæ prædicantur in recto. Dicis ergo poterit pater Diuinus esse in hoc sacramento per concomitantiam. Respondetur, quod ego non statui hanc regulam; Quæ prædicantur de corpore in recto, sunt in sacramento per concomitantiam sed hanc: Quæ prædicantur in recto de supposito vnito corpori hypostatice, ea dicuntur esse concomitanter in hoc sacramento, quæ in quam, prædicantur siue in concreto siue in abstracto. Atq; vt constet regula reijciendi sunt respectus illi extrinsecus aduenientes, & fatigantes, non cum magno fructu theologos quosdam.

Secundo arguitur: Quia virtus excellens Christi, & animi dotes ac dona non prædicantur de supposito corporis Christi; & tamen sunt sub speciebus per concomitantiam: ergo falsa est ratio octauæ illius propositionis. Respōdetur, quod si illa non prædicantur de Christo in abstracto, prædicantur tamen in concreto. Sicut enim dicitur quantus, potest dici dotatus omnibus gratiarum ornamentis: nisi oppositum accidat ex defectu nominum.

Tertio arguitur: Quia persona Verbi non habet respectum ad species panis, quem non habeat persona patris: siquidem vtraque persona est sub eis speciebus solum ratione corporis: ergo sicut cōtinetur in sacramento filius, continetur & pater. Respondetur quod assumptum est vehementer falsum, quoniam species continent corpus quod est corpus vnigeniti filij Dei, tanquam supposito, non tamen est eo modo corpus patris, quia pater non est corporeus, nec incarnatus.

Articu-

ARTICVLVS. V.

Vtrùm corpus Christi sit in hoc sacramento, sicut in loco.

BONO ingenio, & bene intelligenti quæ dicta sunt sufficeret vt credo, itá hac in parte respondere, vt diceremus, corpus Christi per se quidem non esse in hoc sacramento, sicut in loco, sed per accidēs ratione dimensionum panis: quoniam nō est in loco ratione suæ quantitatis, sed ratione quantitatis panis. At verò pro maiori declaratione ponēdum est primo, quod aliquid est in loco dupliciter, circunscriptiuè, & definitiuè. Illud dicitur esse in loco circunscriptiuè, quod itá commensuratur, & circūscribitur loco, vt vna eius pars correspondeat parti loci, & alia alteri parti, & totum ipsum locatum toti loco. Secundum quam rationem sunt in loco corpora naturalia. Definitiue autem illud dicitur esse in loco, quod est totum in toto, & totum in qualibet parte: ita quod eo loco limitetur, & ex modo essendi in illo repugnet esse in alio: quemadmodum anima ita definitur sui corporis loco, vt naturaliter non possit esse in alio. Sunt vero isti duo modi essendi in loco accipiendi, tanquam duæ partes, & rationes distinctę, nō tanquam genus, & species, vt quidam dicunt. Et ratio est, quia quanuis corpori circunscripto loco conueniat naturaliter limitari, & finiri eo loco: non tamen conuenit itá esse loco definitum, vt sit totum in toto loco, & totum in qualibet parte. Ac proinde dicendum est proculdubio, quod ea duo membra sunt condistincta: quanuis vnum eorū, scilicet esse definitiue accipi possit & genericè & specificè. Quod accidit & in prædicamentis Aristotelis cap. de qualitate, & sæpe alias.

Secundo repetendum est ex supradictis, quod corpus Christi non est in hoc sacramento secundum modum quantitatis dimensiuæ; sed secundum modum substantiæ. Corpus autem omne locatū tunc propriè dicitur esse in loco, quando est in illo secundum modum quantitatis dimēsiuæ: quia, scilicet, per suam quantitatem naturalem commensuratur loco.

Tertio ponendū est, quod quanuis substantia in eo, quod substantia, anteuertat quantitatem, tamen si corpus sit in loco per suam naturalem quantitatē, tunc propriè, & quantum ipsum, & corpus est in loco: quoniam illud corpus, & est subiectū earum dimensionum, & medijs suis illis ac proprijs dimensionibus comparatur ad proprium locum.

Quarto ponendum est, quod quanuis substantia panis conuertatur in hoc sacramento in substātiam corporis Christi existentem, & manentē sub dimensionibus panis, aliter tamen erat ibi ante substantia panis, quam modo sit corpus Christi. Substantia enim panis & erat subiectum earū dimensionum, & comparabatur ad locū medijs proprijs illis dimensionibus, ac proinde erat propriè in loco. Substantia verò corporis Christi nec est subiectum dimensionum panis; quia illæ dimensiones manent sine subiecto, iuxta catholicā sententiam, nec cōparatur ad locum vbi erat panis mediantibus suis dimēsionibus. Sed potius è conuerso, si qua ratione dimensiones corporis Christi comparantur ad locum, vbi erat panis, ea comparatio fit mediante substantia corporis Christi, quod est contra rationem corporis propriè locati. Cæterum negari nō potest, quin si quidem corpus Christi est sub dimensionibus panis, quæ dimensiones comparantur ad proprium locū, ea ratione corpus Christi non tanquam subiectum earum dimēsionum, nec ratione propriæ quantitatis, sed ratione quantitatis alienæ, sub qua est per modum substantiæ dicatur esse in loco, vel in altari, quod est esse per accidens; siue per aliud. Quibus omnibus addendum est, quod corpori Christi ex modo, quo est in vno altari, non repugnat esse in alio. Atque his dictis satis explicatum arbitror hunc articulum.

Sed aduersus hæc opponi potest primo: Quia omne quod continetur ab alio, itá, quod nec excedit, nec exceditur, est in eo

vt in loco:ſed ſic ſe habet corpus Chriſti ad ſpecies,ſub quibus cõtinetur:ergo eſt in eis vt in loco. Reſpondetur, quod quanuis ratio ſit apparens,,tamen & maior & minor eſt falſa. Et quidem ſi conſiderauerimus,quod paſsiones cõtinentur à ſubiecto, & materia continetur à forma, & forma continetur à materia, itá vt nullà ex parte ſit exceſsus, & tamen nec forma eſt in materia, nec materia in forma, ſicut in loco videbimus,quod prima propoſitio erat falſa. Vniuerſalius enim eſt contineri quoquomodo ab alio, quam eſſe in illo, vt in loco. Et ſecunda etiam propoſitio eſt falſa. Nam quanuis corpus Chriſti ſit ſub his ſpeciebus, tamen etiã eſt ſub alijs,ac proinde excedit eas ſpecies. Et prætereà inepte dicitur de corpore Chriſti exiſtẽte ſub ſpeciebus,quod nec excedit nec exceditur. Qm̃ exceſſus vel nõ exceſſus,ꝓprie loquẽdo,non inueniuntur, niſi vbi ex parte vtriuſq; extremi eſt aliqua comparatio & proportio quantitatum: corpus vero Chriſti non eſt ſub ſpeciebus per ſuam quantitatem. Quod ſi quis dicat exceſſum vel non exceſſum non proprie accipiendum eſſe,reſpondendum eſt, quod ſi non accipiuntur illa proprie nil faciunt ad hoc, vt aliquid ſit in loco. Verbi gratia, quanuis delectatio non excedat operationem illam, à qua prouenit,non tamẽ ſequitur,quod ſit in ea vt in loco.

Secundo argumentor: Quia conſecratione facta corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus;& non eſt extra ſuperficiem Sacramẽti,nec in alia parte altaris:ergo eſt ibi vt in loco. Reſpondetur quod licet aſſumptũ, ſi intelligatur pro his tãtum ſpeciebus ſit verum, nihil tamen valet conſequentia. Quoniam Chriſtus non eſt ſub ſpeciebus circunſcriptiue, vt conſtat; quia non eſt per commenſurationem quantitatũ. Nec definitiue,quia eſt etiam in pluribus alijs altaribus & in cœlo. Ex antecedenti vero, huius argumenti ſolũ poteſt inferri, quod ſit corpus Chriſti in altari per cõuerſionẽ panis in ipſum,& quod eſt in loco per accidẽs:quia ſcilicet dimẽſiones remanẽtes panis,ſub quibus cõtinetur mẽſurãtur loco.

Tertio argumentor: Locus ſpecierum non eſt vacuus,& non repletur ſubſtantia panis,quæ non manet:ergo repletur corpore Chriſti. Reſpondetur,repletur dimenſionibus panis manentibus. Quarto: Omne corpus vel eſt in loco vel eſt locus ipſe; ergo corpus Chriſti eſt in loco ſiquidem non eſt locus ipſe. Reſpõdetur,quod omne corpus naturale vel eſt in loco vel eſt locus ipſe, vt dicebat Ariſ. 4. phyſ. texto com. 33. Aliud tamen eſt dicere, quod corpus Chriſti ſit in loco, quod fatemur ſecundũ eã rationem,qua eſt ſecundum ſuum eſſe naturale in cœlo,aliud vero affirmare,quod ſit in loco, prout eſt ſub ſpeciebus, quod negamus propter rationes allatas. Quinto argumentor: Nam ex dictis ſequi videtur, Chriſtum etiam prout eſt in cœlo non eſſe in loco definitiuè, quoniam exiſtentiæ illi nõ repugnat eſſe alibi, ſiquidem eſt in altari:ergo. Reſpondetur, quod corpus Chriſti ratione ſuæ quãtitatis prout eſt in cœlo, finitur & terminatur loco, itá, vt ratione ſuæ naturalis quantitatis,& ſecundum modum eſſendi quem habet in cœlo non poſsit naturaliter aut eſſe in maiori loco, aut in pluribus ſimul. Ex modo autem eſſendi corporis Chriſti ſub ſpeciebus nulla naſcitur naturalis repugnantia, quominus, poſsit etiam eſſe ſub alijs ſpeciebus & in alio altari. Corpus enim Chriſti nõ ità eſt ſub ſpeciebus, vt illis finiatur vel limitetur, ſed eſt ſub eis per conuerſionem panis in ipſum. Vltimo argumẽtor: Quia, ſi corpus Chriſti non eſt ſub ſpeciebus circunſcriptiuè nec definitiue:ergo ſolum eſt ibi præſentialiter; quod tamen videtur eſſe falſum. Reſpondetur quod quanuis aliqui explicent modum, quo Chriſtus eſt ſub ſacramento, ità vt dicant eſſe ibi per præſentiã, non tñ poteſt nec debet intelligi, ꝙ ſit ibi per ſolã præſentiã. Primũ, quia ſi eſſet ibi per ſolã præſentiã nõ magis diceretur cõtineri, quã cõtinere, quod eſt cõtra c. firmiter de ſumma Trin. & fide catholica. Secũdo: Nã corpus Chriſti mãducatur à fidelibus: ergo plus aliquid habet, quã præſentiã ad ſpecies panis. Nã quanuis quis veſcatur & comedat panẽ, cui eſt præſens angelus, non dicetur manducare angelum.

Ariſt.

Scot. d. 10. q. 1.

Dur. d. 11. q. 1

Tertio. Nã ad hoc, vt Christus esset præsens speciebus nõ esset opus aliqua conuersione; sed sufficeret, q aduenirer de cœlo. Quarto. Si solũ esset præsens non esset necessariũ vt desinerẽt ibi esse corpus Christi, quia corrumpuntur species. Itaq; corpus Christi non est sub speciebus solum per præsentiam, sed est, vt aiunt theologi, sacramentaliter, qui modus quod sit, firma fide creditur: sed qualis sit plene nescitur. Fatemur autem ità esse ibi corpus Christi, vt tractetur, & atteratur, cum atterantur species, moueatur cum mouentur, desinat esse sub eis cum corrumpuntur.

Solet hoc loco disputari, an Deus secũdum potetiam suam absolutam possit ponere vnũ, & idem corpus in multis locis. Cuius quæstionis partem affirmatiuam tuentur Hugo li. 2. de sacram. parte. 8. c. 11. quo loco docte atq; sapienter ait: Non est mirum, si mirabilis mirabilia operatur, cogita facientem & desinet esse mirabile quicquid illud fuerit. Ricardus in. 4. d. 10. ar. 2. q. 2. Scotus. d. 10. q. 2. & Sotus tum in physicis, tum in. 4. d. 10. q. 5 ar. 5. & alij S. Tho. verò quodlib. 3. art. 2. & in. 4. d. 44. q. 2. ar. 2. & Dur. dist. 10. q. 1. tam fidunt rationi suæ vt audeant & dicant id implicare contradictionem. Ego quoniam hac de re alio fortasse loco disputabo cõmodius, dico breuiter, quod supposita hac fide, quod Deus vnum & idem corpus verum facit vere præsens pluribus speciebus & locis realiter distinctis est mihi in intelligibile, quod non posset facere præsentem & quantitatem eandem, & corpus quantũ vt sic pluribus locis. Rationibus autem oppositæ sententiæ responderem, si mihi viderentur habere eam vim vt opponi possent Dei omnipotentiæ. Solent etiam aliqui disputare an corpus Christi sit vbiq; propter Fabrum Stapulensem, qui super Ioa. c. 14. & 1. Corint. 15. dicit corpus Christi iam deificatum obtinere ratione vnionis, vt sit vbiq; & cœlum & terram implere, vt Deum. Et hæretici etiam nescio qui dicti Vbiquecij idem docuerũt. Videtur vero mihi non esse prudentis hominis in similibus sentẽtijs refellendis insistere, nisi peculiaris aliqua necessitas impulerit: ergo verum est & indubitatum, quod corpus Christi sacramentaliter solum est sub speciebus consecratis. Secundum vero esse naturale est solum in cœlo, nisi forte aliquando dignatus fuerit Dominus etiam ad nos descendere. Suppositum autem eius corporis est vbiq; quia est Deus benedictus in sæcula. Videat qui volet Prateolum li. 19. de hæresibus verbo, Vbiquecij, & Natalem Bedam li. cõtra Fabrũ.

Hugo.

Ricar.

Scot.

Soto.

S. Thom.

Duran.

Faber.

Prateo.

Beda.

ARTICVLVS. VI.

Vtrum corpus Christi prout est in hoc sacramento moueatur.

POTEST hæc quæstio tractari vel in ordine ad motum localẽ vel etiam ad alios motus, & actiones. Disputabimus primum de locali, deinde de alijs suo ordine. Pro rei intelligẽtia supponendum est, quod aliũ modum essendi habet Christus prout est in cœlo, alium prout se nobis reliquit sub speciebus sacramẽtalibus. Quando autem aliquid est vnum subiecto, & multiplex secundum rationem, ac modum essendi, nihil prohibet secundum vnam rationem moueri, & secundũ aliam quiescere, vel non moueri. Non aliter atque quia in corpore aliud est esse quã tum, aliud esse album, fieri poterit vt moueatur corpus secundum albedinem, & non secundum magnitudinem. Quo posito dico quod Christus, vt est sub speciebus sacramentalibus, non potest moueri localiter per se. Et ratio est; quia, quamuis corpus Christi sit in cœlo vt in loco, tamen consideratum vt est sub speciebus, non est sub eis vt in loco: quia nec est per modũ quanti. Quod verò non est per se in loco, non potest moueri per se motu locali, quia tamen corpus Christi est in loco per accidens: si quidem species, sub quibus cõtinetur, sunt in loco: ideo per motum hostiæ potest moueri localiter. Et sic vere corpus Christi eleuatur cũ eleuatur hostia & defertur ad infirmũ, cũ hostia per sacerdotem defertur. Et hæc de motu locali.

Pro-

Pro mutatione verò secũdũ esse dico, quod nec potest corpus Christi prout est sub speciebus desinere esse per se. Et ratio est: quia queadmodu Deus, cuius esse est indeficiẽs & immortale, desinit esse in aliqua creatura corruptibili per hoc quod ea creatura desinit esse: ità Christus cũ habeat esse indeficiẽs & immortale desinit esse sub speciebus solũ per hoc quod ipsæ desinunt esse. Non tñ ità vt intelligas eũ tũc ab speciebus exire, & in cœlu euolare. Sed simulatq; species corrumpuntur: ipse desinit esse sub eis, & manet in cœlo. Et quidem Deus non exit à creatura cum illa desinit esse, sed manet in se. Pro actionibus sensitiuis statuo hanc propositionem: Nulla sensatio potest primo inesse Christo vt in Eucharistia. Ratio est, quia organum sensus non est in corpore Christi, vt in Eucharistia modo quantitatiuo: quod tamen requiritur ad hoc, vt naturaliter immutari possit ab obiecto. Ad hoc enim vt fiat visio corporalis, oportet talem esse proportionem organi & obiecti, vt possit fundari pyramis, cuius basis sit in obiecto, & conus in oculo, quod effici nõ potest, nisi ex parte vtriusq; extremi sit aliqua quantitas per modũ quantitatis. Pro actionibus spiritualibus dico, quod operatio spiritualis, qualis est intellectus & voluntatis potest primo inesse Christo, vt in Eucharistia. Probatur, quia anima Christi cum sit beata, non dependet in intelligendo à sensibus nec à sensibilibus: ergo potest ibi intelligere obiectũ sibi proportionatũ & præsens. Hæc duo vltima dicta sunt Scoti in 4. d. 10. q. 5. & ea negãt alii, ex quibus est Ochã, sed videntur rationi conformia. Generaliter vero pro omni actione, quę cõuenit Christo existẽti in cęlo, dico, quod illa omnis cõuenit Christo, vt est in sacramento per concomitantiam. Hæc etiam est doctrina Scoti, & est vera: quamuis quibusdam nõ videatur intelligibilis. Probatur: Quia omne absolutum inhęrẽs & cõiunctũ Christo in cœlo est per concomitantiã in sacramento: sed omnis actio est eiusmodi etiã locutio & motio: ergo illa omnis est per cõcomitãtiã in sacramento. Nec verò ad hoc necesse est, vt Christus sit capax earum operationũ, vt est in sacramẽto, quia nec quãtitatis est capax, prout est in sacramẽto: sed satis est, quod re ipsa illæ operationes sint inhærentes Christo, qui ipse est in sacramento. Quẽadmodũ quãuis Christus nõ sit in sacramẽto per modũ quãti, dicimus tamen, quod ibi est quãtitas per cõcomitãtiã, quia re ipsa in eo corpore est quãtitas: ergo cũ re ipsa etiã sit in eo talis operatio, negari non potest, quin sit in sacramẽto per cõcomitãtiã, quod est esse per aliud, scilicet, per corpus quod per se cõtinetur speciebus. Respectus verò illi aduenientes extrinsecus, vt præsentia ad cœlu, vel ad tale altare nõ videntur haberi per cõcomitãtiam. Et ratio est, quia quod corpus etiã prout est sub his speciebus cõcomitetur sua quantitas, vel anima vel operatio bene intelligitur, quod verò corpus, prout est sub his speciebus, cõcomitetur præsentia, vel ordo ad talẽ vel talẽ locũ cœli, id certè est difficile intellectu. Itaq; illi respectus vidẽtur vel per se haberi, vel omnino nõ haberi. Verũ est tamẽ quod corpus hoc quod est sub speciebus est omnino idẽ cũ eo, quod habet talẽ respectũ ad cęlũ. Et propterea si bene cõsideremus, fortasse dicẽdũ nobis erit, quod quẽadmodũ sub his speciebus est quãtitas & locutio & motio Christi, quia revera sunt in corpore Christi, quãuis nõ sint in eo, prout est sub his speciebus ità sub his speciebus, est corpus habens illum respectum siue respiciens sic cœlum: non tamen habet eum respectum prout est sub eis. Verũ est sñ, quod quãtitas Christi nõ modo est iuncta corpori Christi, sed etiã est per cõcomitãtiã sub speciebus per modũ quo est substãtia: at verò ille respectus de quo nobis sermo, ignoro qua necessitate ponatur sub speciebus, aut quomodo poni possit prout est sub eis. Sed de his satis superq;. Deniq; cũ duplici ex causa possit quis existimare esse corpus Christi in sacramẽto, vno modo per actionẽ in species, ita quod actio, quæ terminatur ad species terminetur ad corpus Christi, alio modo per hoc, quod Christus ipse secũdũ suũ esse naturale in cœlo aliquid habeat, vel aliquo modo afficiatur sit in hoc prima cõclusio: quod ratione specierũ nulla res absoluta potest cõuenire corpori Christi. Itaq; quãuis calefiãt species vel minuãtur nõ calefit nec minuitur corp' Chri.

Secun-

Scotus.
Ocham.

Scot. d. 10. q. 1. ar. 6.

Secunda propositio: Quæcunq; absoluta conuenerint corpori Christi secundũ esse naturale, illa omnia accidentia sunt per concomitantiam in corpore Christi in hoc sacramento. Hæc duo valde consequentia videntur ad ea, quæ dicta sunt: & ita docet Scotus in illa dist. 10.

Sed contra ea, quæ de motu locali corporis Christi diximus argumentor primo: Quia corpus Christi non aliter est in sacramento, quam per solum respectum præsentiæ: sicut si angelus se faceret præsentem loco, aut si duo corpora se penetrarẽt: ergo non potest illud corpus moueri motu locali, nec per se nec ratione specierum. Probatur consequentia: Quia ad hoc, vt ad motum vnius alterum moueatur, omnino necesse est vt illa duo inter se se aliqua ratione cõiuncta & connexa sint & aliquo quasi vinculo contineantur, quo fiat, vt qui vnum eorum mouet naturaliter moueat alterum; sicut qui mouet nauim necessario mouet eum, qui est in naui: at verò per hoc quod quis sit præsens alteri nullum habet eiusmodi vinculum: ergo non mouetur ad motum alterius. Respondetur breuiter esse vehementer falsum, quod corpus Christi solum respectum præsentiæ habeat ad species, sub quibus est, & continetur sacramentaliter, de quo iam egimus articulo præcedenti: multoq; est maius vinculum & cõnexio inter corpus Christi & species, sub quibus continetur, quam inter existentem in naui, & nauim ipsam qui tamen mouetur ad motum nauis. Dico præterea quod exemplũ de angelo non est aptum: quoniam sola præsentia angeli non est ad propositum vt diximus. Si verò angelus vellet ita quasi copulari lapidi, vt in quemcunq; locum lapis moueretur, applicaretur & Angelus, proculdubio qui moueret lapidẽ, cui se angelus ita cõiunxerat, & angelum etiã per accidens mouisse diceretur.

Secundo argumentor: Quia Christus non est sub speciebus, nisi per suam voluntatem: ergo quanuis illæ moueantur ipsum tamen nulla ratione mouetur. Ad hoc distinguo antecedens. Si intelligas quod in genere causæ efficientis se ponit ibi per suam voluntatem, concedo antecedens, & nego consequẽtiam, quia (vt vtar exemplo facili licet non æquali, etiam qui ascendit nauem ascendit sua voluntate, & tamen ea mota necesse est eum moueri qui sit in naui. Si vero intelligas, quod formaliter nullum aliud est vinculum inter corpus Christi & species, nisi quia Dominus se facit præsentem illis per suã voluntatem, iam hoc negatum est.

Tertio alıter argumentor: Quia panis, qui antea erat sub ea quãtitate per se mouebatur localiter: ergo & corpus Christi succedens per se mouetur. Negatur consequentia, quia panis comparabatur ad locũ per propriam quantitatem, & ideo maxime proprie, & per se erat in loco & mouebatur; corpus vero Christi in sacramento nõ comparatur ad locum ratione suæ quãtitatis, sed quantitatis panis: ac proinde ratione illius mouetur per accidens, siue species moueantur motu recto, siue obliquo siue circulari. Par enim est ratio & æqualis.

Quarto argumentor: Nam si corpus Christi per accidens mouetur localiter ad motum specierum; ergo etiam alterabitur per accidens, & frigidum fiet, ac calefiet ad alterationem specierum. Ad hoc negatur consequentia. Et ratio est, quia cum corpus Christi contineatur sub speciebus, necesse est, vt vbicunq; sint species, sit & ipsum; & si moueantur moueatur per accidens & ipsum. At vero cum quantitas illa specierum nec insit corpori, nec per eam extendatur corpus in ordine ad locum, non sequitur, quod si quantitas illa calefiat, vel frigefiat, vel frangatur quod eis accidentibus afficiatur corpus. Adfertq; Soto exemplum appositum in anima, quæ ad motum corporis mouetur localiter, quoniam est in ipso: tamen non sequitur, si corpus calefit, quod anima calefiat; quoniam anima non est subiectum capax caloris. Et pari ratione non calefit corpus Christi speciebus calefactis, quoniam vt continetur sub eis non est capax caloris, cum non sit ibi per modum quantitatis, sed per modum substãtiæ. Quod si anima ex affectione corporis afficitur dolore vel

vel voluptate, quibus non afficitur corpus Christi ex dispositione quacunq; specierum, inde prouenit, quia anima est actus corporis: corpus vero Christi nō est actus specierum. Itaq; pro hoc, & similibus argumentis sciendum est, quod speciebus motis mutat locum Christi corpus ratione specierum, & est in alio loco: quia vt est sub speciebus est capax essendi in vno & altero loco. Est, inquam, capax modo supra assignato. Calefactis vero speciebus corpus Christi non calefit ratione calefactionis earum quia non est capax eius alterationis, prout est sub speciebus, cum non sit per modum quanti.

Quinto argumentor: Quia si corpus Christi moueretur per accidens ad motū hostiæ versa hostia vel inuersa, inuerteretur, quod est falsum: ergo non mouetur per motum eius. Respondetur quod quāuis mota hostia per accidens corpus Christi moueatur, tamen ipsa quoquomodo versa non vertitur. Et ratio est quia quanuis partes habeant ordinem in ipso corpore, non tamen per comparationem ad species. Vnde dici nō potest, quod Christus caput habeat in vna parte hostiæ, & pedes in alia, quia totum corpus & omnes partes sunt sub qualibet parte hostię.

Sexto argumentor: Quia si corpus Christi moueretur ad motum hostiæ posset simul moueri, & quiescere, vna scilicet hostia mota, & alia non.

Respondetur verum quidem esse, & necessario concedendū id, ad quod ratio deducit: sed euenit per accidens, quia scilicet, illud corpus cōtinetur simul sub aliis & aliis speciebus, ac hostiis, quarum vna potest moueri & alia non. Et si addas moueri etiam posse illud corpus per accidens motibus contrariis id totum concedimus. Et quidem etiam in naturalibus, si homo existens in naui ascendat equum, & equus tendat versus terminum oppositum termino, quo tendit nauis; videbitur ille homo moueri per accidens motibus contrariis.

ARTICVLVS. VII.

Vtrum corpus Christi sub sacramento videri, aut cognosci possit intellectu.


SVNT de hoc variæ, & discrepātes sententiæ, adeò, vt & hunc articulum, & sequentem efficiant valde difficilem & impeditum. Ego vero, quantum potero breuiter & dilucide declarabo quid sentiam. Et primo quidem ponam fundamenta quædam: deinde statuam conclusiones; postremo adductis aliorum argumentis satisfaciam.

Supponendum est primo, quod intellectus non vtitur rebus itá vt reducatur in actum, & moueatur per eas tanquam per species. Sed intellectus quidem diuinus omnia cognoscit per essentiam suam; angeli vero quædam cognoscunt per essentiam, alia per species inditas. Et siue dicas eos etiam accipere species à rebus siue id neges parum refert ad præsentem disputationem, anima vero nostra in materiale & terrestre corpus immersa nō recipit species naturaliter, nisi per sensum.

Secundò supponendū est, quod intellectus creatus per vires suas solum potest intelligere res naturales non autem ea, quæ supernaturalia sunt, dicitur vero aliquid supernaturale dupliciter. Vno modo ex parte modi. Quo fit, vt quādo potētia visiua restituitur alicui miraculose tūc ille miraculose videt, si consideremus modū, quo sunt ei oculi restituti. Secundo modo aliquid est super naturale ex natura & essentia sua, vt gratia, & gloria, & modus quo corpus Christi existit in hoc sacramēto (cōsideratur enim modus, vt res facta) quæ omnia sunt supernaturalia. Itaq; Christū esse in sacramētō, & charitas & incarnatio Christi, & cætera eiusmodi, differunt à rebus naturalibus, quia secundum suam rationem sunt ordinis supernaturalis.

Tertio supponendum est, quod de actu beatifico possumus loqui dupliciter, vno modo secundum ea, quæ præcise, & necessa-

cessario requiruntur ad actũ beatificum, & si hoc modo loquamur certum est, quod ad actum beatificum sufficit videre Deũ, iuxta illud sapientis Aug. Qui autem te Domine & alia videt non propter illa, sed propter te solum beatus. Vnde si Deus vnam solam creaturã intellectualẽ creasset, & illa videret Deum proculdubio esset beata, quanuis nihil videret aliorum, quæ ad scientiam visionis spectant, quia nihil eorum esset, aut præsens, aut futurum.

D. August.

Secũdo modo possumus loqui de actũ beatifico, secundum perfectionem, quam habet de facto, secundũ quam omnes existimamus, quod illo actu non solum videtur Deus, sed etiam alia in ipso. Ex quorũ numero videntur maxime esse, mysteriũ incarnationis & Eucharistiæ; eo quod sint & accepta modo per fidem, quæ tunc euacuabitur, & præcipua etiam inter credibilia; & præterea valde difficilia intellectu. Ac propterea cum mens satianda sit; quãdo apparuerit gloria Domini credendum est, quod hæc alia mysteria videbuntur à beatis in ipso Deo. Et hæc de primo.

His constitutis sit prima cõclusio. Intellectus humanus vel etiam angelicus non potest cognoscere per vim naturæ, Christum esse sub hoc sacramento. Probatur: Naturalis cognitio intellectus creati non potest esse de eo, de quo est fides per se, & (vt aiunt) directe: sed Christum esse in Eucharistia est eiusmodi: ergo.

Item argumentor secundo vel declaro potius hanc rationem: Nam quãuis essentia corporis, siue substantia corporis humani sit nota angelo: tamẽ Christum esse in hoc sacramento, & modus quo est proculdubio pertinet ad ordinem supernaturalem: ergo id non potest cognosci ab intellectu creato per vim naturę. Et quidem de homine est peculiaris ratio, quod non possit cognoscere per facultatem naturæ Christum esse sub sacramento: quanquã, si vobis placet nõnulli oppositum asserebant. Et ratio est; quia id non potest à nobis cognosci per hoc quod substantia ipsa corporis Christi vniatur nostro intellectui, vt constat. Nec per hoc, quod aliquã sui ipsius speciem immittat sensui, & per sensum ipsi intellectui; ergo nullo modo potest à nobis per vim naturæ cognosci. Probo hoc secundum; Quia à corpore nõ existẽte in loco nec tangẽte aliquid aliud nec deniq; existenti, per modum quanti non potest immitti aliqua species sensibilis, ratione cuius, aut intelligere aut inuestigare possimus illud esse sub eis speciebus. Atq; hanc rationem ad angelos eleuando dicimus, quod cum corpus Christi in sacramento non se vniat intellectui angeli per substantiam suam, nec immittat ex se aliquam speciem sensibilem, vel intelligibilem: quia est occultatum suo ipso tam supernaturali essendi modo: fit vt nulla ratione ab angelo possit agnosci per vim naturæ, quanuis angelus acciperet speciem à rebus, de quo modo non dispu to.

Secunda conclusio: Hic modus existẽtiæ Christi sub sacramento cognoscitur à mentibus beatis per visionem beatificã. Probatur primo; Quia vident beati in Deo, quæ in via crediderunt: ergo cognoscunt ac vident hoc mysterium fidei.

Item Secũdo. Nam pertinet ad eorum statum ista cognoscere, cum fœlicius sit noscere, quam ad huc inquirere, & dubitare, vt bene dicebat Aris. 10. Ethicorum, & eius mysterij cognitio non excedit facultatem luminis gloriæ & speciei, qua beatæ illę mẽtes, velut informantur: ergo dicendũ est, quod beati illud cognoscunt.

Arist.

Tertia conclusio: Beati etiam cognoscunt hoc mysterium per scientiam inditã siue infusam. Hæc inde probatur, quia non est cur improbetur. Et hæc de secundo.

Sed contra nostram sententiam argumentor primo. Naturale, & supernaturale solum differunt penes differentiam ad agens: quia scilicet, vnum producitur à solo Deo, aliud vero etiam per causas naturales. Discrimen autem hoc non variat rationem cognoscibilitatis. Nam Adam à Deo productus eiusdem naturæ, & cognoscibilitatis erat cum cæteris hominibus: ergo quãuis existentia corporis Christi sit supernaturalis, erit tamen naturaliter

ter cognoſcibilis. Ad hoc conſtat ſolutio ex ſuppoſitione ſecunda. Chriſtum enim eſſe ſub ſacramento non eſt quid ſupernaturale ex accidēti, ſed per ſe & genere ſuo: cū autem ſermo eſt de his quæ ex genere ſuo ſunt ſupernaturalia, falſa eſt prima propoſitio argumenti.

Secundò argumentor: Quia omne ens creatum eſt obiectum proportionatum intellectus creati: ſed corpus Chriſti exiſtēs ſub ſacramento eſt ens creatum, ergo eſt obiectum proportionatum intellectus: ergo poteſt intelligi & cognoſci naturaliter. Reſpondetur quod maior eſt falſa generaliter in myſterijs ſupernaturalibus, qualis eſt Euchariſtia, & vnio hypoſtatica ad Verbum.

Tertio ſubſtantia per ſe eſt intelligibilis prius natura, quam quicunq; eius modus exiſtendi: ergo quomodocunq; exiſtat, poterit tamen in eo priori naturæ intelligi naturaliter. Reſpondetur, quod aliud eſt dicere, quod natura & eſſentia corporis Chriſti eſt cognoſcibilis per naturā, quod nos nō negamus, nam & eſt ea eſſentia ordinis naturalis: aliud autem dicere, quod corpus Chriſti eſſe ſacramentaliter ſub ſpeciebus ſit cognoſcibile: quod omnino negamus; quia illud eſſe eſt ſupernaturale.

Quarto argumentor: Quia poteſt intellectus angeli cognoſcere illic non eſſe panem: ſed deſitio panis ſit per præſentiā corporis Chriſti, ergo poteſt cognoſcere illic eſſe corpus Chriſti. Reſpōdetur, quod quicquid ſit de prima propoſione conſequentia nihil valet, vt conſtat liquido ęquivalenter enim fit hæc conſequentia. Hoc eſt: ergo cognoſcitur, quæ nihil valet. Et quidem, quia exiſtentia panis eſt naturalis videtur, quod & exiſtentiam & eius abſentiā poſſit agnoſcere angelus. Quia vero cū ea abſentia cōiunctā eſſe pręſentiā corporis Chriſti ſacramētaliter eſt quid ſupernaturale, iccircò non poteſt intelligi.

Quinto argumentor: Nam ſaltem anima Chriſti naturaliter cognoſcit ſe eſſe vbicunq; eſt: ergo cognoſcit quomodo ſit in ſacramento. Reſpondetur, quod ſi modus ille exiſtendi ſacramentaliter excedit totum ordinem naturæ, vt vere excedit, concedi non poteſt, quod anima Chriſti cognoſcat rationem, & modum illum per facultatem naturæ: Sed cognoſcit per ſcientiam beatam & infuſam.

Vltimo argumento: Quia quidam putant, quod cognitio intuitiua angeli non fiat per ſpeciem mediam; ſed quia ipſum obiectum præſens per ſuam realem exiſtentiam mouet intellectum angeli; ac proinde cum corpus Chriſti ſit pręſens ſpeciebus, & realiter exiſtat ac contineatur ſub eis, videtur, quod ab angelo poſſit cognoſci. Reſpondetur videri falſum id, quod illi putant: quia principium proximum cuiuſlibet intellectionis angelicæ eſt ſpecies, niſi quando angelus cognoſcit vel ſeipſum vel Deum. Quamuis autem demus his authoribus primam illam propoſitionem eſſe veram, deberent tamen illam intelligere de ordine entium ſubiecto naturaliter cognitioni angelicæ: quale nō eſt corpus Chriſti, vt exiſtens in ſacramēto. Et hactenus de primo, ſecundo, ac tertio.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrum corpus Chriſti poſſit videri oculo glorificato.

PENDET, ni fallor, ſolutio huius dubij ex prędictis de modo exiſtendi corporis Chriſti in hoc ſacramento. Ac proinde recolendum eſt falſam eſſe illorum imaginationem, qui putauerunt corpus Chriſti contineri ſub ſpeciebus per modū quantitatiuum, & extenſum in ordine ad ſe, quamuis non in ordine ad locum. Itaq; putabant inter corpus Chriſti, vt eſt in ſacramento, & ſpecies, quibus continetur interponendā eſſe quantitatem, qua partes Chriſti conſeruarent debitam diſtantiam, & figuram, non quidem in ordine ad locum ſed ad ſe; quod ſuperius dixi falſum mihi videri. Ac proinde ſtatuo iterum, quod quantitas, & accidētia corporis Chriſti ſunt in hoc ſacramento media ſubſtantia, itaq; accidentia corporis Chriſti non habent imme

immediatam habitudinem, nec ad hoc sacramentum nec ad corpora, quæ ipsum circunstant. Estque corpus Christi in hoc sacramento per modum proprium substantiæ in eo quod substantia: quæ vtiq;, vt sic non est perceptibilis nisi solo intellectu.

Hoc posito sit conclusio, quod corpus Christi, vt existens sub hoc sacramento, non est visibile nec oculis mortalium, nec beatorum, nec Christi ipsius glorificati. Itaq; vt me explicem est extra spheram visibilis per se loquendo. Probatur conclusio. Nihil potest videri ab oculo corporeo, nisi vt quantum & coloratum, vel lucidum: sed corpus Christi non est sub speciebus per modum, quanti, aut colorati: ergo vt sic non potest videri. Declaro maiorem; quia visibilia per se communia & propria, sine quibus nihil videri potest sunt quantum & coloratũ vel lucidum.

Secundo argumentor ex dictis; Substãtia vt substantia non est perceptibilis, nisi solo intellectu: sensus enim & præcipuè exteriores, habent pro obiecto accidentia: sed corpus Christi non comparatur ad species medijs suis accidentibus: sed continetur eis immediatè secundum substantiam: ergo vt continetur eis nõ est perceptibile sensu.

Tertio argumẽtor. Nã ad hoc, vt oculus corporalis possit per naturã videre aliquod corpus, requiritur, vt ab eo corpore neque ad oculum possint per naturam deriuari species visibiles: tales autem species deriuari non possunt nisi à corpore quanto, & existente in loco: ergo cum corpus Christi, vt est sub hoc sacramento, nõ sit per modum quanti, & ex consequenti nec per modum existentis in loco, efficitur vt videri non possit, in quantum est sub hoc sacramento.

Quarto argumentor: Lumen corporale non potest attingere & illustrare rem non existẽtẽ in loco: sed corpus Christi prout est in sacramento, non est per se in loco: ergo lumen corporale non potest illud per se attingere: ergo non potest abstrahere ab eo species visibiles: ergo illud, vt sic non potest videri.

Quinto: Si corpus, vt subest speciebus videtur oculo corporali, aut corpus & species viderentur sub æquali angulo, aut corpus sub maiori. Non sub æquali: quia sic corpus Christi, & species æquarentur in magnitudine: nam quæ sub æquali angulo vidẽtur ad eandem distantiam æqualia sunt. Quod si corpus Christi videtur sub maiori angulo, cũm corpus Christi contineatur sub speciebus, sequetur, quod maior angulus contineatur sub minori, quod est impossibile. Si dicas, quod corpus Christi videtur sub minori, nihil dices omnino. Quia si id ita esset, aliqua esset proportio inter angulum, quo videntur species, & angulum, quo videtur corpus; & ex cõsequenti aliqua esset proportio inter quantitatem specierum, & quantitatem corporis, vt existentis sub speciebus. Quod tamen est & falsum, & inintelligibile, supposito, quod corpus non est ibi per modum quanti. Et hæc pro nostra conclusione cõprobanda, quam negare aliqui videntur. Nostram vero sententiam tenet Ricard. in.4.dist.10.artic.5.q.2. Durand. ibi.q.4. & Scotus ibi Capreo. dist.10.q.4. Palude distin.10.q.4. Caietanus, 3.p.q.76.artic.7. [Ricard. Duran. Scotus Caprea. Palud.]

Secũda cõclusio huius articuli sit, quod corpus Christi in sacramento videtur oculo corporali Christi per accidens. Quam conclusionem tenet Capr. quem secutus est Caietanus. Et ratio Capreoli est: Quia siquidem dicitur, & verè, quod in cœlo etiã oculis corporalibus videbimus Deũ per accidens iuxta doctrinam Diui Augustini, quæ non est huius loci: ita à simili dici poterit, quod oculus glorificatus videt per accidens corpus Christi, videndo esse circa corpus Christi signa corporalia protestantia eius præsentiam: quæ ratio mihi non probatur: quia nulla eiusmodi signa existimo à Deo data fuisse protestantia illius præsentiæ maiestatem. Cæterum arbitror oculum Christi, videre seipsum in Sacramẽto per accidens, non aliter atq; nos videre dicimus nos esse in tenebris & obscuro loco, nõ q; tenebras videamus: [Caprea. Caieta. Art. 3 D. August.]

sed quia dum nihil videmus, sumusque in loco obscuro, iudicat tunc intellectus corpus esse in loco obscuro. Pari ergo, vel non dissimili proportione, eo ipso, quod oculus Christi, vt contenti sub speciebus non videt se vt sic videt per accidens, quod sit sub sacramento: quia statim id dictat intellectus.

ARTICVLVS. IX.

Vtrùm quando in hoc sacramento appa ret miraculosè caro, vel puer sit ibi ve rè corpus Christi.



QVotienscunque de Dei operibus, & factis mirabilibus disputamus, magna mens nostra caligine offunditur in tenebris autem nihil tutius est quam quiescere. Ac proinde de quæstione proposita ego audire mallem pium aliquem virum & spiritualem, quam docere. De illa enim me nihil scire fateor; & cum Hugone ac Innocentio diuina mysteria, & sacramenta magis veneranda, quam excutienda profiteor. Scriptum est enim: Maiora te ne quæsieris, & fortiora te ne fueris scrutatus. Postulat tamen ratio suscepti muneris, vt dicam quid mihi magis verisimile esse videatur.

Hugo, Innocen. Eccles. 3.

Quidam Theologi, ex quibus est D. Thom. putauerunt Dei omnipotentia fieri non posse, vt vnum corpus sit in pluribus locis simul secundum esse ac formam naturalem, à quibus quia dissentio in hoc principio, consequenter dissentio in ratione, & modo respondendi quæstioni propositæ. Supponunt enim vt respondeant, quod apparitio facta in sacramento, quandoque contingit solum ex parte videntium: quorum oculi immutantur tali immutatione, atque si expresse viderent exterius carnem & sanguinem, vel puerum nulla interim mutatione facta ex parte sacramenti, nec modi, quo se ibi corpus Christi præbet, & repræsentat. Et hoc,

D.Tho.

inquiunt, contingere videtur quando vni videtur sub specie carnis, vel pueri, alijs autem videtur sicut & prius sub specie panis, vel quando eidem ad horam videtur, ac apparet, modo quidem sub specie carnis, vel pueri, deinde sub specie panis. Nec hoc tamen pertinet ad aliquam deceptionem: quia talis species diuinitus formatur in oculo ad aliquam veritatem figurandam, ad hoc scilicet, quod manifestetur verè corpus Christi esse sub hoc Sacramento. Et quia per hunc modum nulla immutatio fit ex parte Sacramenti, manifestum est, quod tali apparitione facta est ibi verè corpus Christi. Quandoque verò contingit talis apparitio, non per solam immutationem videntium, sed existente realiter exterius specie illa, quæ videtur. Quod quidem videtur contingere, quando sub tali specie ab omnibus videtur, & non ad horam, sed per longum tempus ità permanet. Et in hoc casu dicendum, inquiunt, est, quod manentibus dimensionibus, quæ prius fuerunt, fit miraculosè quædam immutatio circa alia accidentia, videlicet, figuram & colorem, & alia eiusmodi, ità vt videatur caro & sanguis, aut etiam puer. Nec vero, id est, deceptio, quia fit in figuram alicuius veritatis, vt supra dictum est. Hactenus in summa Beatus Thom. Et eius commentator Caietanus addit, quod si res apparens ex miraculo fuerit tantarum dimensionum, vt sint incompossibiles substantiæ conuersæ, vt si consecrato modico vino appareat totus calix plenus sanguine, tunc non videtur remanere verus Christi sanguis sub illis speciebus: quoniam non manent dimensiones vini conuersi. Et in hoc casu species sanguinis significat quidem Christi sanguinem verum, non tamen continetur ibi verus Christi sanguis. Hæc Caietanus. Et approbatur à quibusdam, qui solet id recipere, quod primo se se offert prælo mandatum. Sed vt mea imbecillitas dicat quod sentit, pono in primis, quod huiusmodi apparitiones dupli-

Caietan.

ci

ci ex causa fieri soleni, scilicet, vel propter ardenter amantes, qui summo desiderio pia mente, & animi puritate tantum apud Dei sapientiam valuerunt, vt se illis osten dat hilariter, vel secundo id euenit propter dubios, & hæsitantes in fide, quo per illud miraculum, & manifestam corporis Christi præsentiam confirmentur in fide, vel simul & ad amorem augendum, & ad fidem roborandam.

Secundo loco ponendum est, quod quãuis apparentiæ fieri possint, & nonnunquam formentur illusione demonis, non tamen est sermo, nisi de his apparitionibus, quæ fiunt miraculosè à Deo.

His constitutis ad quæstiunem respondetur hac conclusione: Quotienscunque aliquæ apparitiones fiunt miraculose in hoc sacramento, siue mutatio fit solum ex parte videntis secundum quosdam, siue etiam ex parte accidentium sacramenti, semper dum apparet, vel puer, vel caro, vel sanguis, vel aliquid eiusmodi est ibi verum corpus & sanguis Christi. Hanc conclusionem ego, cui dedit Deus, vt vel lem fugere temeritatem in asserendo, existimo esse certissimam: nec possum mihi persuadere oppositum. Et probo primum: Quia istæ apparitiones fiunt, vt ostendatur verè ibi esse corpus Christi secundum substantiam: ergo vehementer alienum est à ratione existimare, quod tunc non manet ibi corpus Christi secundum substantiam: quia Deus non assequetur suum finem.

Secundo argumentor: Melius & congruentius erit, quod maneat ibi corpus, cuius ostendendi, & manifestandi causa fit apparitio, quam quod non maneat, sed Deus facit res congruẽtissimo modo, quo fieri possunt: ergo manet ibi corpus Christi. Tertio: Quid magis absurdum dici, aut fingi potest, quam quod antequidem erat ibi verum Domini corpus latens, & occultatum: quando verò se voluit osten dere seruis suis, quos & diligebat, & erudiebat ac roborabat in fide, tunc euanuit? Quid, inquam, dici potest magis absurdum?

Quarto: Si nulla fiat mutatio ex parte accidentium, sed in sola phantasia videntis procul dubio manet ibi corpus secundum omnes Theologos: ergo cum maius donum, & priuilegium sit ità se ostendere Dominum, vt ex parte accidentium sit mutatio, non est dicendum, quod tunc Dominus aufugiat.

Quinto: Quamuis iuxta doctrinam humilis & sapientis Diui Augustini, quando fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis, tamen nunquam præsentiæ rei substantia & veritate loco eius substituitur apparens aliquid, & phantasticum ad ostendendam veritatem veritate ipsa interim & præsentia rei fugata: ergo, &c. D. Aug.

Sexto: Quando apparet caro, vel sanguis, facta mutatione reali ex parte accidentium, quid nam existimamus Deum intendere qui & ipse lux est, & vult vt eius opera manifestentur, intendit ne vt ea videns, existimet esse carnem, & sanguinem verum Christi, vel subito potius creatum siue traductum, & acceptum ab aliquo animali? Si intendit, vt existimetur ea caro à vidente caro vera Christi, vtique erit vera caro Christi, si tamen vult, vt existimetur aliqua alia caro subito creata, vel adducta quæ referat carnem Christi, vtique non id conferet ad fidem sacramenti faciendam, sed ad augendum dubium. Et id quidem ob multas rationes. Primum; quia qua ratione dubius quis fuerit de fide sacramenti, obiectis speciebus panis, poterit esse dubius obiecta specie alterius carnis. Secundo: quia existimare is homo poterit omnia, quæ ibi fiunt, esse præstigia quædam, & illusiones: siquidem quod antea erat panis, modo dicitur esse caro, non Domini, sed alia quædam. Hic tu mihi dicis: Intendit Deus, vt is sanguis, vel caro sit mihi signum suæ carnis. Contra hoc vero argumentor; Quia sacramenta ipsa panis erant signa corporis Domini, & quando Dominus voluit tollere illa accidentia, atque velamen, hoc ideò fecit, vt videretur suus sanguis & caro, non solum significaretur:

caretur: ergo vere ibi est caro, & sanguis Domini.

Vltimo, & maximè argumentor: Quia qui negant quando apparet caro, vel sanguis, esse ibi semper verum sanguinem, & carnem Domini; hoc aut ideo negant, quia opinantur Deum non posse constituere vnum & idem corpus in diuersis locis; aut certe ideò negant, quia intelligere non potuerunt, qua ratione possit apparere ibi verum corpus Domini sub talibus accidentibus, vel figura. Quorum duorum primum quidem est falsum, secundum verò indignum homine modesto, atque sapiente. Quocirca doctores, quos ego vidi tenent, quod siue illæ apparitiones fiant sine mutatione obiecti, diuina virtute producente species in potentia imaginatiua, vel in oculis, siue fiant cum mutatione obiecti, semper manet ibi corpus, & sanguis Domini. Et hoc solum est, quod ego intendi probare. Caietanus verò hic & Durand. distinctione decima, quæstione quarta, qui hoc negant minus cautè ac doctè fecerunt, non considerantes, quanta pernicies afferretur mentibus deuotis & pijs, si inualesceret ea sententia, quæ diceret, quod quando Dominus suum corpus ostendit manifestè in altari, tunc tandem non est ibi, cum antea esset cuius oppositum, & piè credit, & sanctè omnis illa pura mens, & fœlix ac beata, quam dignatur Deus aspectu corporis sui.

Caieta. Duran.

Sed cum hæc mysteria, atque opera Dei sublimia sint, & nostrum captum excellant pluribus ac difficillimis vrgeri possunt argumentis. Et primo loco argumentor: Corpus Christi desinit esse sub hoc sacramento quando desinunt esse species sacramentales: sed quando apparet caro, vel puer desinunt esse species sacramentales: ergo non est ibi verè corpus Christi. Ad hoc vt respondeamus (sunt autem varij respondendi modi) supponamus claritatis causa, quod appareat Dominus in forma pueri, facta mutatione ex parte obiecti, respondet primum B. Thom. quod in sacramento potest considerari, & quantitas ex vna parte, & alia color atque figuræ, & alia eiusmodi. Quo posito dicit, quod in ea apparitione manentibus dimensionibus panis, quæ prius fuerant, fit miraculose immutatio quædam circa figuram, & colorem, ità vt videatur puer esse in altari. Quod verò huic responsioni obijci posset ex Caietano, quod puer illé apparens posset esse maioris quantitatis, quam hostia nullius est momenti, quia Deus & scit, & potest tantum extendere panis quantitatem, quantum sufficiat ad eam figuram pueri efformandam. Aegydius verò dicit, quod illa species pueri non est propria species, & figura Christi, sed quædam forma miraculosè facta, & in hoc concordat cum Sancto Thom. Differt autem, quoniam affirmat, quod dimensiones panis diuina virtute conuertuntur in accidentia eius pueri, & non in accidentia propria corporis Christi: ac proinde priores dimensiones non manent. Et quemadmodum dimensiones antecedentes, & priora accidentia panis non erant propria accidentia corporis Christi, sub eis tamen continebatur Christus. Ità philosophatur AEgydius de accidentibus, ac dimensionibus eius pueri. Si quis autem obijciat AEgydio, quod quando Christus non manet, vel sub accidentibus proprijs, vel sub dimensionibus panis, nulla ratione manet, respondetur quod semper quando sacratissimum Domini corpus consecratur, requiritur species panis, atque accidentia, & dimensiones: Consecratione verò facta regulariter quidem manet solum quandiu manent species panis; dispensatiuè verò quemadmodum propter bonum fidelium mutatur color, & figura & positio, & extensio, & denique species panis in speciem pueri. Ità non est inconueniens, quod mutetur quantitas siue dimensio: Imo verò si quidem diuina virtute mutatur figura, & species panis in figurã, & speciẽ pueri, sub qua specie & figura est Christus, nõ est cur existimemus panis dimensiones manere, sed potius manere Christũ sub

B. Tho.

Caietan.

Theodo. 13. AEgydius

S. Tho.

sub dimensionibus proprijs figuræ pueri.
Gabriel. Et ità docet Gabriel. lectione. 51. in cano
Alexan. nem. Fuit & tertius dicendi modus aliquorum antiquorum, quos sequitur Alexander Halensis. Dicunt illi, quod
Luc. 24. in istis apparitionibus apparet ipse Christus, seque ostendit in accidentibus suo
Marc. vlt. corpori inhærentibus, sicut sæpe se ostendit discipulis post resurrectionem, & Petro post ascensionem: & quãdo apparet in specie carnis est vera caro Christi. Nec obstat, quod non semper videtur totus Christus, sed aliqua pars carnis, vt legitur in gestis Beati Gregorij, quo petente apparuit forma digiti. Nec semper apparet in forma virili, quam habet in cœlo: quia in potestate corporis gloriosi, & maximè Domini est, vt videatur à nobis, secundum formam hanc, vel illam, & secundum partem, vel secundum totum. Hæ sunt sententiæ probabiles piorum hominum, atque sapientum de his apparitionibus. Quæ autem illarum vel vera sit, vel magis accedat ad veritatem, viderit alius, & iudicet: ego enim non fui dignus, qui huius rei notitiam acciperem à Domino. Atque hæc de primo argumento; quod facile dissoluitur, vel dicendo, quod manent dimensiones panis sub alia figura iuxta primam sententiam, vel quod succedit alia figura, accidentia, & dimensiones pueri præter dimensiones panis, iuxta secundam, vel quod illa omnia sunt accidentia inhærentia Christo iuxta tertiam. Quæ verò huic tertiæ sententiæ opponi solent, leuia sunt apud eos, qui existimant Dei omnipotentia fieri posse, vt vnum corpus sit in diuersis locis, sub diuersis figuris, & accidentibus: quod ego semper putaui verissimum. Aduertendum verò, quod secundum AEgyd. & Alexandrũ, quando reducitur sacramentum, verbi gratia, post horam ad suam speciem requireretur noua productio quantitatis panis, si prima erat deperdita.

Secundo loco argumentor: Quia quando fiunt tales apparitiones, & est ibi verè Christus, vel est totus in tota, & totus sub qualibet parte quantitatis, vel secus: Si non est totus sub qualibet parte, sequitur quod non sit ibi sacramentaliter. Si vero dicas, quod est totus sub qualibet parte id videtur esse contra rationem figuræ, & formæ pueri vere apparentis secundum formam pueri. Respondetur, quod iuxta varias istas sententias variè loquendum est. Alexander enim diceret hoc ipsum fieri tunc Dei bonitate, vt corpus, quod antea erat, sacramentaliter, & per modum substantiæ modo appareat secundum propriam rationem, & modum corporis: ac proinde non est tunc ille puer totus in toto, & totus in qualibet parte. Iuxta sententiam verò primam dicendum est, quod vtique erat totus in toto, & totus in qualibet parte. At opinio Aegydij admittit vtrunque. Et quidem cum finis eius apparitionis sit, vt quod erat sacramentaliter, & sub velamento, per modum naturæ, & aperta veritate monstretur, valde probabilis mihi videtur hac in parte responsio Alexandri. Et quidem ego ità responderem, siue Alexandri sententiam defenderem, siue Aegydij.

Tertio argumentor: Nam quando corpus aliquod est sacramentaliter sub accidentibus, non est visibile in propria specie; sed caro Christi in his apparitionibus, quãdo apparet caro vel puer est sacramentaliter: ergo non videtur: ergo non est caro Christi ea quæ videtur. Ad hoc argumentum secundum Alexandrũ neganda esset minor, & dicendum, quod tunc Dominus voluit auferre velamen, & apparere sub proprijs accidentibus. At verò iuxta sententiam Beati Thomæ, & Aegydij dicendum est, quod non videtur caro Christi, quia est sacramentaliter: sed videtur quia in ipsa specie panis, & sacramento fit quædam immutatio coloris & figuræ, ratione quorum videtur caro. Vel, dico secundo, quod id quod continetur sacramentaliter in altari, non est color & figura, sed substantia corporis: ac proinde non est inconueniens, quod color & figura, & species carnis vel pueri videatur. Et breuiter dico, quod quando secundum legem ordinariam est sacramentaliter Dominus sub speciebus panis & vini facit nõ

nũquam diſpenſatiue, vt videatur ſub ſpecie, ſub qua ipſi placet videri.

Quarto argũmentor: Nam corpus Christi incipit eſſe in hoc ſacramento per conſecrationem, & conuerſionem: ſed caro & ſanguis miraculoſe apparens non ſunt cõſecrata nec conuerſa in verum corpus & ſanguinem Chriſti: non ergo ſub talibus ſpeciebus eſt verum corpus & ſanguis Chriſti. Ad hoc argumentum ſecundum ſententiam Alex. reſpondetur, quod conſequentia nihil valet. Quia quanuis panis ſit qui conſecratur & conuertitur non caro: tamen conuerſio fit in carnem Chriſti veram: ac proinde ablato miraculoſe velamine videtur caro Chriſti ſub accidentibus, ſub quibus Deo placuerit vt videatur. Iuxta Thomam vero neganda etiam eſt conſequentia; quia manent dimenſiones panis continentes corpus Domini, quanuis ſub alia figura & accidentibus. At iuxta AEgydium dicere debemus, quod facta ſemel conſecratione, & conuerſione panis mutantur, ſiue conuertuntur accidẽtia panis in accidentia carnis vel ſanguinis vel pueri apparentis, idq; fit à Deo propter bonum fidei.

Quinto argumentor: Quia aliquando viſa eſt eiuſmodi caro apparens diuturnitate temporis corrumpi & denigrari, ſicut dicitur accidiſſe in Marchia Taruiſina, hoc autem de vera carne Chriſti indecens eſt exiſtimare: ergo ea non eſt vera caro Chriſti. Ad hoc argumentum quanuis dici poſſet iuxta D. Thomæ & AEgydij ſententiam, quod quemadmodum accidentia panis afficiuntur exterioribus læſiuis & diſſoluuntur, ita accidit in accidentibus eius carnis: ſed ego hac in parte Alexãdro vehementer aſſentior; qui affirmat nunquam id accidere, quando miraculoſe facta eſt ea apparitio: ſed ſolum quando interuenit illuſio, & deceptio mali dæmonis. Non tamen hoc ita dico vt aſſeuerem: quis enim nouit profunda iudicia Dei? Sed antequam finem imponamus huic articulo, videtur illud eſſe tractandum, an accidere poſſit vt in vno, ac eodem altari, vnus videat ſpeciem panis, alter vero carnem vel puerum. Reſpondetur fieri poſſe, vt alicuius oculi ita afficiantur, ac ſi viderent exterius carnem, vel ſanguinem, vel puerum, nulla interim mutatione facta ex parte ſacramenti. Et ſecundum hanc rationem certum eſt fieri poſſe, quod vnus videat ſpecies panis, alter verò carnem, vel ſanguinem. Verum eſt tamen, quod vtrũ re ipſa nõnunquam ità fiat à Deo, id ego non audeo definire, quia non ſcio, ſed aliquibus doctis ita videtur. Sed illud eſt difficilius, vtrum fieri poſſit, vt in vno, & eodem altari vnus videat ſacra illa ſigna panis, alter vero puerum vel carnem, mutatione facta ex parte rei. Et videtur, quod non. Quia ſi videt quis viſione certa, & vera ex obiecto ſpeciem panis: ergo eſt ibi ſpecies panis: ergo non eſt ſpecies, & figura pueri: ergo non videtur ſpecies & figura pueri, quæ ſit talis ex obiecto exteriori. Cæterum mihi videtur id eſſe concedẽdum, non modo, quia plura poteſt Deus facere, quam nos poſſimus intelligere, ſed etiam, quia, ſi hoc bene conſideretur, illud eſt intelligibile etiam exiguo noſtro ingenio. Quod declaro. Nam quemadmodũ modo re ipſa manent ſpecies, & accidentia viſibilia panis, ſub quibus continetur corpus Chriſti: ità poteſt Deus producere ſimul cum eis figuram, & accidentia carnis, vel pueri, ſub quibus maneat ipſum corpus Chriſti. In quo ſi quæratur ratio facti, reſpondebo, quod eſt potentia facientis, & bonum fidei.

Sed contra hoc argumentor primo: Quia ſi ibi ſit ſpecies & figura pueri, neceſſe erit vt videatur ab omnibus præſentibus hoc autem eſt contra id, quod hiſtorię fide dignæ tradiderunt: ergo nulla eſt tunc nec eſſe poteſt ſpecies pueri ex parte obiecti. Reſpondetur quod conſecutio illa maioris propoſitionis nihil valet, vt conſtat Danielis. 10. Quo loco loquens propheta de angelo, qui ipſi apparuerat in ſpecie viri lineis veſtiti, ait: Vidi ego Daniel ſolus viſionem, porro viri, qui erant mecum non viderunt. Et quando Dominus nouiſſime tanquam abortiuo viſus eſt, & Paulo act. 9. viri, qui comitabantur eum audierunt quidem vocem, neminem autem viderunt. Et certum eſt, ac euidens poſſe Deũ

Alexan. | Daniel. 10. | Cor. 15. | Act. 9.

ità

ità illuminare alicuius hominis oculos, & confortare visum, vt videat ea, quæ fugiūt alios, & efficere vt vnum & idem obiectum vniatur vni potentiæ in ratione obiecti: alteri vero potētiæ hominis corpore præsentis non vniatur. Nec vero alicui exercitato in sacris literis debet hoc esse dubium. Visum enim est Stephano aperiri cœlum, cum lapidaretur à populo, visus est, & ipse Iesus stans ad dexteram Dei, &
Act. 7. non est visus à populo. Nec dubito quin
Genes. 17. quando apparuit Dominus Abrahæ, & repentino visus aspectu est, potuit latere quos vellet. Nam proculdubio, si vult vi-
4. Reg. 2. deri videtur, si non vult non videtur. Et quando Elisæus clamabat ad Eliam raptū per cœlum, Pater mi, Pater mi, quis dubiter potuisse astantes alios non videre ipsum Eliam, cum hoc potuerit accidere, ipsi Elisæo? Dictum est enim ei. Si videris me quando tollar à te, fiet tibi quod petisti. Si autem non videris, non erit: confortatio ergo, & illustratio visus, & intentio faciunt vt vnus videat, quæ alij non vident.

Secundo loco argumentor: Quia non potest Deus efficere, vt se penetrent diuersa accidentia figuræ, & quantitates, quod omnino erat necessarium hac hypothesi facta: ergo implicat id fieri. Respondetur, negando antecedens, quia oppositum colligitur ex euāgelijs. Opinatur vero B. Tho. quod quando vni, & eidem videtur, modo quidē sub specie carnis, post breue autem spatium sub specie panis nulla sit facta immutatio ex parte obiecti, sed in phantasia videntis. Alij verò putant hoc esse insufficiēs signum ad id opinādum, & quod in miraculo, verbigratia B. Gregorij, quādo ad fidem plebis confirmandam sacramētum versum est in carnem cruentam, & statim per eius orationem redijt in panis speciem verè facta sit mutatio ex parte obiecti. Atq; ijs ego assentior. Quia cum Gab. lect. 52. Deus in rebus transmutandis, nec requirat temporis spatium, nec aliquo modo defatigetur, aut laboret, non est cur dicamus non verè esse mutata ea, quæ post breue spatiū temporis ad pristinā sunt speciem reducta. Et hæc pro hoc articulo.

QVAESTIO QVINTA, DE ACCIDENTIBVS REMANENTIBVS IN HOC SACRAMENTO.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm accidentia maneant sine subiecto in hoc sacramento.



QVONIAM supra satis expositum est, & cōprobatum secundum fidem & sententiam sanctorum patrū, non manere in hoc sacramento substantiam panis & vini: & hoc habito ac constituto ratio ipsa euidenter suadet, quod non substituatur ibi aliqua alia substantia, vt sit accidentium subiectum: iccircò hac in parte non tam theologicè procedam ad veritatem catholicam comprobandam, quæ & definita est in concilio Tridētino sessio. 13. can. secundo & in alijs, quam ad reprimendā Ioannis Vuicleph, & OEcolampadij, aliorumq; hæreticorum, & paganorum impudentiam; qui cachinnantur, & rident asserere Christianorum fidem, ea quæ fieri nulla ratione possint. Sciendū ergo est, q̄ quāuis rerū essentiæ ex sua ratione & quidditate formali habeant, quod transuerti & mutari nō possint quoad ipsas rationes formales & essentiam: si enim ternarius est, numerus debet esse & impar; alioqui non est ternarius; quanuis itaq; essentiæ quoad se ipsas non mutentur, tamē subiectæ sunt agenti vniuersalissimo, Deoque omnipotenti, qui nullo suo labore, sed solo verbo fecit cœlum & terrā: adeoque subiectæ, vt ei seruiant ad nutum faciatq; de eis, & in eis, quod ipsi placuerit.

Conc. Trid.

4. Esdræ. 6.

Secundo ponēdum est, quod esse apud philosophos accipitur dupliciter. Vno modo pro esse essentiali, sicut dicere solemus, quod hominis esse est esse animal rationale. Atque secundum hanc acceptionē esse naturale rerum semper est vnum, & idem, & immutabile.

Secundo vero modo, & frequentius esse accipitur pro existentia actuali siue existere vel esse actu. Atque esse hoc modo acceptum, non est de essentia alicuius rei creatæ. Quod constat quia si esse esset de essentia alicuius rei creatæ, necesse esset, vt illa semper, & ab æterno extitisset: at nulla creaturarum est ab æterno, sed omnes sunt in tempore factæ, atque productæ: ergo esse actu non est de essentia alicuius rei: habet siquidem omnis creatura essentiam ab æterno, & non habet existere ab æterno. Ex quo liquet, quod nec existere per se quod est esse substantię, nec inesse, quod est esse accidentiū sit de eorum essentia.

Tertio ponunt catholici, quod non modo esse actu non est de essentia substātiæ nec inesse actu de essentia accidentis: sed etiam constituto, quod accidens actu sit vel existat nō est necesse, quod actu insit, sed potest fieri Dei omnipotentia, vt maneat, sine subiecto, siue substātia, cui inhæreat. Itaq; in accidenti duo considerantur. Primum est, aptitudo ad inhærendum, & hæc est ei essentialis. Secūdo actualis inhæsio: & hæc quanuis sit naturalis accidenti secundum ordinem, & constitutionem rerum, non tamen ita, quin oppositum fieri possit Dei omnipotentia. Et in hoc consistit

sistit tota cōtrouersia inter paganos & il-
los hæreticos, quos commemoraui ex vnà
parte, & catholicos ex alia. Defēditur autē
vera & catholica ecclesię sentētia, primū:
Nam si ideo negandum est, quod accidēs
esse possit sine subiecto, quia id non est se-
cundum ordinem rerum nec antea illi vi
derunt esse factum, negent hæretici isti at
que pagani omnia diuina miracula: aut
enim negāda omnia illa sunt, aut cur hoc
non credatur causa nulla est. Negent, ste-
Iosue.10. tisse solem tempore Iosuæ, aut Ionam in
Ione.2. ventre ceti illę sum potuisse seruari, & ità
temperatum fuisse beiluæ vaporem, vt
Daniel.3. hominem conseruaret. Negent, tres
Matth.27. illos pueros ab iniquo rege coniectos in ig
1.Cor.15. nem deambulasse, quasi inter ventum ro
ris flantem. Et cum primis negent hæreti
ci, mortuos suscitatos fuisse & omnes ho-
mines fore vt resurgant in nouissimo die;
quod certe est vel æqualis vel maioris po
tentiæ quam efficere, vt accidentia sint
sine subiecto. Sed quid alia miracula sine
causa congerimus? In ipsum certè Chri-
stum tertia die resurgentem, non credere-
mus, si fides Christianorum cachinnum
stultorum hominum pertimesceret: qui
in iam lamentabilē cęcitatem deuenerūt,
vt arbitrentur posse ipsos ingenio suo me-
tiri immensitatem potentiæ, & sapientiæ
Dei.

Secundo argumentor: Quia Deus po-
test facere se solo, quæ facit per causas se-
cundas: ergo cum subiecta dum suscipiūt
accidentia, ea conseruent in esse, Deus po
terit vi sua conseruare in esse accidentia;
quanuis substantiæ ea non suscipiāt, atque
sustenient.

Tertio. Noster intellectus separat acci-
dens à substantia, vere affirmās substantiā
& accidens esse essentias, & res siue natu-
ras primo diuersas, atque distinctas: ergo
Deus poterit eas res à seipsis separare: po-
tentior siquidem est ille in operando, quā
nos in intelligendo.

Quarto sicut per naturam non potest
accidens separari à substantia: ità nec sub
stantia à proprio accidenti: at vero Deus
re ipsa propriāoperationem & accidēs ab-
stulit à substantia, quando pueros non cō-
burebat, sed refrigerabat ignis, & quando
sol obtenebratus est, & continuit radios
suos tempore passionis Christi: ergo po- Daniel.3.
test Deus separare etiam accidens à sub- Luce.23.
stantia.

Quinto: Substantia, & qualitas, vel quā
titas sunt res diuersæ, & absolutæ: ergo ni
hil est, quo minus possit Deus ea ab inui-
cem separare. Aduersus eos verò, qui fu-
teperint, ibi non manere substantiam pa-
nis, & vini res est multo euidentior. Nam
sublato pane, & vino, quo sine substitue-
ret Deus alıud subiectum? Certè nullo. Et
præterea. Ea accidentia non sunt in forma
substantiali, quæ nec manet, nec si mane-
ret posset esse subiectum: nec in corpore;
& sanguine Christi, quia hæc accidentia
non sunt humani corporis, sed panis, & vi-
ni: nec est possibile, quod corpus Christi
gloriosum existens & impassibile altere-
tur suscipiendo has qualitates: nec corpus
Christi est sub eis accidentibus per modū
corporis extensi, & subiecti ipsorum acci
dentium, vt supra docuimus: nec vero vir
tute consecrationis fit aliquod subiectum
sustentans hæc accidentia: quia illa non ef
ficiunt, nisi quod significant, & nihil talē
significant: relinquitur ergo vt ea acciden
tia maneant sine subiecto. Dicere verò,
quod sunt in aere, est inanius aere. Ac pro
inde non est necesse, vt id impugnemus,
si quidem nec eius generis tam densa acci
dentia possunt esse aeris: nec verò aere mo
to illa mouentur.

Sed contra sententiam catholicam ar-
guitur primo ex parte paganorum, & ali-
quorum ex hæreticis; Quia non est intel-
ligibile, quod maneant accidentia sine sub
iecto: ergo non est verum. Respondetur,
quod quanuis ipsi non intelligant, id vero
est intelligibile. Et quando non esset ab
hominibus, aut etiam angelis intelligibile
id esset intelligibile, & factibile Deo, apud Luce.1.
quem nō est impossibile omne Verbum.
Atque hoc vno verbo superborum homi
num temeritas & misera ignorātia, ac stul
titia confutatur.

Secundo argumentor: Substantia si est
non potest non per se existere: ergo acci-
dens si est, non potest non inesse. Respon

 detur,

detur;quod primum & assumptum verum quidem videtur:secundum autem vehementer est falsum:ac proinde nihil valet consequentia. Pugnat enim cum natura entis perfecti atque substantiæ ea imperfectio inhærendi.non verò pugnat cum natura quantitatis,vel qualitatis,quod cõseruentur in esse, aliter quam inhærendo subiecto. Itaque tribuere substantię, quod inhæreat ad modum accidentis est ei tribuere,quod sit accidens: ac proinde est tollere rerum essentias. Tribuere verò quantitati, quod maneat sine subiecto, non est ei tribuere, quod non sit quantitas; sed solum quod non insit substantiæ, cum tamen in eo esse maneat, apta vt sit inesse.

Tertio argumẽtor:Similitudo, vel quæcunque relatio;& simitas, aliaque eiusmodi accidentia,nulla ratione possunt separari à subiecto,siue fundamento formali:ergo nec quantitas,sapor, & albedo possunt separari. Respondetur ,etiam videri mihi verum hoc antecedens:sed negatur consequentia ab illis respectiuis ad absoluta traducta propter ordinem essentialem,quem habent respectiua stantibus fundamento, & terminis. Cum vero dico, quod similitudo non est separabilis à subiecto,volo dicere, quod non est separabilis ab eo quali,in quo formaliter fundatus,& est.

Arist. Quarto argumentor: Secundum Aristotelem.7. metaphysicæ, substantia est de definitione accidentis:sed nulla res potest separari ab eo,quod est de eius essentia,& definitione: ergo accidens non potest separari à subiecto.Respõdetur, quod aliud est accidens habere naturalem ordinem,& aptitudinem,vt insit substantiæ,si eius natura consideretur;aliud verò re ipsa inesse substantiæ. Primum est de essentia accidentis,& iccirco accidens definitur per substantiam. Secundum vero non est de essentia accidentis. Quod dico ad declarandam accidentis naturam per sanctissimam nostram religionem patefactã: nõ autem quod multum referat,quid de hoc senserit Aristoteles,aut quicunq; alius philosophus. Haberi etiam potest vera, & clara responsio ad hoc argumentum,ex verbis commẽti,in quintam propositionẽ de intelligẽtijs. Illa sic habet. Duplex est definitio accidentis:quædam indicãs, nõ tantum eius essentiam,sed etiã naturale esse (solẽt enim naturales & euidẽtes rerum proprietates in earum definitionibus adhiberi)& quia accidens nõ est naturaliter sine substãtia,iccircò substãtia ponitur in ea definitione accidentis. Alia verò definitio est,quæ indicat solam eius essentiam:& in hac nõ ponitur,quod accidens re ipsa, & actu afficiat substãtiã,eiq; inhæreat. Quãuis autem accidens nulla ratione possit separari ab his,quę sunt de sua definitione secũdo modo dicta, potest tñ separari ab his quę sunt de definitione,accepta primo modo. Ricar.d.12. art.1.q.1.sle tat.

Quinto argumentor: Nil debet esse inordinatum in hoc sacramento:sed accidentia esse sine subiecto est cõtra ordinẽ rerũ: ergo nõ sunt sine subiecto. Respõdetur, quod aliquid effici à Deo in rebus supra ordinẽ earum,nõ modo non est alienum à ratione & sapientia,qua cuncta reguntur : sed pertinet etiam tum ad huius vniuersi pulchritudinem:tum maximè ad declarandã Dei maiestatem. Quemadmodum enim sermoni humano verba noua,vel minus vsitata moderate ac decenter aspersa, splendorem addunt orationi: ità factis mirabilibus præter ordinem rerum, & Dei maiestas, atque potentia magis resplendet, & vniuersi pulchritudo gratius nitet. D.Aug. Ita olim differebat ille mirabiliter sapiens, & summe humilis Aug.epist.49.q.6.

Sexto argumentor : Quia accidens indiuiduatur ex subiecto:si ergo aliqua accidẽtia nõ sint in subiecto,nõ erũt indiuidua,sed vniuersalia,quod est incõueniẽs.

Respondetur, quod quia accidentia naturaliter fiunt in subiecto , nec verò vnum accidens est in subiectis diuersis, inde est, quod nos sine errore venamur distinctionem numericam accidentium, & eorum indiuiduationem ex subiecto. Sed proculdubio ea accidentia,quæ modo sunt sine subiecto in hoc Sacramento potuit Deus producere sine subiecto, & essent suis proprietatibus peculiaribus indiuidua . Nec hoc potest in

dubium

dubium reuocari, nisi à quorundam ingenijs, qui si legerint, vel audierint, quod accidentia indiuiduantur per subiectum, statim arripiunt illa verba quasi per fidem, & ipsam etiam Dei omnipotentiam ab opposito faciendo repellunt, nihil interim, aut considerantes se ipsos, & humani ingenij imbecillitatem, aut Dei maiestatem, & ineffabilem sapientiam reuerentes, aut rerum naturam penetrantes. Et quidem pro argumento dissoluendo non erat necesse, vt vniuersalem hanc doctrinam tradderemus: quoniam accidentia huius sacramenti iam antea indiuiduata fuerant in pane, & vino, quibus non manentibus manserunt illa postea in suo esse, & indiuiduatione. Quæ enim antea erant in subiecto modo non sunt in subiecto. Sciẽdum vero est, quod eo ipso, quod aliqua accidentia producerentur sine subiecto, haberent ordinem & aptitudinem ad peculiariter afficiendum subiectum: sicut ipsa peculiaria & indiuidua essent.

Septimo argumentor. Quia si accidentia nõ habeant compositionẽ cũ subiecto nullam omnino compositionem habebunt: ergo erũt simpliciora Angelo, quod est falsum. Disputant hic aliqui docti de modo, nescio quo, quem acquirere dicunt accidentia post consecrationem. Dicendum vero est, quod nihil omnino acquirunt præter hoc, quod cum antea essent in subiecto, & modo non sint in subiecto, eo ipso, quod non sunt in subiecto habẽt modum essendi substantiæ. Quod verò opponitur de eorum simplicitate satis est frigidum: nam habent compositionem essentiæ, & esse, naturæ cum suis proprietatibus, habent enim accidentia suas quasdam proprietates ac velut passiones. Est præterea ibi compositio partium quantitatiuarum, & plurium accidentium inter se se, & in ordine ad locum, & generis ac differentiæ, & alias, quas docti ponunt in accidentibus & rebus corporeis.

Vltimo argumentor: Quia species illæ rare fiunt & condensantur, quod non conuenit, nisi ratione materiæ, atque subiecti: præterquam quod vbi est raritas & densitas, semper producitur alia & alia quantitas: ergo non manet ea quantitas, quæ erat quantitas panis, & vini post consecratione. Pro hoc argumento, & similibus dicendũ est, quod eo ipso, quod quantitas cum suis accidentibus manent sine subiecto, sine alio nouo miraculo, habent modum essendi substantiæ: quia scilicet non sunt in alio, & quia substantia corporea nihil nec agebat nec patiebatur, nisi media quantitate, & qualitate. Iccirco quæcunque naturaliter fierent si maneret ibi substantia panis & vini, illa eadem eis speciebus sunt tribuenda. Quemadmodum enim, quanuis sublato sole, naturaliter eius radij tollerentur: si tamen Deus solis radios conseruaret cum omnibus eis viribus, quas antea habebant eandem, & æqualem haberent efficientiam in rebus: ita & in hoc mirabili sacramento dicendum est. Descendendo verò ad peculiaria argumenti dico, quod quando frangitur panis, frangitur media quantitate: continuum enim est id, quod frangitur: attamen absente pane post consecrationem non est difficultas in intelligendo, quod species frangantur: quanuis ante panis frangeretur. Et pari ratione, quanuis ante panis cõdensaretur, vel rarefieret; postea tamen quantum illud continuum condensatur, & rarefit. Cõdensatio enim & rarefactio pertinent ad quantitatem, sicut & fractio. Quanuis autem rarũ & densum sint quædam qualitates consequentes corpora ex hoc, quod habent multum de materia sub paruis dimẽsionibus, vel paucum sub magnis: subtracta tamen diuina virtute substantia, conseruantur istæ qualitates, sicut & alia accidentia. Quod verò additur corrumpi tunc quantitatem siue quantum, quod mansit facta consecratione falsum est. Aliud est enim condensari, vel rarefieri, aliud corrumpi etiam per comparationem ad quantitatem vel quantum. Quod si obijcias, rarum & densum esse terminos contrarios ac proinde nõ posse simul esse, responderetur, non sint vtique, sed manet quantitas eadem rarefacta, vel condensata, quæ est materia illorum motuum. Atque vt generaliter respondeam obiectioni bus, quæ circa hoc fieri solent, dico quod quic-

quicquid substantiæ corporeæ agunt atq; patiuntur, medijs accidentibus agunt, atq; patiuntur, & quicquid in eis consideratur immediate pertinens ad actiones vel passiones accidens est. Verbi gratia in pane moles illa, & quantum, siue receptiuū impressionum accidens est, humidum accidens est, sicum accidens est, sapidum accidens est, album accidens est, molle & durum accidens est. Si ergo Deus conseruet omnia accidentia cum omnibus viribus, quas habebant præsente substantia vtiq; idem agent atq; patientur. Quia vero forma substantialis confert aliquid suo accidenti ad actionem, iccircò dicendum est, quod Deus non solum conseruat hæc accidentia: sed etiam omnem illam vim, & robur, quod habebant à substantia.

ARTICVLVS. II.

Vtrum in hoc sacramento quantitas dimensiua panis & vini sit aliorum accidentium subiectum.

SVBIECTVM reliquorum accidentiū rerum in hoc sacramento est quantitas dimensiua panis & vini. Quod probatur primum: Quia ad sensum constat, quod quantitas est medium, quo substantiæ corporeæ recipiunt externas omnes impressiones & accidentia, ergo sublata substantia certe illa omnia manent recepta in quantitate.

Secundo argumentor: Quia iuxta philosophorum principes Platonem & Aristotelem primæ differentiæ, & passiones materiæ, sunt magnum & paruum; itaque quantum est primo & maxime insitum atq; cognatum materiæ; consequens ergo est, vt quæcunq; alia accidētia insunt substantiæ corporeæ, comparētur & referantur ad eam media quantitate, sed subiecto primo detracto remanent accidentia secundum esse quod prius habebant, vt modo supponimus: consequens ergo est vt maneant & inhæreāt in quantitate dimensiua.

Plato. Arist.

Tertio argumentor: Quia qualitates corporeæ & diuisibiles non diuiduntur, nisi per accidens scilicet, ad diuisionem subiecti, diuiduntur autem qualitates remanētes in hoc sacramento per diuisionē quantitatis dimensiuę, vt patet ad sensum; ergo quātitas dimensiua est subiectū accidentium, quæ remanent in hoc sacramento. Atq; de hoc articulo satis.

ARTICVLVS. III.

Vtrum conseruari possent reliqua accidentia, etiam sublata quantitate.

EXTAT de accidentibus corporis duplex opinio. Quidam dicunt, quod ea ex se quidem non habent quātitate, sed extenduntur & inhærent substantiæ corporeæ, media eius quantitate, quæ est generalis ratio extensionis & diuisionis omnibus rebus corporeis. Alij dicunt, quod albedo habet propriam quantitatem, adeò vt sit sua quantitas, & calor sua quantitas, & ità de cæteris. Et quidem si hæc opinio vera est, optime conseruari poterunt accidentia sine substantia & quantitate; nec hoc aliquis negare poterit. quia & ipsa habent suam quantitatem molis, de qua nobis est sermo. At verò ego existimo, quod quemadmodum albedo est ratio quantitati, quod sit alba: ità quantitas est ratio albedini, quod sit quanta, & extensa. Et quemadmodum sapor in pomo dat pomo & humido & quanto & colorato, quod sint sapida: ità quantitas dat omnibus illis quod sint quanta. Et sicut voluntas est vniuersalis appetitus, quando intellectui & voluntati & oculis & gustui, & deniq; corpori & animæ appetimus, quæ conuenientia sunt: pari ratione quantitas est peculiare quoddam, quo cætera omnia corporea quanta sunt: quemadmodum quæcunq; sunt colorata colore colorata sunt: ergo prima illa sententia constituta, quod quantitas est peculiare quoddam accidēs quo extenduntur, & diuisibilia sunt quæcunq;

cunq; extensa esse videmus & diuisibilia, est questio, vtrum possent conseruari reliqua accidentia etiam sublata quantitate. De quo sunt variæ sententiæ scholasticorum. Quid autem mihi verum esse videatur, duabus propositionibus explicabo.

Prima propositio: Deus posset eiusmodi accidentia conseruare, etiam sublata quantitate. Probatur primum: Quia hæc accidentia sunt res absolutę (de his enim est nobis sermo) ergo non habent essentialem dependentiam ab aliquo alio creato; ergo possunt produci sine illo.

Secundo argumentor: Aequalem vel etiam maiorem dependentiam habet quantitas à substantia, quam qualitas à quantitate: sed quantitas conseruatur à Deo sine substantia: ergo qualitas potest conseruari sine quantitate. Declaro maiorem. Quantitas dependet à substantia in genere causæ subiectiuæ: & item qualitas dependet à quantitate in genere causæ subiectiuæ. Et si hæc subiecta inter se se comparentur; substantia est subiectum prius & principalius, & magis propria ratione, quam quantitas: sed hoc nō obstante quantitas separatur à substantia, ergo & qualitas est separabilis à quantitate.

Tertio. Qualitas & est quid absolutum sicut quantitas, & est perfectior quantitate: sed quantitas potest separari: ergo & qualitas. In quo syllogismo; quod qualitas sit quid absolutum eo modo, quo quantitas suppono. Quod vero sit perfectior quantitate, probo primum: Quia qualitas conuenit ratione formę, estq; illi cognatę; quantitas vero ratione materiæ.

Secundo. Quia qualitas est principium actiuum omnium operationum substantiæ, quantitas vero non. Item. Tertio quia conuenit perfectioribus substantijs: alijsq; rationibus id posset comprobari. Denīq; cum quantitas, & qualitas sint duæ res absolutæ, & realiter distinctæ, negari non debet, quod possint à Deo inuicem separari, & conseruari separatæ. Qui sint qui huius conclusionis oppositum docuerūt, necesse non est referre. Nostram vero sententiam tenent Scotus & Ocham, & Ricardus de Media Villa vir antiquus & doctus & Sotus. Illi in 4.d.12, Sotus vero d.10 questio.2.ar.2. & Gabr. in canonem lectione.44.

Scot. Ocham. Ricar. Soto. Gabriel.

Secunda propositio: Si albedo verbi gratia, separaretur à quātitate, nec visibilis esse posset, nec extensa nec continua. (Semper vereor has implicationes asserere: sed fateor, quod non possum oppositum intelligere.) Ac proinde mihi videtur, quod si qualitas separetur ab omni quantitate, implicat eam esse visibilem vel extensam vel continuam. Probatur: Quia cōtinuum essentialiter claudit quantitatem, & extensum essentialiter claudit quantitatem, & visibile essentialiter supponit quantum, & extensum ac diuisibile in partes: ergo separata quantitate, non potest qualitas &c.

Sed contra primam propositionem est argumentum: Quia sola quantitas indiuiduatur per se: omnia verò alia accidentia per quantitatem: ergo si aliquod accidens esset, & non in quantitate, non esset singulare ac indiuiduum: ergo esset vniuersale: ergo non esset, quoniam vniuersale non potest esse. Respondetur patere ad sensum, quod quando diuiduntur, & multiplicantur quantitates, diuiduntur etiam, & multiplicantur qualitates: quod si vniantur quantitates vniuntur etiam, & qualitates. Et inde profectum est, vt aliqui existimarent, & dicerent, indiuiduari qualitates per quātitatem. Sed reuera quælibet natura intra suum genus habet proprietates & differentias contrahentes ad singularitatem. Itaq; sicut in quolibet prædicamento; & coordinatione est inuenire genus supremum & species intermedias; & vltimas: ita est inuenire singulare, singulari eius generis proprietate: atque hoc tribuere soli quantitati nullum habet, vt existimo fundamentum. Et nostram sententiam tenet Ricardus in.2.dis.3.articulo 3.& in 4.d.12.ar.1.q.2. & Gabriel lect. 44. in canonem.

Ricar. Gabr.

At contra secundam propositionem est argumentum: Quia si esset albedo sine quantitate esset spiritualis, quia esset indiuisibilis, & sine materia ac quantitate:

& tamen esset corporalis vt constat; quia de tertia specie qualitatis: ergo esset spiritualis & corporalis.

Pro hoc argumento, & similibus sciendum est, quod quælibet qualitas & accidens corporale quanuis separaretur à quantitate, eo tamen ipso, quod est corporalis affectio ex natura, & quidditate sua esset apta nata perficere materiam siue corpus: & rursus esset apta nata extẽdi per quãtitatem. Et hoc sufficit, vt verè esset corporalis ex natura & genere suo, non aliter, atq; si substantia corporea separaretur à quantitate, non quidem esset extensa vt sic, nec partibilis: vere tamen esset natura corporea. Et quidem in hoc ipso sacramento mirabili, de quo nobis sermo, fatemur catholicè, quod subest accidentibus verũ corpus Christi, & adiungimus, quod vt sic non habet naturalem modum essendi corporis, aut diuisibilis, sed substantiæ. Atque ex hoc etiam efficitur non rectè colligi ex eo, quod albedo separetur à quantitate, quod posit esse in angelo. Et ratio est, quia, ex natura sua est qualitas & affectio corporea: ac proinde non potest inhærere nisi subiectio sui generis, scilicet, corporeo, sicut visus non potest ferri vltra suũ obiectum. Et præterea videmus, quod nõ quodlibet subiectũ est receptiuum cuiuslibet accidentis, sicut lapis non est receptiuus sensationis. Si tamen angelus recipere posset albedinem, à quantitate separatam, non sequeretur inde, quod ea esset qualitas spiritualis absolutè, sed solũ quod angelus est capax alicuius corporei recepti per modum indiuisibilis, & incorporei; quod ingenio capaci non esset mirabile.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrum species quæ remanent in hoc sacramento, possint immutare aliquid extrinsecum.



PERTE sequitur ex superioribus, quid de hoc articulo dicendum sit. Quia enim vnũquodq; agit in quãtum est ens actu, cõsequẽs est, quod vnũ quodq; sicut se habet ad esse, ità se habeat ad agere. Cũ ergo secundum prædicta speciebus sacramentalibus datum sit diuina virtute, vt remaneant in suo esse, quod habebant quãdo erat substantia panis, & vini, consequẽs est, quod etiam remaneant in suo agere. Et ideo omnem actionem quam poterant agere substantia panis, & vini existente, possunt etiam agere transeunte illa, & cõuersa in corpus & sanguinem Christi.

Secundo argumentor: Quia res non sunt sensibiles per substantiam formaliter, sed per accidẽtia sensibilia, substãtia enim solo intellectu cognoscibilis est; at ea accidẽtia sensibilia manent in suo esse & vi: ergo possũt immutare sensum sicut antea: ergo possunt immutare aliquid extrinsecũ. Tertio id liquet euidentissima experiẽtia supposita fide, quod accidẽtia illa sunt sine subiecto.

Sed extat agumentum contra hæc: Nã cessante actione principalis agentis necesse est, quod cesset actio instrumenti, sicut quiescente fabro non mouetur marcellus: sed omnes formæ accidentales agunt instrumentaliter in virtute formæ substantialis, tanquam principalis agentis: ergo cum in hoc sacramento non maneat forma substantialis panis, & vini, sequitur quod formæ accidentales manentes nihil omnino agere possint. Respondetur: quod, actio formæ accidentalis depẽdet ab actione formæ substantialis ad summum sicut esse accidentis dependet ab esse substantiæ: & ideo sicut diuina virtute datur speciebus sacramentalibus, vt possint esse sine substantia: ita datur eis vt possint agere sine forma substantiali: datur vero eis vt sint sine substantia à Deo à quo omne esse & actio habet esse ac dependet.

Secundo argumentor: Nihil agit vltra suam speciem quia effectus non potest esse potior causa: sed omnes species sacramẽtales sunt accidentia: ergo non possunt immutare exteriorem materiam saltem inducendo formam substantialem. Respondetur quod immutatio, quæ est ad formã substantialem non fit à forma substantiali immediate, sed mediãtibus qualitatibus,

actiuis & passiuis quæ agunt in virtute formæ substantialis: hæc autem virtus instrumentalis conseruatur in speciebus sacramentalibus diuina virtute sicut & prius erat & ideo possunt agere ad formam substãtialem instrumentaliter. Per quem modum aliquid potest agere vltra suam speciem non quasi virtute propria, sed virtute principalis agentis. Hæc vero virtus nihil est aliud, quam ipsa qualitas: ac propterea intelligere debemus, quod quemadmodum semen hominis iam defuncti generat hominem, proculdubio in virtute hominis, à quo fluxit, & tamen non oportet semen illud subordinari defuncto homini, ita vt moueatur ab illo existente, sat est enim conseruari in ea virtute, qua fluxit ab illo; ita qualitas vini conuersi in sanguinem Christi, quia erat virtus vini, & cõseruatur, sicut erat, est productiua vini: agitq; in aquam admixtam, & eam conuertit, eadem prorsus ratione & vi atq; si vinum subesset. Sic olim de hoc articulo D. Tho. & Caietanus disserebant; & recte.

S. Thom. Caietan.

ARTICVLVS. V.

Vtrum species sacramẽtales possint corrumpi, vel ex eis aliquid generari.

VNA fere est istorum duorũ difficultas, aut certe cõsequẽs nec vnum eorum sine altero bene tractari potest. Igitur pro huius rei explicatione repetamus id quod supradictum est; nimirum, accidentia, quæ manent in hoc sacramento habere idem omnino esse, quod habebant præsente substantia; ac proinde pati modo id, ꝙ præsente substãtia pateretur. Ex quo ad primã partem huius articuli facilis & expedita responsio est, quod species sacramentales, & possunt corrumpi, & corrumpuntur ad eum modum, quo accidentia sensibilia solent corrumpi. Illa vero desinunt esse dupliciter. Vno modo per se, quia, scilicet, ab agente naturali, & extrinseco inducuntur contrariæ dispositiones, & accidentia: alio modo per accidens, quia corrũpitur subiectum, eo vero corrupto, quãuis nil aliud intercederet, corrumperetur propria eius accidentia: sicut pereunte homine non manent propria accidentia hominis.

His ergo constitutis dicẽdum est, quod quia quantitas in hoc sacramento induit rationem subiecti respectu cæterorum accidentium, & ea manẽt in esse quod habebant, si substantia subesset: ideirco patiuntur, & suscipiunt impressiones, & subiecta sunt agentibus naturalibus, ac si adesset substantia. Ac proinde illę qualitates, alterari possunt per se, & corrumpi, & rursus quantum illud subiectum est ei corruptioni, cui subijceretur panis vel vinum, si adesset, eo vero corrupto necesse est, vt corrumpantur ea omnia, quæ in sunt in eo; quanuis nihil aliud interueniret. Quod ideo dico: quia re ipsa illud quãtũ nõ solet corrumpi, nisi præcedente alteratione circa alia accidentia. Nisi quando in tot partes diuiditur, vt quanuis adesset panis substantia, nõ posset conseruari sub illis. Tũc enim sine præuia alteratione desinunt esse accidentia per talem diuisionem & desitionem subiecti.

Quod si obijcias contra hæc; quia corruptio accidẽtis per separationem formæ à materia, sed materia panis non remanet in hoc sacramento: ergo ex speciebus nõ possunt corrũpi, respõdetur falsum esse, ꝙ corruptio accidentium fiat per separationem formæ substãtialis à materia, quæ est pars substantiæ. Atque hoc est certum, & euidens per se loquendo. Verum est tamen quod per corruptionem formæ accidentalis illa separatur à materia subiecta. Et sic dicendum est, quod quanuis esse horũ accidentium non sit in materia, habet tamen modum similem, ac si esset in materia, ac propterea potest per corruptionem auferri etiam materia non existente.

Secundo argumentor: Quia formæ per se subsistentes, & sine subiecto sunt incorruptibiles: tales sunt istæ species: ergo incorruptibiles. Respondetur distinguendo maiorẽ: Formæ enim per se subsistentes, sicut Angeli, sunt incorruptibiles, at veró formæ corruptibiles ex natura sua, & existentes

ſtentes quidem ſine ſubſtantia ſubiecta, habentes autem ſimilem modum eſſendi atq; ſi ſubijceretur ſubſtantia, negatur quod ſint incorruptibiles. Imò procul dubio tam ſunt corruptibiles, atq; ſi ſubſtantia adfuiſſet. Nec verò hoc eſt miraculum, ſed naturale. Supponitur enim miraculum, ſcilicet, quod illæ ſpecies retineãt idẽ eſſe ſine ſubiecto, quod prius habebant in ſubiecto. Eo vero miraculo ſuppoſito, naturale eſt, quod corrũpantur, ſicut ante, non aliter atq; cæcus miraculoſe illuminatur, illuminatus vero naturaliter videt. Et hæc de primo; de quo nulla eſt difficultas. Sed ſecũdum illud, quomodo ex eis ſpeciebus corruptis aliquid aliud generetur, merito torſit omnium ſcholaſticorũ ingenia. Et ratio dubitandi eſt: quia omnes ignoramus, vnde proueniat, & emanet illa materia, ex qua conſtant, verbi gratia vermes, ſpeciebus corruptis. In quo ſunt variæ ſententiæ. Enumerabimus vero eas, quæ magis celebres, vel probabiliores ſunt.

Innocen. Celebris fuit, & perantiqua ſententia Innocentij li. 4. de officio miſſæ. capite. 11. Dicebat ille, quod quando ſpecies panis corrumpuntur, & ex eis aliquid aliud generatur, reuertitur miraculoſe ſubſtantia, quæ præfuerat panis, & vini, atq; ex ea oriuntur illæ generationes. Hanc vero ſententiam reijciunt ferè omnes ſcholaſtici, Ricardus diſtinctione. 12. articulo ſecundo, quæſtione ſecunda. D. Thom. 3. part. q. 77. ar. 5. & 4. contra Gentes c. 66. Gabr. lectione. 45. in canonem, Scotus illa diſtin. 12. q. vltima & deniq; fere omnes, quibuſdam valde antiquis exceptis. Id vero merito ij doctores fecerunt. Quoniam ſi ſubſtantia panis rediret, ſiue ſit eadem numero, quæ præfuerat, ſiue diuerſa, aut rediret ante corruptionem ſpeciei panis, aut poſt: nõ ante, quia vt tenet cõmunis opinio quãdiu manet ſpecies panis incorrupta, tandiu ſub illa eſt corpus Christi, ſed quandiu ſub illa eſt corpus Christi, tandiu eſt quantitas panis, ſine ſubiecto, vt docet fides: ergo tunc non eſt ibi ſubſtantia panis. Nec vero reuertitur panis poſt corruptionem ſpecierum, quia tunc reditus eius nõ

Ricar. D. Tho. Gabriel. Scotus.

eſt neceſſarius, ad hoc vt eę ſpecies poſſent corrumpi, & ex eis aliud generari: nam iam facta erat generatio atq; corruptio. Prę terquam, quod ſi reuertitur panis ſubſtantia, quando corrupta ſunt accidentia panis: ergo manet panis ſine proprijs accidẽtibus.

Secunda ſententia fuit quorundam, qui aſſeruerunt, quod ea, quæ tunc generantur fiunt, non quidem ex ſpeciebus ſacramentalibus, ſed ex aere circunſtante. Atque ij ſatis hac ſua ſententia declarant fuiſſe illos, qui in ſuperioribus affirmabant ſpecies ſacramentales eſſe in aere, ſicut in ſubiecto. Quia vero conſtat euidenter, quod non ſunt in aere ſicut in ſubiecto, conſtat etiam, quod hæc ſententia eſt falſa & ridicula. Alias vero rationes in eã non formabo: quia quiliber diſertus eſſe poſſet, ſi contra eam diſputaret.

Tertia ſententia eſt aliorum, qui dicunt quod ex ipſa quantitate permanente quidem in eſſe accidentis fungente tamen vicem materiæ generantur quæcunque ex ſpeciebus conſecratis generantur: itaque id quod generatur conſtat ex quantitate ſacramentali, quæ vicem habet materiæ, & ex forma ſubſtantiali producta ab agente in illa quantitate. Et aliqui tribuunt hãc ſententiam Diui Thomę, & dicitur ea fuiſſe antiquorum Thomiſtarum. Quorumcunque vero ſit, illa eſt falſa. Quod probari poſſet multipliciter.

Primũ; Quia ſi quãtitas ſacramẽtalis virtute diuina induit vim, & rationẽ materię adeò vt poſsit eſſe naturaliter altera pars ſubſtantialis cõpoſiti phyſici condiſtincta contra formam: ergo non minus inconuemens eſt dicere, quod talis quantitas manet in hoc ſacramento ſimul cum corpore Christi, quam dicere, quod manet vera materia panis. Imo videtur, quod non poſſemus iuxta hanc ſententiam reddere cauſam idoneam, propter quam Deus in conſecratione huius ſacramenti ſuſtulit materiam panis, ſi erat collaturus quantitati illi remanenti tantam vim, vt nihil prorſus differret à materia.

Secundo argumentor: Quia ſequeretur, ꝙ entia phyſica non haberent veram materiam

teriam partem sui, quod aut vix aut nulla ratione potest intelligi. Tertio, quia certè vermes geniti essent alterius rationis, & quidditatis ab alijs vermibus, nec enim haberent veram materiam pro essentiali sui parte, sicut alij. Quarto, quia forma substantialis non est actus quantitatis, sed materiæ; potentia enim, & actus pertinet ad idem genus.

Quinto, quia ex forma substantiali, & accidenti non fit compositum per se, sed monstrum aliquod inauditum in natura. Alijsque vijs & rationibus posset ea sententia improbari. In qua ferre non possum, quod ea tribuatur Diuo Thomæ, non quod eo sim ingenio, vt mihi valde curæ sit quid quisque dicat, sed quam doctè sapienterq; loquatur: noui enim, quod fides quidem est supra rationem, ratio verò supra omnem hominem iuxta sapientem Augustinum. Sed moueor inde, quod immeritò video reprehensum eum authorem, quem semper præceptorem duxi; & quem scholasticorum facile principem agnosco. Ergo qui videre volet, quod Diuus Thomas non fuit huius tertiæ sententiæ, audiat solutionem ad tertium articuli citati.

D.August.

D.Tho.

Tertium illud argumentum erat huius formæ: Si ex eis speciebus generetur aliqua substantia, illa substantia non erit sine accidenti: si ergo ex eis generetur aliqua substantia corporea, oportet, quod ex accidenti generetur substantia, & accidens, duo scilicet, ex vno, quod est impossibile: ergo impossibile est, quod ex speciebus sacramentalibus aliqua substantia corporea generetur.

Respondet verò in hunc modum ad tertium, dicendum, quod quantitas dimensiua panis, & vini retinet naturam propriam, & accipit miraculosè vim, & proprietatem substantiæ; & ideo potest transire in vtrunque, id est, in substantiam, & dimensionem. Quid euidentius? Non dicit, quod manet dimensio in ea generatione habens vim, & proprietatem substantiæ; sed quod transit dimensio in substantiam, & dimensionem. Nec verò per substantiam hoc loco intellexit Diuus Thomas formam rei genitæ, sed materiam. Quoniam nunquam materia rei corruptæ transit in formam: sed materia, verbi gratia, aeris transit in materiam ignis, quando ignis generatur, hoc est efficitur materia ignis.

Quarta igitur sententia est Sancti Thomæ loco citato, quam explicat Caietanus in eundem illum articulum in hunc modum: Tenet, inquit, Diuus Thomas, quod quando ex speciebus sacramentalibus aliquid generatur, quantitas transit in materiam per modum conuersionis seu transitionis; ità quod virtute primi miraculi datum est quantitati, vt durante sacramento, sit vice materia, & in termino sacramenti, hoc est, in primo non esse sacramenti, sit vere materia. Quemadmodum si in politicis princeps vnico imperio constitueret aliquem pro consulem viuente consule, ità quod in obitu consulis sit consul. Nec existimandum est, quod iuxta hanc sententiam agens naturale faciat de dimensionibus materiam, hoc enim stultum est: quoniam agens naturale non facit primum subiectum suæ actionis, sed supponit illud. Intelligendum ergo est, quod in hac generatione agens naturale agit in illud quantum, seu vice materiam, disponendo illam, tanquam si esset materia ad formam substantiæ generandæ; & hoc vsque ad instans generationis exclusiue. In instanti autem generationis quod est primum non esse sacramenti, dimensio virtute primi miraculi transit in materiam dispositam pro forma illa, ac si præfuisset. Et sic in eodem instanti naturale agens introducit in eam materiam formam substantialem, cum accidentibus requisitis.

Caietan.

D.Tho.

Quinta sententia est AEgydij Romani theoremate. 4 4. & 4 5. Quo loco exposita sententia sui præceptoris Diui Thomæ ad modum, quo Caietanus exposuit, atque etiam improbata, docet ipse, quod quando corrumpuntur species consecratæ in eo instanti, in quo

AEgydius.

Hh definit

desinit esse corpus Christi, incipit esse substantia corporea generata, ac proinde incipit ibi esse materia cum forma producta. Et videns ille Doctor, quam in promptu esset nouæ creationis obiectio atque miraculi, respondet, quod ea materia licet creetur à solo Deo, non tamen incipit ibi esse per miraculum sed naturaliter. Quin potius esset, inquit, grande miraculum, si materia tunc non produceretur à Deo. Id quod explicat isto modo: In generatione hominis, quando embrio est vltimatè dispositus, creatur anima rationalis, & infunditur ei, non tamen est miraculum, quod creetur, sed potius esset miraculum si embrio vltimatè dispositus frustraretur infusione animæ rationalis, quoniam id esset contra ordinem, & legem naturæ. Et pari proportione, quoniam illud quantum manentibus speciebus gerit vicem materiæ, & disponitur ab agente naturali ad aliam formam: ea prorsus ratione, qua disponeretur si subesset materia, icirco miraculum esset, si vltima dispositione facta non adueniret materia. Quoniam naturæ lex & ordo postulat, vt in subiectum vltimate dispositum inducatur forma, ad quã est dispositum: ea vero forma non potuit secundum naturæ leges induci; nisi in veram materiam.

Conueniunt duæ istæ sententiæ in eo, quod quantitas sacramentalis cum reliquis accidentibus corrumpitur, & eis corruptis succedit noua materia, ex qua constat id, quod generatur. Differunt tamen quia AEgidius putat id fieri per creationem materiæ, Diuus Thomas vero per conuersionem quantitatis in materiam. D.Tho. Et quidem Sanctus Thomas nititur quantum in ipso est, rem reducere ad modum naturalem, & eximere à miraculo. Quod quidem, & ego facerem, si inuenirem aliquam viam, & rationem probabilem. AEgidius vero, quia eiusmodi viam & rationem probabilem non inueniebat, cõfugit ad creationem, debitam tamẽ iuxta naturæ leges. Vtra vero harum duarum sententiarum verior sit viderit alius: ego enim fateor me non videre fines huius difficultatis, nec eam comprehendere. Videtur vero mihi sententia Aegidij similior vero, & magis expedita. Primum, quia cum Diui Thomæ sententia nitatur effugere nouum miraculum præter illud, quod fit in consecratione, non hoc assequitur. Quando enim dicit, quod quantitas in consecratione accepit, vt posset transire in substantiam, aut est sensus, quod quantitas per solam consecrationem, & per hoc præcise, quod manet sine subiecto habet, quod possit conuerti in substantiam: & hoc plane falsum videtur (non enim ex eo, quod accidens separatur à subiecto potest transire in substantiam) aut est sensus, quod simul data est quantitati illa potestas existendi sine subiecto, & transeundi in substantiam. Et hoc non est tollere miraculum ab ea transitione, sed variari & tempus, in quo collata dicitur quantitatiuis transeundi in substantiam. Præterquam, quod est difficile intellectu, quod quando re ipsa accidens vertitur in substantiã, non celebretur re ipsa, & actu miraculum nec requiratur ad id peculiaris, & miraculosa actio Dei.

Et secundo argumentor: Quia ea sententia non modo non fugit miraculum; sed etiam incidit in aliud multo maius, quam sententia Aegidij. Quod probo: Quia fide catholica constituta, quod in sacramento Eucharistiæ, nec manet materia substantialis panis nec forma, nec esse, & denique nihil substantiale manet, sed sola accidentia; est multo mirabilius, quod accidens conuertatur in substãtiam, quam quod ea substantia & materia creetur.

Tertio quia cum ea sententia infringit opinionem AEgydij, quia ex forma consecrationis non habetur, quod corruptis speciebus ad productionem rei genitæ, producatur materia à Deo; quæri posset ab ijs ipsis authoribus, vnde ipsi habeant ex forma consecrationis quod corruptis accidentibus, aliquod accidens conuertatur in substantiam. Sed fortasse in Dei sapientia positũ est nõ de nouo creare materiam, sed ex secreto aliquo, & abdito

sinu

sinu accidentis mirabiliter educere substantiam. Nos vero quæstiones istas physicas relinquamus. Et præsentem quidem hanc, sicut & plurimas alias, ego fateor me non comprehendere.

ARTICVLVS. VI.

Vtrũ species sacrãmentales frangantur in hoc sacramento.



EFFICIVNT quidam scholastici ex antiquis, vt id disputemus, quod certè (vt pace eorum dixerim) indignum est, vt controuertatur, scilicet, vtrum species sacramentales frangantur. De quo variæ olim fuere opiniones, vt constat ex Magistro, Ricardo, Diuo Bonauentura, Sancto Thoma, & alijs antiquis. Dixerunt enim quidam, quod ibi non est fractio re vera, sed secundum apparentiam, cum tamen constet ad sensum, quod ibi est fractio, per quam ex vno fiunt multa, & dici non possit, quod in his sensus fallatur; alioqui nihil erit certum in hac vita, eritque nostra omnis cognitio, & existimatio perpetua quædam deceptio. Alij autem affirmauerunt, quod ibi erat quidem fractio, sed sine fractionis subiecto, quod tum est contra sensum; tum etiam inintelligibile. Inintelligibile quidem; quia fractio certè supponit aliquid, quod frangatur, & id appellamus subiectum. Contra sensum verò, quia patet ad sensum, quod aliquod quantum prius vnum existens, postea in multa partitum est. Quod verò partitum, vel diuisum est appellant homines subiectum eius partitionis.

Magister. Ricard. D. Bonau. S. Thom.

Supponamus igitur in primis, quod cum quæritur, vtrum illæ species sint frangibiles, non accipimus frangibile secundum peculiares aliquas differentias fissibilis, aut secabilis, & aliarum, quæ oriuntur ex diuersa dispositione subiectorum, de quibus, si alicui placet consumere tempus in physicis, videat Aristotelem quarto metheorologicorum. Nos verò frangibile accipimus ratione generali pro eo, quod partitione manet diuisum.

Arist.

Hoc constituto, est prima propositio; quod species sacramentales franguntur: eiusque fractionis subiectum est quantum illud, quod mansit transeunte substantia panis. Probatur primum experientia ad sensum, secundo ratione; Quia frangibilitas conueniebat pani ratione suę quantitatis, & talium qualitatum: cum ergo post consecrationem remaneat, & quantitas, & qualitates omnes panis in esse, quod habebant, sequitur, quod sint frangibiles illæ species, sicut ante, non aliter atque sunt albæ, & sapidæ sicut antea.

Item; Nihil magis proprium quantitatis, quam diuisio; sed ibi est vera quantitas: ergo vera diuisio. At omittamus ista. Nam si album illud potest denigrari, certè poterit & quantum diuidi.

Secunda propositio sit, quod corpus Christi existens sub speciebus vere tractatur manibus sacerdotum, & frangitur. Hæc constat ex celebri illa confessione Berengarij. Sed sciendum est, hæc conuenire corpori Christi non per se, sed ratione specierum. Sicut enim ratione specierum moueri dicitur: ità & frangi, ac diuidi ratione earum. Itàque totum manet, & integrum sub qualibet diuisionis particula. Sed, quia cùm prius sit sub vna tantum hostia, & eius partibus, quæ sunt entia in potentia, facta tamen diuisione, manet in pluribus hostijs integrum, & perfectum. Et cum illæ pluribus distribuuntur, corpus Christi sumitur ab eis; iccircò dicitur, quod corpus Christi frangitur, & diuiditur. Et nos dicimus vere, corpus Christi manducare, quamuis sub aliena specie. Vide Thom. Vvaldensem, lib. de Sacramentalibus. capit. 42. Atque hæc omnia grauiter docuit Diuus

Bereng.

Tho. Vvald.

Hh 4 Au-

D. August. Augustinus, his verbis, Quando Christus, inquit, manducatur, vita manducatur. Sed quis audeat, manducare Dominum suum? Et tamen veritas inuitans
Ioan. 6. nos ad manducandum ait; Qui manducat me, viuit propter me. Nec occiditur Christus, vt manducetur, sed mortuos viuificat; quando manducatur reficit, non deficit: viuit mãducat⁹, quia surrexit occissus: nec quando manducamus partes de illo facimus. Norunt fideles, quomodo manducent carnẽ Christi, vnusquisq; accipit partem suam: vnde, & ipsa gratia partes vocantur. Per partes manducatur, & manet integer totus. Per partes manducatur in sacramẽto, & manet integer tot⁹ in cęlo, manet integer totus in corde tuo. Et
D. Hiero. Diuus Hieronymus vt refertur de consecratione distinctione secunda, Singuli, inquit, accipiunt Christũ Dominũ, & in singulis portionibus totus est: nec per singulas minuitur; sed integrum se prębet in singulis. Ex quibus satis liquet, quod quanuis sacramenta illa diuidantur, Christus tamen ratione sui, aut in se ipso nõ diuiditur. Et secundum hanc rationem debet intelligi ista conclusio si quis vero quæratur, quid ea fractio in sacrificio missæ significet, respondetur breuiter, quod sicut Theologi dicunt, ipsa fractio significat passionem Christi, sed partes ipsæ significant partes corporis mystici. Et quia partes in corpore Christi mystico sunt in triplici differẽtia, quidã regnant in paradiso alij securi expectant in sepulchro, quoad corpus, & in purgatorio, quoad animam, tertij pugnant in merito, idcirco in tres partes fit diuisio.

Irruunt vero multi in primam illam, & euidentem propositionem: quoniam multi fuere, qui tenuerunt oppositum.

Primum: Nam secundum Philosophos dimensiones separatæ à materia non possunt diuidi: sed ista accidentia sunt sine materia: ergo non possunt diuidi. Respondetur, quod philosophis erat sermo de suis illis mathematicis dimensionibus, & confictis, ac separatis ab omni sensibili, quæ nulli essent sensui, aut passioni corporali subiectæ. nos vero loquimur de quanto, & quali habente idem prorsus esse, quod habebat præsente substantia. Boetius.

Secundo argumentor: Quia Boetius primo de Trinitate, capite tertio dicit, quod formæ, quæ sunt sine materia non possunt esse subiectum: ergo ista accidendentia non possunt esse subiectum fractionis. Respondetur, quod loquebatur ibi Boetius de rebus spiritualibus, siue substantijs separatis. Tertio: Fractio, quæ est in signo significat esse etiam in signato, sed in corpore Christi nõ est fractio: ergo nec in speciebus. Respondetur; falsum est, quod ea fractio significet, quod tunc corpus Christi in se ipso frangatur, sed significat passionem Christi.

Sed aduersus secundam propositionem obijcio: Quia illæ species digeruntur, nutriunt, & conuertuntur in substantiam alti: si ergo corpus Christi frangi dicendum est, quia illæ franguntur, dicetur etiam digeri, & nutrire, & conuerti in alitum, quod est absurdum. Respondetur, quod simulatque accidit corruptio specierũ, non est sub eis corpus Christi, ac proinde corpori Christi nec per se, nec per aliud conuenit nutrire corpus, vel conuerti in alitum, aut digeri, vt includit corruptionem specierum.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm aliquis liquor possit vino consecratio misceri?


HERE in vniuscuiusque articuli declaratione recurrere debemus ad eadem totius materiæ, atque quæstionis principia. Repetendumque est in primis, quod species in hoc sacramento remanentes, sicut adipiscuntur virtute consecrationis modum essendi substantiæ; ita etiam consequuntur modum agendi, & patiendi, vt scilicet, agere, & pati possint, quicquid ageret, vel pateretur substãtia, si ibi præsens existeret. Ex quo principio à Theologis omnibus, ob euidentem experientiam merito recepto, iam liquet quid

quid nam in genere quæstioni respondere simus; cum proculdubio, si substantia vini ibi maneret, posset ei permisceri alius liquor.

Secundo loco ponendum, vel repetendum est, quod sanguis Christi manet in hoc sacramento, quandiu manent species consecratæ. Quia cum sanguis Christi sit ibi ratione consecrationis, necesse est dicere, quod manente materia maneat etiam & forma sacramenti; & consequenter res ac sacramentum, scilicet, sanguis Christi. His positis quæri solet à Theologis; an si aliquis liquor misceatur speciebus consecratis, desinat tamen ibi esse sanguis Christi, an non? In quo mihi videtur esse dicendum, quod liquor appositus speciebus sacramenti, aut est alterius speciei, aut eiusdem. Si alterius, vt cum aqua admiscetur vino consecrato; aut appositum est maius virtute ac potestate eo, cui apponitur, vel æquale, vel minus. Si sit maius, vel æquale, corrumpuntur species vini, & desinit esse sub eis sanguis Christi. Et ratio huius est: quia inter liquores diuersarum specierum, semper est aliqua differentia, & contrarietas in qualitatibus: ac proinde si vnus eorum multum excedat, vincit alium, & conuertit eum in seipsum: vt quando parum aquæ inijcitur multo vino. Si verò sint æqualis virtutis, aut saltem ex nulla parte sit magnus excessus, resultare inde videtur Aristoteli, & suis sectatoribus tertium quoddam specie differens ab vtroque liquore. Ac proinde, cum ibi non maneant propria accidentia vini, non manebit sanguis Christi, postquam tertium illud resultauerit. Quod si liquor infusus vino consecrato minoris potestatis sit, quam ipsum vinum, nec ipsum valeat à sua specie immutare, tunc sicut manent ibi species, & accidentia vini, manebit etiam sanguis Christi. Quod intelligendum est, & postquam species vini aquam conuerterint in suam naturam; & antequam conuerterint: semper enim manent species consecratæ, & ex consequenti manet sanguis. Et hactenus de eo casu, in quo vinum consecratum miscetur cum alio liquore.

Quando autem vino consecrato miscetur vinum non consecratum, dicendum est, quod aut hoc vinum est non modo eiusdem speciei, quoad rei naturam, sed etiam quoad qualitates. Aut est quidem eiusdem speciei quoad naturam, non tamen quoad qualitates; differunt enim quoad colorem, vel humiditatem, ac siccitatem. In primo casu dicendum est, quod siue illud, quod apponitur speciebus consecratis, sit maius, siue æquale, siue minus, species vini præexistentis non desinunt esse, nec sanguis Christi sub eis.

Quod probo primum: Quia receptum est, quod sanguis Christi non desinit esse sub speciebus vini consecrati, nisi per eam immutationem, per quam desineret ibi esse substantia vini, si subesset: sed constat quod per appositionem vini omnino similis substantiæ vini præcedens non desineret esse: ergo per appositionem vini similis in substantia, & qualitate vino consecrato, & speciebus eius non desinit esse sanguis Christi sub speciebus.

Secundo hoc ipsum confirmo & declaro: Quia simile non corrumpit simile: sed vinum cõsecratum, & illud aliud admixtum speciebus ponitur à nobis esse simile: ergo vnum non corrumperet aliud: ergo manent species priores, sicut maneret vinum, si esset: ergo manet sanguis sub eis.

Tertio argumentor: Si quando species vini consecrati miscentur alteri vino similis qualitatis non consecrato corrumpuntur, sequitur euidenter, quod quanuis misceretur alteri calici, seu vino consecrato corrumperentur: ergo non maneret verus sanguis Christi sub speciebus alicuius vini consecrati eo ipso, quod alteri calici iungeretur. Quod satis apparet esse falsum, etiam si nullam ad hoc rationem afferremus.

Quarto loco rem declaro in hunc modum: Quotiescunque quantum additur quanto manente quantitate vtriusque, quantumcunque fiant vnum continuum, semper tamen distinguuntur secundum positionem, & situm, quia duæ quantitates, etiam si sint

partes vnius quantitatis continuæ, necessariò distinguuntur situ & positione: sed sic est in proposito, vt ostensum est, quòd vinum appositum & species quibus apponitur manent quoad quantitates suas & qualitates: ergo quantumcunque faciant vnum secundum continuitatem, eo quod & corporalia, siue sensibilia sint, & eiusdem speciei, & vtrunque liquidum, ac propterea bene coalescens, & quod facile continuari possit semper tamen illæ partes distinguuntur secundum situm. Hæc verò continuatio quantitatis & nihilominus distinctio secundum situm, non sic intelligenda est, quod totum vinum appositum sit ex vna parte, & species vini consecrati ex alia, & continuentur solum secundum vnum latus, secundum quod sibi iunguntur: quemadmodum in insitione ramus appositus ac insertus trunco coniungitur ei, secundũ vnã extremitatẽ. Hęc enim istius modi coniunctio nõ est secundùm naturam liquidorum. Sed intelligendum est, quod subintrat vnum alteri secundum paruas partes porosas: & cedit vnum alteri: semper tamen distinguuntur situ partes vtriusque vini; quamuis id sit imperceptibile sensu: propterea quod sensus non pertingit ad minima, quales sunt illæ partes. Igitur cum ibi maneant, & conseruentur species vini, fit, vt maneat etiam sanguis Christi sub eis.

At vero, si vinum consecratum fuerit album, & admisceatur eius speciebus vinum tinctum vel rubeum, maior est difficultas. Et primò quidem videndum esset, an ea vina differant specie eo ipso, quod vnum est tinctum, & alterum non item. Atque mihi quidem videtur, quod medici affirmarent ea vina esse specierũ distinctarum: eo quod nimium attendunt & affixi sunt sensibilibus effectibus & qualitatibus. Vident autem, quod alium effectum habet in corpore humano vnum vinum ab alio: ac proinde diuersos illos effectus secundum speciem reducerent in diuersas causas, nec male, eo quod in ordine ad suum obiectum, & finem bene philosophantur. Secũdum verò cõmuniorem, & altiorẽ philosophiam indagantem rerum quidditates, & naturas, existimo probabilius esse, quod vina non propterea distinguũtur specie, & rei subiecta natura, quòd vnũ similius ac diuersi coloris ab alio. Hęc enim sunt differẽtię accidẽtales, cõuenientes ex ipsa generatione vel cõfectione vini. Vnde experiẽtia liquet, quod si magnæ quantitati vuarum albarum pauculæ quædam nigræ misceantur, tingitur totum vinum, & fit rubeum. Non verò est probabile, quod paucæ illæ vuæ tantum excedant alias virtute, & potestate eas vt transmutent à naturali specie, & conuertant in propriam, atq; diuersam naturam. Differũt ergo ea vina humiditate, siccitate, colore, & alijs qualitatibus, non natura. Et icciręo mihi est valde probabile, quod quando speciebus vini albi consecrati miscetur vinum rubeum, etiam maioris quantitatis, non ità soluuntur, & corrumpuntur illæ species, quin si sub eis esset substantia vini, maneret: Ac proinde dico, quod manet sanguis Christi, quoniam ille tandiu manet, quandiu maneret vinũ, si ibi esset. Et aliòqui si illa, inquam differunt specie, dicendum esset, quod si vino rubeo consecrato misceãtur æquales species vini albi consecrati, quod ibi non maneret sanguis Christi; quod puto esse vehementer falsum. Quod vero ita dicendum esset saltem ijs Theologis, qui in mixtionibus admittunt sententiam Aristotelis probo. Quia quando miscentur duo diuersarum specierum, æqualis autem vel parum differẽtis virtutis & potestatis, neq; manet vnum, nec alterum, sed resultat vnum tertium, secundum illum philosophũ, quem nos eñã supra imitati sumus, cũ de mixtione vini, & aquæ ageremus: sed in hoc casu miscentur duo diuersarum specierum, æqualis verò potestatis: ergo resultabit vnum tertium: ergo nec maneret natura, & species vnius extremi si ibi esset nec alterius: ergo nec manet sanguis Christi in eo casu. Mea vero sententia, quando vni rei altera æqualis virtutis miscetur, nonunquam tam erunt diuersæ naturæ, & qualitatis, vt se inuicem corrumpant, & resultet vnum

tertiũ,

tertium, nunc breuiori spacio temporis, nunc longiori pro ratione actiuitatis atq; pugnantiæ. Nonunquam vero illæ duæ res tam possunt esse cognatæ, vt quanuis specie differant, vna non corrumpat alteram nisi tempore longo. Quod puto accidere in vinis si differunt specie. Verum est tamen, quod semper est magis durabile simplex quam mixtum. At satis de hoc sit: veniamus ad diluendas obiectiones.

Quod autem non maneat sanguis Christi sub speciebus, quando admiscentur alteri vino eiusdem speciei non consecrato, probatur primum: Quia tunc efficitur vna & continua quantitas vtriusque vini consecrati, scilicet, & non consecrati, sed vnum accidens numero non potest habere tam differentem ac repugnãtem proprietatem, vt sit in subiecto, & sine subiecto simul: ergo falsum est dicere, quod ea quãtitas sit in subiecto, & sine subiecto, si tamen manerent ibi species consecratæ, & sanguis Christi, eadem quantitas esset & sine subiectio & in subiecto: ergo non manent. Respondetur, quod nihil prohibet, quin accidens quod habet partes extensas qualis est quantitas secundum vnã partem sit in subiecto, & secundum aliam non sit in subiecto.

Secundo argumentor: Quando vino consecrato miscetur vinum non consecratum, illud mixtum non est idem numero, quod erat antea: ergo non est idem numero cum vino cõsecrato: ergo non manet ibi sanguis Christi. Respondetur, quod licet illud mixtum non sit idem numero cum vino consecrato: tamen multæ illius partes sunt omnino eædem cum partibus vini consecrati. Itaque illæ eædem res quæ sunt partes modo huius continui mixti, erant ante vinum consecratum: & quod erat ante vnum per se existens ad modum substantiæ vnius numero, illud ipsum est sub hoc mixto sicut partes actu continuatæ sunt sub toto. Atque hæc doctrina, etiam ab his, qui tenent oppositam sententiam, concedenda est. Quod, si facilis & vera cum sit, difficilis alicui videatur meminerit duo. Primum, quod quando vino infunditur vinum eiusdem speciei, & qualitatum quanuis statim coalescant, & efficiantur vnum, mirabile tamen esset, si quis diceret, quod aut vinum suppositum, aut iniectum corrumpuntur; cum & secundum sensum sit incredibile, & secundum rationem appareant ibi esse causæ conseruationis, & non corruptionis. Intelligendum ergo est, quod manet quidem re ipsa vinum vtrunque, cum hoc solo discrimine, quod antea vnunquodque erat vnum per se, postea vero vtrunque est alterius inuicem pars in actu. Meminerit secundo, quod aliter angelus est vnus, aliter homo, aliter lapis, aliter exercitus. Itaque variæ sunt, & multiplices rationes vnius. Et quanuis aliqua ita sint vna, vt eorum partes non possint eædem numero, fuisse tota per se; vt constat in partibus hominis: alia vero vna, tam sunt materialia, & bene diuisibilia, vt illud ipsum quod erat actu pars modo, per diuisionem solum fiat totum per se, vt quando scinditur lapis vel secatur lignum, & econuerso, quæ erant tota per se effici solent alterius partes: quia facile coniungi & continuari cum eo potuerunt ob naturam liquidam, facilem & cognatam vel prorsus eandem. Sed tertio instant alij in hoc fere argumento secundo: Quia quod est mixtum ex duobus, neutrum miscibilium est, sed tertium quoddam compositum: ita enim dicebat Aristoteles libro 2. de generatione & corruptione: ergo non manet primum illud. Respondetur, quod vt opinor, sermo erat Aristoteli de propria mixtione, siue proprie de miscibilibus, quæ semper sunt specie differentia. Aliud est enim vinum addere vino, & augere eius quantitatem, aliud res vel liquores miscere. Si voluit tamen negare, quod quando vinum additur vino illud idem vinum, quod erat antea non maneat, illa eius philosophi sententia esset falsa. Est tamen verum, quod manet sub differenti ratione, & statu. Arbitror autem, quod non erat ei sermo de additione rei ad rem eiusdem speciei: relinquebat enim homo ingeniosus pro per se noto, quod tunc non intercedat corruptio.

Aristot.

Quarto loco adducere possumus quorundam imaginationem, qui dixerunt, quod quātuncūq; modica sit permixtio, liquoris, siue eiusdem speciei, siue diuersæ cum speciebus consecratis corrumpūtur totæ, & consequenter desinit ibi esse sanguis Christi. Et mouebantur duabus rationibus. Prima: Quia magnum, & paruū sunt differentię quantitatis, sicut album, & nigrum coloris: cum ergo per quancunq; appositionem, vel additionem liquoris quantitas fiat maior non manet eadem. Secunda ratio erat: Quia cum species sint sine subiecto, & quod apponitur sit substantia solida penetrabit totas species, & diffundetur per eas sine resistentia. Respondetur tamen, quod licet paruum & magnū sint differentiæ quantitatis quoad terminos magis vel minus distantes, & quoad determinationem mensuræ; non tamen quantum ad essentiam quantitatis. Potest enim eadem quantitas manere, & nunc quidem minor esse nunc maior, vt si alteri quantitati continuetur. Ad secundam rationem respondetur, quod species illæ vini absque subiecto, eandem vim habent ad agendum, resistendum, & patiendum, atq; si adesset substātia. Vltimo loco eam rationem referamus, quam quidam adducebant ad probandum, nullum omnino liquorē misceri posse speciebus cōsecratis. Illa est: Quia quādo aqua miscetur aquæ benedictæ efficitur benedicta: ergo similiter si aliquis liquor misceri posset speciebus vini cō secrati: trāssubstātiaretur in sanguinē Christi, sine noua consecratione, q. est falsum. Respōdetur, quod sicut refert Innocētius de officio missæ par. 3. c. 25. quidam voluerunt, quod per contactum sacramenti, vinum, quod apponitur, efficitur consecratum, & transit in sanguinem. Sed sicut ipse eo loco dicit, assertioni istorum ratio non suffragatur. Nec enim virtus transsubstantiandi data est speciei vini consecrati; sicut data est atq; assistit verbis consecrationis rite prolatis. Aquæ autem benedictę data est virtus reddendi aquam sibi permixtam benedictam ex

Innocent.

institutione ecclesiæ, & eo etiā ipso, quod permixta est aquæ benedictæ. Et quidem liquor additus & permixtus speciei vini merito reputaretur benedictus propter cōtactum & permixtionē rei sacræ. Quod dico, non modo quando re ipsa commixtus est speciebus, sed etiā si postea aliqua arte, & ratione separaretur. Et ita tenet Ricardus in 4. d. 12. ar. 4. q. 1. Sed diximus inter alia, quod si vino misceatur aqua in æquali quantitate: non manent species, & accidentia vini; & consequenter nec sanguis. Et ratio erat, quia ea mixtione facta nō manet vinum, sed resultat quoddam tertiū: quod tamen vel non est verum vel saltē hoc est nobis euidens, nec videtur tutum. Respondetur, quod quanuis ea sententia quam posuimus sit cōformis philosophię Aristotelis & discipulorum eius, non tamen est certa & euidēs. Quia ex eo, quod vinum, & aqua ęqualis quantitatis misceātur, non sequitur præcise, quod resultet vnum tertium, sed sequitur vel quod resultet vnum tertium vel quod illa duo extrema maneāt remissis, & temperatis qualitatibus, presertim cum ignoremus, quā mensura, & quantitate dilutum esset vinū illud, quod Dominus consecrauit, & dedit discipulis, dicēs. Hic est sanguis meus. In his ergo modestie & temperate loquetur quicunq; sapiens. Nec nos supra illam sententiam posuimus, nisi vt probabilem: Nec existimamus aliquem sapientem eā existimasse euidentem. Quia non modo manet vinum simul atq; aqua dilutum est, quod est certum, quia non potuit tam cito fieri eius corruptio, & transmutatio, sed fortasse etiā, æqualibus partibus aquæ ac vini permixtis, etiam post dimidiā vel vnam horā manebit vtriusq; extremi substantia. Sed hæc relinquamus physicis; & nos interim si de similibus casibus fuerimus consulti, non temere iudicemus, sed humiliter, & cordate.

Ricard.

Aristot.

Matth. 26.

QVAESTIO

QVAESTIO SEXTA, DE FORMA HVIVS SACRAMENTI.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm hæc sit forma huius sacramenti, Hoc est enim corpus meũ: & hæc, Hic est enim calix sanguinis mei.



CVM nihil sit tam absurdum, & à ratione remotum quod hæretici non machinentur aduersus fidem Ecclesiæ Dei, dicuntur Valdenses teste Guidone Carmelita, nono capite de hæresibus Valdensium, non cõsecrare sub consueta ecclesię forma: sed dicendo septies, Pater noster, & benedicendo panem & vinum. Et quidem probabile est, quod ità senserint. Nam cum tãtum orationi dominicæ tribuant, nullã vt aliã præter illam admittant fortassę et hanc etiam potestatem concessere consecrandi panem & vinum in corpus, & sanguinem Domini: præsertim çum ea secta ab homine prorsus literarum ignaro suscitata fuerit. Et quanuis AEneas Sylnius, & alij tradant eos docuisse sacerdotem quocunque tempore, & loco conficere posse corpus Christi, dummodo verba sacramentalia dicat: ex quo satis colligitur, eos retinuisse formam consecrandi, fieri tamen potuit, vt putarent çonfici posse vtraque ratione, vel fortasse etiam verba sacramentalia appellarunt orationem Dominiçam. Quicquid verò de hoc sit ecclesia tamen Dei, tam Latina quam Græca, conficiunt çorpus & sanguinem, à sui principio sub ea forma, quam assignauimus paucis fere mutatis verbis, quod esse debet cuilibet cãtholico firmum, & ineluctabile argumentum. Et quidem ecclesia Latina conficit corpus sub hac forma, Hoc est enim corpus meum. Sanguinem verò sub hac, Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Apud Græcos vero vt constat ex liturgia, Beati Basilij ea seruatur ratio, & forma consecrandi, vt consecrans dicat voce altiori. Dedit sanctis suis discipulis, & Apostolis dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum: quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Populus respondet, Amen. Atque iterum consecrans secrete. Similiter & calicem de genimine vitis accipiens; miscens, gratias agens, benedicens, sanctificans dedit sanctis suis discipulis, & Apostolis dicens, & altiori voce. Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis, & multis effundetur in remissionem peccatorum. Populus, Amen. Habemus etiam antiquorum temporum, & diuersarum ecclesiæ partium testes, Eusebium Emissenum dicentem, inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis, & sanguinis sui, verbo suo secreta potestate conuertit ità dicens; Accipite & comedite, hoc est çorpus meum, & sanctificatione repetita, Accipite & bibite ait, hic est sanguis meus, & refertur de consecratione distinct. on. 2. Atque idem affirmant D. Ambros. lib. de Sacramentis, & Diuus Augustinus cap. Vtrum sub figura eadem distinctione, & Paschasius summus Pontifex in tractatu quodam de sacramentis, & Inno-

Guido. — AEneas. Sylnius. — D. Basil. — Matth. 26 — Eusebius. — D. Ambros. — D. August. — Paschasius.

Innocent. Magister. & Innocentius in cap. cum Marthæ, de celebratione missarum, & Magister, in quarto, distinctione. 8. Et denique hoc in ecclesia Dei nec verti in dubium solitum est, nec verti debet: ac propterea hæc omittamus, & rem hanc scholastico modo declaremus.

D. Tho. Dico vero cum Beato Thoma, quod hoc sacramentum ab alijs differt in duobus. Primo quidem quantũ ad hoc, quod hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ, alia vero sacramenta perficiuntur in vsu materiæ consecratæ. Volo dicere, quod quando forma huius sacramenti ad materiam applicatur conficitur sacramentum, non autem quando ad personam suscipientem applicatur, vt in cæteris sacramentis. Verbi gratia, applicando materiam aliorum sacramẽtorum, ad personam suscipiẽtem, dicimus: ego te abluo, te confirmo, te absoluo, & tunc sanctificatur digne suscipiens. At vero in hoc sacramento forma consecrat, & transmutat materiam panis & vini, & ita conficitur Eucharistia, quæ postea quando recipitur digne sanctificat recipientem.

Secundo, quia in alijs sacramentis consecratio materiæ consistit solum, in quadam benedictione, ex qua materia consecrata accipit instrumentaliter, quandam spiritualem virtutem, quæ per ministrum qui est instrumentum animatum procedit ad instrumenta inanimata. Sed in hoc sacramento consecratio materiæ consistit in quadam miraculosa conuersione substantiæ, quæ à solo Deo perfici potest. Vnde minister in hoc sacramento perficiendo, non habet alium actum nisi prolationem verborum. Et quia forma debet esse conueniens rei: ideo forma huius sacramenti differt à formis aliorum sacramentorum in duobus. Primo quidem, quia formæ aliorum sacramentorum important vsum materiæ, vt lotionem quando dicitur, ego te baptizo: sed forma huius sacramenti importat solam consecrationem materiæ consistentem in transsubstantiatione, quod significatur, & efficitur quando dicitur, Hoc est corpus meum vel, Hic est calix sanguinis mei.

Secũdo, quia formæ aliorũ sacramẽtorũ proferuntur ex persona ministri, siue per modum exercentis actum sicut cum dicitur: Ego te baptizo. Ego te confirmo, siue per modum imperantis, Accipe potestatem, &c. Vel per modum deprecantis, vt per istam vnctionem, & nostram intercessionem, &c. Quorum duorum primum, fit in sacramento ordinis, secundum in extrema vnctione. Sed forma huius sacramenti profertur, quasi ex persona ipsius Christi loquentis, vt detur intelligi, quod minister in perfectione huius sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi.

Sed contra hæc argumentor primo: Quia forma sacramenti sufficit ad perfectionem sacramẽti. Vnde videmus, quod sacramentum baptismi quandoque datur, & perficitur solis formæ verbis prolatis. Si ergo prædicta verba sunt forma sacramenti consequenter est, vt sacramentum hoc confici possit eis solis verbis prolatis, cæterisque omnibus prætermissis. Quod tamen esse falsum quidam probare nitun tur hoc argumento. Verba sacramentalia ex vi verborum debẽt significare id, quod efficiunt, in sacramento: ergo debent significare Christum ibi contineri. Præfata vero verba prolata à sacerdote cæteris prætermissis non significant corpus Christi: sed potius corpus sacerdotis proferentis. Sicut si ego dicerem doctrina mea non est mea, significaretur mea doctrina. Si vero præmitterem, Christus dixit, doctrina mea non est mea, iam ea verba restringerentur ad personam Christi. Atque addit quidam author requiri necessario præcedentia verba ad consecrationem non tamen, vt essentialiter pertinentia ad formã, vel clausa in ipsa: sed sunt necessario præmittenda, vt forma consecrationis restringatur, ad hoc vt dicantur ea verba ex persona Christi. Estque hæc dubitandi ratio antiqua apud Theologos, & eius mentionem facit Ricardus, & Beatus Thomas, atque alij antiqui scholastici. Cæterum hanc sententiam improbant communiter scholastici. Et videtur mihi multo probabilius esse sufficere, quod forma hoc significet

Ioan. 7. Ricard. S. Thom.

gnificet ex ordinatione Christi, & intentione ministri, vt ea hac forma ad hoc vt conficiatur sacramentum, sufficereque ipsam intentionē ministri, vt hæc verba accipiantur, vt prolata ex persona Christi: ita respondent communiter Doctores. Et certe sæpe canimus in gradualibus, & antiphonis, & introitu missæ ea quæ in persona Christi accipiūtur, licet nō antecedāt aliqua verba per quę fiat restrictio, vt cum sic incipimus, Resurrexi, & adhuc tecum sum, &c. Conueniunt tamen Doct. in eo quod quamuis sacerdos proferens hæc verba cum intentione conficiendi, & super debitam materiam verè conficiat. Peccat tamen quia cætera verba canonis sunt necessaria, vt consecratio rite peragatur tenetur enim sacerdos sanctorum patrum, & ecclesiæ ordinationi seipsum conformare.

Secundo argumentor: Quia illa verba pertinent ad formam huius sacramenti, quibus Christus corpus suum, & sanguinem consecrauit: at Christus Dominus ante benedixit ac consecrauit panem acceptum, & postea distribuens dixit, Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum, vt cōstat ex serie verborum Matth. 26. Et similiter se habuit benedicens calicem: ergo ea verba non sunt forma consecrationis. Ad hoc variè respondent Theologi. Mihi responsio maxime omnium probabilis est, quod quando Matth. 26. dicitur, Accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit deditq; discipulis suis, & ait, accipite & comedite, Hoc est corpus meum, & accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorū, sensus sit, quod dum benediceret, & frangeret dareque discipulis suis, dixit illa verba: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, & hic est sanguis. Itaque dum illa circa panem, & vinum perageret hæc dixit. Quia enim verba nostra, quæ corporalia & temporibus, ac syllabis distincta sunt, non possunt simul, & vna voce significare ea, quæ simul facta sunt, fit, vt quamuis simul Dominus, & benedixerit, & fregerit, & dixerit ea verba consecrationis, quando tamen nos hæc significamus, necessario nobis dicendum est, prius benedixit, quàm dixit verba, vel prius dixit verba, quam benedixit. Et quia reuera primū omnium fuit accipere panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, iccircò euangelistæ hinc sumpto initio prosecuti sunt quicquid circa panem fecit. Benedixit enim, fregit, ac dedit. Et deinde mentionem intulerunt verborum, quæ dixit, dū illa faceret. Si quis vero quærat, qua ratione Dominus benedixerit panem & calicem, respondeo, quod sanctis illis verbis, quæ super ea dixit, benedixit. Non aliter atque olim Deus benedixit homini, quem formauerat dicens; Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Gen. 1.

Matth. 26.

Tertio argumentor: Per formam consecrationis panis; transsubstantiatur panis in corpus Christi: ergo cum verba formæ significent, quod efficiunt, debet ibi poni aliquod verbum, significans hanc operationem: ergo vel illa verba non sunt forma huius sacramenti, vel non videtur ea forma conuenienter instituta.

Respondetur cum S. Thom. quod oportet quidem formā sacramenti significare id, quod in sacramento efficitur. Vnde & forma consecrationis panis debet significare ipsam conuersionem panis in corpus Christi. In qua considerare possumus, & conuersionem ipsam, & effectum. Et conuersio quidem ipsa significari debuit non in fieri, sed in facto esse, eo quod hæc conuersio, non est successiua, sed instantanea, & in instantaneis simul est fieri, & factum esse: & cum factum esse perfectius sit quā fieri, restat, vt hæc conuersio optimè significetur in facto esse. Terminus autem, in quem fit conuersio, est corpus Christi: ergo conuenienter & conuersio, & terminus ad quem significatur, cum dicitur; Hoc est corpus meum.

S. Thom.

Quarto argumentor: Corpus, in quod fit conuersio, non est corpus sacerdotis, sed Christi: ergo conuenientius esset dicere, Hoc est corpus Christi. Respondetur, quod sacerdos loquitur in persona Christi vel refert verba Christi, vel facit vtrunq;

de

de quo infra disputabimus. Quinto, Euangelistæ non posuerunt illam coniunctionem, enim: ergo non est ponenda. Respondetur quod illa coniunctio, enim, non est de essentia formæ: ponitur autem secundum consuetudinem ecclesiæ Romanæ propter continuationem ad verba præcedentia.

Sexto argumentor: Nam illud, hoc, cum sit pronomen demonstratiuum, aut demonstrat accidentia panis, aut substantiam, aut corpus Christi: sed quicquid demonstret semper oratio est falsa: ergo non potest esse forma huius sacramenti. Declaratur minor: Quia accidentia panis non sunt corpus Christi: & substantia panis non est corpus Christi: ergo illud pronomen nec demonstrat accidentia panis, nec substantiam rursus, nec corpus Christi. Probatur: Quia significaretur sub eis speciebus esse corpus Christi simulatque illud pronomen proferetur, imo & antequam proferatur, hoc autem est falsum: quia non est ibi corpus Christi, quousque oratio perfecta est. De hoc magna est tum inter hæreticos, & catholicos; tum istorum inter se & inuicem concertatio. Lutherus enim cum affirmaret manere substantiam panis, vna cum vero corpore Christi, putabat illud hoc accipi substantiue ad hunc sensum. Hoc, idest, hæc, substantia panis, quam videtis, vere etiam est corpus Christi. Inter catholicos vero, sunt duæ expositiones. Prima, vt accipiatur substantiue ad hunc sensum, hoc, quod videtis, quodque apparet panis, est corpus Christi. Itaque illud, hoc, non est restringendum determinate nec ad corpus Christi, nec ad panem: sed hoc modo, contentum sub his speciebus, est corpus Christi: ita tamen vt id intelligatur secundum vltimum instans prolationis verborum. Dici etiam posse videtur, quod illud, hoc, accipitur iuxta planum, & consuetum loquendi modum, quo dicere solemus, hic est meus liber, vel hic est meus digitus, aut similia. Et quemadmodum, in hac oratione proposita illud, hic, adiungitur libro, & sumitur adiectiue: verterer si quidem possemus hoc modo, meus liber est hic: ita in nostro proposito, hoc, coniungitur cum corpore, & consequenter designat corpus Domini sub accidentibus. Et quando obijcis, quod si illud, hoc designaret Domini corpus, significaretur esse Domini corpus sub speciebus simulatque profertur, imo, antequam proferatur: respondeo illud esse vehementer falsum. Nam omnia illa verba ita copulantur, vt expectanda sit totius orationis ac formæ perfectio. Quemadmodum si Deus daret alicui potestatem, vt ex terra produceret rosam, quandocunque diceret, hæc rosa producatur à me, vtique illud, hæc, non haberet quid designaret, quousque completa esset tota oratio. Et secundum hanc expositionem illud, hoc, non sumitur demonstratiue substantiue, sed sumitur adiectiue.

Septimo argumentor: Nam Eusebius Emissenus dicit, quod inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in suum corpus conuertit dicens; Accipite, & comedite, hoc est corpus meum: ergo totum hoc pertinet ad formam huius sacramenti. Respondetur, quod in illis verbis, accipite, & comedite, significatur, & præcipitur vsus materiæ consecratæ, qui non est de necessitate huius sacramenti: & ideo nec hæc verba sunt de substantia formæ. Quia tamen ad quandam sacramenti perfectionem pertinet materiæ consecratæ vsus: secunda enim perfectio rei est debita, vel operatio vel passio: ideo per omnia ista verba, significatur integra & tota perfectio huius sacramenti. Eusebius.

Octauo argumentor: Esse corpus Christi sub speciebus, est causa veritatis horum verborum, hoc est corpus meum, quia, vt logici dicunt, ex eo, quod res est, vel nõ est, oratio dicitur vera vel falsa: ergo falsum est asserere, quod corpus Christi sit sub speciebus per virtutem illorum verborum, si quidem duæ res non sunt sibi inuicem causæ: ergo illa verba non sunt forma huius sacramenti, nec illa instituit Dominus ad consecrandum. Respondetur, quod quia conceptus nostri, & verba non sunt causæ rerum naturalium sed illas supponunt, idcirco vere dicere solent

philosophi, quod scientia nostra efficitur à rebus,& quod priores sunt res, quam nostræ cognitiones,& veritates. At vero his verbis dedit Deus potestatem, & virtutem conficiendi corpus suum, & iccirco hæc propositio est vera, quia hæc verba dicuntur à sacerdote cum intentione legitima: icirco conficitur corpus Christi & est sub speciebus; non autem, quia prius ipsum corpus est sub speciebus, ideo verba vera sunt & dicuntur. Quemadmodum in artificialibus, quia forma domus est in mente artificis, iccirco fit domus secundum eam formam, non autem quia fit domus, iccirco eius domus forma est in mente artificis. Sed instas in hunc modum: Ea verba non sunt vera, quando prolata sunt nisi sit sub speciebus corpus Christi: ergo sumitur eorum veritas à præsentia corporis Christi, tanquam ab obiecto: ergo supponitur ea præsentia & obiectum. Respondetur distinguendo primum consequens: Sumitur eorum veritas ab obiecto facto per illa, concedo: Ab obiecto præsupposito ad illa, nego. Quo circa vltima consequentia nihil valet, quia non est nobis sermo de verbis, quæ supponunt res sive obiecta: sed de verbis quibus Deus contulit hanc potestatem, vt mirabiliter transmutarent res. Sed propter importunitatem sophistarum attende, quod quemadmodum causa actualis & effectus sunt simul tempore, nec dabitur vnum sine alio, & quod relationes sunt simul natura, & nihilominus causa est prior natura, quam effectus: ità in verbis huius sacramenti valet quidem; Est signum, ergo signatum tum quia sunt simul tempore: tum quia relationes sunt simul natura. Semper tamen verba, quæ sunt causa, manebunt priora natura. Quod declaro exemplo in speculabilibus. Quando intelligo Petrum sedere, prius est obiectum, quam veritas; quia ab eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera vel falsa. Tamen obiectum in actu & ipsa veritas sunt simul tempore, & relatio veritatis ad verum, & ad veritatem sunt simul natura, & his non obstantibus verum hoc est prius natura, quam veritas, & obiectum quam actus. Et aduertendum e t præterea, quod ad hoc, vt verba, Hoc est corpus meum, verè significent, etiam in quocunque priori naturæ, non est necesse, vt in quo priori ipsa sunt, sit etiam suus effectus; quia nec hoc ipsa significant, sed satis est, quod re vera sit tunc eorum effectus; & hoc est, quod significant. Et de his satis superq;.

Vltimo loco rogabit fortasse quisquã, vtrum ea verba, quæ adiecit Paulus. 1. Corinth. 11. Quod pro vobis tradetur, sint de integritate formæ: diximus enim supra, quod in liturgia D. Basilij ponuntur ea verba. Et præterea in missali Moçarabe, quod dicitur, vel institutum à Beato Isidoro, vel sumptum ex Diuo Ambrosio, etiam habentur. Respondetur tamen, quod ea verba non pertinent ad essentiam sacramenti. Quod constat argumento efficaci sumpto ex vsu totius ecclesiæ Romanæ, quæ non vtitur illis verbis in confectione corporis Christi. Si tamen illa essent necessaria, sequeretur, quod ecclesia Romana decepta esset, & frustrata vero sacramento annis quamplurimis.

1. Cor. 11
D. Basil.
B. Isidor.
D. Ambros.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm hæc sit forma consecrationis calicis, Hic est calix sanguinis mei noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionē peccatorum.



QVAERI posset in hac quæstione valde graui, & vehementer à doctoribus agitata. Primum, vtrum verba proposita tota & integra, sine aliqua sui mutatione sint de essentia consecrationis sanguinis. Secundo, vtrum illa quidem sint de essentia in se; vel in æquiualentibus paucis fere mutatis, aut demptis, aut aliter positis. Vt si cum Græcis dicamus: Bibite ex eo omnes; Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Tertio, vtrum præcise sint de essentia formæ consecrationis hæc verba: Hic est calix sanguinis Matth. 26

guinis mei vel iuxta Græcos. Hic est sanguis meus. Atque vt certa ab incertis separemus arbitror non fuisse aliquem doctorem, qui requireret omnia illa verba ad essentiam formæ, iuxta sensum primo propositum. Nec vero illud defendi possit; quoniam constat, quod Græci consecrauerunt, & consecrant sub illa forma à nobis proposita. Si tamen omnia verba nostri canonis essent de essentia, eo prorsus modo, quo proponuntur, non fieret consecratio aliquo eorum dempto, at fit; ergo illa non sunt de essentia in eo sensu.

Sed est disputatio inter Theologos, vtrum ea omnia verba sint de essentia in secũdo sensu vel sola hęc. Hic est calix sanguinis mei, B. Tho. 3. p. q. 78. ar. 3. & in 4. d. 8. & Franciscus Mairo, & Ricardus, illa distinct. 8. artic. 4. quæst. 2. tenẽt omnia illa verba esse de essentia. At vero Alexan. de Halef. 4. p. q. 33. & B. Bonau. & Albertus & Duran. illa distin. 8. & Gabrie. lectio. 53. & Caietanus, articulo citato, & alij tenẽt oppositum, asserentes, quod de essentia formæ solum sint ea verba; Hic est calix sanguinis mei. Et mihi hæc sententia est probabilior & verior. Quod probo primum: Forma consecrationis panis consistit essentialiter in his verbis præcise, Hoc est corpus meum: nec requiritur ad essentiam illud, quod pro vobis datur, nec illud, hoc facite in meam commemorationem quæ adiunxit Dominus Lucæ. 22. atque hoc tenent cõmuniter omnes doctores, & est omnino certum; quia constat ex vsu ecclesiæ catholicæ: ergo similiter forma consecrationis calicis cõsistit essentialiter in his verbis, Hic est calix sanguinis mei. Cõsequẽtia tenet ex proportione significationis verborum.

B. Tho. Mairo. Ricard. Alex. de Ale. B. Bonau. Alber. Durand. Gabr. Caietan.

Lucæ. 22.

Et confirmatur: Sicut à Domino addita sunt aliqua determinantia sanguinem, post quam dixit, Hic est calix sanguinis mei ita addita sunt verba determinãtia corpus: sed hæc non sunt de essentia: ergo nec illa.

Secundo agumentor: In illis verbis præcise continetur forma sacramenti, quæ sunt significatiua, & expressiua effectus sacramẽti: verba enim in sacramentis efficiunt, quod significant: at talia sunt hæc, Hic ex calix sanguinis mei: ergo eis præcise continetur forma sacramẽti. Sed quoniam ecclesia Dei in consecratione calicis adiungit etiam illa verba grauissima, noui & æterni testamenti, mysteriũ fidei, quod pro vobis, & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum, quæ desumpta sunt ex varijs scripturæ locis, & pertinent ad significandos huius sacramenti effectus, & altitudinem, omnino necesse est vt ea explicemus. Dicitur in primis, Noui testamenti, quibus verbis significatur effectus sanguinis Christi fusi pro nobis, qui effectus est lex gratiæ. Dicitur vero lex gratiæ, nouum testamentum; quia ea nouat hominem expulso vetere Adam: & quia coniungit sæculis æternis, vbi erunt cœli noui, & terra noua, iuxta Ioannem in Apocalypsi capitulo. 21. Dicitur etiam nouum respectu veteris, quod huius institutione euacuatum est, iuxta illud Apostoli ad Hebræos octauo. Dicendo nouum inueterauit, quod erat prius: quod autem antiquatur, & senescit pro pe interitum est. In cuius signum in Christi morte velum templi scissum est, & reclusa sunt legis mysteria veritate patefacta. Nouum etiam testamentum, & pactum, siue promisio est, qua non corporalia, sed spiritualia, non trãsitoria, sed æterna in eo promissa sunt. De quibus bonis scriptum est Heb. 9. Christus assistens põtifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum, nõ manu factũ, id est non huius creationis, nec per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. Dicitur præterea æternum: quoniã, vt docet Apostolus Hebræo. 9. vbi testamentum est mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioqui nondum valet dum viuit, qui testatus est. Vnde nec primum quidem quod erat figura posterioris sine sanguine dedicatum est: est ergo hoc testamentum æternũ: quia sanguine testatoris & morte constabilitum, & confirmatum est: nec vero vlla ratione reuocari potest.

Apoc. 21. Hebræ. 8 Matth. 27 Hebræ. 9 Hebræ. 9

Sequi

Sequitur, mysterium fidei. Dicitur vero ille sanguis mysterium fidei, quia passio, & mors Christi fuit sacratissimum secretum velatum, & absconditum sub figuris veteris testamenti praecognitum à patribus, tanquam mysterium redemptionis generis humani.

Vel secundo id potest referri ad fidem, quae habetur de veritate corporis & sanguinis Domini. Ita, vt quia corpus & sanguis sunt non modo res contenta sub sacramento: sed etiam sacramentum ipsum, & signum vnitatis corporis mystici, quae vnio fit per fidem spem, & charitatem: iccirco sanguis dicitur mysterium fidei.

Vel tertio mysterium fidei dicitur, propterea quod sanguinem Christi sub eis speciebus contineri sola fide cognosci potest: estque opus valde mirabile inter sacra mysteria, & mirabilia fidei. Itaque & baptismus, & Eucharistia dicuntur sacramentum vel mysterium fidei. Baptismus quidem, quia est, fidei professio: Eucharistia verò propter peculiarem sui admirabilitatem, & latentem rationem ac altitudinem. Subditur: Qui pro vobis, & pro multis effundetur. Pro vobis discipulis, & pro multis alijs Iudaeis, atque Gentilibus, qui erant electi. Vel pro vobis Iudaeis, & pro multis Gentilibus, qui erant de numero electorum, sicut aliqui ex Iudaeis. Secundum quam expositionem, pro vobis, & pro multis, refertur ad solos electos. Quia verò Dominus non solum mortuus est pro peccatis electorum; sed etiam pro peccatis totius mundi, & quia apud ipsum fuit
Psalm. 129. sufficiês, & copiosa peccatorum omnium
1. Ioan. 2. redemptio iuxta illud. 1. Ioan. ca. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi, iccircò si quis nomine multorum, omnes homines intellexerit, intelliget id quod est verissimum, Deus enim pro omnibus mortuus est. Quanuis quam plurimi (quae hominum caecitas, & plusquam lamentabilis miseria est) malint in captiuitate daemonis detineri, & aeternae mortis ac ignis vinculis cum spiritibus dânatis alligari, quam veram libertatem, & redemptionis beneficium suscipere. Pro quibus, vt bene ait Nazianzenus, Gratis Christus mortuus est. Nec vero hic est inusita Nazian. tus loquendi modus in scriptura cum Apostolus Roman. 5. dixerit, Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, id est, omnes. Cum autem audis, effundetur, subsiste, obsecro, parumper, vir fidelis, considera Dei bonitatem, & misericordiam incredibilem. Quanuis enim vel gutta sanguinis tam pretiosi sufficiens fuisset pro totius mundi redemptione, vt Anselm. & affirmant aliqui sancti, & homines Dei voluit tamen Christus largiter suum sanguinem fundere, vt dilectionis suae in nos magnitudinem demonstraret, nosque omni ratione deuinctos redderet ad se amandum. Caetera quidem omnia Deus fecit in pondere, numero, & mensura. In effusione verò sanguinis sui hunc sibi modum statuit, vt nullum modum teneret, sed verteret ac effunderet pro nobis totû, sine pondere, sine numero siue mensura, vt in eam misericordiae magnitudinem intuentes, supereffluentem etiam praemij mensuram & immensum gloriae pondus speraremus, si ei velimus adhaerere per fidem, & amorem, purè & sanctè, seruientes Deo, & patri, qui talem ac tantum nobis dedit redemptorem. Fudit verò Deus sanguinem pro nobis non semel, sed saepe saepius. Primum in circuncisione, pignus nobis in primordijs infantiae praebens, quid postea facturus esset. Secundo in oratione habita in horto, vbi factus in agonia prolixius orauit, & factus est sudor eius, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Luc. 22. Tertio in flagellatione. De qua dicitur Marc. 15. Tradidit eis Iesum flagellis caesum. Quarto quando spinis coronatus est. Ioan. 19. Quinto in manuum, ac pedum perforatione. De qua dictum est; Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, Sexto quando sacratissimum eius latus lancea apertum est, & continuo exiuit sanguis & aqua. Continuo vero toto passionis tempore sanguis fundebatur, ac fons ille totius bonitatis manabat misericordiam. Additur verò vltimo loco, ad quem finem sanguis ille fundebatur. In remissionem peccatorum. Sanguis enim filij

Bern. & ib. sta Gab. lect. 53.
Sapien. 11.
Luc. 22.
Marc. 15.
Ioan. 19.

filij eius emundat nos ab omni peccato. 1. Ioa. 1. & ad Coloss. 1. dicitur. In quo habemus redemptionem per sanguinem crucis eius, & remissionem peccatorum. Et hæc pro explicatione sacrorum illorum verborũ breuiter dicta sint. Ex quibus illa, Hic est calix sanguinis mei, noui testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, sumpta sunt & collecta ex Matthæo, & Luca. Lucas enim c. 22 ait. Hic est calix, nouum testamentum in sanguine meo; qui pro vobis fundetur. Matthęi vero. 26. habentur hæc verba. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Itaque coniuncta sunt illa duo, pro vobis, & pro multis: quorum vnum dixit Lucas, alterum Matthęus. Illud vero quod restat, æterni, & mysterium fidei, expresse in sacris literis non habetur, sed ex traditione Apostolorum.

S. Ioan. 1. Coloss. 1. Matth. 26. Luc. 22.

Sed contra hæc argumẽtor primo: Verba hęc. Ego te baptizo, significant effectũ baptismi, & tamen nisi addamus in nomine patris & filij & Spiritus sancti non perficitur sacramentum: ergo pari ratione quanuis dicamus, Hic est calix sanguinis mei, nisi adderentur cætera, quę sequuntur, nõ perficeretur sacramentum.

Respondetur negando consequentiam: quia sacramentum baptismi est professio fidei. & ideo expressio Trinitatis est de essentia formæ secũdum institutionem diuinam.

Secundo argumentor: In forma non debet includi, aut poni, nisi quod spectat ad essentiam sacramenti: at calix nec est materia, nec forma sacramenti, sed vas continens sanguinẽ sub specie vini: ergo incõuenienter dicitur, Hic est calix sanguinis mei.

Respondetur, quod calix in scriptura significat passionem, iuxta illud Matthęi. 20. Potestis bibere calicẽ quẽ ego bibiturus sum? Et c. 26. Pater si possibile est transeat à me calix iste. Atque ob hanc rationem, & tropum optime dicitur, Hic est calix sanguinis mei, Significatur enim non modo, quod sit sanguis Christi; sed etiam, quam grauia & dira ille pateretur, quando sanguinem fundebat. Vel secundo dici potest, quod in hac locutione committitur figura methonymiæ, & accipitur continens pro contento, ad hunc sensum: Hic est calix sanguinis mei, idest, hic est sanguis meus. Nec vero istę expositiones aut contrariæ videri debent, aut itá accipi, vt qui vnam probauerit reijciat aliam. Sed potius quicunque doctus in his, & similibus considerare debet, & suscipere scripturæ sacræ peculiarem altitudinem, & profunditatem, quæ sub eisdem verbis facilem sensum continet, & quasi expositum ingenijs paruulorum, quo eos alliciat, & latentem etiã ac altũ, quo magna ingenia exerceat & satiet.

Matth. 20. Math. 26.

Tertio argumentor: Quia cum dicitur, mysterium fidei, aliqui sumpserunt occasionẽ existimãdi, quod sanguis nõ cõtineatur vere, sed mystice, sub speciebus: ergo non debuit poni ea particula. Respondetur, quod dicitur mysterium fidei non ad excludendam rei veritatem, sed ad significandam occultam, & latentem eius rationem, & ob alias causas, quas tetigimus tum in articulo, tum etiam latius supra; cum de veritate corporis, & sanguinis Domini ageremus, & nobis hæretici opponerent Nazianzenum, & alios appellantes hæc sacramẽta, antitypa. Et quidem cum hoc sacramentum fiat in memoriam passionis Christi, & quod fit in alicuius rei memoriam dici possit eius figura, & imago, iccirco his nominibus solent ista sacramẽta nuncupari: præsertim cũ in eis non visibiliter, & cruente, vt in cruce Christus immoletur, sed occulte, & sacramentaliter.

Quarto argumentor: Nam qua causa, & ratione ab ecclesia ponerentur illa verba, Noui, &c. in consecratione calicis, nisi essent de essentia? Respondetur, quia multum faciunt ad declarandos effectus, & altitudinem huius sacramenti. At vero cum asseramus illa verba non esse de essentia formæ, ratio postulat, vt declaremus, quo modo se debeat habere sacerdos, cum consecrat quamq; intentionem debeat habere. In quo quidam author tria dicit. Primum, quod si sacerdos intendat conficere

Soto. d. 11. q. 1. ar. 3. ad. 2.

ſanguinem illis verbis ſolis; Hic eſt calix ſanguinis mei, conficit quidem, ſed peccat grauiter.

Secundo dicit, quod ſacerdos tenetur intendere conſecrare per omnia illa verba; quia eſt inſtitutum ab eccleſia; vt per ea omnia fiat conſecratio.

Tertio dicit, quod vſque quo illa proferantur, in remiſſionem peccatorum; non fit conuerſio. Et de primo quidem dictó, quid intendere debeat ſacerdos inferius dicemus. Secundum verò; & tertium falſa ſunt, & præſertim apud eos, qui docent, quod formæ eſſentia conſiſtit in eis verbis ſolis; Hic eſt calix ſanguinis mei. Ex quorum numero eſt hic author.

Quod probo: Nam certum eſt apud catholicos, quod eccleſia nec inſtituit, nec inſtituere poteſt, aut mutare formas ſacramentorum: ergo non poteſt inſtituere, quod aliquod ſacramentum conficiatur, niſi per verba, quæ Chriſtus inſtituit: ergo non poteſt inſtituere, vt conficiatur ſanguis illis omnibus verbis. Si omnia illa non intrant rationem formæ; ſimul enim atque forma preciſe debitam materiam complexa fuerit, conſtabit ſacramentum. Quod vero Chriſtus inſtituerit, omnia illa verba eſſe de eſſentia formæ, & neceſſaria ad confectionem, iam diximus videri falſum.

Item argumentor ſecundo: Illa verba noui, & æterni, vſque in finem vel habent à Deo vim inditam conficiendi hoc ſacramentum, vel non. Si non habent vim conficiendi: ergo eis verbis nunquam conficietur ſanguis, quantumuis id contendat, & intendat ſacerdos: quia intentio ſacerdotis conficiendi per ea verba, quæ non ſunt inſtituta ad conficiendum ſacramentum, nihil efficit. Si verò ea verba habent ex inſtitutione diuina vim conficiendi ſanguinẽ, nunquam conficeretur illis non prolatis. Si verò dicatur Chriſtus inſtituiſſe, quod per omnia illa verba cum proferuntur conficiatur ſanguis: ità tamen, quod ſi ſacerdos intendat conficere ſolis prioribus verè conficiat; hoc certè nec eſt probabile nec veriſimile. Nam ſi Chriſtus inſtituit, ac voluit, vt per omnia ea verba ſanguis conficiatur; vnde nobis cõſtare poteſt, vel quod fundamentum habet aſſerere, quod ſi tenet ſacerdos conficere ſolis prioribus, verè conficiet?

Igitur in propoſita dubitatione dico primo: Sacerdos cum profert illa verba, debet, & tenetur intendere conſecrare ſolis illis verbis, quæ Chriſtus inſtituit ad confectionem huius ſacramenti. Quod tum dicó ſolum aſſero, quod cum actu profert ea verba, intendens conſecrare debet eſſe habitu affectus, eo modo, quo dixi. Probatur: Quoniam habere intentionem cõſecrandi, non niſi paucioribus, aut pluribus, quam à Chriſto inſtituta ſunt, eſſet ſacrilega audacia. Ex quo fit, vt quando dubium eſt, & cum aliqua probabilitate vtriuſque partis controuertitur, Vtrùm omnia illa verba, vel ſola priora ſint inſtituta à Chriſto pro forma ſacramenti, ſacerdos non debet intendere conſecrare, nec omnibus determinatè, nec prioribus determinatè; ſed illis ſolis, quæ Chriſtus inſtituit ad conſecrandum. Itaque debet proferre verba, quæ eccleſia proponit, cum intentione conſecrandi illis verbis, quæ Chriſtus inſtituit, ad conſecrandum. Quæ verba certum eſt, vel eſſe omnia illa, vel illis contineri.

Secundo dico, quod ſi certo conſtaret per eccleſiam, quod ſola illa verba; Hic eſt calix ſanguinis mei, ſint de eſſentia formæ, ac conſecrationis; ſacerdos, qui intenderet conſecrare non per illa præciſe, ſed per omnia, is & peccaret, & nihil conficeret. Quod peccaret manifeſtum eſt ob irreuerentiam, & auſum ſacrilegum. Fiet verò manifeſtius, ſi probauerimus, quod nihil efficiet. Id verò probo: Nam intentio miniſtri ad hoc, vt ſacramentum conficiatur, debet eſſe conformis inſtitutioni Chriſti: ſed Chriſtus inſtituit, vt ſacramentum perficeretur per illa preciſe verba: ergo qui non intenderet per ea ſola conficere nihil conficit. Et declaratur hoc;

Sacerdos in tali casu non intendit conficere sanguinem per ea verba, quæ ad conficiendum illum sunt instituta: ergo nihil conficit. Consequentia liquet: & probo antecedens: Intendit conficere sanguinem per omnia illa verba, & non per pauciora, & omnia illa non sunt instituta ad conficiendum sanguinem, vt supponimus, constare per ecclesiam: ergo nihil conficit. Et declaro magis hanc rationem: Talis sacerdos, quando protulerat hæc verba sola: Hic est calix sanguinis mei, non consecrauit. Patet, quia non intendebat per illa consecrare. Et quando adiecit illa, noui & æterni testamenti, &c. non consecrauit; quia consecratio non potest fieri per ea verba, quæ non sunt instituta ad consecrandum: ergo ille non consecrauit. Si enim debitam intentionem habuisset, in illo priori, quo dixit; Hic est calix sanguinis mei consecrasset. Itaque nec consecrauit per prima verba, quia illi defuit intentio, nec per ea, quæ sequuntur, quia non sunt verba consecrationis. Nec rursus per illa priora adueniente intentione, quia ipse non vult per ea priora præcise consecrare, & per subsequentia non potest. Sed est dubiũ. Vtrũ statim post prolationem verborum fiat conuersio in corpus & sanguinem Christi, vel potius, postquam totus canon est finitus. Et ratio dubitandi est, quia Marcus Ephesinus in libello quodam de hac re, & Nicolaus Episcopus Thessalonicæ, & alij Græci recentiores dicunt, quod consecrationis verba sunt quidem necessaria ad confectionem corporis, & sanguinis Domini, sed non sunt sufficientia ad transsubstantiationem, nisi illis verbis addantur aliæ precationes, & benedictiones traditæ à sanctis Patribus. Quod probant ex eo, quod in missa ordinata à Beato Iacobo fratre Domini post illa verba quæ dicuntur in consecratione calicis positum est; Oramus te Deus, vt dimittas spiritum tuum sanctissimum in hæc dona, & in nos, vt superueniens sua sancta præsentia sanctificet, & efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui, & calicem hunc pretiosum sanguinem Christi tui. Ex quo manifestè colligitur, quod quanuis erant iam prolata à sacerdote verba Christi, tamen nondum erat facta conuersio.

Marc. Eph. Nicolaus. D. Iacobus.

Item in missa instituta à Diuo Clemente post verba prolata à sacerdote dicitur: Te rogamus, vt mittere digneris sanctum tuum spiritum supra hoc sacrificium, vt efficiat calicem hunc sanguinem Christi. Et in missa instituta à Diuo Basilio, post eadem consecrationis verba dicitur: Rogamus, venire spiritum sanctum tuum supra proposita munera ista, & benedicere ea, & sanctificare, & efficere id, quod est in calice isto, ipsius sanguinem Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Et in missa Beati Chrysostomi post illa verba, sequitur: Precamur, obsecramus, atque deposcimus, vt mittas spiritum sanctum tuum supra hæc munera: & fac quod est in calice isto pretiosum sanguinem Christi tui, permutans illud spiritu sancto tuo.

D. Clem. D. Basil. B. Chrysost.

In hoc dubio sit conclusio, quod eaistorum Grecorum sententia est falsa, & erronea. Probatur: Nam ecclesiæ vniuersalis vsus hoc ita esse docet satis aperte. Nam postquam sacerdos protulit verba statim hostiam eleuat, & calicem, & ostendit populo adorandum, quod nullo modo facere liceret, si nondum facta esset conuersio.

Secundo probo ex Concilio Florentino in vnione Armenorum; vbi dicitur: Decernimus, vt Armenij se conforment cum vniuerso orbe Christiano, eorumque sacerdotes admisceant vino paululum aquæ vtentes forma huius sacramenti, quæ sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum.

Conc. Flo.

Tertio probo: Certum est, quod benedictiones, & ceremoniæ, quibus modo vtitur ecclesia Catholica, sunt differentes ab his, quæ habentur in missa Basilij, & missa Basilij, differt ab ea, quæ instituta

tuta dicitur ab Isidoro, quam nos appellamus vulgari sermone Moçarabe: & hæc rursus differt à missa Chrysostomi: igitur, aut Beatus Paulus, quando instruebat fideles de hoc mysterio, conficiebatque apud eos, vtebatur eisdem benedictionibus, aut alijs aut nullis. Si nullis, certa res est, quod illæ non sunt necessariæ ad consecrationem. Si alijs, sequitur, quod cum ipse vere conficeret, & sacerdotes, qui vtebantur, vel vtuntur apud Græcos missa Basilij, vel Chrysostomi, & qui vtuntur missali Romano, cæterisque missalibus receptis ab ecclesia omnes vere conficiant, quod confectio & consecratio reducitur ad verba, & ceremonias; quæ constant ex varijs constitutionibus ecclesiarum: non autem efficitur conuersio per verba Christi, quod vtique est iterum errare in fide. Si vero dixeris, quod Paulus atque Apostoli dum consecrabant, vtebantur ijs eisdem benedictionibus, & ceremonijs, quibus sequentibus temporibus, & multis postea annis, vel Basilius vel Chrysostomus, vel Isidorus, vel summi pontifices Romani vsi sunt, quasque ipsi instituerunt: id est valde stultum, & inopinabile, vt liquet. Præsertim, cùm istæ ipsæ benedictiones, & ceremoniæ valde inter se se differant, & omnibus illis con ficiatur corpus Domini. Igitur ea illorum recentiorum sententia certè est aliena à fide.

Quarto probo: Quia vt constat ex Mat thæo, capite. 24. & ex Luca. capite. 22. & Marco, capite. 14. simulatque Dominus accepit panem, ac benedixit, & fregit, deditque discipulis, dicens; Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus noui testamenti, &c. Dedit eis verum corpus, & sanguinem suum: ergo cum hæc faceret Dominus ad doctrinam nostram, atque vt nos similiter consecraremus, dicere non possunt isti Doctores, quod consequentes benedictiones sint necessariæ ad consecrationem. Sed si quid dicere possunt, potius deberent dicere, quod sint necessariæ benedictiones antecedentes.

Matth. 24 *Luc. 22.* *Marc. 14.*

Secunda conclusio: Quanuis Doctores aliqui Græci recentiores sint in ea, quam refutauimus sententia, non tamen est credendum, quod antiqui Græci illam tenuerint. Probatur: Nam Irenæus Martyr, discipulus Polycarpi, discipuli Beati Ioannis Euangelistæ libro quinto aduersus hæreses dicit, quod quando, & fractus panis, & mixtus calix suscipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis, & corporis Christi. Et Diuus Chrysostomus homilia de Iuda proditore fatetur, quod hæc mysteria conficiuntur, solo Christi sermone à sacerdote prolato. Sed aliud est docere veritatem, aliud itâ dilue re obiecta, vt responsio plene insideat menti, & satisfaciat. In quo ego fateor me esse hac in parte valde perplexum; cum ex vna parte merito suspiciam duorum illorum auctoritatem, quos supra memo raui, ex altera verò non inueniam, qua ratione eorum verba cōueniant cum veri tate catholica.

Irenæus *D. Chrysos.*

Dico tamen primum, quod quemadmodum Marci quinto, dixit Dominus mulieri iam sanatæ à profluuio sanguinis; Esto sana à plaga tua; non quod tunc eam sanitati restitueret; sed vt testatum faceret omni populo, quód sanata esset: ita dicere potuerunt illi sancti, Fac panem hunc corpus sanctissimi filij tui, & calicem sanguinem, vt eam veritatem populo testarentur. Vel secundo quoniam ea phrasi loquendi potiùs fortasse aliquorum mens obtenebraretur, quam veritas eis patefieret. Interpretemur secundo, fac, id est ostende hunc, qui panis videtur, esse verum corpus: Eo modo loquendi, quo aliquid tunc fieri dicitur, quando innotescit. Et certè quod attinet ad versionem Latinam Beati Basilij nulla est de hac interpretatione dubitandi ratio; imo vero nec est necesse illum interpretari. Nam Latina sic habent; Te obsecramus, & te postulamus sancte sanctorum, beneplacita tua benignitate, venire Spiritum sanctum tuum super nos, & super proposita munera ista, & benedicere ea, & sanctificare; & ostendere panem quidem istum ipsum honorificum corpus Domini Dei,

Marc. 5.

& Saluatoris nostri Iesu Christi, quod autem est in calice isto ipsum sanguinem Dñi Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. Quibus verbis nihil magis clare & catholicè potest.

Secundo dici posset, quod inuocatur Spiritus sanctus in illo loco non adhoc, vt efficiat ex illa substantia corpus Christi verum, quod iam effectum est, sed potius ad conficiendum corpus Christi mysticum, sumentibus fidelibus corpus Christi, itá digne, vt inter se, & cum Christo fiant vnum corpus. Nec verò hæc interpretatio videretur improbabilis, nisi Beatus Chrysostomus peculiariter itá se explicaret, vt diceret, permuta panem in corpus.

Tertio: Quoniam quanuis ego non habeam dum hæc scribo originalia Græca missarum illorum sanctorum, existimo tamen, quod vbi Latini vertunt, fac, apud Græcos, erit verbum, ποιῶ. Respondeo, quod vt constat peritis linguæ Græcæ significatio eius verbi late patet, & sæpe accipitur pro ducere & existimare, sicut & Latini dicunt magnifacere, & pluris facere. Quando ergo dicitur, Fac panem hunc corpus verum Domini nostri, fortasse est sensus, duc & existima verum corpus efficiendo, vt nos tale ducamus, & existimemus; sicut cum dicitur post consecrationem, sanctifica hæc dona sensus est, effice vt apud nos sancta sint. Accepta habe, id est, effice, vt nos accepti tibi simus, & digne offeramus, sintque nobis vtilia & salutaria. Ad quam interpretationum reduci potest alia, fac, panem hunc verum corpus, id est, fac, vt nobis insideat esse verum corpus. Si cui verò nulla placuerit harum interpretationum, obsecro doceat ignorantem, & adiuuet in hac difficultate deficientem.

ARTICVLVS. III.

Vtrum prædictis verbis formæ insit aliqua vis creata effectiua consecrationis.



HAEC disputatio communis est Eucharistiæ cum reliquis sacramentis: & iccircò breuiter hac de re agam, quia non est propria huius materiæ. Atq; vt legentem instruam de hominum opinionibus, vt de hominum opinionibus iudicare, id tamen quod certum est pro certo tenere, ponendum est in primis, quod sacramenta nouæ legis continent gratiam, quá significant, & eam conferunt non ponentibus obicem. Et, si peculiariter loqui velimus de sacramento Eucharistiæ, sacerdos in persona Christi loquens, & proferens consecrationis verba, hoc conficit sacramentum, & ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur. Atque hæc duo tam de sacramentis omnibus nouæ legis, quam peculiariter de sacramento Eucharistiæ dicta inconcusse tenenda sunt, quoniam itá definiuit ecclesia Dei in Tridentino, & Florentino concilio. *Conc. Trid.* *Conc. Flor.* Vtrum verò sacramenta attingant suum effectum per modum causæ physicæ, sicut calor attingit ignem, vel per modum causæ moralis, sicut pecunia habet virtutem in rerum emptionibus, vel dicantur etiam conferre gratiam, quia digne sumentibus semper confertur gratia, & inhærens iustitia eo ipso, quod digne ea sacramenta sumuntur; quod inquam istorum verum sit, id manet sub disputatione; quoniam cum omnibus his sententijs stat, quod sacramenta conferant gratiam, quam significant, & quod virtute eorum confertur: si quidem quando digne sumuntur, eo ipso, quod digne sumuntur confertur. Quando autem assero omnes illas partes manere sub disputatione, nollem, vt suspicaretur quis, arbitrari me, probabilem esse eorum sententiam, qui dicunt, causas secundas nihil agere, nec illuminare solem, aut calefacere ignem; sed Deum solum ad præsentiam solis, & ignis ista præstare Qui enim ista dicunt, non sunt quantum ad hoc illuminati lumine rationis. Solum ergo assero, manere sub disputatione,

vtrum sacramenta dicantur conferre gratiam; quia re ipsa confertur gratia suscipientibus illa; quamuis nec ipsa illorum sacramentorum materia, nec forma producat gratiæ qualitatem, sed Deus solus.

Secundo sciendum est, quibusdam patribus ex quibus fuit Beatissimus Gregorius, visum fuisse, nonnullis viris sanctis,
S.Greg. datum esse non modo vt oratione impetrarent miracula fieri, sed etiam tantum apud Deum totius bonitatis, & misericordiæ fontem valuisse, vt eorum etiam acta vel dicta assumerentur à Deo, & eleuarentur ad hoc, vt essent instrumenta miraculi facti, effectiua rei factæ miraculose;
Iosue.10. sicut si diceremus, vocem illam Iosue ducis vero magnanimi; Sol contra Gabaonem ne mouearis, eleuatam esse à Deo, vt detineret solem ipsum. Atque si hæc doctrina vera est, proculdubio multò magis credendum est de Sancto sanctorum, quod quotienscunque vel verbo aliquem suscitabat, vel restituebat sanitati assumebantur illa eius verba, vt instrumenta vitæ, & sanitatis efficiendæ. Et consequenter quando dicebat,
Matth.9. Remittuntur tibi peccata tua, aut similia, illa verba erant causa productiua, interioris puritatis, atque iustitiæ. Quod si verum est, & non modo pater omnia subiecit voluntati Christi sui, vt faceret mirabilia quæcunque volet, sed etiam dedit ei, vt eius verba essent productiua mirabilium, non modo quia testatam faciunt eius voluntatem, cui nihil resistit, sed quia datur eis verbis exterioribus virtus effectiua, & productiua rerum, si hæc, inquam, ita sunt, æquum certè est, vt existimemus, quod cum hæc verba, Hoc est corpus meum, & similia ex persona Christi proferantur, habeant illam eandem virtutem collatam ab ipso Christo. Igitur secundum hæc verisimile esse videbitur, quod forma, siue verba concurrant ad suum effectum per modum causæ physicæ. Quam sententiam qui sequi volet, non debet intelligere, quod ea istorum verborum virtus sit aliqua qualitas superaddita, & res distincta à verbis ipsis, & oratione, sed est ipsa oratio significans in quantum assumitur, vt instrumentum Dei ad aliquid efficiendum. Et hoc est habere virtutem effectiuam, vel esse virtutem efficiendi. Quia verò habere virtutem ad efficiendum est quoddam aduentitium orationi absolutè; ideò dicitur oratio habere virtutem, & virtutem esse in verbis. Et quia virtus habet nomen, & rationem qualitatis; iccircò dicitur qualitas, cum tamen secundum rem nil aliud sit, quam ipsa oratio, & verba, vt assumuntur à Deo, tanquam instrumentum. Obedit autem creatura Deo ad nutum, & potest vti illa ad quencunque effectum; & eo ipsa vtitur eis Deus ad perficiendam consecrationem, quando sacerdos profert ea verba nomine Christi. Et in artificialibus apparet, quod lyra secundum se vim eandem habet, siue pulsetur à sciente, siue ab indocto. Per hoc verò quòd pulsatur à musico accipit, vt reddat musicum sonum, & temperatum; nec ad hoc necesse est fingere in lyra qualitatem aliquam à lyra distinctam.

Sed contra ea, quæ dicta sunt argumentor primò. Omnis sacramentorum dignitas & cætera, quæ in scripturis, & lege Dei continentur sunt ad charitatis finem referenda iuxta illud, Finis præcepti 1.Tim.1.
charitas. In ordine verò ad charitatem, & bonum nostrum optabilius esset consequi quinque gradus gratiæ, & charitatis per sacramentum, quod esset conditio vel causa, sine qua non; qualis erat in lege veteri circuncisio, quam quatuor gradus per sacramentum, quod attingeret gratiam. Quod si æqualis gratia daretur suscipientibus sacramentum vtrunque, valde tamen leuis differentia, & fere nulla dignitas est, quod alia producant gratiam, alia non producant; dum modo suscipientibus detur gratia. Et illa quidem differentia, quæcunque fuerit, potius physica esse videtur quam spectans ad bonum charitatis Dei.

Respondetur, quod vtiq; optabilius esset habere charitatem, & rectitudinem interiorem vt quinq; per sacramenti susceptionem, quã habere gratiam, vt quatuor per susceptionem alterius: quod instrumentaliter concurreret ad eam producendam. Cæterum, quoniam argumentũ eo tendere videtur, vt dignitatem extenuet sacramentorum nouæ legis, comparatione eorum, quæ ad veterem pertinebant; sciendum est, quod si illa inter se se comparentur, longe lateq; differũt grauissimis differentijs. Primum, Quoniam ea sacramenta, quãuis significarent gratiã; & puritatem, non tamen mundabant, nisi exterius; & quantum attinebat ad reputationem, & conuictũ humanum. (Loquor autẽ de illis sacramentis generaliter, & nõ peculiariter de circuncisione quæ etiã fuit ante legem). Et hoc est certum. Ac propterea dicitur de eis, quòd erant egena; & vacua elementa, & quod ex lege nõ est iustitia. At vero sacramenta omnia nouæ legis, ita continent gratiam vt digne sumentibus detur interior iustitia, puritas, & rectitudo. Et hæc est vera, & essentialis, & grauissima differentia desumpta ex essentiali differentia legis veteris, & nouæ. Quarum ea, quæ fuit tempore prior, non erat lex spiritus, nec iustificabat apud Deum. Lex vero nòua est lex spiritus, & per eam rectificantur & iustificãtur homines interius. Atq; ad grauem hãc istorum sacramentorum differentiam respiciebant concilia, quando verissimè definiuerunt, quod sacramenta nouæ legis continent gratiam, sacramenta vero antiquæ non item.

Secunda & grauis etiam differentia est, quod si quod erat sacramentum in legem veterem introductum, & ab illa receptum, quod qui susciperet reciperet interiorem rectitudinem, & iustitiam, qualis erat circuncisio; non tamen per illud conferebatur tanta gratia, sicut per baptismum. Quod credo non negabit quicunque attenderit sacrorum librorum voces, attestantes hoc esse tempus plenitudinis gratiæ, & effusionis spiritus Dei, atq; iustitiæ: scriptum si quidẽ est. Ego veni, vt vitã habeãt, & abũdãtius habeãt. Et præter hoc illa ipsa iustitia; & rectitudo, quæ dabatur suscipienti circũcisionem, non dabatur per vim legis factorum; sed per legem fidei: vt constat pluribus testimonijs B. Pauli. Si enim ex lege iustitia & hæreditas, ergo gratis Christus mortuus est. His autem grauissimis differentijs constitutis, si quis adiungãt aliam tertiam, quod hæc sacramenta concurrant efficienter ad productionem gratiæ, tum propter rationem assignatam, tum quia Christus, per cuius fidem & amorem iusti sumus, & qui est causa salutis iustitiæ; nostrę antecedit hęc sacramenta viuens in sæcula, & potens medijs illis efficere nostram salutem producẽdo per ea gratiã & charitatem, si quis, inquam, ita se declaret non video, cur improbabiliter loquatur. Id vero inconcusse tenendum est, quod hæc sacramenta continent gratiam, & efficiunt iustos eos, qui digne suscipiunt: nã per ea homines iustificantur. Quo vero modo, & ratione, illa efficientia, & continentia declaranda sit, id maneat sub disputatione.

Secundo argumentor: Quia si conuersio fit virtute verborum, aut fit dum proferũtur, aut postquam finita prolatio est: Non dum proferuntur, quia non est perfecta tunc eorum significatio: illa vero id efficiunt, quod significant. Nec vero postquam prolata sunt quia, quod non est nil efficit: sed iam ea verba finierunt. & non sunt: ergo nihil efficiunt.

Respondetur, quod physicorum more loquendo, primum non esse verborum fuit primum esse conuersionis, atque præsentiæ corporis Christi. Videmus autem hoc esse positum in rerum natura, vt illud instans, in quo assecutus sum locum, quo tendebam; sit primum non esse motus, & tamen per motum perueni ad locum illum, & primum esse formæ per alterationem comparatæ fuit primum non esse alterationis. Hæc itaq; est peculiaris natura harũ causarũ, siue potius instrumentorũ transeũtium. Vt ideo efficiant quia transierunt, & fieri non possit, vt effectus sit, nisi ipsa transierint: quia earum rerum

Galat. 4
Galat. 2

rum tranſitu, & finitione reſultat omnis effectus rerum tranſeuntium. Cum ergo dicis, nūc producit: ergo nunc eſt; recte colligeres, ſi ſermo eſſet de agentibus principalibus, & à quibus dependent effecta, non modo quoad fieri, ſed etiam quoad eſſe. Cæterum: quia ſermo eſt de tenui quodam genere cauſæ inſtrumentalis, & tranſeuntis, dicimus in hiſce eam conſecutionem non valere: eſt enim hæc earum natura & cauſandi modus, vt efficiant, quia tranſierunt. Vnde ſi iſta ſua finitione, & terminatione aliquid efficiant, recte colligetur: Durant & adhuc ſunt: ergo non aſſequuntur ſuum effectum.

Tertio argumentor: Quia dicere ſancti ſolent, quod ſola virtute Spiritus ſancti aut Dei, aut Chriſti fit conuerſio: ergo non eſt ponenda hæc vis in verbis. Reſpondetur, quod quamuis dicatur agens ſolum aliquid efficere, non excluduntur inſtrumēta aut miniſtrantes vires ſiue inferiores potentiæ: nec enim artificiatum fit niſi ab artifice: non tamen fiunt ſine inſtrumentis & miniſtris.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm verba formæ dicantur aſſertiue & ſignificatiue, vel recitatiue.



SVNT de hoc duæ differentes ſententiæ. Prima Innocentij li. 4. de officio miſſæ, & eam Durandus tam putat veram, vt quaſi notā & certam ſupponat in. 4. d. 8. q. 2. & tenet Picus Mirandulanus in apologia ſuarum concluſionum & Maioris in. 4. diſtinct. 8, & Olchot, & Gabriel lectione. 48. in canonem. Dicunt iſti, quod ea verba dicuntur à ſacerdote recitatiue, ſicut illa; Accipite, & comedite cæterum Alex. de Aleſ. 4. p. q. 33. & B. Thomas. tertia parte. quæſ. 78. ar. 5. & Ricardus diſt in. octaua, articulo tertio, quæſtion. prima, & plures alij affirmant, dici ea verba aſſertiue & ſignificatiue, ita vt ſacerdos quando peruenit ad ea recitanda induat perſonā Chriſti, & Chriſtum repræſentans dicat, & ipſe. Hoc eſt corpus meum. Tertij ita litem cōponunt vt dicant ſumi ea verba recitatiue & ſignificatiue.

Innocen.
Picus.
Maior.
Ochan.
Gabr.
Alex.
D.Tho.
Ricar.

Sit in hoc prima concluſio. Euidens eſt, quod antecedentia illa verba; Accipite, & comedite dicuntur recitatiue. Conſtat hoc ex his, quæ antecedunt, & quæ ſacerdos præmittit, Qui pridie quam pateretur accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas & eleuatis oculis in cęlum ad te Deum patrē ſuum omnipotentem tibi gratias agēs benedixit, ac fregit, deditq; diſcipulis ſuis, & ait. Accipite & comedite. Quibus verbis ſine dubio ſacerdos recitat ea, quæ à Chriſto dicta & geſta ſunt, dum hæc myſteria agerentur. Secundo id conſtat euidēter quia ſacerdos dū cōſecrat nō porrigit panem cęleſtem nec propinat calicem: ergo quando ait, accipite, & comedite nō loquitur ſignificatiue, ſed recitatiue. Secūda cōcluſio Opinio Innocētij, & cæterorū eſt probabilis. Probatur primo quia eodem tenore, quo ſacerdos ait, accipite & comedite, dicit etiam, Hoc eſt corpus meum: ſed prima procul dubio dixit recitans quæ Chriſtus dixit: ergo, & ſecunda.

Math. 26

Secundo probatur: Quia eſto quod quis neget eodem tenore dici, Accipite & comedite, hoc eſt enim corpus meum, fultus auctoritate Doctorum id negantium, tamē nullus ſapiens inficiari poterit, quin hæc tota, Hic eſt calix ſanguinis mei noui & æterni teſtamenti myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur eodē modo & tenore dicantur. At poſtrema hæc, qui pro vobis & pro multis effūdetur dicuntur recitatiue: ergo omnia. Probatur minor. Sanguis Chriſti licet pro nobis fuſus ſit, tamen modo re ipſa, nec funditur: nec effundetur: ergo ſacerdos non poteſt dicere qui pro vobis, & pro multis effundetur, niſi recitādo verba Chriſti. Alioqui ſi aſſertiuè, & ſignificatiue dicuntur, quēadmodum quando dicit, Hoc eſt corpus meū; vere id quod erat panis, trāſſubſtātiatur in verū corpus Chriſti: quia id ſignificauerunt, & effecerunt ipſa verba: ita quando dicit, qui pro vobis effundetur

fundendus esset reipsa sanguis, debent si quidem illa verba si assertiuè, & significatiue enunciantur, continere veritatem: ergo procul dubio dicũtur recitatiue. Quod vero idem sit eorum verborum tenor, præterquam quod satis liquet ex modo cõcipiendi, probatur aperte: quia illa verba, noui & æterni, &c. sunt determinationes præcedẽtiũ; adeo vt B. Th. nõ dubitauerit
B. Tho.
asserere illa esse de essentia, & substantia formæ.

Tertia conclusio: Opinio Alexandri & B. Thom. & aliorum est probabilis. Et eius fundamenta sunt. Primum: Quia si opposita sententia vera esset, illa verba formæ non applicarentur ad materiam corporalem præsentem, & ità non perficeretur sacramentum. Ait enim D. August.
D. Aug.
quod accedit verbum ad elementum & fit sacramentum. Et hæc est ratio cõmunis Doctorum pro hac sententia. Secunda vero alia posset afferri. Quia in alijs sacramentis minister nomine Christi dicit. Ego te absoluo, ego te baptizo: ergo etiam dũ conficit corpus non recitat verba Christi sed nomine Christi, induensque eius personam significat, & enunciat, hoc est corpus meum.

Quarta conclusio. Siquis tenens quod minister loquitur assertiuè & significatiue diceret, quod ea verba dicuntur, & recitatiue, & significatiue, atque assertiue, ratione quadam verum diceret, alia autem ratione falsum. Diceret quidem verum, in quantum sacerdos cum ea verba dicit profert certe ea, quæ reipsa Christus dixit. Et si hoc quis appellet dicere recitatiue, appellet vtique; sed loquitur improprie. Dicit vero is idem alia ratione falsum. Quia si velit dicere, quod sacerdos dicit ea verba recitatiue & assertiue, & vtrunque proprie loquendo, itaque dicit, & vt recitans, & vt asserens atque significans, illud est falsum, & non modo est falsum sed nec potest mente concipi. Quod declaro. Nam quando sacerdos peruenit ad illa verba ait, Accipite; & manducate, aut prosequitur & recitat eodem tenore illa, quæ sequuntur, Hoc est corpus meum: & sic illa dicuntur recitatiue. Aut simulatq; peruenit ad illa: Accipite, & manducate, quasi sub sistit, Et deinde induens personã Christi significatiue enunciat, & assertiue, Hoc est corpus meum, & tũc liquet quod non se habet vt recitans sed vt significans & enuncians: ergo logicorum more loquẽdo ea sententia dicenda est falsa formaliter & absolute; vera autem materialiter & secundum quid. At tertij isti, de quibus mẽtionem agimus, suscipicati sunt, quod intentio consecrandi in sacerdote efficit, vt ea verba sumantur, & recitatiue, & enũciatiue, siue assertiue. Constat vero quod stat sacerdotem proferre illa verba recitatiue solum cum intentione consecrandi: vt quando vellet consecrare iuxta sententiam Innocentij recitando supra propositam materiam illa verba. Et stat proferre illa enunciatiue solum cum intentione consecrandi vt si vellet se determinare in consecrando ad opinionem Alexandri & B. Thom. Et stat proferre illa enũciatiue; & sine intẽtione. Et stat proferre recitatiue & sine intẽtione. Et quia hoc quilibet videt in mẽte sua, si cõsiderare velit, iccirco nulla ad id ratio asserẽda est. Liquet itaq; illam sententiam esse falsam.

Desiderabit vero quis, vt ad fundamẽta vtriusq; opinionis respõdeamus id quod facere curabimus. Ad primũ pro Alex. & reliquorum sententia negatur, quod iuxta sententiam Innocentij verba nõ applicentur ad materiam corporalem præsentem. Intendit enim sacerdos per verba illa Christi, quæ recitat materiã illã panis, quæ sibi præsens est cõsecrare. Et ita verũ est illud Aug. Accedit verbum ad elementũ, & fit sacramentum. Ordinauit enim Christus,
D. Aug.
quod quandocunque sacerdos cum intentione consecrandi super materiam debitã recitat sua illa verba, tunc fiat consecratio. Et hæc responsio nihil est aliud, quam vera declaratio sententiæ Innocentij: sic enim soluitur difficultas, quando sententia habet probabilitatem.

Ad rationem secundam respondetur, negando consequentiam. Qui enim instituit, vt baptisma daretur sub illa forma, Ego te baptizo, vel baptizetur seruus Christi in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti,

sancti. Et qui pro confirmatione,& extrema vnctione voluit, vt forma proferretur per modum deprecationis, ille idem instituit, vt conficeretur hoc sacramentum recitante sacerdote verba,quæ ipse dixit supra materiam præsentem,cum intentione consecrandi.

Ad primum pro Innocentio facilè responderent authores contrariæ sententiæ, negando assumptum. Sed in respondendo secundo argumento, est magna difficultas,quantum ergo arbitror. Nec verò vidi,nisi quendam respondentem, quod ea verba accipiuntur recitatiue,& assertiue. Et quia hæc res est grauis,dicam quod iterum atque iterum cogitans sentio hac in parte.

Dico primum, inter recitatiue dicere & assertiuè tantum differre,vt quando quis aliqua recitatiue dicit,nihil intersit ad recitantis munus & veritatem,siue ea vera sint,siue falsa,siue præterita, siue futura, siue pugnantia. Quando vero assertiue loquitur,debet dicere verum, si verax est, qui dicit. Hoc dictum est euidens. Quia tam verum dixit Dauid quando dixit,Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus, quam quando dixit,Corrupti sunt,& abominabiles facti sunt. Primum enim illud, quod si assereretur, erat ipsa impietas atque blasphemia,dixit recitatiue. Secundum assertiuè,& certe pueri quando fideliter recitant deliria,& commenta poetarum verè recitant. Et hoc est,quod scholastici dicunt ea, quæ recitatiue dicuntur teneri materialiter.

Psal. 52.

Dico secundo,quod dicere aliquid recitatiuè,& dicere assertiuè, sunt formaliter diuersa. Hoc constat ex dictis:alioqui nunquam verba aliqua recitare esset pium, & asserere sacrilegum.

Dico tertio,in interiori locutione,& cóceptione,à qua exterior dependet, aliter formatur conceptus,mens,atque locutio, quando quis recitat,& quando asserit, vel enunciat. Hæc conclusio rectè consideranti apud semetipsum, liquet absque ratione. Et probatur nihilominus:quia nisi hoc verum esset, nunquam eadem recitans, & asserens dum recitat quidem esset verus, & dum asserit falsus & errans. Ex his verò omnibus colligitur, quod quando quis aliqua recitat,etiam si ea esse vera certissimè norit,& credat, & amet illam veritatem;quando tamen se habet, vt eam recitans formaliter,non se habet vt asserens,& enuncians formaliter:& quando se habet, vt asserens formaliter,etiam si sciat ab alijs esse dicta & velit esse dicta, non se habet, vt recitans. Verbi gratia, quando Diuus Paulus Athenienisibus verba Arati poetæ referebat dicens, Sicut & quidam poetarum vestrorum dixerunt, & genus Dei sumus. Sciebat quidem Apostolus, nos à Deo effectos esse,& amabat eam veritatem, & eam persuadere conabatur, & ad hoc eam retulit ex Græcis,vt Græcis persuaderet,habuit tamen se vt recitans,quādo id retulit, non vt asserens. Quod si se habuit, vt asserens, habuit certe aliam conceptionem interiorem: sic enim essent interius ordinanda verba, genus Dei sumus: sicut quidam poetarum vestrorum dixerunt: ita vt primum sit assertum,& secundum eius asserti probatio:& sic non dicuntur illa recitatiue,sed assertiue:& postea comprobantur, quia dicta sunt à poetis. Ex his omnibus colligo,quod quando sacerdos profert verba formæ vel se habet vt recitans formaliter, & in actu,vel vt asserens,& enuncians formaliter:& quod habere se vtroque modo formaliter,est impossibile:quia ipsi conceptus & locutiones interiores, atque habitus recitantis,& asserentis sunt diuersi, quanuis vnus & idem possit & recitare & asserere. Et cum ratio facta pro Innocentio ferè euincat, illa verba dici recitatiue formaliter efficit consequenter, vt opinio Innocentij sit vehementer probabilis. Asserere vero, quod est his verbis hoc priuilegium datum, vt recitatiue, & assertiue dicantur ob id,quod ea verba habent virtutem consecrādi,nihil est aliud, quam tā hærere aliquē & affectū esse suæ opinioni, vt nō videat consecrationē secūdū aliorū sententiam fieri per hoc,quod sacerdos recitat verba Christi super debitam materiam cum intentione consecrandi, atque ita illud priuilegium sine necessitate fin-

Actor. 17.

gi repugnante natura. Et ratio fingendi nihil valet, quia Deus potuit dare verbis consecrationis hanc vim, vt quando recitarentur cum debitis circunstantijs eorum virtute fieret consecratio, & ita fecit secundum Innocentium. Et vltra hæc omnia, qui dicunt quod ea verba dicuntur à sacerdote recitatiue formaliter, & significatiue, ac assertiue formaliter, tenentur, eorum verborum veritatem defendere, secundum vtramque rationem. Præscindo ergo hoc solum quod dicantur significatiue. Et de eis, vt sic dictis, quæro, quomodo verum sit, quod sacerdos enuntiat, Qui pro vobis effundetur. Et declaro vim rationis. Nam qui asserit, pomum esse dulce, & coloratum, tenetur verificare de eo id, quod pertinet ad rationem dulcis, & id, quod pertinet ad rationem colorati. Igitur ad rationem Innocentij dici posset, primo, quod sacerdos cum loquatur in persona Christi reducit se ad tempus, in quo Christus dixit ea verba; & sic dicit qui effundetur. Sed replicatur: Quia mente & cogitatione se reducere ad id tempus, recitando verba, recte fieri posset, loquendo verò assertiue, falso diceret modo sacerdos. Qui pro vobis effundetur. Sed respondetur, quod induendo personam Christi pro eo tempore, quo cōsecrauit verissime sacerdos ea omnia dicit. Sed replicatur, quia cum Dominus iusserit, vt hæc fierent in commemoratione mortis eius, & sanguinis fusi; quo modo qua ve ratione instituturus erat, vt sacerdotes dicerent enūtiatiue, & assertiue, Qui pro multis effundetur. Teneo ergo cum Innocentio, quod dicuntur ea recitatiue. Et quidem quando ab scholasticis quæritur, cur ecclesia addiderit in verbis consecrationis illud, enim, respondent, quod propter continuationem ad præcedentia. Si tamen assertiue & enuntiatiue ea verba dicerentur à sacerdote, valde impertinens, & incongruum erat addere, enim: ergo ea dicuntur recitatiue. Et id constat etiam ex liturgia Basilij & Græcorum.

Sed siue hæc Christi verba à ministro conceptione recitandi, siue asserendi, & enunciandi proferantur, siue altior aliquis intellectus videt, quod dici possunt formaliter recitatiue, & assertiue, quod mihi est inintelligibile: certum tamen est, quod Christus Dominus significatiue, & assertiue ea protulit. Ac propterea multis disputant scholastici, quomodo accipiatur illud, hoc, quid ve demonstret. De quo supra egi. Et modo dico breuiter, quod quia ista verba efficiunt quod significant; icciro cò ex nulla re certius colligi potest, quid significent quam ex effectu, & cum efficiant, vt contentum sub speciebus panis sit corpus Christi, restat vt illud hoc significare, videatur contentum sub speciebus. Beatus tantum Bonauentura, distin. 8. explicat in hunc modum, hoc, id est, hic panis, est, id est, fit corpus meum. B. Bonau.

ARTICVLVS. V.

Vtrum forma consecrationis panis consequatur suum effectum antequam perficiatur forma consecrationis vini.

RESPONDEO, quod omnes Theologi conueniunt in partem affirmatiuam huius articuli, & merito. Primum: Quia hoc habet ritus ecclesiæ, vt facta cōsecratione panis statim ante consecrationē vini ostendatur corpus Christi adorandum: quod proculdubio non fieret, nisi facta esset consecratio: ergo hæc sententia non est solum scholasticorum; sed totius ecclesiæ sensus. Secundo probo: Quia sacramentum efficit, quod significat: sed verba consecrationis significant secundū rationem temporis præsentis, non futuri, si quidem dicitur; Hoc est corpus meum, & non, hoc erit corpus meum: oportet ergo tunc verum esse, id quod significatur. Tertio: Sacramentum, quod non habet impedimentum, statim atque proferuntur verba habet efficaciam: sed sacramētum hoc non habet impedimentum ex parte materiæ, nec ministri, nec intentionis, hoc enim supponimus: ergo adueniente forma fiet consecratio. Quarto: Forma debet proportionari materiæ: sed materiæ huius sacramen

mêtisunt distinctæ & in nullo ab inuicem dependentes: ergo & formæ non dependent ab inuicem. Quinto: Quia cum hoc sacramentum sit propter vsum, si quantû est ex rei natura, non posset consecrari vna materia, sine alia, consequens est vt nec vna posset licite sumi sine alia. Quòd autem de consecratione panis dictum est, id ipsum, & de consecratione calicis debet intelligi. Si enim quis calicem prius, quam panem cõsecraret perficeret sacramentû, peccaret tamen peccato sacrilegij, debitû, & institutum ordinem peruertendo. Est enim debitus, & institutus ordo, vt prius consecretur corpus. Nec verò vnum consecrare licet absque altero; sed ambas species tenetur sacerdos & consecrare & sumere, vt habetur c. comperimus de consecratione, distinctione secunda. Quocirca in concilio Toletano. 7. capit. 1. sancitum est, vt si contigerit inter missarum solennia sacerdotem corripi aliquo morbo, alius sacra mysteria peragat. Et cõsiderandum etiam est pro solutione eorum, quæ possent opponi, quod vt superius dicebamus, non omnia sunt vnum eodem modo, & hoc sacramentum ita est vnum, vt ad sui perfectionem constet ex duobus, cibo videlicet, & potu quorum vtrunque per se habet suam perfectionem essentialem. Et quidem quando species panis consecratur, sanguis adest per concomitantiam, & pariter de sanguine loquendum est. Et de hoc hæc sint satis.

Conc. Tolet.

QVAESTIO SEPTIMA, DE EFFECTIBUS HVIVS SACRAMENTI.

ARTICVLVS. I.

Vtrum per hoc sacramentum conferatur gratia.



TINAM Messaliani, siue εὐχῖται, qui deprecatores siue oratores haberi voluerũt, humilliter Deum precarẽtur, illuminaret tenebras eorum, nunquam credo in eam amentiam deuenissent, vt assererent, hunc sacratissimum cibum nec obesse quicquã, nec prodesse, quæ fuit illorum hæresis. Ita ne tam sunt inania, & superflua opera altissimi, vt præcipuum eius veræ ac diuinæ religionis sacramentum inane sit? Vel potius certe inanes sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. Armeni etiam dicuntur existimauisse prodesse soli corpori. Quicunque verò Dei gratia catholici sumus asserimus, quod Saluator noster discessurus ex hoc mundo ad patrem, sacramentum hoc instituit, sumique voluit tanquam spiritalem animarum cibũ, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius, qui dixit, Qui manducat me, & ipse viuet propter me: & tanquam antydotum, quo liberemur à culpis quotidianis, quantum hominibus in hac vita fas est, & à peccatis mortalibus præseruemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ fœlicitatis; adeoque symbolum vnius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuique nos tanquam membra arctissima fidei, & spei & charitatis cõnexione astrictos esse voluit. Ex quibus omnibus, quæ ex œcumenico concilio Ioan. 6.

Conc. Trid. lio Tridentino translata sunt, satis liquet, hoc sacramētū efficere in nobis iustitiæ vitā, vnitatē, charitatē, & gratiā Dei. Quod
Conc. Flor. idem definiuit Concilium Florentinum sub Eugenio Quarto in definitione fidei de sacramento Eucharistiæ, data Armenis. Et constat epistola Cyrilli, quæ habetur in concilio Ephesino. Habemusque ad hoc plura scripturæ testimonia. Qui manducat carnem meam, ait Dominus, & bibit sanguinem meum in me manet, & ego in illo. Et adiungit Ioannes prima
Ioan. 6. sua epistola. c. 4. Qui manet in charitate,
1. Ioan. 4. in Deo manet, & Deus in eo. Si ergo is in Deo manet, & Deus in eo, qui manet in charitate, & qui manducat carnem Domini manet in Deo, manet vtique in charitate. Et Ioan. 6. Qui manducat hunc panem
Ioan. 6. viuet in æternum. Nec vero vita æterna datur, nisi ijs, in quibus in hac vita præcessit gratia & iustitia. Sanctorum etiam patrum loca referrem, quibus hanc affirmant veritatem, si aut putarem necessarium, aut non timerem à breuitate, & resolutione scholæ deuiare, quæ mihi in hoc opere proposita est. Vt igitur rē declarem scholastico modo, præmittendum est, quod aliud est quærere, quem effectum habeat sacramentum, id est, forma verborum supra materiam consecratam, (solet enim forma apellari sacramentum) aliud vero quærere, quem effectum habeat sacramētum, id est, corpus ipsum, & sanguis Domini indignè sumentibus. Primus effectus consistit in eo, quod per consecrationem conficiatur corpus, & sanguis Domini. Non tamen est nobis quæstio de effectu in primo sensu, sed in secundo. Iuxta quem dicendum est, quod proprius effectus huius sacramenti est alere, confortare, augere, & continuo reparare vitam spiritualem hominis. Cuius ratio est, quia hoc sacramentum sumitur quasi alimentū spiritualis vitæ: igitur qualem effectum corporalem habet alimentum corporale, talem effectum spiritualem habet hoc sacramentum in suscipiente ipsum digne: sed per alimentum corporale nutritur, cōseruatur, & roboratur, ac augetur natura quandiu durat tempus augmenti: ergo per hoc alimentum, & panem, qui de coelo descendit, fouetur conseruatur, & roboratur mens hominis. viuentis vita iustitiæ in diesq; perficitur, & augetur eius vita & perfectio toto tempore vitæ. Quia totum tempus vitæ huius est tempus proficiendi virtute, & gratia, & non aliter atq; natura per alimentum roborata magis resistit nociuis mortem inferentibus: vel disponentibus, ac male afficientibus ad eam. Sic anima per istud sacramentum digne sumptum spiritualiter confortata melius cauet à peccatis mortalibus, & à venialibus, quæ ad ipsa disponunt. Quarum rerū Typus fuit, quod Iesus agni paschalis seruauit populum Dei ab angelo exterminatore, & manna ab infirmitate: quia nō erat Psalm. 104
in tribubus eorum infirmus. Si quis vero ex his, quæ huic sacramento conueniunt considerare velit istos effectus, applicando singula singulis, audiat B. Tho. sapien- B. Tho.
ter loquentem in hæc verba: Effectus huius sacramenti debet considerari primo quidem, & principaliter ex eo, quod in eo continetur ipse Christus, qui quemadmodum visibiliter veniens in mundum contulit ipsi vitam gratiæ secundum illud Ioan. 1. Gratia, & veritas per Iesum Ioan. 1.
Christū facta est: ita in hominē sacramētaliter veniēs vitā gratiæ operatur: secundū illud Ioā. 6. Qui mādųcat me viuet prop- Ioan. 6.
ter me. Vnde & Cyrilus dicit. Viuificatiuū D. Cyril.
Dei verbū vniēs se ipsum propriæ carni, fecit ipsam viuificatiuā. Decebat ergo cū nostris quodāmodo vniri corporibus per sacrā eius carnē & pretiosum sanguinē, quæ accipimus in benedictionē viuificatiuā in pane & vino. Secūdo cōsideratur ex eo quod per hoc sacramētum repræsentatur passio Christi, & ideo effectū quē passio Christi fecit in mundo hoc sacramentum facit in homine. Vnde super illud Ioa. 19. Conti- Ioan. 19.
nuò exiuit sanguis, & aqua, dicit Chryso- D. Chrys.
stomus: Quia hinc suscipiunt principium sacra mysteria, cum accesseris ad tremendum calicem, vt ab ipsa bibiturus Christi costa ita accedas. Quocirca & ipse Dominus Matth. 21. dicebat. Hic est sanguis Matth. 21.
meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.

Ter-

Tertio cōsideratur effectus huius sacramenti ex modo, quo traditur hoc sacramētum. Traditur enim per modum cibi, & potus. Et ideo omnem effectum, quem cibus, & potus materialis facit, quantum ad vitam corporalem, quod, scilicet, sustentat, auget, reparat, & delectat, hoc totum facit hoc sacramentum, quantum ad vitā spiritualem. Vnde Ambrosius dicit in libro de sacramētis. Iste panis est vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Et ipse Dominus dicit Ioan. 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Et quidem sicut in refectione corporali homo non solum reficitur, sed & confortatur iuxta illud Psalmo. 103. Panis cor hominus confirmet; sic in hac refectione spirituali languor, qui ex diuturna dilatione & absentia diuinæ visionis in viris iustis prouenire consueuit, roboratur. Vnde in figura huius sacramenti legitur de Propheta Elia. 3. Reg. 19. Et ambulauit in fortitudine cibi illius vsq; ad montē Dei. Item per refectionem corporalem nō modo corpus reficitur, sed & impinguari solet. Vnde est illud Gen. vltimo, Asser pinguis est panis eius. Et hoc fit in hoc sacramento. Crescit enim mentis deuotio, quæ pinguedo spiritualis est. Quocirca cum psaltes dixisset, Parasti in conspectu meo mensam, subiecit. Impinguasti in oleo caput meum, quod de pinguedine ac suauitate bonæ mentis debet intelligi. Insuper, sicut in corporalibus videmus, vinū lætificare cor iuxta illud. Et vinum lætificet cor hominis: ita qui cęlesti hoc potu & cibo vtuntur torrente solent voluptatis absorberi, & non modo in lætitiam, sed etiā in ebrietatem quādam spiritualem deueni re iuxta illud Cant. 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.

D. Ambros.

Ioan. 6.

Quarto consideratur effectus huius sacramenti ex speciebus, in quibus traditur hoc Sacramentum. Vnde Augustinus in illa verba Ioan. 6. dicit, Dominus noster corpus, & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur ex multis. Nanq; aliud, scilicet, panis ex multis granis in vnum cōstat; aliud, scilicet, vinum in vnum ex multis acinis confluit. Et ideo ipse Aug. alibi dicit super Ioanē: O sacramentū pietatis: o signū vnitatis, o vinculum charitatis.

D. August.

Quinto considerari potest eius effectus ex eo, quod est pignus vitę æternæ, iuxta illud Ioan. 6. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et cum in æternam illam requiem nihil ingrediatur inquinatum, & immundum, nec vero ius ad eam obtinendam habere possit, qui expers fuerit gratiæ, & charitatis, consequens est, vt efficiat in nobis gratiam & puritatem. Liquet ex dictis ordine suo effecta omnia numerando, quod cum nec vita gratiæ, nec remissio peccati, nec spiritualis refectio, robur atq; lætitia, nec vnitas in Christo, nec pignus hæreditatis æternæ habeantur sine gratia, & interiore rectitudine, atq; iustitia; & hæc sint effecta huius sacramenti, fit necessario vt hoc sacramentum conferat gratiam.

Ioan. 6.

Sed contra hæc est argumentum: Quia hoc sacramentum est quasi quædam refectio spiritualis: sed refectio magis videtur pertinere ad vsum gratiæ, quam ad gratiæ collationem: ergo per illud non confertur gratia. Respondetur, quod hoc sacramentum reficit conferendo gratiam, & charitatem. Et quidem in corporalibusqui reficitur, tum roboratur corporis habitu, & dispositione, tum etiam melius operatur.

ARTICVLVS. II.

Vtrum ea gratia, quam hoc sacramentum confert, sit prima gratia vel augmentum gratiæ.



LIQVET huius rei veritas ex antecedentibus. Dictum enim est, hoc sacramentum per se institutum esse tanquā alimentum spiritualis vitæ. Quemadmodum ergo, cibus corporeus non est, nisi viuentis cibus, pari proportione hoc sacramentum est cibus, & alimentum, atque refectio viuentium vita gratiæ. At vero quamuis hic sit per se effectus huius sacramenti,

menti, Accidit tamen ex parte subiecti, vt si inueniat illud, gratia quidem destitutũ, dispositum vero ad eam recipiendam per sacramẽtũ, tunc hoc sacramẽtũ efficiat illud gratũ Deo, iustũq; reddat ex iniusto.

Sed aduersus hæc est argumẽtum. Quẽ admodũ nemo assequitur primam gratiã, nisi per baptismum in re, vel in voto susceptum: ita nemo assequitur gratiam, nisi per Eucharistiam in re vel in voto. Scriptum enim est, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: ergo per hoc sacramentum confertur prima gratia.

Ioan. 6.

Respondetur, quod hac in parte, quantum ego sentio, vti debemus doctrina D. sapientissimi Augustini, varie, & multipliciter interpretantis, & accommodantis vnum & eundem sacræ Scripturæ locũ. Dicendum ergo est, quod illa verba Ioan. 6. referri possunt ad præceptum de sumendo isto sacramento. Quod cum sit affirmatiuum & non obliget omni tempore efficitur, vt proculdubio sine actuali sumptione huius sacramenti viuere possit quis vita gratiæ: si tamen præceptũ violaret nõ viueret.

D. August.

Ioan. 6.

Secundo vero illa eadem verba possunt ita accipi, vt dicant necessitatem finis: ita vt nullus vitam æternam sit habiturus, nisi manducauerit carnem filij hominis, & biberit eius sanguinem. Et si hoc modo accipiantur, necesse est, vt illa intelligamus de manducatione spirituali, siue voto huius sacramenti, quod includitur in baptismo. Constat enim secundum fidem catholicam, quod multi ingrediuntur in regnum cœlorum, qui re ipsa non sumpserunt hoc sacramentum, vt liquet in infantibus baptizatis. Ex quibus omnibus non sequitur, quod primus esse ctus realis, & sacramentalis manducationis huius sacramenti, sit dare primam gratiam, sed quod prima gratia non datur sine spirituali manducatione, & voto saltẽ implicito huius sacramenti. Sed hic to arguis: Prima gratia non datur per sumptionem huius sacramenti per se loquendo: ergo nec per votum. Nam si ad primam gratiã nõ requiritur sacramẽtalis mãducatio: ergo nec requiritur eius promissio explicita vel implicita. Dico ad hoc, quod istæ cõsequentiæ non valent; quia cũ votũ suapte natura antecedat rei promissæ exhibitionem; stat vt quamuis rei exhibitio supponat vitam spiritualem, votum tamen in tantum antecedat, vt concurrat ad ipsam vitam. Quam rem declaro: Nam certum est, quod baptismus includit votum omnium præceptorum, & sacramentorum; plura tamẽ sunt inter hæc quæ per se supponunt vitam gratiæ.

Sed replicas in hunc modum: Illa prima gratia datur ex vi baptismi in re suscepti: ergo nõ datur ratione voti Eucharistiæ inclusi in baptismo. Respondetur, quod baptismus & votum Eucharistiæ in illo inclusum, non sunt vna, & alia res; sed eo ipso quod baptismus est medium ordinatũ ad Eucharistiam, tanquam ad finem habet quod sit votum eiusdem, quia baptismus ponit initium vitæ spiritualis: Eucharistia vero augmentum, & consummationẽ. Initium autem cuiuscunq; rei per se ordinatur ad eius consummationem; ac propterea, qui ponit initium rei eo ipso profitetur velle se illam deducere ad finem. Cæterum ad huc mens hærens in difficultate non quiescit. Dicit enim; Si de Eucharistia dicimus, quod non datur gratia prima ante susceptionem eius in voto propterea quod in baptismo, per quem datur prima gratia includitur votum huius sacramẽti, illud ipsum dicere possemus de quocunq; alio sacramẽto, cũ similiter in baptismo includatur votum reliquorum sacramentorum; quod tamen non dicimus.

Respondetur, quod, in baptismo inest votum Eucharistiæ magis proprie & principalius, quam reliquorum sacramẽtorũ. Primum; quia Eucharistia est finis baptismi, & reliquorum sacramentorum.

Secundo quia baptismus continet votum aliorum sacramentorum, quatenus illa sunt necessaria ad vitam spiritualem, & reliqua sacramẽta sunt necessaria ex aliqua suppositione, vt pœnitentiæ, si cecideris. Eucharistia vero omnino est necessaria, & per se ad tuendam vitam spiritualẽ.

Nam

Nam vita nostra, nisi alatur & nutriatur, vt intereat necesse est.

Tertio: Quia baptismus ex sua propria ratione, idest, quatenus est generatio, & initium vitæ spiritualis includit ordinem ad Eucharistiam, & votum ipsius, vt supra diximus. At vero vota aliorum sacramentorum eo dicuntur esse in baptismo, quod qui suscipit baptismum profitetur christianismum, obedientemq; se futurum mandatis, ac se habiturum, vt partem, & membrum ecclesiæ Dei.

Quarto: Quia quemadmodum, qui bibit ad riuum, eo ipso censetur sitire magis bibere ad fontem ipsum, atq; principium: ita quia in hoc sacramento continetur fons ipse gratiæ, & sacramentorum secundum substantiam, iccirco qui suscipit vel baptismum vel quodlibet aliud sacramentum eo ipso peculiarem aliquem ordinem habere censendus est ad hoc sacramentum, vel pro toto hoc argumento, & difficultate dicamus quod baptismus est spiritualis manducatio huius sacramenti nec videntur hæc distingui, nisi ratione ratiocinante. Nam eo ipso, quod baptismus est, est etiam spiritualis manducatio huius sacramenti, quia per baptismum incorporatur homo vnitati corporis Christi, & hæc est spiritualis participatio corporis Christi. Est & aliud argumentum contra doctrinam traditam in articulo, quod augmentum spirituale pertineat ad sacramentum confirmationis, non ergo efficitur per hoc sacramentum. Est vero ad hoc communis responsio Theologorum, quod per hoc sacramentum augetur gratia, & perficitur spiritualis vita, ad hoc, vt homo in seipso perfectus existat per coniunctionem ad Deum. Per sacramentum vero confirmationis augetur & perficitur gratia ad persistendum in fide, & confessione contra exteriores impugnationes inimicorum Christi. Et generaliter pro similibus argumentis dicendum est, quod quamuis omnia sacramenta conferãt gratiam, confert tamen illam vnumquodq; modo & ordine suo. Conferre vero illam nutriendo & alendo mentem secundum analogiam conuersionis alimenti in substantiã aliti, idest peculiare sacramento Eucharistiæ.

Disputant hoc loco aliqui scholastici, quædam non ad modum grauia, & ex eorum numero, ex quibus heretici sumunt occasionem scholasticos irridendi, & appellandi eorum disputationes, quæstiones hominum ociosorum: ergo fingũt, quod quãdo quis accipit sacramẽtũ Eucharistiæ sit, praue affectus atq; dispositus: Tẽpore vero quo iam deglutit species aut illæ manent in stomacho, iam homo ille se se colligerit, dispositusque sit ad gratiam percipiendam per sacramentum. Et quærunt, an is homo recepturus sit gratiam per illud. Itaque status quæstionis est an tẽpus perceptionis gratiæ per hoc sacramentum sit præcise tempus ipsum perceptionis sacramenti, vel potius totum illud tempus quo manent species, in quo quidam aiunt, alij negant. Mihi est verisimile, quod tunc tantum datur sacramentalis gratia huius sacramenti, quando verum est dicere de sumente, quod sumpsit, & manducauit corpus Domini. Primum, quia cum collatio gratiæ eius fiat in instãti, illud instans debet esse asignatum & institutum. Est vero rationi conforme, vt sit illud quando verum est dicere, quod sacramentum est sumptum. Secundo quia quanuis alimentum corporale non prosit, quãdo sumitur sed quando digeritur. Effectus tamẽ huius sacramenti est instantaneus, & spiritualis, ac videtur eius tempus esse quando sumitur sacramentum. Tertio. Quia si hoc diximus, nemo nobis poterit inferre, vtile esse vel multas hostias sumere vel debilem habere vim decoctiuam, quo maior mora sit in digerendis speciebus vel fieri posse, vt quis sumens Eucharistiam peccet mortaliter, sumendo, & nihilominus per eam accipiat gratiam. Quæ omnia videntur puerilia & absurda, & se quuntur ad sententiam oppositã. Sed hæc missa faciamus.

ARTICVLVS. III.

Vtrū hoc sacramētū, cōferat aliquid corpori, quid ve sit illud, quod confert.



HAEC quæstio est grauis admodum, & difficilis, atq; aliquas ob causas hisce temporibus agitata. Et ego in re tam alta ac pure Theologa non me arbitror aliquid scire, præter id, q̄ sancti patres dixerint, & senserint. Ac proinde eorum in primis hac de re verba referā: deinde adiūgā quid iuxta sanctorum dicta dicendum esse videatur. D. Irenæus lib. 5. aduersus hæreses; Fit, inquit, Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur, & consistit nostræ carnis substantia. Et rursus: Quomodo carnem negant esse capacem donationis Dei, quæ sanguine, & corpore Christi nutritur, & mēbra illius fit. Et D. Chrys. homilia de sacramētorum perceptione. Necessarium est, inquit, dilectissimi mysteriorum discere miraculum, quod tandem sit, & quæ rei vtilitas, & quare sit datum. Vnum corpus sumus, & membra ex carne eius, & ex ossibus eius. Vt itaque non tantum per charitatem hoc fiamus verum ipsa re in illam misceamur carnē, hoc per escam efficitur, quam largitus est nobis, volens ostendere desiderium, quod erga nos habet: propterea semetipsum nobis immiscuit & corpus suum in nos cō temperauit. &c. Et homilia. 45. super Ioannem; Vt autem, inquit, non solum per dilectionem: sed re ipsa in illam conuertamur carnem, id efficitur per cibum, quem nobis largitus est. D. Hilarius li. 8. de Trinitate dicit: Quod per manētem in nobis carnaliter filium nobis in eo corporaliter, & inseparabiliter vnitis mysterium vere naturalis vnitatis perficitur. D. Cyrilus li. 11. super Ioā. c. 27. loquitur in hæc verba. Vnimur Deo, & modum ipse Saluator aperuit dicens: Ego in ipsis, & tu in me, vt in vnū sint cōsummati. Corporaliter enim filius per benedictionem mysticam nobis vt homo vnitur; spiritualiter autem vt Deus. Et lib. 15. in Ioānem; Considerandū, inquit, est, non solum secundum habitudinem, quæ per charitatem est; Christum in nobis esse, sed etiam participatione naturali. Vt si quis igne liquefactam ceram alij ceræ similiter liquefactæ immisceat, ita vt vnum quid ex vtroq; factum esse videretur: sic, inquit, cōmunione corporis, & sanguinis Christi ipse in nobis, & nos in illo sumus. Et D. Damasce. li. 4. fidei. c. 5. dicit: Quia ex vno pane omnes assumimus vnum corpus Christi, & vnum sanguinē, & ad inuicem membra generamur concorporati Christo existentes. Et Leo primus epistola. 22. In illa, inquit, mystica distributione spiritualis alimoniæ hoc impertitur, hoc sumitur, vt recipientes virtuté cælestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra est, transeamus. Aliaque his similia citat Claudius de Sainctes, in suis illis eruditis repetionibus de sacramento Eucharistiæ.

D. Hiero. D. Chrys. D. Hilar. D. Cyril. D. Damasc. Leo. Pri. Claudius.

In hac re vt certa separemus ab incertis, certum est secundum fidem, quod qui sumunt Eucharistiam, manducant, & traijciūt in stomachum veram carnem, & sanguinem Christi, & illam contectam illis speciebus: ac proinde illa attingit siue contingit corpus nostrum, nec corpus Christi statim atq; sumitur euanescit, vt quidam falso dixerunt.

Secundo. Certum est, ac esse debet, quod substantia carnis Christi, sumpta nō transmutatur in nostram substātiam, nec etiam ipsa transmutat, & conuertit substātiam carnis nostræ in suam, nec ambæ transmutantur, & miscentur vt ex vtraq; resultet vna tertia. Quod caro Christi non transmutetur & conuertatur in nostram manifestum est: quia est gloriosa & impassibilis. Quod etiam nostra caro non conuertatur in carnem Christi, manifestum est, nec indiget probatione: quia inter alia esset tunc caro nostra vnita hypostatice verbo, & consequenter nec resultat vna tertia caro. Sed dubium est, vtrùm possit concedi, quod qui digne sumunt Eucharistiam, vniuntur cum Christo corporaliter, & naturaliter. Et si concedatur, quomodo sit verum, an ne ratione alicuius effectus

Vide Turrecre. de conse. d. 2. super. c. in Christo. fectus, & virtutis inditæ, vel quonam modo, in hoc ego expectans, in primis quid ecclesiastici Doctores verius, & doctius sentiant, statuo sequentes propositiones.

Prima propositio: Concedendum est, quod qui dignè sumunt hoc sacramentum, efficiuntur vna caro cum Christo, & vniuntur illi, nō solum spiritu, & amore, sed etiam carne & corpore, quam vnionem vocant sancti, corporalem. Probatur primo: ita loquuntur sacræ literæ, & sancti: & eiusmodi locutiones possunt habere verum sensum, vt declarabimus: ergo non sunt negandæ. Probatur assumptum pro priori parte. Et quidem quod attinet ad sanctos iam probatum est. In sacris verò literis Ioannis sexto (Ioan. 6.) dicitur: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo. Et illud eiusdem (Ioan. 17.) Euangelistæ capite decimoseptimo. Non pro his rogo tantum, sed etiam pro omnibus, qui credituri sunt in me, vt omnes sint vnum. Quibus testimonijs addendum est, quod sancti illa interpretantur, non modo de coniunctione spirituali, sed etiam corporali: ergo ità ea accipere debemus. Et Diuus Paulus, 1. Corinthio. 6. (1. Cor. 6. Ephes. 5.) Nescitis, quod membra vestra membra sunt Christi? Et Ephesio. quinto. Quoniam membra sumus corporis eius, & caro de carne eius, & de ossibus eius. Et primo Corinthio. 10. (1. Cor. 10.) vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane, & vno calice participamus. Et in eadem epistola capite duodecimo (1. Cor. 12.). Vos estis corpus Christi, & membra de membro. Et præter scripturæ, & sanctorum authoritatem, quòd illæ locutiones debeant concedi, tenet Claudius de Sainctes in suis repetitionibus, & Turrecremat. de consecratione, distinctione secunda super caput in Christo, & Vvaldensis de sacramentis capite 91. & tenere dicuntur Gillandus super Ioannis capite sexto, & Ioannes Hesselt Louaniensis libro de veritate corporis Christi ratione quarta. Quos tamen ego nunquam legi, nec vidi codices eorum.

(Claudius. Turrecre. Vuald. Gillandus. Ioan. Louan.)

Secunda propositio: Non videtur verum, quod illa corporalis coniunctio, & vnio fiat solum per hoc, quod quando sumimus Eucharistiam, re ipsa contingimus corpore nostro carnem Christi contentam sub speciebus.

Hanc propositionem statui propter quosdam, qui dicunt, quod quando sumimus Eucharistiam, & eam stomacho continemus, realis ille contactus sufficit ad hoc; vt vere dicamur esse vna caro cum Christo, & quod illi vnimur corporaliter. Sicut scriptura dicit de viro, & vxore, quod sunt vna caro. Et Paulus primo Corinthiorum sexto, ait: (Genes. 2. 1. Cor. 6.) Qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur. Quod scriptura dicit propter realem commixtionem corporum, cum sit certum, quod substantia carnis fœminæ non conuertitur in corpus viri, nec è contra; sed iunguntur solo tactu. Hæc illi. Dico autem non esse verisimile, quod sancti tam asseueranter has propositiones affirmarent, propter solum contactum nostræ carnis ad carnem Christi.

Probatur: Quia in primis sancti non loquuntur cum ista dicunt de quibuscunque sumentibus, sed de sumentibus dignè. Et tamen si illa vnio consisteret in solo contactu nostræ carnis ad carnem Christi, idem affirmari posset de ijs, qui manducant, & bibunt indignè, quod longissime abest à Sanctorum sententia.

Secundo: Quia valde impropriè dicuntur vna illa, quæ solum se contingunt, nihilque in se mutuo agunt. Et multo impropriùs diceretur, quod vnum transit in aliud, & conuertitur, & efficitur vnum cum illo, ob id solum, quia se contingunt. Præterquam, quod sancti dum ista dicunt significant subesse in hoc grande mysterium, sed supposita veritate carnis Christi, & sanguinis in hoc sacramento, nihil est mysterij in eo, quod caro sumentis contingat carnem Christi velatam speciebus. Illud verò simile de congressu viri, & fœminæ, quod illi auctores adducebant, simile non est, vt constat, quia

qui iungitur mulieri non dicitur effici vna caro, propter solum contactum. Vt ergo dicam quidnam supposita doctrina sanctorum, verisimilius mihi esse videatur, præmittendum est, quod quantum attinet ad propositum dupliciter potest accidere, vt duæ res vniantur, & constituant vnam: vno modo secundum substantiam, alio modo secundum qualitates, & effectus. Secundum substantiam duæ res efficiunt vnam, quando substantiæ illarum rerum ita copulantur, vt ex eis resultet vnũ aliquid numero; vt cum alimentum conuertitur in substantiam aliti; & quando aqua miscetur aquæ. Et hoc modo certum est, quod non vnimur corporaliter Christo, vt liquet ex dictis. In his enim vnionibus semper vna saltem substantiarum desinit esse vnum aliquid numero, indiuisum & integrum per se sicut antea. Secundum vero qualitates potest vna res meritò dici vnita alteri, quando ei ita coniungitur, vt producat in ea qualitates similes his, quas habet in se. Itaque quamuis eam non efficiat vnam numero secum, reddit tamen similem sui, quæ vnio est quidem multo minor priore, sed sufficit vt secundum eam agens dicatur vnitum passo, & econtra. Quibus constitutis ponenda est sequens propositio.

Tertia propositio: Iuxta sanctorum patrum dicta, atque sententias valdè probabile est, quod ex sumptione digna huius sacramenti, atque contactu sanctissimæ carnis Christi datur, & inest nostris corporibus aliqua virtus, ac qualitas altioris cuiusdam, & præstantioris conditionis, similisque aliqua ratione ei quæ est in carne Christi, ratione cuius dicimur effici vna caro cum Christo, & vniri cum eo corporaliter. Hanc propositionem ego non habeo vnde probem potissimum, nisi ex auctoritate, & testimonio prædictorum sanctorum. Eorum enim verba vix, aut nulla ratione possunt esse vera, nisi hoc saltem eis concedamus. Et præterea sacræ literæ affirmant, quod cum
1.Cor.6. vnimur Christo efficimur vnus spiritus, & vnum corpus, atque caro cum illo: sed fideles iusti sunt vnus spiritus cum Deo propter influxum gratiæ, & charitatis inhærentis animæ nostræ: ergo similiter dicimur vnum corpus, & vna caro cum Christo: quia ex digna participatione, & contactu illius sanctissimæ carnis afficiuntur nostra corpora qualitatibus aliquibus, & conditionibus similibus, proportione quadam eis, quas habet caro Christi.

Item ad Philippen. 3. ait Apostolus: Saluatorem expectamus Dominũ nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Ex quo sumi potest argumentum certe graue. In vita præsenti dantur iustis tanquam quædam initia, & pignora futuræ Deificationis, & beatitatis, atque earum rerum omnium, quas beati in futura vita habituri sunt. Vnde & Theologi verè dicunt, quod gratia est quoddam semen, pignus, & inchoatio gloriæ: ergo si quidem in futura vita non solum secundum mentem perfectiores, & diuiniores futuri sumus, sed etiam corpora nostra configuranda sunt corpori claritatis Christi secundum Paulum, & secundum fidem, valde certè verisimile est, quod in hac vita imprimantur corporibus iustorum, dum hæc sacramenta sumunt, aliquæ qualitates, quæ sint initia corporalis gloriæ posteà futuræ. Postremo hæc sententia sic exposita commendat dignitatem, & efficaciam huius sacramenti, & fideles in illius studium magis accendit, & est conformis dictis sanctorum patrum & scripturæ, & nihil continet, quod non sit dignum Dei in nos bonitate: ergo nulla causa est cur à catholicis non probetur.

Philipp. 3.

Vltima propositio: Hæc virtus siue qualitas ex contactu corporis Christi, ad eorum corpora, qui digne sumunt, transfusa operatur multa, & præclara, sed præcipuè afficit corpora nostra, & conformat tenui quidem, sed aliqua similitudine ad corpus Christi, sedat, atque diminuit concupiscentiam, depellit morbos, & continet tanquam in semine dotes gloriæ corpo

corporalis. Et quidem conformatio aliqua atque similitudo per eam qualitatem colligitur ex dictis. Quod vero etiam ea virtus sedet concupiscentiam probatur. Quia inter effectus huius sacramenti poni solet, sedare concupiscentiam: ergo verisimile est, quod id fiat per eam qualitatē. Quod autem eadem virtus morbos corporales depellat significatur ex opposito, quia vsus indignus huius sacramenti inducit morbos, & mortē corporalem, iuxta illud Apostoli. 1. Cor. 11. Propter hoc inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi: ergo bonus vsus huius sacramenti confirmat sanitatem. Et quidem ecclesia orat vt huius sacramenti medicina, & corpori prosit & menti: non ergo dubium: quod prosit saltem per modum impetrationis. Ac tandem, quod in ea virtute tanquam in semine contineatur vita gloriosa nostri corporis, probatur ex Diuo Cyrillo libro quarto, super Ioann. capite duodecimo, vbi nonnulla dicit, quæ hoc videntur significare, & S. Thom. opusc. de corpore Christi, capite vigesimosecundo, inquit: Soli electi propter corporis Christi participationem surgent, sole pulchriores. Et præterea hoc idem satis colligitur ex dictis.

1. Cor. 11.

D. Cyrill.
S. Thom.

Sed dicet aliquis: Multi iusti ex hac vita decedunt, qui nunquam susceperunt re ipsa hoc Sacramentum, eorum tamen corpora surgent ad vitam gloriosam: ergo hæc vita gloriosa non datur electis virtute impressa, ex sumptione huius sacramenti.

Respōdetur, ꝙ generale, & vniuersale remediū, quod Deus instituit in lege noua quæ sola est lex spiritus, & habet promissionem æternæ vitæ ad efficienda huiusmodi bona in nostris corporibus, est sumptio huius sacramenti: estque præceptum sumendi generale, & obligans omnes tēpore suo. Cæterum, quando accidit vt aliqui credentes in Christum, & in gratia cōstituti decedant antequam possint sumere hoc sacramentum, non sunt iam angusta pretiosa illa charismata, quæ iusti accipiūt à Deo, gratiam dico fidem & charitatem cæteraque omnia bona, vt id non possint supplere. Non aliter atque baptismus qui dem generaliter est necessarius ad salutem quod tamen baptismus erat effecturus, id præstat baptismus flaminis, supplens vicem baptismi aquæ, quando is non potuit haberi. Similes verò quæstiones indigent maxime tractatore sobrio, & humili, & qui se non putet scire quæ nescit: nec verò præcipitanter improbet, quæ ignorat, an sint improbanda; nec rursus confidenter affirmet, quæ fortasse non intelligit.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm hoc sacramentum conferat aliquid, & prosit etiam non sumentibus.



ALIQVID est in hac quæstione certum; & aliquid, quod eget disputatione. Certū est, quod in quātum in hoc sacramēto repręsentatur passio Christi, qua Christus obtulit se hostiam Deo, habet hoc sacramentum rationem sacrificij, de quo infra aduersus Lutheranos habendus est sermo. In quantum vero in hoc sacramento confertur inuisibilis gratia sub visibili specie, habet rationem sacramenti. Ac proinde hoc sacramentum prodest sumentibus quidem, & per modum sacramenti, & per modum sacrificij: quia offertur pro omnibus sumentibus. Orāt enim sacerdotes in missa, vt quotquot ex ea altaris participatione sacrosanctum filij Dei corpus & sanguinem sumpserint, omni benedictione cœlesti, & gratia repleantur: sed alijs qui non sumunt, prodest per modum sacrificij, in quantum pro salute eorum offertur. Hæc igitur certa sunt. Sed dubitatur, qua ratione & modo hoc sacrificium conferat ijs, qui vel offerunt, vel pro quibus offertur. In quo illud etiam præmittendum est, quod non agimus in hac disputatione de Eucharistia, quatenus est sacramētū. Sic enim nō prodest, nisi sumentibus digne: sed de Eucharistia, vt est sacrificium: cuius ratio communis consistit in oblatione; & sic solum prodest

his qui vel offerunt, vel pro quibus offertur.

Secundo aduertendum est, quod quidam hoc sacrificium simul & offerunt, & pro illis offertur; quales sunt sacerdotes, & ministri, & astantes missæ, & qui eleemosynas conferunt, aut aliquo alio modo concurrunt, materiam ve suppeditant sacrificio, atque ij omnes, & offerunt suo quique modo, & pro illis offertur, quod constat ex precationibus missæ. Alij vero non offerunt, sed solum pro illis offertur. Quales sunt illi, de quibus sacerdos ipse sua sponte mentionem facit: cum tamen illi nulla ratione concurrant ad sacrificium.

Tertio supponendum est, quod qui offerunt ob id ipsum quia offerunt, id est, ratione operis operantis, si sunt in gratia merentur, & satisfaciunt, vt fit in alijs bonis operibus; qui autem non offerunt, sed solum pro illis offertur, nihil mereri possunt aut satisfacere ex opere operantis: quia nihil omnino operis exercent erga sacrificiũ. His constitutis quæ certa sunt, oborta est his temporibus inter catholicos disputatio, vtrùm hoc sacrificium ex opere operato habeat aliquos effectus in his, pro quibus offertur, & qui sint illi effectus. In quo est quorundam opinio, quod hoc sacrificium ex opere operato delet culpas mortales illorum, pro quibus offertur. Quæ sententia potest sic probari: Primum hoc sacrificium est propitiatorium, dicitque ecclesia in canone, quod plebs sancta fidelium offert hanc hostiam pro redemptione animarum suarum: sed redemptio animæ est à culpis, non quibuscunque sed mortalibus: ergo hoc sacrificium ex opere operato delet culpas mortales eorum, pro quibus offertur.

Catherinus.

Secundo: Fere omnes sancti fatentur, quod per hoc sacrificium peccata nostra delentur, & animæ purgantur, & expiantur culpæ, quæ non possunt verè dici, nisi hoc sacrificium deleat culpas mortales eorum, pro quibus offertur: ergo. Declaro antecedens: Nam D. Chrysost. hom. 17. & 27. in epistolã ad Hebræos, & Teophyl. super ca. 8. eiusdem epistolæ dicunt in his mysterijs & sacrificio esse remissionem peccatorum, & D. Athanas. libro. quæstion. ad Antiochum affirmat hoc sacrificium esse expiationem omnium sordium & D. Cyprian. libro primo Epistolarum, epistol. 9. & in sermone de cœna Domini apertè dicit hoc sacrificium esse iniquitatum expiationem. Et D. August. libro de cura pro mortuis gerenda capit. 1. & in Enchiridione, capit. 110. & Paschasius de consecratione distinctione secunda, capite iteratur docet hoc idem. Et quidem fundamenta huius sententiæ hæc fere sunt.

D. Chrysos. Theophy. D. Athan. D. Cypria. D. August. Paschas.

Prima conclusio: Hoc sacrificium non delet culpas mortales eorum, pro quibus offertur ex opere operato. Probatur primum ex Apostolo Hebræo. 10. vbi docet expresse, quod peccantibus post baptismum, iam non relinquitur hostia pro peccatis. Si vero hoc sacrificium ex opere operato deleret peccata mortalia, vtique relicta nobis esset post baptismum hostia pro peccato: ergo non delet.

Hebr. 10.

Secundo probo: Nam si hoc sacrificium habet hanc potestatem, sequitur quod tam sacerdos, quam cæteri, qui sumunt possent ad illud accedere cum conscientia peccati mortalis, quod est falsum. Et probatur sequela: Nam homines ideo confugiunt ad sacramentũ baptismi, & pœnitētię onusti peccatis, quia illa instituta sunt ad delenda peccata. Si ergo hoc sacramentum habet hanc virtutem, vt ex opere operato deleat mortalia, possent & accedere ad illud.

Tertio: Si hoc sacrificium ex vi sua deleret peccata mortalia, sequeretur, quod sacramentum pœnitentiæ non esset necessarium peccantibus post baptismum. Probatur sequela: Nam esset aliud remedium institutum sufficiens ad delendum peccata mortalia, scilicet, hoc sacrificium, & ex consequenti peccatores non necesse haberent adire sacramentum pœnitentiæ ad recuperandam gratiam: sed satis illis esset vti vel sacramento pœnitentiæ, vel Eucharistię efficiendo vt sacrificiũ offerretur pro illis. Itẽ hæc sententia istorũ doctorũ parat viã ad hoc, vt nemo vtatur sacramento pœnitentiæ. Nec verò arbitretur illud sibi esse necessarium, cum habeat paratum

tatum aliud remedium, facillimum, scilicet, oblationem huius sacrificij.

Item non est probabile, nec credibile, quod si tam præsens, & efficax remedium esset, in hoc sacrificio ad delenda peccata mortalia, & consequenter dandam gratiam, his, pro quibus offertur, non est, inquam, credibile, quod ecclesia Dei id ignorasset tot sæculis, aut etiam, quod non insideret omnium mentibus, & linguis, tanquam res notissima. At vero nec id insidet, nec habetur ex ecclesiæ sensu: sed potius, vt existimo, longe abest ab eo: ergo non est eiusmodi vis in hoc sacrificio. Est & alia ratio, quia quæ sacramenta instituta sunt ad peccata delenda ex opere operato aliquam dispositionem requirunt peccatoris, vt baptismus & pœnitentia: hoc vero sacrificium offerri potest, & solet pro existentibus in peccatorum complacentia: ergo res ipsa tacite innuit, quod innititur misericordiæ per modum impetrationis, vt dignetur Dominus talis hominis animum emollire, & ad se se conuertere.

Secunda conclusio: Oblatio huius sacrificij valet multum per modum impetrationis ad delendas culpas mortales eorum pro quibus offertur, hoc est, ad impetrandum à Deo, vt illis, pro quibus offertur, si sint in peccato, dolorem immittat, & pœnitentiam de peccatis. Probatur conclusio: Nam viri religiosi sæpe offerunt hoc sacrificium pro eis, quos sciunt esse in peccato, implorantes per eius sacrificij dignitatem Dei clementiam in illos, atque vt eorum Deus miseratus ad meliorem mentem conuertat: ergo id, quod tam receptũ est in ecclesia non, fit frustra: ergo id sacrificium valet ad hoc.

Item argumentor secundo: Eleemosyna, aliaque eiusmodi opera misericordiæ, sæpe impetrant à Deo misericordiam, iuxta illud, Consilium meum accipe, o rex, & peccata tua eleemosynis redime: ergo multo magis id tribuendum est huic sanctissimo sacrificio. Item hoc videtur apertè docere Chrys. hom. 69. ad populum Antiochenũ, & lib. 6. de dignitate sacerdotali, & D. Greg. li. 4. Dialogorũ, c. 55. & Theophylat. super Lucam capite duodecimo.

Dan. 4. D. Chrys. D. Greg. Teophy.

Vltima propositio: Non est perpetuum & infallibile in hoc sacrificio impetrare remissionem actualem peccati, & gratiam his, pro quibus offertur. Itaque de eo non est certa lex. Probatur: Quia si id esset perpetuum, sequerentur eadem fere inconuenientia, quæ supra inferebamus, si ex opere operato efficeret remissionem peccati in his, pro quibus offertur.

Sed obijciet aliquis cõtra hoc: Christus Dominus semper exauditur à patre: de eo enim dixit Apostolus Hebræ. 5. Exauditus est pro sua reuerentia: & quotiescunque hoc sacrificium offertur in missa, Christus Dominus illud offert: ergo perpetuo impetrat deletionem culpæ. Ad hoc respondetur, quod ratio peccat in duobus. Primũ quia quemadmodum fudit pro omnibus sanguinem, non tamen voluit absoluta voluntate, vt sanguis ille fusus valeret adhoc vt omnes homines re ipsa liberarentur à peccato, sed quidam peculiariter ab ipso di lectiri ita quamuis oret pro aliqua prouincia ea oratio non est necesse, quod habeat effectum in omnibus: sed in eis, pro quibus ipse ita orabat, vt omnino vellet se exaudiri. Et quidem ego existimo, quod quando dixit Dominus pendens in cruce, Pater ignosce illis, orauit pro omnibus, qui quacunque ratione ipsum offenderunt, aut ei detrahẽtes, aut resistentes doctrinæ, aut blasphemantes, aut crucifigentes re aut voluntate & tamẽ nõ omnes illi salutẽ sunt assecuti.

Hebr. 5. Luc. 23.

Secundo: Deficit argumentum in eo, quod Dominus nõ offert hoc sacrificium per se, sed per ministros, oblatio vero, & oratio, quæ fit à Christo per ministros, nõ est necesse, vt perpetuo exaudiatur à patre non aliter atq; etiam in naturalibus videmus, causas vniuersales determinari, & quasi restringi earum vim per causas particulares, non potentes recipere in se ipsas ingentem illam vim, & fere immensum influxum causarum vniuersalium.

Ad primum argumentum dico, quod hoc sacrificium est quidem propitiatorium, ad hoc tamen non est necesse ponere, quod ex opere operato deleat peccata eorum, pro quibus offertur. Et concedo etiam, quod offertur in remissionem

peccatorum: quia per hoc sacramentum remittuntur pœnæ, quæ manent ex culpis remissis. Et præterea generaliter loquendo, verum est, quod quicquid boni, aut cogitamus, aut agimus, offerre debemus in remissionem peccatorum nostrorum, nisi stulti simus: nam & hæc vita non agitur sine peccato, & in multis offendimus omnes; & si dixerimus, quod peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nō est. Et si peccata quæ nos detinent, separant à Deo bene offertur hoc sacrificium in remissionem peccatorum, vt Deus noster miseratus nos reuocet ad meliorem mentem.

Iacob. 3.
1. Ioan. 1.

Quod si modo non detinent, sed aliquando detinuerunt & separarunt merito offertur hoc sacrificium in remissionem peccatorum; scriptum est enim; De propitiato deprecare, vt tibi dimittantur. Si tamen nec modo detinent grauia illa peccata, nec vnquam post baptismum detinuerunt, in primis quis hoc nouit dicente Apostolo; Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Et attestante Spiritu sancto, quod nemo scit, an odio vel amore dignus sit. Deinde si haberet quis huius immensi doni reuelationem nunquid filius Adam cum esset, liberaretur à culpis quotidianis, dicente Ioanne; Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & docente Domino, vt oremus quotidie, Dimitte nobis debita nostra: ergo colligere, quod hoc sacramentum delet peccata mortalia eorum, pro quibus offertur ex eo, quod offertur in remissionem peccatorum, valdè certe est alienum à ratione, & indignū hominibus bene cōsiderantibus, quod ea omnia, quæ donante Deo bene agimus, debemus eo dirigere atque referre, vt Deus misereatur nostri.

Ecclesi. 21.
1. Cor. 4.
Eccles. 9
1. Ioan. 1.
Luc. 11.

Ad testimonia Sanctorum dico, quod qui eos consuluerit, manifestè videbit, non fauere sententiæ nobis oppositæ. Nā si quando instant in eo, quod expiat animum, & ad totius hominis vitam salutemque proficit, sermo illis erat de participantibus, & sumentibus digne hoc sacramentum, quod efficit sacramentum, quia digne sumitur, & non præcise, quia pro aliquibus offertur, nisi ad sensum supra expositum. Quando vero sanctis sermo erat de hoc sacramento præcise, vt sacrificium est, dicunt, quod est propitiatorium; & quod releuat animas, quæ sunt eius boni capaces, & illud comparāt eleemosynis, quæ pro alijs fiunt, vt videre licet apud Diuum Augustinū in Enchiridion. capite. 110. & de cura pro mortuis gerenda illo capite primo. Ex quo satis liquet, sanctos patres non illi sententiæ, sed nostræ fauere. Nam hoc ipsum est, quod nos asserimus. Disputari etiam solet. Vtrùm hoc sacramentum ex opere operato deleat culpas veniales eorum, pro quibus offertur. In quo quendam legi asserentem, alium negantem. Et quidem, qui asserebat affirmabat eam esse sententiam sanctorum, & scholæ Theologorum. Ego verò arbitror nec patres id asseruisse, nec scholam Theologorum id tenere, nisi duo, vel tres velint haberi pro vniuersis. Et verius mihi sensisse videtur ille alter, qui negabat, quia non habeo vnde aut mihi, aut alijs persuadere possim, quod hoc sacramentum, vt sacrificium ex opere operato remittat re ipsa, & actualiter culpas eorum, pro quibus offertur. Dicere vero, quod oratio Dominica, aut alia religionis opera id efficiunt, leue argumentum est. Quoniam is idem, cuius culpa deletur est, qui se excitat in Deum: ac proinde nil mirum, si eius culpa opere sancto ipsius deleatur per gratiam. At verò de hoc sacramento non habeo vnde affirmem, quod delet culpas eorum, qui nec offerunt, nec sumunt, sed solum offertur pro eis: neque nil ipsi interim operantur.

Verba typi de cena Dñi
Canon. 12. de locis.
Soto. d. 12. q. 2. art. 5.

At verò non videtur mihi completa huius articuli disputatio, nisi declarauerimus vtrum hoc sacrificium ex opere operato satisfaciat pro pœnis, quæ manent post remissam culpam. In quo dico, quod hoc sacrificium est satisfactorium pro pœnis, quæ manent dimissa culpa: nec vidi aliquē, qui hoc negaret. Et certè potissimus finis, propter quem sacrificia omnia expiatoria instituta sunt, is est, vt homo, qui iam agnoscit peccatū suum, & peccauisse

se dolet, habeat quid offerat Deo pro se, & quo reliquæ, id est, pœnæ peccati expientur. Quod si cætera sacrificia id habebant, quanto magis hoc vnicum sacrificium. Et si eleemosynæ, & opera pœnalia sunt satisfactoria pro culpa dimissa, cur non potiori ratione, existimetur, quod qui hoc sacrificiū pro se vel offert vel facit offerre, satisfaciat pro culpis dimissis, id est, pro pœnis debitis culpæ. Præterea sacrificia veteris legis erant satisfactoria pro pœnis dimissis ex peccato: ergo & hoc sacrificiū est satisfactoriū. Item: Si quis soluat eam pecuniā, quā debet, ex vi illius solutionis facit satis debito: sed in hoc sacrificio homo offert Deo pretium sanguinis Christi, & passionis illius, quæ passio dono, & gratia Christi nostra est: ergo de iustitia fit satisfactio in hoc sacrificio: quod vū ex oblatione ipsa sacrificij & opere operato fieri affirmo. Loquor de illis, qui vel offerunt, vel pro se offerri aliqua ratione faciunt.

D. August. Pro defunctis verò nil habeo, quod hac in parte dicam, nisi illud Diui Augustini in Enchiridione capite. 110. Negandum non est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem; nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem. Quam sapientissimi viri sententiam ita distribuendam esse puto, vt his quidem animabus, quæ purgatione indigent ante introitum regni cœlorum; ipse tamen dum in hac vita viuerent aliquid contulerunt ad oblationem huius sacramenti, his, inquam, prosit hoc sacrificium ex opere operato, alijs vero per modum impetrationis, atque suffragij, sicut orationes & suffragia sanctorum. Conferre verò hoc loco appellaui id, quod scholastici dicunt, quacunque ratione concurrere. Et quidem omnes, qui bene in hac vita vixerunt meruerunt, vt hæc sibi post mortem prodesse possent.

ARTICVLVS. V.

Qualiter debeāt esse dispositi ij pro quibus offertur hoc sacrificiū, vt illis prodesse possit.



Quæstio est, vtrum satisfactio pœnæ, quæ respondet huic sacrificio ex opere operato, applicetur ijs solis, qui sunt in gratia, vel possit etiam applicari existentibus in peccato mortali: loquimur enim solum de his, qui degunt in hac vita. In quo primò certum est, quod sacerdos offerens hoc sacrificium, si habeat conscientiam peccati mortalis, nullum fructum percipit ex illo, nec satisfactionis nec alicuius rei, quoniam indigne offerens peccat, irritat Dei sanctitatem, & est sacrilegus.

Secundo: Certum est, quod circunstantes, & conferentes eleemosynas, quanuis dicantur, & sint offerentes tamen licèt sint in peccato mortali, non peccant ex eo, quod sine gratia faciunt eam oblationem: quia ad sic offerendum non est necessaria gratia.

Tertio: Certum est, quod huiusmodi offerentes, qui sunt in peccato mortali per oblationem huius sacrificij, sicut per alia bona opera, quæ quis facit in mortali peccato, fiunt magis apti ad hoc, vt Deus eorum misereatur, & mouere solent Dei bonitatem, vt illis inspiret spiritum salutis, & ad se se conuertat; & ex consequenti valet hoc sacrificium per modum impetrationis pro his, qui offerunt, & pro quibus offertur: quanuis sint in peccato mortali ad acquirenda plura bona, & remouēda multa mala.

Quarto: Certum est, quod hoc sacrificiū prodest ex opere operato his, pro quibus offertur, si sint in gratia, & ipsi concurrerint ad oblationem, vel offerendo, vel faciendo vt pro ipsis offeratur. Sed dubium est, vtrùm satisfactio pœnæ, quæ respondet huic sacrificio ex opere operato applicetur his, qui sunt in peccato mortali. Ad quod respondeo videri mihi, quod non applicatur eis.

Quod probo primum: Nam, vt multi dicunt, quibus assentior, peccator dum est extra gratiam non potest satisfacere pro pœna; quam debet ex culpa dimissa: ergo nec potest satisfacere oblatione huius sacrificij. Secundo: Nam, quia hoc sacramentum per se est sacramentum viuentium, ideo vt existimo ea, quæ ex opere operato operatur, siue vt sacramentum siue vt sacrificium non applicătur, nisi membris viuentibus, & vnitis fide, quæ per charitatem operatur, quales non sunt peccatores.

Cæterum illi doctores, qui dicũt, quod existẽtes in peccato possunt satisfacere per opera pœnalia pro pœna, quæ debetur culpæ ante dimissæ, ex consequenti debent concedere, quod satisfactio huius sacrificij applicatur illis, & prodest, imò & potiori ratione hoc debent concedere. Quod declaro: Nam aliud est, quod is, qui est in peccato satisfaciat Deo per opera pœnalia, quæ ipse facit; aliud vero, quod satisfactio, quæ ex opere operato sacrificio respondet, valeat peccatori, quando pro eo offertur. Et habet quidem ratio verisimilitudinẽ. Sed persisto in eo, quod peccatori non valet ea satisfactio ex opere operato: quia non est capax, quoniam peccator est, & vniati corporis Christi nõ copulatur.

ARTICVLVS. VI.

Vtrum quando offertur hoc sacrificiũ vnum atq; idem pro multis, tantum prosit singulis, ac si pro vno quoq; illorum offerretur.



MVLTI de hoc multa dicũt; & merito, quia res est grauis & difficilis. Controuertuntq; hanc quæstionem Gabr. lect. 27. in canonẽ, Caiet. tomo. 2. opusc. tract. 3. Paludanus in. 4. d. 45. q. 2. Silu. ver. missa. 1. §. 9. Sotus in. 4. d. 13. q. 2. ar. 1. & de iustitia & iure li. 9. q. 2. arti. 2. Vt vero distinctius procedamus præmittendum est, quod nõ disputamus modo de hoc sacrificio, in quantum est sacramentum: sic enim solis digne sumentibus prodest. Nec vero est quæstio de eo quod efficitur per hoc sacrificium per modum impetrationis: nam secũdum eam rationem quia de effectu obtinendo non est posita lex, nec institutum aliquod infallibile: iccirco modo quidem fiet, vt impetret quis pro omnibus, pro quibus orabat, id quod volebat: modo vero, vt nec impetret pro vno. Nec est quæstio, verum si offerens velit applicare satisfactionem, quæ ipsi accrescit ex oblatione huius sacrificij alijs tantum prosit multis, quantum vni. Nam cum ea satisfactio sit finita, non dubium, quin quo in plures diuisa fuerit, eo minor pars redundet ad singulos. Sed est quæstio, verum quando hoc sacrificium offertur pro pluribus, qui eleemosynam ad illud contulerunt, aut alia ratione effecerunt, vt pro se offerretur, tunc satisfactio, quæ est in hoc sacrificio, ex opere operato, diuidatur in singulos: ita vt quo plures fuerint eo minor perueniat ad singulos; an non diuidatur sed perueniat integra ad vnumquẽq;. Vel alijs verbis, id quę ritur, verum sacerdos obligatus ad celebrãdum pro aliquo: & acciprẽs eleemosynam ab altero, atque etiam à tertio, vt celebret pro eo, satisfaciat dicendo vnã tantum missam pro illis omnibus.

Pro quo notãdũ est primo, ꝙ hac in parte, quoad propositũ attinet, sunt quatuor, sacrificium ipsum, intẽtio sacerdotis, deuotio offerentis, & eius pro quo offertur, & tandem effectus sacrificij. Sacrificium est sacramentalis ipsa atq; incruenta immolatio agni immaculati Christi Iesu. Intentio sacerdotis est quæ applicat valorem sacrificij huic, vel illi. Et effectus ipse sacrificij respondet pro ratione deuotionis offerentis, & eius pro quo offertur.

Secũdo notandum est, quod ipsum missæ sacrificium, si per se consideretur, quoniam offertur in eo illud ipsum, quod est oblatum in cruce, scilicet ipse Christus realiter, ideo si per se ipsum, consideretur sufficiens est ad satisfaciendum pro infinitis hominibus, & ad delendas quotcunque, & quantascunque pœnas. Et sic quantum ad sufficientiam habet infinitam

nitam vim ad satisfaciendum. Dico verò ad satisfaciendum, non quod non sit in eo infinita virtus etiam ad conferendam gratiam, & ad delendas culpas; sed, quia hoc loco non agimus de effectu gratiæ, quem in nobis producit hoc sacramẽtum, sed solum agimus de effectu satisfactionis, qui est in eo sacrificio, ex re ipsa oblata, & opere vt dicunt operato.

Tertio notandum, quod licet hoc sacrificium per se, & absolutè habeat infinitam vim ad satisfaciendum, tamen nunquam operatur in aliquo, nisi finitam, & certam satisfactionem. Quemadmodum & ipse Deus, licet habeat infinitam potentiam, & vim, ad efficiendum tamen re ipsa nunquam producit, nisi effectus finitos. Tum quia res creata, in qua quasi suscipitur ea vis, & ad quã terminatur, est finita. Tum etiã, quia sępe agit per causas secũdas à quibus generalis illa & infinita vis determinatur ad finitos effectus. Et ratio huius est: quia hoc sacrificium non efficit satisfactionem in aliquo, nisi offeratur, & applicetur: quæ applicatio, & oblatio cùm sint actus nostri, & finiti determinant immensum illum valorem, & dignitatem sacrificij ad finitos gradus.

Quarto notandum, quod hoc sacrificium determinatur ad finitos gradus pro deuotione eorum, qui offerunt. Deuotionẽ verò voco generaliter eos actus, quos illi habent in ordine ad celebrationem huius sacrificij. Nam quicunque ad hoc sacrificium peragendum cõcurrunt hoc ipso, quod hoc faciunt dicuntur habere deuotionem erga hoc sacrificium, quæ deuotio, vt constat in vno est maior, quam in alio. Iudicium autem huius rei sumendũ est præcipue quidem ex interiori affectu fidei, & charitatis; deinde verò etiam ex diligẽtia & labore in eo offerendo & eleemosynis ad id faciendis. Quãdo autem dicimus, quod virtus huius sacrificij determinatur ex deuotione ad certum gradum non id ità est intelligendum, quod deuotio offerentium promereatur illum gradũ satisfactionis. Nec enim quod ex re ipsa oblata opereque operato fit, ex meritò fit hominis: sed ita, quod ea deuotio sit mensura, & dispositio subiecti, quæ determinat gradum satisfactionis conferendum ex hoc sacrificio.

Quinto notandum est, quod inter sacrificium, & sacramentum est hoc discrimẽ inter alia: quod quia sacramenta consistunt in susceptione, quoad sui effectũ; iccircò vnum numero sacramentum non potest suscipi à pluribus, sed ab vno. At verò sacrificium, quia consistit in oblatione alicuius rei, & vna res numero potest offerri à pluribus, & pro pluribus; inde fit vt vnum numero sacrificium fieri possit à multis, & pro multis.

Sexto notandum est, quod offerentes, & concurrentes ad hoc sacrificium sunt in duplici differentia. Alij particulares, siue particulari ratione cõcurrẽtes, modo iam explicato. Alij generales; in quo numero includuntur omnes Christiani. Nam eo ipso, quod cum Christo fide, & charitate coniuncti sunt, censentur facere & offerre id, quod à sacerdote fit nomine ecclesiæ. Quod cum dico, nolo significare, quod omnes, qui habent fidem habent charitatẽ; sed quod qui sunt in charitate, recipiũt satisfactionem ex oblatione huius sacramenti, & qui non sunt, recipiunt etiã multa bona.

Prima conclusio: Si de offerentibus generaliter sermo sit, non minus satisfaciunt singuli ex vi huius sacrificij, cum pro illis à sacerdote offertur, quam si pro vno illorum solo offerretur. Probatur: Nam missa est generale sacrificium, vt constat ex vsu ecclesiæ, quæ vnamquanq; missam offert pro omnibus fidelibus: ergo non habet vnum, & certum gradum satisfactionis, quod diuidatur in singulos, alias fraudarẽtur alij ex aliorum consortio, nec esset generale sacrificiũ. Item probatur: Quia ex opposito sequeretur, quod quando aliqui de nouo conuertuntur ad fidem, cæteri fideles fraudarentur aliquo fructu huius sacramenti. Quod asserere est alienum à ratione.

Secunda conclusio: Quantum est ex vi sacrificij non minorem satisfactionem percipiunt singuli offerẽtes particulares, cum pro illis offertur à sacerdote; quam si pro

vno solo offerretur. Probatur. Effectus, & satisfactio proueniens ex oblatione illius sacrificij, quod per se quidem immensi valoris est, applicatur ad singulos, secundum vniuscuiusque deuotionem, vt diximus: sed deuotio, & oblatio vnius non minuitur, nec impeditur ex oblatione, & deuotione alterius, vna cum ipso offerentis: ergo nec minuitur fructus satisfactionis, qui percipitur ex sacrificio oblato.

Item secundo: Certum est, quod baptismus in adultis ex opere operato non cõfert omnibus æqualem gradum gratiæ: sed maiorem aut minorem pro ratione dispositionis suscipientis. Quod si vnus numero baptismus posset simul à pluribus percipi, in vnoquoq; illorum operaretur pro cuiusque dispositione, nec alij ex aliorum consortio fraudarentur; quia baptismus continet in se virtutem meritorum Christi, quę est infinita secundum se; sed hoc sacrificium continet in seipsum Christum, qui realiter offertur in illo, & vnum numero sacrificium potest offerri simul à pluribus: ergo necesse est dicere, quod operatur in vnoquoq; pro cuiusq; dispositione, & quod vnus non fraudatur ex alterius consortio.

Item probo: Quia si contrarium esset verum, sequeretur quod quanto plures audirent eandem missam, aut, quo plures in choro, vel in altari ministrarent sacrificio, tanto minor pars satisfactionis perueniret ad singulos, & quod audienti missam fugienda esset societas aliorum, quæ omnia absurda & falsa sunt euidenter. Ex his satis liquet, quod si sacerdos rogatus à pluribus, vt hoc sacrificium offerat pro illis, offerat vnum pro omnibus, nulla re illos defraudat proueniente ex re ipsa oblata ex opere operato.

Tertia conclusio: Si velit sacerdos satisfactionem, quæ ipsi applicatur ex opere operato, & operantis applicare his, pro quibus sacra facit non tanta satisfactio redundabit in singulos eorum, quanta redundaret si applicuisset vni soli. Hæc constat ex dictis; quia cum ea satisfactio sit finita erit minor diuisa in plures. Si tamen de orationibus, quæ in missis dicuntur, velit quis vt dicam, quod sentio, mihi videtur esse dicendum; quod quia orationes valent per modum impetrationis: iccirco nunc quidem idem valebunt pro omnibus: nunc vero non impetrabunt pro vno. Cæterum, quia ea est Dei nostri admiranda dignatio, & in homines bonitas, atq; vt ita dicam, humanitas, vt quẽadmodum apud principes terræ valent magnates: ita apud ipsum valeat plurimum sanctorum, qui vere magni sunt intercesio. Ita sua proportione existimo, quod quemadmodum apud nos preces amici valent pro vno, quæ eædem & eiusdem non valerent oblatæ pro multis: ita videtur mihi verisimile contingere apud Deum, quod preces vnius iusti, quibus ille contendit aliquid impetrare mihi peccatori sæpe habent effectum, quem illæ eadẽ nõ habuissent, si pro pluribus fusæ essent. Quoniam multo maius est & arctiorem amicitiam, atq; animum instantius obsecrantem postulat plurium dimisio, & cõdonatio, quam vnius tantum. Et ideo hac in parte nonnihil defraudatur particulariter faciens eleemosynam, & offerens dum putat eas preces offerri peculiariter pro ipso solo si offeruntur pro pluribus in eodẽ gradu.

Quarta conclusio: Bene stat cum supra dictis, verumque est, quod non licet sacerdoti plura stipendia accipere pro vna missa. Cuius rei plures rationes assignari possunt.

Prima: Quia quanuis vnicuique eorum, qui dederunt eleemosynam, & pro quibus offert tantundem fructus proueniat ex re oblata, quantum prouenturum esset, si pro vno solo oblata fuisset; tamen ei sacerdoti non datur stipendium pro sacrificio, nec pro ipsius effectu, & fructu, sed ad victum: ergo cum sacerdos acceperit id, quod est ad victum necessarium, cuius quantitas pro ratione loci & temporis, & lege maiorum definienda est, non potest vltra aliquid corradere, recipiens hinc, & inde stipendia, auare certe, & iniuste.

Secun.

Secunda ratio eſt: Quia; ſi hoc facerent ſacerdotes tolleretur ſacrificij, frequentatio, quod vergeret in magnum detrimentum totius eccleſiæ Dei.

Tertia ratio eſt: Quia ea quæ ex decentia quadam, Dei largiſsima bonitas concedit orationibus, & operi ſacerdotis facilius impetrabit ſacerdos totum ſe dirigens ad vnum, quam ad plures; quod ſupra dixi mihi videri veriſimile.

Quarta denique ratio, eaq; in re morali maxime ponderanda, eſt, quod nunquam ſacerdotum conſcientiæ timoratæ & Spiritu ſancto edoctę deduxere in conſuetudinem, aut ferre animo potuerunt, vnam ſolum miſſam dicere pluribus ſtipendijs acceptis. Sed contra ea, quæ diximus obijcio primo: Quia ex ſecunda concluſione ſequi videtur, quod ſacerdos poſſet accipere plura ſtipendia pro vna miſſa. Ad hoc iam reſpondi concluſione quarta negando ſequelam; quia in primis facit contra rei naturam: ſiquidem non datur ſtipendiū pro ſacrificio, ſed ad victum. Deinde facit contra bonum eccleſiæ, & frequētationē myſterij. Facit contra ſe quia malę & auare facit. Et tandem nonnihil etiam defraudat eum, à quo accepit ſtipendium, vt diximus. Verum eſt tamen, quod poteſt accipere id, quod eſt ad victum neceſſarium. Quod intelligendum eſt etiam ſi eſſet vera opinio Scoti & Gabrielis, & eorum qui dicunt, quod vna miſſa minus valet pluribus, quam vni.

Secundo argumētor: Sequeretur, quod ſacerdos rogatus ab aliquo, vt decies pro illo ſacrificium offerret vnica miſſa ſatiſfaceret pro illo.

Ad hoc negatur etiam ſequela: Nam aliud eſt, quod vna miſſa oblata pro pluribus tantum proſit ſingulis, ac ſi pro vno offerretur: aliud vero, quod vna miſſa tantum valeat, quantum plures miſſæ. Primū nos affirmamus ex parte rei oblatæ, & effectus ipſius: ſecundum vero non: quia certum eſt quod hoc ſacrificium, quo ſæpius iteratur, & offertur eo magis, ac magis prodeſt ei, pro quo offertur.

Tertio argumentor: Preces quæ dicuntur in miſſa, habent ſuum valorem certū & finitum: ergo ſaltē ex hac parte defraudantur fructu qui petunt miſſam à ſacerdote; ſi ille ſimul offerat pro pluribus. Reſpondetur, quod preces habent quidem ſuum valorem, ſed per modum impetrationis. Quocirca non ſequitur, quod is fidelis, de quo nobis ſermo, defraudetur aliquo, quod ex parte rei oblatæ vel de lege & infallibiliter ei accreſcit: ſed quod accideret defraudari, eo quod ſacerdos orationibus, & opere operantis potius deprecans pro vno, quā pro multis impetraſſet, quod mihi videtur verum. Nam quamuis gratior ſit ex ſe, & nobilior oratio pro multis tamen illud in moribus hominum, & conſuetudine poſitum videmus, vt amicus facilius impetret à bono, & prudente iudice relaxationem vel priuilegiū pro vno ſolo quam idem impetraſſet pro multis.

Quarto argumentor: Sacerdoti offerenti ſacrificium ex opere operato, reſpondet certa, & finita ſatiſfactio, iuxta menſuram ſuæ deuotionis: ergo illa diuiſa in plures perueniet minor ad ſingulos: ergo defraudantur quoad hoc illi, pro quibus miſſa offertur. Reſpondetur, quod ſicut ſacerdos non tenetur applicare his, pro quibus celebrat, ſatisfactionem, quæ ipſi accreſcit ex opere operantis: ita nec eam, quæ ipſi prouenit ex opere operato. Et ita qui petunt miſſam à ſacerdote non ſunt intelligendi hoc petere: ſed cum petunt miſſam à ſacerdote, hoc petunt, vt in nomine & perſona illorum hoc eſt pro eis hoc ſacrificium peragat. Nam, quia laicus per ſe non poteſt offerre hoc ſacrificium; nec vero poteſt percipere eius fructum, niſi offerat ideo vtitur ſacerdote ad offerendum pro ſe: & ita laicus offert per ſacerdotem. Et quia iſto modo offert iuuatur ex ſacrificio, non autem transfert in ſeſe ſatisfactionem, quæ proprie eſt ſacerdotis.

Quinto argumentor: Satisfactio huius ſacrificij applicatur illis, qui dant ſtipendia non per intentionem generalem eccleſiæ, ſed per intentionem propriam, & voluntariam miniſtri, ſed illa intentio eſt vna; & illi intentioni reſpondet ex opere operato certus & finitus gradus ſatisfactionis diuidendus in eos, in quos intentio illa fertur: ergo

eam spiritualem dulcedinem, quam animæ purificatæ, & velut seraphin fide, humilitate, & charitate ardentes, sentiunt atque percipiunt. Hæc est recepta ab omnibus. Et constat, tum ratione, quia peccata venialia impediunt tam purum illum, & spiritualem affectum, redduntque subiectum indignum eo; tum etiam experientia.

Secunda conclusio: Qui sic dispositus accedit recipit augmentum aliquod gratiæ & charitatis habitualis. Hæc est cõmunis sentẽtia Theologorũ. Et probatur primũ. Quia reliqua sacramẽta cõferũt gratiã ex opere operato accedenti in gratia: ergo & hoc sacramentum hoc facit. Secundo probo: Quia ea recuperatio augmenti vel gratiæ, quam auctores contrariæ sentẽtiæ ponunt, quando excitata fuerit deuotio, transacta susceptione sacramenti & inaudita est, & falsa. Quia vt supradiximus, soli sacramento baptismi tribuitur, vt recedente fictione sortiatur effectum: ergo qui sumunt Eucharistiam, vel tunc recipiunt illud augmentum gratiæ vel nunquam. Tertio probo: Quia si opposita sententia vera est, sequitur, quod qui sic dispositi accedunt ponunt obicem principali effectui sacramenti: ergo sunt sacrilegi, & peccant mortaliter, & accedunt indigne, quæ omnia illata sunt falsa.

Tertia propositio: Qui sic dispositi accedunt non suscipiunt tãtam gratiam, quã tam qui reuerenter, & attente ac pure, & sine peccato veniali concomitante sumũt. Probatur: Quia sacramenta cum contineant virtutem infinitam gratiæ, & passionis Christi, operantur in vnoquoque iuxta ipsius dispositionem: sed qui accedũt cum ea distractione, & actualibus peccatis, non tam sunt bene dispositi, quam qui deuote & sine illis: ergo non recipiunt tantum effectum gratiæ. Et quidem ex his qui sine peccato actuali veniali, & ea distractione accedunt, non omnes æqualem gratiam recipiunt, propter eandem rationem; quia non æqualem adferunt puritatem ac deuotionem. Et ex his qui accedunt cum peccatis venialibus, non omnes æqualem gratiam recipiunt; quia vnus est magis indispositus, quam alter. Sed contra secundam conclusionem arguit quidam ex propria ratione sacramenti: quia datur per modum cibi, & potus iuxta verbum Domini: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus: ergo nec confert nec auget gratiam nisi per modum nutritionis: nutritio autem est actus vitalis, ergo hoc sacramentum non auget gratiam, nisi adsit actualis deuotio. Respondetur, quod quia hoc sacramentum ex institutione sua confert augmentum gratiæ, vnito iam per fidem, & charitatem corpori Christi: iccirco recte dicitur eam dare per modum nutritionis; quoniam nutritio est iam generati atque viuentis: nutrimur vero & confortamur spiritu, tum per habitus charitatis, & gratiæ; tum etiam per actus, & per vnũquodque eorum suo modo & ordine. Ita que ex eo quod hoc sacramentum confert gratiam per modum nutritionis, solũ sequitur, quod per se conferat eam iam regenerato, non tamẽ sequitur quod nisi habeat tunc actum non detur ei augmentũ gratiæ habitualiter.

Secundo arguit: Quia si absque actuali deuotione augeretur per quotidianum sacramentum habitus gratiæ, maior esset gratia & charitas sacerdotum, quotidie celebrantium; quam rationabile sit credere. Nam charitas si est magna operatur, satisque se se ostendit, & foras prodit per opera egregia. Hoc argumentum, non ideo retuli, quod putem aliqua ratione fauere aduersarijs, si recte consideretur. Caietanus enim, qui illud formauit, is est, qui asserat, quod quando in eo qui sic accessit ad sacramentum, superueniret actualis deuotio, tũc percipiet illud augmentum charitatis, & fructum, quasi suspensum sumptionis sacramenti. Et cum morale sit, quod sacerdos celebrans in gratia vel vna hora vel altera vel saltẽ die, ac tempore se queat, habiturus sit actualem deuotionem consequenter habebit totum illud augmẽtum. Et quæremus à Caietano vbi sint illa sacerdotum egregia facta, & ingentis amoris ostẽsio. Nam charitas vbi est magna operatur & ibi etiam secundum ipsum magna est. Hoc ergo argumentum, ideo retuli Caietan.

tetuli quod res ipsa valde difficilis est, & omnes vrget, & præsertim quosdā qui asse runt, quod iustus quolibet actu meritorio etiam valde remisso non modo mereatur sed & statim assequitur augmētum habitualis gratiæ, quæ certe magna in vnoquoque iusto futura esset. Vt tamen procedamus distinctius, diuidere licet sacerdotes in tres quasi classes. Aut enim de sacerdotibus in vniuersum sermo est, aut de quibusdam remissius quidem viuentibus quam par esset, sed non male, & ini que, ac propterea habentibus gratiam Dei. Aut tādem potest esse quæstio de valde iustis. Si de sacerdotibus in vniuersum sermo sit, ego multum vereor, quod etiam in illis habet locum illud euangelij. Angusta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci ingrediūtur per eā. Et ratio quæ me mouet est: Nā si ignis ea, quæ sunt ignis operatur, & statim eminet indicio prodita flamma suo, multo potiori ratione dicēdum est, quod vbi animum hominis Dei charitas & ignis diuinus accenderit, ità illum ad diuina trahit & in se se transformat, intelligi, vt nullo modo posit, compati secum multorum sacerdotum mores tam longe dissidentes à iustitia, & religione, ac sobrietate Christiana. Per multos enim videre est ociosos, iracundos, superbos, auaros, Dei oblitos, immisericordes, ventri ludoque deditos, nullam rationem habentes orationis, ieiunij, patiētiæ, mortificationis filios huius seculi. At vero, si de secundis quæstio sit, dicendum videtur, quod quanuis quando accedunt ad altare accipiant augmentum gratiæ, tamen quia ipsi remissi sunt, tenue etiam est illud augmentum. Et quia sæpe perpetrant peccata venialia illaque grauia, & ea peccata remittunt charitatis feruorem, ideo charitas non exerit in eis suā vim. Et tandē, quia isti nōnūquā incidunt in peccata mortalia, quibus charitas tota destruitur; iccirco non facile recuperant totam gratiam, quam habebant nec deueniunt ad altum aliquem eius gradum. Iam vero si de tertio sacerdotum genere loquamur, non mihi videtur res indigere responso. Nam illa puritas, illa continentia, illa grauitas, illa tolerantia, illa continua memoria Dei sui, illa perseuerantia in bono non nisi ab ingenti gratia, & charitate efficiuntur: nihilque mirabilius esse potest ea istorum hominum virtute, & sanctitate. Ac propterea homines sapientes in his hominibus non maiora alia facta requirent: quia nec maius quid esse potest, quam ita seruire Deo: sed potius ea quæ vident venerabuntur atque suspicient.

Math. 7.

Caiet.

QVAESTIO OCTAVA, DE VSV ET SVMPTIONE HVIVS SACRAMENTI.

ARTICVLVS. I.

Vtrum distingui debeāt duo modi mādvcandi corpus Christi, sacramentalis, & spiritualis.

D. Aug.

DIuus Augustinus tractatu. 26. in Ioānem sic habet: Hoc est manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illū manētē in se habere. Ac per hoc qui nō manet in Christo, & in quo non manet Christus proculdubio nō māducat spiritualiter eius carnē, nec bibit eius sanguinē licet carnaliter, & visibiliter premat dentibus sacramenta corporis &

& sanguinis Christi. Itẽ alio in loco, quid est Christum manducare? Non est hoc solum in sacramento corpus eius accipere. Multi enim indigne accipiunt; sed in ipso manere & habere ipsum in se manẽtẽ. Spiritualiter enim manducat, qui in vnitate Christi, & ecclesiæ, quam sacramentum significat manet. Atque tandem alio in loco, Nulli, inquit, ambigendum est, tunc quenquam corporis, & sanguinis Domini participem fieri, quando Christi membrũ efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio etiam si antequam panem illum edat, & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Christi cõstitutus accedat. Ex quibus alijsque multis eiusmodi verbis sumpta est & merito recepta ab schola Theologorum hæc distinctio manducandi corpus Christi spiritualiter, & sacramentaliter. Pro cuius intelligentia supponendum est primo, quod tripliciter cõtingit sumere hoc sacramentum. Sacramẽtaliter tantum, sicut homo peccator & accedens indigne. Sacramẽtaliter & spiritualiter simul: sicut quando homo iustus accedit ad sacramentum. Et spiritualiter, tantũ, sicut omnis ille, qui per fidẽ, & charitatem adhæret Christo, eiusque corpori copulatur: quod fit nunc per baptismum nunc per contritionẽ, nunc per martyriũ nunc. &c.

Secundo notandum est, quod si in secũdo illo modo, quo quis sacramentaliter & spiritualiter manducat, distinguamus, & separemus spiritualem manducationem à sacramentali, quæ continebatur in primo, iam secundus modus, & tertius conuenient in rationem spiritualis manducationis.

Tertio notandum est, quod quando spiritualis mãducatio distinguitur à sacramẽtali accipitur, vt comprehendit tam eam spiritualem manducationem, quæ est simul cũ reali, & sacramẽtali mãducatione, sacramenti; quam eam, quę fit per vnionẽ spiritualem cum Christo quando efficimur eius membra. Et quamuis tertiũ hoc dictum aduersari videatur quibusdã Theologis, non tamen immorabor in eo comprobando, eo quod expresse constet ex D. Aug. locis citatis, & alijs complurimis: ex quibus Magister, & scholastici sumpserũt hãc distinctionem. Et proculdubio qui recedit in charitate, sicut coniunctus est corpori Christi: ita etiam est particeps spiritualis eius manducationis: quia hoc est manducare illam escam spiritualiter, & illum bibere potum in Christo manere, & illum manentem in se habere. D. Aug. Magister.

His constitutis probo, quod conuenienter sit assignata ea distinctio, hac ratione: Necesse est distinguantur ea, quæ re ipsa separantur, & quæ se habent, vt perfectum & imperfectum, & quorum vnum suapte natura est medium, alterum vero eius medij finis: & tandem merito distinguuntur ea, quæ sunt propria iustorum ab his, quę sunt cõmunia iustis, & iniustis: sed ita res habet, vt sumptio sacramentalis nõnũquam re ipsa separetur ab spirituali, & est quid imperfectum respectu illius, & est medium ad spiritualem manducationem, & tandem sacramentalis manducatio communis est iustis & iniustis, spiritualis vero propria iustorũ: ergo necesse est distinguamus inter eas.

Sed contra hæc obijcitur primo: Quia antiqui patres teste Apostolo. 1. Cor. 10. eandem escam spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt: ea vero manducatio non comprehenditur sub aliqua istarum: ergo insufficiens est distinctio. Respondetur, quod quamuis hæc distinctio proprie locum habeat tempore legis nouæ; tamen ea sanctorum patrum manducatio reducitur ad spiritualem. Dicuntur vero omnes eandem escam spiritualem manducasse propter figuram. Moyses autem, Aaron & Phinees & alij multi, qui Domino placuerũt, ideo etiam dicuntur manducauisse spiritualiter: quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustauerunt, vt spiritualiter satiarentur. Ita D. August. tract. 26. in Ioann. 1. Cor. 10 D. August.

Secundo argumentor: Quia si finis, & fructus manducationis sacramentalis, est manducatio spiritualis, & spiritualiter mãducamus per cõtritionem, & baptismum, & desideriũ explicitum manducandi panem

nec implicite se se referrent ad sumptionem huius sacramenti: ergo illi aluntur quidem veritate, & satiantur verbo Dei. Non tamen dici possunt sacramentaliter vel spiritualiter manducare hoc sacramentum. Ac de hoc satis.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm peccator homo verum Christi corpus sumat, manducetque sacramentaliter.

Magist. REFERT Magister in quarto, distinctione nona, fuisse quosdam, qui assererent, corpus, & sanguinem Christi à bonis tantum sumi, & non à malis; quorum authorum nomina nusquam inueni. Refert verò perparum illa inuenire. Alij pij viri, & docti tam putauerunt indignum corpore Domini, traijci in hominis stomachum, aut discerpi, & deglutiri à creatura irrationali, vt assererent ab ore statim in cor siue mentem transmeare; & simulatque tangitur à creatura irrationali desinere esse. Quorum primum docuerunt Hugo. Innoc. Hugo libro de sacramentis parte. 8. capite decimoquarto, & Innocent. libro quarto, de mysterio missæ, capite. 15. Secundum verò quidam canonistæ. Memini verò dum ista scriberem antiquos quosdam asseruisse, voluptatem esse malum. Cuius sententiæ eam rationem afferebāt, quod putarent vtilius esse hominum vitæ damnare voluptatem, eamque etiam si malum non sit, in numero locare malorum. Multitudo enim, inquiunt, ad eam propensa est, seruitque voluptati: ac proinde oportet in contrariam partem, quasi reflectere ac retrahere, imò verò fugere ac declinare longissime, cum Vlisse illo Homerus. Homerico Odys. M. gubernatorem hortante, vt vitet Charybdin, Tu procul à fumo & fluctu prohibeto carinam. Quibus tamen Aristot. grauiter & doctè respondebat Aristoteles. 10. Ethic. cap. 1. videri sibi veritatem non solum ad cognitionem, sed etiam ad vitam bene rectéque instituendam esse perutilem. Et proculdubiò nulla est certior via, vel ad rectè viuendum, vel ad tuendam pietatem, vel ad cuiusque dignitatem augendam, quam quæ veritate muniatur; doletque veritas ipsa, atque conqueritur, si quis putet virtutem, & honestatem ab ipsa diuelli; cùm sublata de rebus veritate morum omnis honestas concidat, & intereat. Igitur ego hac in parte ita statuo cum schola Theologorum, vel potius cum ecclesia Dei vniuersa, quod homo peccator accedens ad Domini mensam, quantumuis impiè & scelerate ac nefarie illam inuadat, accipit tamē corpus Domini verum. Probatur in primis ex patribus. D. August. D. August. tract. 50. in Ioan. sic habet; De vno pane Petrus accepit, & Iudas; & tamen quæ pars fidelis cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam Iudas ad mortem, & lib. 5. de baptismo contra Donatistas capite octauo, loquitur in hæc verba. Indignè quisq; sumens Dominicum sacramentum non efficit, vt quia ipse malus est malum sit; aut quia non ad salutem accipit nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Dñi nihilominus erat etiam in illis, quibus dicebat Apostolus; 1. Cor. 11. Qui mā ducat indigne iudicium sibi manducat, & bibit. Et D. Greg. lib. 4. Dialogorum; D. Gregor. Est quidem, inquit, in peccatoribus, & indigne sumentibus vera Christi caro, & verus sanguis: sed essentia non salubri efficientia. Theophil. Theophylactus etiam in. 26. caput Matth. dicit de Iuda, quod quando, et si fera fuisset mansuetiorem se exhibuisset corpus Theodor. Domini gustans non pœnituit. Et Theodoretus in caput. 11. epistolæ prioris ad Corinth. idem docet. Et certè nullus erit sanctorum patrum, qui hoc neget dicente Apostolo. 1. Corinthio. 11. 1. Cor. 11. Qui enim manducat, & bibit indigne iudicium sibi manducat, & bibit. Sed referam vobis rem admirabilem, ex Diuo Cypriano sermone de D. Cypr. lapsis, cui se præsentem ac testem affuisse testatur. Puella quædam per nutricem suam delata est ad magistratus, qui eo tempore cogebant fideles idolis immolare. Datusque puellæ est apud idolum panis mero mixtus, quod carnem per ætatem non posset edere. Eam puellam postea mater facinoris ignorans cœtui fidelium

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm homo peccator sumens Eucharistiam peccet.



TRipliciter se potest habere hac in parte is, qui peccauit. Aut enim, & scit se peccauisse, & peccato etiam affectũ esse, nec dolere de illo. Aut scit se peccauisse, sed pœnitet ipsum, quod peccarit. Aut tertio peccauit quidem, sed oblitus est. Atque de his tribus dicemus suo ordine.

Prima propositio: Qui scit se peccauisse grauiter, & mortaliter, & peccato affectũ esse, vel de illo non dolere, peccat mortaliter accedendo ad mensam Domini. Hęc constat ex doctrina Apostoli. 1. Corint. 11. *1. Cor. 11.* Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indigne iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini. Cuius ratio est: Quia irreuerentia & abusus huius sacramenti, graue & mortale crimen est, vt ratio ipsa conuincit. Sed eiusmodi homo hoc sacramentum tractat irreuerenter eoque abutitur ergo peccat mortaliter. Declaro & probo minorem: Nam si peccatori dixit Deus. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per eos tuum; & si canes non debent tangere sancta iuxta Domini sententiam, & si in lege polluti prohibebantur accedere ad altare; quanto putandus est maiora mereri supplicia, qui immundus ipsum Domini corpus inuaserit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est? Quod autem peccator non modo tractet irreuerenter hoc sacramentum; sed etiam eo abutatur, liquet ex re significata; & contenta; qui est ipse Christus; & ex re significata, & non contẽta, quæ est eius corpus mysticũ. Vnde fit, vt quicunque hoc sacramẽtum sumit, ex hoc ipso significet se esse Christo vnitum, & membris eius incorporatum. Est enim sacramentum viuorum, & cum ea vnio fiat, per fidem charitate viuentem, quam is peccator non habet; sequitur manifeste, *Psalm. 49* *Hebre. 10*

quod quicunq; cum peccato mortali hoc sacramentum sumit falsitatem committit in sacramento, & incurrit sacrilegium, tanquam sacramenti violator.

Secũda propositio: Quo grauiora sunt ea crimina, quibus quis teneri se scit, eò grauiùs peccatum est, accedere ad Eucharistiam. Hæc est euidens. Quia si graue est, accedere cum conscientia peccati, eo quod habes peccati conscientiam: ergo grauius erit accedere cum conscientia grauioris. Ac propterea meritò D. Cypria. de lapsis grauissime dolet & lamentatur quosdam à Diabolicis reuertentes, in quibus sacrificauerant, ad sanctum Domini corpus accessisse. Et hęc de primo. *D. Cypria.*

Pro secundo peccatorum genere sit tertia propositio: Quando quis scit quidem se peccauisse, sed pœnitens de peccatis, & tremens, reputansque se indignum, cõfidens tamen de Dei misericordia reuerenter accedit ad sacramentum; proponens firmo proposito, vt ipse putat, vitare peccata, nõ accedit indignè; itaque accipiet gratiam ex virtute sacramenti: ac fiet, vt scholastici dicunt, ex attrito contritus. Itaque huic trementi ego confidenter dicerem cum Augustino. Accede, panis est, non venenum. Debet autem præmitti confessio, si adest copia confessoris, iuxta conciliũ Tridentinũ, ca. 7. Probatur hæc sentẽtia primum: quia est valde communis scholasticis. Et præterea ratione; quia cũ homo nesciat an odio vel amore dignus sit; ac potius debeat semper esse pauidus, si hic, de quo nobis sermo, non rite accedit, quis accedet ob secro? Sed, quia hac propositione vniuersali concessa, variant Theologi in eo, an quicunq; accedit nõ indigne accipiat gratiã, an nõ dicentibus quibusdã, posse quẽquã ita accedere, vt nec peccet mortaliter accedendo, nec recipiat gratiã; alijs verò asserẽtibus, non dari medium inter ea nisi fortasse accedens esset deceptus ab aliquo homine docto affirmante eum posse accedere, aut sumeret corpus nesciens inuincibiliter quid faceret: Sit in hoc quarta propositio: Accidit, vt aliquis, nec tam indigne, & irreuerenter accedat, vt peccet mortaliter, nec rursus tam digne, *D. August.* *Conc. Trid.* *Eccles. 9.*

vt recipiat gratiam. Hanc sententiam tenent B.Bonau.&Alex.de Hales.&Caiet. atq; alij,& eam ego puto veram. Atq; vtinam non tam esset vera atq; ego vereor. Vereor enim,non in paucis, sed in pluribus eam locum habere. Exponam verò aliquas rationes,quæ me mouent. In primis D.August.hom.41.de verè pœnitentibus,ità loquitur: Si quis positus in vltima necessitate voluerit accipere pœnitētiam,& si accipit,& mox reconciliatur, & hinc vadit,fateor &vobis,nō illi negamus quod petit;sed nō præsumimus,quia bene hinc exit. Si securus hinc exierit, ego nescio.Pœnitētiā dare possumus,securitatē verò non. Nunquid dico damnabitur; sed nec dico,liberabitur. Ex quo sic colligo, nō est credibile,nec de Augustini sapientia & sanctitate,nec de illorum temporū hominibus,aut illum imprudenter absolutionem impendere,aut illos non verè fateri quid in animo habere se putarent. Et nihilominus cum sermo esset non de illo, aut illo,sed in generali de pluribus, fatetur Augustinus,se illis pœnitentiā dare,negare verò securitatem.ergo quod valde ponderandum,& timendum est, etiam dum sacerdos prudenter facit, & dum pœnitēs quantum ipse existimare potest animum aperit,& vera fatetur,non est certū, quod consequatur gratiam, & hoc in eo sacramento, quod per se institutum est ad mortuis vitam reparandam. Quanto ergo potius existimare debemus, tantas esse in hominum animis latebras, tantos recessus, & tam immensam dispositionum latitudinem, vt non modo quando omnino negligenter se habuerint; sed etiam quando iuxta prudentum virorum arbitrium se excusserint sufficienter, & doluerint de peccatis dubitare meritò possumus an gratiam sint assecuti per sacramentum. Et videtur hæc ratio comprobare non modo, quod petebatur, sed etiam amplius; nimirum, quod etiam dum homo prudentum,& religiosorum hominum arbitrio sufficienter dispositus esse videtur, ipso eodem homine animum aperiente, & vera fatente; etiam tunc meritò possumus dubitare, an gratiam sit assecutus. Quam certè dubitationem ego arbitror esse prudentem, ac sobriam & sententiam esse verissimam. Quis enim nesciat, fieri posse, vt ait pius ille Gerson consilio primo, vt homo detur in reprobrum sensum, de meritò præcedentium peccatorum, vel vt non videat peccata sua? Et per hoc nil sibi conscius sit, & tamen nec iustificatus sit. Ac velut superbus Aman ad conuiuium Hester veniens, quod sibi ad honorem fore putat, ad suspendium inueniat præparatum. Aut si auditurus est, Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Aut si talibus annumeratus est, de quibus Propheta dicebat Psalmo.68. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.

B.Bonauent. Alex. Caiet.

D.August.

Gerso.de pol lut.noct.

Hester.5.& 7.

Matth.22.

Psalm.68.

Hic quisquam mihi dicet, argumentum à sacramento pœnitentiæ ad Eucharistiam traductum, firmum non esse; quia multò venerabilius est Eucharistiæ sacramentum, ac proinde grauissime peccat, qui accedit indignè. Cui ego respondeo, quod inter pœnitentiam, & Eucharistiam in rei subiectæ sanctitate multum quidem; in committendo sacrilegio, si accedas indignè, aut irreligiose dispenses, nihil interest. Ac proinde firmum manet illud, quod si sæpe qui dispensat sacramentum pœnitentiæ, rectè facit, & qui petit absolutionem non peccat: nec tamen securus est Augustinus, an gratiam accipiat, illud nos idem in proposito dicere possimus. Præterquā, quod etiam tunc ecclesia Dei, quibus conferebat absolutionem in statu necessitate mortis etiam tribuebat Eucharistiam, eamq; fideles ipsi petebant vt liquet ex Augustino epist.179. Et tamen vtrum securi hinc exeant dubitat August.

D.August.

D. August.

Secundo loco argumentor: Nam quando dicis, quod quicunque non accedit indigne, accedit saltem attritus, qui autem accedit attritus recipit gratiam ex vi Sacramenti; scire vellem, quid intelligas nomine attriti. Respondes dolentem de peccatis, & proponentem bene ac honeste viuere, non quidem proposito firmo, sed inefficaci, nec dolore,

qui

qui animum re ipsa conuertat ad Dominum; sed imperfectiori multo quam sit contritio, & inferioris ordinis, habente tamen motiuum aliquod supernaturale, vel suppliciorum inferni, vel amissæ beatitudinis: Tunc vero sic insurgo: Quis est iste, vel ponderator spirituum, vel præcipitator sententiæ; qui cum catholicos fere omnes Eucharistiam suscepturos, excutere ante conscientiam videat & sibi proponere rationes aliquas, ob quas meritò timere debeant Dominum, & dolere de peccatis, & fateri ac vere sentire in se ipsis aliqualem eorum dolorem interim contempletur complures eorum iniustos esse auaros, adulteros, raptores, ebriosos, superbos: & postquam sanctum Domini corpus susceperint vix vno die expectato declarare se in nullo meliores factos, arbitretur tamen illos omnes gratiam accepisse; aut peccauisse mortaliter? Certe ego cum ista considero, & arbitror plures, dū accedūt peccare mortaliter, & alios nō peccare mortaliter; quia accesserūt cū reuerētia, & excussione liberante à peccato mortali, non tamen accipere gratiam.

Caietā. Tertio, inde mihi persuadeo hanc sententiam, quod vna cum Caietano tertia parte, quæstione. 79. articulo primo, non video aliquam rationem cogentem ad hoc, vt dicamus, quod existens in peccato mortali si accedat ad sacramentum, facta prius probatione sui, aut iustificatur, aut peccat mortaliter. Quod si sacramentum pœnitentiæ ordinatur per se ad delenda peccata mortalia, & in eo non sufficit qualiscunque attritio, quia est admodum tenuis, & remota dispositio ad iustificationem, & sunt aliæ dispositiones, quæ multum vrgent in contrarium, & aduersæ atque pugnantes. Propterquam rationem sapienter dubitat Augustinus, etiam de his, qui sacramentum pœnitentiæ susceperunt, cur non potiori ratione, id ipsum dicendum erit de Sacramento Eucharistiæ, quod non est per se ordinatum ad eum finem?

Sed in contrarium obijcere posset quis: Vel peccatum cum sola attritione, quæ creditur esse contritio, est obex gratiæ, aut non. Si est obex gratiæ, indignè accedit, & peccat mortaliter, si non est obex, accipit gratiam: ergo non est dare medium. Pro declaratione huius argumenti, ac totius huius disputationis sciendum est, quod dispositio ad gratiam accipiendam per Eucharistiam constat ex his omnibus, quæ fideles facere solent, dum se se præparant ad sumendum sanctum sacramentum. Inuenitur ibi propositum cauendi à peccato, & voluntas seruiendi Deo, & timor ipsius Dei, & excussio conscientiæ, & dolor de peccatis commissis, & confessio peccatorum, si habeatur copia sacerdotis, de quo infra dicemus, alijque plures boni actus ex suo genere solent concurrere, qui quantum quantitate, & qualitate variari possunt (possunt autem variari in immensum) tantum potest variari dispositio, non modo ratione omnium simul, sed ratione vniuscuiusque illorum, quia omnes requiruntur ad bonam dispositionem, & bonum consurgit ex causa integra. Hoc constituto, cum quæris, an illa existimata contritio sit obex gratiæ accipiendæ per sacramentum, an non, respondeo, tantam te includere in hoc rerum varietatem, vt modo quidem qui accedit, existimans se esse cōtritum, iam habeat gratiam antequam accedat ad sacramentum, quia erat verum, quod existimabat, modo verò non tunc habeat gratiam sed accipiat per sacramentum, quia erat sufficienter dispositus, modo peccet venialiter propter indispositionem, qua accedit, & non accipiat gratiam, modo peccet multo grauius intra limites peccati venialis, & non accipiat gratiam propter non sufficientem dispositionem, modo peccet mortaliter accedendo; quia licet cogitet se esse dispositum, erat tamen cogitatio hominis valde imprudētis, & irreligiosi. Et si aliquā aliam varietatem intelligere quis potuerit in eo, qui accedit ad sacramentū existimans se licite posse accedere ad illud, ponat eam: nam illam omnē sustinebit dispositionē immensa latitudo. Adeo, vt quidā graues authores affirment accidere etiā nōnunquā, vt qui accedit nō recipiat gratiam, & tamen reddatur magis dispositus ad eam postea accipiendam. Vide Gabr. lect. 8.

Et fortasse verum dicunt: quanuis ego hac in parte non omnino assentior. Quia quando quis ita accedit ad mensam largissimi & magnificentissimi Domini, & ad vnitatis ac charitatis symbolum, vt inde ieiunus recedat, & expers spiritualis vnionis, satis vt credo liberaliter agent sapientes cum eo, si excusauerint à peccato.

Sed proponamus, & aliud argumentum: Nam contritio, quæcunque sit, & cuiuscunque intensionis, delet peccatum: ergo attritio quæcunque sit ità sufficienter disponit ad gratiam, vt quomodocunque habeatur, & qualiscunque sit, informetur gratia, quando homo accedit ad sacramentum.

Respondetur, quod quemadmodum qui dicit hominem, dicit animal rationale; ita secundum acceptionem Theologorum contritio dicit dolorem comitem gratiæ, & cum quo non se compatitur peccatum mortale: ac proinde qualiscunque sit contritio delet peccatum. At verò inefficax dolor de peccato siue attritio non claudit rationem sufficientis dispositionis ad gratiam accipiendam per sacramentum. Sed potius tam variè, & differenter potest haberi ille dolor, vt modo quidem sufficiens sit, vt homini conferatur gratia, modo non. Igitur nostra sententia est tam esse hac in parte, sicut in multis alijs secreta iudicia Dei, & tremenda, vt ex ijs, qui etiam arbitrio prudentum possint accedere ad hoc sacramentum, alij iam habeant gratiam alij recipiant, alij non recipiant, sed excusentur à peccato: alij peccent venialiter, & alij quidem leuius alij grauius; ac præter hos esse quosdam, qui iuxta Apostolũ cum manducant & bibunt iudicium sibi manducant, & bibunt. 1. Cor. 11.

Restat, vt dicamus de illo tertio genere hominum, qui obliti sunt peccati, & ideò fidenter accedunt. In quo dico breuiter, quod aliquem non habere notitiam, siue conscientiam peccati sui, potest cõtingere multipliciter. Vel quia propter ignorantiam iuris, quæ non excusat, reputat non esse peccatum, quod est peccatum; vt si putet simplicem fornicationem non esse malam. Et hic accedit indigne; quia non habet excusationem peccati sui. Vel quia negligens est in examinatione sui ipsius; & hic etiam accedit indigne: quia scriptum est: Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. 1. Cor. 11. Estque ipsi ea sua peccati ignorantia peccatum, & culpa. Ac de ijs hominibus præclare dicebat Basilius, esse quosdam tam misere stupidos, vt cum maximis morbis laborent, ac pene incurabilibus hoc ipsum ignorat, quod ægrotent. Vel tertio, quia habet ignorantiam facti, quæ excusat. Et hunc arbitror non accedere indigne, & recipere gratiam, si sit alioqui sufficienter dispositus. Vel tandem totaliter est oblitus; & quanuis sufficienter conscientiam excusserit, & eam adhibuerit diligentiam, quam in re tam graui æquum est adhibere; humanæ tamen mentis naturali defectu non potuit recordari peccati: & hunc etiam arbitror digne accedere. Nec occurrit aliqua ratio, vel causa, ob quam quisquam eum refellere possit aut indignum iudicare gratia Dei; quanuis in his obliuionibus, & ignorantia criminum ea lateant iudicia altissimi, vt merito dixerit propheta: Ab occultis meis munda me Domine. Psal. 18.

Sed contra principales conclusiones huius articuli, primam, scilicet, & secundam est argumentum: Quia sicut hoc sacramentum percipitur tactu, ac gustu; ità etiam, & visu: sed peccator non peccat, si videat hoc sacramentum: ergo nec si tangat aut gustet. In hoc clare liquet diuersæ perceptionis discrimen. Non enim si regem videre licet, accedere etiam, & tangere, ac intra viscera sumere licet. Sed possumus eo argumento moti analogiam quandam, & proportionem inuenire inter spiritualem accessum ad Christum, & visibilem ac corporalem sumptionem eius. Quidam enim vacui sunt Christo, & fide, & charitate: & his licitum est Sacramentum videre, & sumere; quia visio correspondet fidei, & gustus, atque coniunctio, & vnio

cum

cum Christo charitati. Alij sunt vniti Christo fide, sed non charitate, vt peccatores fideles, & hi peccant sumendo propter defectum charitatis: sed non peccant videndo, quia credunt, & visio correspondet fidei. Alij sunt, qui nec sunt vniti Christo fide nec charitate, vt infideles. Et hi debent arceri etiam à videndo. Et quod arcerentur tempore benedictionis, & consecrationis panis satis constat ex patribus antiquis.

Secundo argumentor; Christus in hac vita viuens, & cum hominibus agens peccatores venientes ad ipsum recipiebat, vt constat ex euangelijs: ergo licet peccatori accedere ad sacramētum, sub quo Christus continetur.

Respondeo, eam illationem nihil valere, quoniam Christus Dominus, & est, & semper fuit, & erit generale remedium, & medicina peccati, à sui principio vsque ad finem; & à primo vsque ad vltimum. Ac proinde cuiuscunque generis peccatores poterant, & modo possunt ad fontem illum bonitatis accedere. At vero Christus vt continetur hoc sacramento, est medicina confortatiua viuentium, & symbolum vnitatis adhærentium ipsi. Ac proinde non licet peccatores accedere ad ipsum, aliudque est accedere ad fontem bonitatis, vt petas misericordiam, quod vnusquisque facere debet, aliud impurum hominem sumere sacramētum puritatis, quod non licet.

ARTICVLVS V.

Vtrum qui sibi conscius est peccati mortalis, existimat autem se esse de illo contritum, possit sumere hoc sacramentum, sine præmissa confessione sacramentali.



MAGNVS (inquit Lutherus) error est eorum, qui accedunt ad sacramentum Eucharistiæ, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscij alicuius peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas, & præparatoria: omnes illi iudicium sibi manducant & bibunt. Sed si credant & confidant se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros, & dignos. Ita que Lutheri dignitas, & præparatio est confidentia. Inter catholicos vero Caietanus in summa, verbo confessio, & tertia parte, quæstione 80. articulo quarto, docet licere, vt is, qui sibi contritus esse videtur accedat ad Eucharistiam, non præmissa confessione peccati, quamuis habeat copiam confessoris. Et ita tenuit Panormitanus c. hoc. de celebratione missarum & Adrianus in 4. in materia de confessione quæstione 3. & vt quidam dicunt etiam Ricardus in 4. distinctione 17. articulo tertio quæstione sexta. Qui tamen non videntur illum legisse, quia nihil dicit minus. Inter has autem sententias differt quam plurimum. Quia aliud est asserere quod dispositio ad hoc sacramentum est fides, & confidentia, & nihil aliud requiritur; sed peccat potius, qui adfert. Longe vero aliud, dicere, quod homo contritus de peccato quantum sibi videtur, possit accedere. Quod non ideo dico vt probem sententiam Caietani, quæ vt videbimus est falsa, & perniciosa. Sed quia quidam author acerbius vt credo, quam par est, inuehatur in eum, sententiam fere cum sententia Lutheri coniungēs.

Caietan.

Panor.

Adrian.

Ricard.

Sit in hoc prima conclusio: Sententia hæc citata Lutheri est hæretica. Probatur: Quia in eā definiuerūt patres Cōcilij Tridentini sessione 13. canon. 11. his verbis: Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramētum, anathema sit. Sed quia hæc disputatio cōmunis est pluribus alijs locis; siquidem Lutherus ad Christianā iustitiā non petebat, nisi illam fidem; & quia ipse, cum sua illa fide vel fiducia sepultus est in ignibus sempiternis, cum præsidentibus spiritibus, atque malignis: ac proinde ea sola confidētia non iustum efficit, sed damnatum hæc relinquamus.

Conc. Trid.

Secunda conclusio: Non licet peccatori, quamuis contrito sumere hoc Sacramentum, sine confessione

præmissa. Peccatorem autem voco eum, qui sibi conscius est peccati mortalis. Probatur primum ex generali consuetudine ecclesiæ deriuata ab initio illius vsque ad nos: quæ satis declarat oppositum facere semper fuisse illicitum in ecclesia Dei. Quod vero hoc fuerit obseruatum in ecclesia etiam à temporibus antiquis, id probo ex Eusebio li. 6. ecclesiasticæ historiæ. c. 27. & Leone, epist. 57. & habetur in decretis de pœnitentia dis. 1. c. quanuis, & Hugone de Sancto Victore, libro de potestate ligandi atque soluendi. Ac breuitatis causa vnum solum, aut alterum præter hæc adferam testimonium. Illud est Beati Cypriani, sermone de lapsis, dicētis. Vis infertur corpori eius, & sanguini plus modo in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quam cum Dominum negauerunt, ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, pacem putant esse quam quidam verbis fallacibus venditāt non est pax illa sed bellum. Hæc ex ipso. Constat etiam hæc consuetudo ex epistol. 118. Diui Augustini ad Ianuarium. Et clarissima sunt verba, quæ citat Castro verbo Eucharistia hær. 10. ex Augustino, in epistola ad Ianuarium comitem. Quando eum, inquit, accipere debemus ante ad cōfessionem, & pœnitentiam recurrere debemus; & omnes actus nostros curiosius discutere, & peccata obnoxia, si in nobis senserimus citò festinemus per confessionē, & veram pœnitentiam abluere, ne cum Iuda proditore diabolum intra nos celantes pereamus. Quia vero nonnulla ex his testimonijs, quæ citantur ex patribus agere videntur de pœnitentia publica, sciendū est, quod quemadmodum de peccatis publicis præmittebatur tunc pœnitētia, & cōfessio publica: ita & de priuatis priuata. Et tandem probatur nostra conclusio ex Cōcilio Tridentino sessione. 13. cap. 7. præcipienti, & diffinienti in hæc verba: Communicare volenti, reuocandum est in memoriam apostoli præceptum: Probet autem seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod à Christianis omnibus etiā ab his sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta synodus perpetuo seruandum esse decreuit, modo nō desit illis copia confessoris. Quod si necessitate vrgente sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quam primum confiteatur. Hæc concilium eo ca. Et can. 11. pronunciat excommunicationem in eum, qui contrarium docere, prædicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputādo defendere præsumpserit.

Eusebius. *Leo.* *Hugo.* *D. Cypria.* *D. Aug.* *Castro.* *D. Aug.* *Conc. Trid.*

Cæterum pro sententia illorum auctorum, quos in contrarium retulimus, facere videtur primū, quod D. Paulus 1. Cor. 11. nō præcipit, vt homo confiteatur sacerdoti eiusue probationem requirat accessurus ad hoc sacramentum; sed quod probet se ipsum ergo non necessario præmittenda est peccatorum confessio. *1. Cor. 11.*

Respondetur, quod si cōsulatur vel diuinus Apostolus vel Chrysostomus in eum locū, aut Gregorius Nissenus libro de vita Moysis, aut Hieronymus commentarijs in epistolā ad Titū, dum declarat episcopi virtutes, aut alij antiqui patres certum est eos non requirere in accedente nisi animæ puritatem. Loquebatur enim Apostolus generaliter, cum petit, vt homo accedat ad hoc sacramentum, bona mente, & puritate: impurus vero recedat ad quod faciendū necesse est, vt probet & excuciat se ipsum. Non vero affirmat apostolus, quod si conscius sibi homo fuerit alicuius criminis, possit ante reconciliationem petitam à sacerdote (sic enim patres loquebātur) accedere ad hoc sacramentū. Itaque hoc Apostolus nec expresse affirmat, nec negat: quoniam generaliter loquebatur de accedente ad hoc sacramētum. *D. Chrysos.* *D. Hiero.* *1. Cor. 11.*

Secundo loco illi obijciunt: Nam hoc, quod est accedere ad sacramentum, sine confessione præmissa, nō est de se malum; nec ratione alicuius præcepti diuini vel humani: ergo licite potest fieri. Probo antecedēs pro priori parte: Quia quod est de se malum, nūquam licite potest fieri: at vero

hoc concedunt Theologi in aliquibus casibus posse fieri.

Secundam partem antecedentis probo: Quia nusquam apparet tale præceptum. Duo mouet hæc ratio digna scitu. Primũ vtrùm accedere quenquam ad Eucharistiam criminis conscium quantumuis contritus esse videatur, sit malum de se. Secũdum, an sit aliquo præcepto prohibitum. De primo dico, quod ea, quæ sunt mala de se, sunt contra ius diuinum naturale, vel contra ius naturale, & diuinum, vt odio habere Deum, & non honorare parentes. Ac proinde hæc in nullo casu licite fieri possunt. Ex quo sequitur, quod cum accedere ad sacramentum non præmissa confessione, licite fieri possit in aliquo casu nõ est ideò modo de se malum. Si quis verò quærat quinam sint illi casus, in quibus peccatori licet sumere hoc sacramentum, nõ præmissa confessione. Ad hoc dico primo, quod concilium Tridentinum solum ponit vnum casum, scilicet, quando vrget necessitas, & copia confessoris non habetur. Ita colligitur ex canone. 11. sessio. 13. Sed in hoc casu multi alij particulares includuntur. Nam restat videre, quænam ducenda sit necessitas vrgens, & quando dicatur non haberi copia sacerdotis. Dico ergo secundo, quod eiusmodi necessitas nascitur, vel ex articulo mortis, vel ex officio iniuncto, vel ex præcepto, vel ex scandalo, & periculo infamiæ. Copia verò sacerdotis, tunc dicitur non haberi, quando vel omnino deest sacerdos, vel ita abest, vt non facile possit adiri, vel talis est, qui non possit tutò confiteri. Colligitur ex his inter alia, quod quicunque fidelis in paschate, quando vrget præceptum de communicando, si non habet copiam confessoris, potest de peccato contritus communicare.

Conc. Trid.

Item qui nisi communicet vel celebret in aliquo festo erit scandalo alijs (vt potest accidere ijs qui viuunt in societate, & carent confessore legitimo) accedere potest ad sacramentum, contritus de peccato, sine confessione præuia. Sed disputari solet, vtrùm si quis expectet, se propediẽ habiturum copiam alicuius confessoris, cui magis deuote solet confiteri sua peccata vrgente causa communicandi possit id facere, sine præmissa confessione. Ricardus in quarto, distinctione. 17. articu. 3. quæstione. 6. & Adrianus loco allegato, respõdent eam esse causam legitimã non confitendi tunc, ac proinde id fieri posse. Sed meo iudicio dicendum est oppositum. Quia non tantum propendet maior illa commoditas alterius cõfessari), quam nec omnino teneor quærere, nec expectare, quantum impletio præcepti, habita copia confessoris.

Ricard. *Adrian.*

Restat, vt disputemus de secundo, an scilicet sit aliquo præcepto prohibitũ, accedere quenquam ad Eucharistiam conscium peccati mortalis, sine cõfessione præuia? In quo dico primum, certum esse, quod id est prohibitum præcepto ecclesiastico concilij Tridentini illo cap. 7. & canone. 11. citato. Atque addo, quod vt sapienter docet Diuus Augustinus, libro. 4. de Baptismo, contra Donatistas ca. 24. quod vniuersa tenet ecclesia, nec concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur. Ac proinde cum in ecclesia catholica hæc fuerit consuetudo, ne similes homines communicent, ante confessionem, vt docet Synodus ipsa Tridentina, illo septimo capite, & non extet de hoc aliquod præceptum ante concilium Tridentinũ, sequitur vt rectissime credamus Apostolos id præcepisse, & tradidisse ecclesiæ. Et quidem si de contritione peccati commissi sermo sit, de iure diuino naturali est; vt nemo aliter ad hoc tam altum sacramentum accedat propter rei sanctitatem. Præmittere verò etiam confessionem fortasse est de iure diuino positiuo. Quemadmodum enim teste Anacleto papa tertio, in epist. 3. ab ipso Domino instituti sunt, & distincti gradus episcoporum, & sacerdotũ, atque ecclesia Romana, non ab Apostolis sed ab ipso Domino, & saluatore nostro obtinuit primatum & eminentiam; ità verisimile est, quod etiam præmissio confessionis ante Eucharistiam ab ipso Domino tradita sit. Atque ea quæ sunt de iure diuino positiuo non est inconueniens, si in casu necessitatis, cum deest copia suppleantur

Conc. Trid.

Anacletus.

tur per alia: ſicut baptiſmus ſuppletur per contritionem, ſiue baptiſmum flaminis, aut ſanguinis. Quod dico vt reſpondeā rationi aduerſariorum.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm accedere ad hoc ſacramentum cum conſcientia peccati mortalis ſit grauiſsimum omnium peccatorum.

SCIENDVM eſt pro huius rei declaratione, quod peccatorum grauitas conſiderari ſolet, vel ex genere obiecti, circa quod eſt peccatum, vel ſecūdum propriā & peculiarem rationem. Verbi gratia, ſi periurium, blaſphemiam, & odium Dei conſideres ex genere obiecti, æqualia ſunt: quia contra Deū ſunt. Si verò peculiares eorum rationes attendas, inæqualia ſunt: quia non eodem modo ad illud obiectum ſe habent, & referuntur.

Secundo ſciendum eſt, quod abſolutum iudicium de grauitate peccati, ſicut & de qualibet alia re, non eſt ſumendum ſecundum genus, ſed ſecundum ſpeciem. Quod liquet: Nam quamuis leuiter de proximo murmurare, & illum occidere æqualia ſint ex genere obiecti, re tamen ipſa & abſolute tantum differunt, quantum diſtantiæ eſt inter leuiter nocere, & occidere. Hoc verò ſecundum fundamentum intellige comparatione facta inter genus, & ſpeciem alioqui abſolutius iudicium de actibus humanis ſumitur in ſingulari.

Tertio ſciendum eſt, quod ſi velimus conſiderare peccata ex genere obiectorū, atque materiæ, circa quam verſantur, quātò id, contra quod peccatur eſt maius, tanto peccatum eſt grauius. Eſt verò diuinitas Chriſti maior humanitate Chriſti, & humanitas Chriſti ſecundum ſe potior maiorisque reuerentiæ digna, quam eius ſacramenta: & ſacramenta humanitatis Chriſti auguſtiora & venerabiliora, quam purè creaturæ.

His conſtitutis facile quiuis poteſt videre, quid nobis dicendum ſit. Dico ergo primum, quod accedere ad hoc ſacramentū, cum conſcientia peccati mortalis eſt grauius peccatum, quam ea, quæ in creaturas, & proximos committimus ex genere obiecti, & minus graue, quam ea, quę in Deū ipſum, vel in humanitatem Chriſti ſecundum ſe committuntur. Nec hoc neceſſe eſt comprobare, quia liquet ex dictis.

Dico ſecundo, quod ſi indigna Euchariſtiæ ſumptio, de qua nobis ſermo, conſideretur ſecundum ſpeciem, eſt valde graue peccatum inter ea, quæ contra ſacramenta humanitatis Chriſti admittuntur. Quod probo: Quia in hoc ſacramento verè continetur Chriſtus: valde ergo indignum eſt indigne ad illud accedere.

Dico tertio, quod ſunt aliqua peccata admiſſa contra proximos grauiora abſolutè loquendo, quam accedere indigne ad hoc ſacramentum. Quod probo: Nam quando quis conſulit lumen vultus Domini ſignatum ſuper nos, & ſerene auſcultat primam veritatem vera omnia reuelantem, liquido cognoſcit deliquiſſe ſe grauius, quando homicidij facinus perpetrauit, quā eo die, quo ad ſacramentum acceſsit indigne. Et præterea hoc ipſum oſtendo: Quia grauius eſt in homine priuato ſibi æqualē occidere, quam principis beneficia non reuerēter accipere, aut ad principem ipſum non ea omni, qua debet reuerentia ſe habere: cum tamen interim eum principem eſſe humiliter fateatur ac recognoſcat. *Pſal. 4.*

Sed contra hæc eſt argumentum: Quia hoc peccatum eſt contra Chriſtum, homicidium verò contra alterum hominem, æqualem: ergo grauius eſt primum iſtud peccatum. Reſpondeo quod ſatis ex dictis conſtat hoc argumentum, & ſimilia nihil efficere aliud, quam quod ex genere obiecti primum eſt grauius. Sed quemadmodum intra hoc ipſum genus inueniuntur hæc tria, ſacramenti veritati non credere, illud conculcare, ad illud indigne accedere, & ſimilia, quæ ſunt grauitate longe diſtantia: ità inter peccata cōtra proximum inueniūtur aliqua grauiora, quam ea, quæ ſunt contra altiora genera rerum propter di-

diuersam rationem, & habitudinem actus ad obiectum. Nec enim occisionem proximi cum occisione Christi comparamus sed occisionem hominis cum accessu hominis peccatoris ad sacramentum Christi.

ARTICVLVS. VII.

Vtrum sacerdos debeat denegare Eucharistiam peccatori petenti?



INTELLIGITVR hæc quæstio de peccatore perseuerante in peccato. Quia quantuncumque quis deliquerit: si tamen eum ante actæ vitę pæniteuerit & pie rosteque vixerit, arceri à communione non debet, si quidem iam eum Deus in suam gratiam & amicitiam recepit. Quanuis autem secundum antiquos canones prohiberetur dari cõmunio plurimis peccatoribus, nisi in exitu à corpore, aut post decem annos, iam tamẽ ea iura magna ex parte sunt abrogata vel vsu & consuetudine vel aliis etiam canonibus. Quod si in aliquo crimine vindicando ea antiquarum legum se ueritas perseuerat, nihil ex eo læditur nostra doctrina quoniam de peccatore pœnitente & iustificato generali quadã ratione locuti sumus. Vt vero distinctius procedamus, præmittere oportet, quod ex peccatoribus alij occulti sunt, alij manifesti. Manifestum vero peccatorem appello eum, qui vel per sententiam iudicis talis iudicatus est, vel proprio ipse id ore, & confessione in iudicio declarauerit vel cuius crimẽ ita notum est, vt nulla id possit tergiuersatione celari: Qua in parte bene aduertunt Ricardus, & alij, non dici crimen notorium, quia potest probari, id si quidem magis proprie appellabis manifestabile, quam manifestum. Et quidem in re dubia melior est causa possidentis. Ac proinde nõ omnis ille, cuius crimen probari posset habendus est pro peccatore notorio. Prius itaque de peccatore manifesto deinde agemus de occulto.

Ric. d. 9. ar. 3. q. 1.

Prima propositio: Publico peccatori petenti denegandum est hoc sacramentũ. Hæc conclusio colligitur ex concilio Arelatensi canon. 4. & 5. Et probatur: Quia quandocunque aliquis habet legitimam causam negandi, quod petitur, si dat communicat voluntarie accipienti in ipsa acceptione, & per consequens peccat, si videt peccare accipientem in ipsa acceptione: sed sacerdos habet legitimam causam negandi Sacramentum Eucharistiæ publico peccatori petenti; quia ipsa euidetia facti repellit eũ: nullo ergo modo publico peccatori dandum est hoc sacramentum, siue manifeste petat, siue euã in occulto. Conc. Are.

Secundo probo: Quia minister rei sacræ dispensator est, non Dominus; debet ergo sacramenta digne tractare. At vero si publico peccatori det Eucharistiam irrogat sacramento iniuriam, indigneque illud tractat; ergo nõ debet dare iuxta præceptum Domini. Nolite sanctum dare canibus. Et quidẽ D. Theodoretus enarrãs Ambrosij verba, quibus Theodosium excommunicauit propter crudelitatem in mensam, quam Thessalonicæ exercuerat, sic habet: Quomodo manus extendes, eique suscipies sanctum Domini corpus, de quibus sanguis ad huc stillat innoxius? Qua temeritate ore tuo poculum sanguinis preciosi percipies, quando furore mandatorum tuorum tãtus iniuste sanguis effusus est? Recede igitur recede, nec altero peccato priora crimina augere contendas. Hactenus ille. Hæc itaque est Theologorum omnium vera confessio. Matth. 7. Theodor. D. Amb.

Sed quæri solet vtrum peccatori publico in vno loco, & petenti hoc sacramentum in alio, vbi non est rumor de eius crimine, sit dandum. Quæ quæstio magna ex parte coniuncta mihi videtur cum illa; vtrum publicum peccatorem in vno loco liceat in alio detegere. De quo extant variæ sententiæ. Sunt, qui dicant licere quidem omnino. Alij affirmant peccare sic infamantẽ proximũ suum contra charitatem. Tertij deniq; & contra charitatẽ & contra iustitiam eum arbitrantur delinquere. Caiet. tom. 1. opusc. 31. Soto de iustitia & iure li. 5. q. 10. ar. 2. Adrianus quodl. 11.

Vt hæc tractentur dilucide oportet aduertere primo, accidere posse, vt quando publicus peccator migrat in alium locum

cum, & ibi detegitur, moratus fuerit ibi per congruum temporis spatium, atq; ita vixerit sine querela, vt vir bonus haberi ab incolis & possit, & debeat. Eius vero temporis mensura arbitrio prudentium iudicanda est. Et accidit etiam nõnunquam vt simul atq; eiusmodi delinquẽs publice declaratus est in altũ locũ se se recipiat, statimq; ibi detegatur.

Secundo aduertendum est, quod dupliciter se potest habere is, qui palam facit, & prodit eius hominis crimen. Aut ità vt affirmet eũ esse furẽ vel periurum, vel homicidam. Aut ita, vt solum affirmet eum damnatum fuisse de periurio, furto, homicidio, &c. Quibus duobus tertium illud debet lector adiungere, quod non est nobis sermo de eo, qui exprobrat, & obijcit crimen contumeliose: nam hunc certum est semper peccare: sed de eo, qui simpliciter detegit crimen.

His cõstitutis sit prima propositio: Quãdo publicus peccator migrat in alium locum, & ibi congruo tempore viuit, sine querela eo modo, quo diximus, qui ita eũ detegit, vt affirmet eum esse furem, vel periurũ, &c. peccat contra charitatem, & contra iustitiam. Probatur: Quia est ille vir bonus, vt supponimus, diuque ita vixit, vt modo talis haberi debeat: ergo iniuriam irrogat ei, qui eum habet pro fure vel periuro. Quocirca etiam si maneret in illo ipso oppido, in quo publicum est eius præteritum crimen, habet eadem ratione locum ista conclusio.

Et secundo probo: Quia is homo postquam deliquit potuit bene viuere, & bene vixit, & nomen bonum est comes bonæ vitæ de lege naturæ: ergo qui eum appellat peccatorẽ illum infamat, & priuat bono quod habet iusteque possidet. Sed nõ immoremur his, de quibus nemo potest dubitare.

Secunda conclusio: Qui eiusmodi hominis crimen ità detegit, vt affirmet, eum de furto, vel homicidio damnatum, peccat contra charitatem, admiscerique videtur ei peccato iniustitia nõ leuis. Quod peccet contra charitatem probatur: Quia extat primum naturæ præceptum: Quæ tibi non vis alteri ne feceris, sed ego merito nollem, vt detegeretur meum illud crimen: & si detegeretur lædi me putarem; ergo id alteri facere non debeo. Dixi autẽ videri mihi, quod misceretur ei peccato iniustitia non leuis. Quoniam, quamuis quando dico, eum de furto damnatum, nihil illi detraham per comparationem ad furtum commissum, quod non sit iam ante publice & iuridice detractum: tamen quasi ex obliquo magnã ei partẽ detraho eius bonæ famæ, & opinionis, quã hoc tẽpore in hoc oppido, quo cõcesserat bonis actis acquisierat; & iuste possidebat. Plures liquidem qui antea bene de illo sentiebant, sinistra suspicabuntur: etiam modo atq; eius mali omnis, & boni ablati ego male & illicite causa fui.

Tertia conclusio: Qui detegit crimen eius publici peccatoris, simulatque alio migrauit, non peccat cõtra iustitiam, quia nihil ei detrahit. Non video tamen cur nõ peccet contra charitatẽ & malefaciat, nisi forte crimẽ cõtagiosum sit vel certo sciat iam iam aduentare aliquos qui iure delicta prodituri sunt vel ob alias causas, quas inuenire solet prudentis hominis ratio. Nec enim vniuersalis lex sanciri potest eorum, quæ prudentia moderatur.

Huius quæstionis explicatione præmissa, subijciamus, si placet, conclusiones, quæ videntur consequentes. Quarta conclusio. Non licet negare sacramẽtum peccatori, de quo nobis sermo, in prima, & secũda cõclusione. Probatur. Quia sacramentum non est negandum, nisi ob præsentem indignitatem, & indispositionem: hæc verò iam nõ est in eo homine, vt supponimus: ergo non subest ratio denegandi Eucharistiam: ergo non debet negari.

Secundo probo: Quia eiusmodi homo sit sit ecclesiæ reconciliatus, habet ius ad petendam Eucharistiam: ergo sacerdos qui denegaret maxime si esset curatus peccaret, & contra charitatem: quia sine causa prodit illius crimen in loco, vbi erat occultum, & etiam contra iustitiam: quia negat sacramentũ illi iure petenti.

Quinta conclusio: Si is homo habitus pro

pro publico peccatore, migret alio, & statim accedat ad sacramentum, potest sacerdos, si eum nouit repellere à mensa Domini. Probatur: Nam in primis, quod is sacerdos non peccet contra iustitiam, dum prodit peccatorem, liquet; quia ille homo publice damnatus est fama, nec habet ius tūc ad illam. Quod verò nec peccet contra charitatem, inde efficitur multo probabilius opposito, quoniā sępe accidit, vt quanuis aliquid non esset dicendum vel faciendum; quia nulla propalandi, aut faciendi suberat causa; sit tamen, aut propalandum aut faciēdū ob rationes aliquas emēgētes. Ex quo efficitur, vt quanuis eum hominē deiegere sine causa idonea esset côtra charitatem, si tamen suberit causa legitima, non erit illicitum. In nostro vero casu vrget iustissima causa. Nam is sacerdos nouit eum hominem esse publicum peccatorem: & nullam habet rationem moralem existimandi, quod correctus sit: ignorat etiam vtrum ille se ecclesiæ reconciliauerit, imo prudenter putat, & moraliter loquendo, scit non esse reconciliatum, & vitat in eo sacrilegium arcendo à communione, sine eo, quod detrahat illi bonam famam, quia nō habet illam, sed iure amisit, &c. sequitur ergo, quod sacerdos potest imo & debet eum repellere à sacris. Ad prudentiam vero sacerdotis pertinebit, nō crimen propalare si non necesse est, sed dicere, se eum hominem non agnoscere, nec esse suam ouem, nec se teneri ad conferendum illi sacramentum, aut simile aliquid causare. Atq; ob hanc conclusionem dixi superius secundā hāc quæstionē cum prima esse coniūctā magna ex parte. Nec enim vna omnino dependet ab alia. Siue autē publicus peccator dicatur, quia dānatus est in iudicio, siue ex notorietate facti, nihil interest in hac quęstione. Quod facile potest probari. Tum quia iudicis sentētia eo priuat delinquentē iure, quod habebat ad bonam famam; quia illius crimē facit notum, & testatum populo, sed peccatum quod ipso facto est notorium, notorietate facti, est huiusmodi: ergo talis pecator caret iure ad bonam famam.

Item secundo: Qui ita gerit se vt publice peccet in oculis omnium, ille merito iudicatur remisisse ius, quod habet ad bonā famam, nec velle, vt alij de se bene iudicent, atque sentiant. Ac proinde nulla ei fit iniuria; quoniam id ipse voluit, non aliter atque qui vult mechari interpretatiue vult omnia, quæ necessario coniūcta sunt cum mæchia. Et certe si ius quod quis habet ad bonam fāmā nascitur, ex eo, quod quis in publico hominum conspectu honeste viuit, consequens est, vt qui peccat in oculis omniū, & Solis huius, amittat illud ius.

Verum iam ad ea, quæ de occulto peccatore dicenda sunt nos conferamus. Prima conclusio: Peccatori occulto petenti hoc sacramentum publice illud non est denegandum, siue sit sacerdos curatus is, à quo petitur, siue secus. In hanc fere omnes conueniunt in 4. dis. 9. Et vniuersaliter ita tenendum est; dum tamen memores simus, quod est nobis sermo de re morali.

Probatur conclusio. Primum, quia moraliter loquendo non potest denegari sacramentū occulto peccatori petenti publice, sine infamia, & proditione criminis occulti.

Secundo probant communiter scholastici ex glossa D. Aug. super illud 1. Cor. 5. Si is, qui frater nominatur inter vos. &c. Vbi dicitur nos à communione quenquā prohibere non possumus, nisi, aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio ecclesiastico, vel seculari nominatum, vel conuictum. D. Aug. 1. Cor. 5.

Tertio id constat exemplo Domini qui Eucharistiæ sacramentum instituens in vltima cœna, corpusque suum, & sanguinem discipulis tradens, non repulit Iudam, ne eius occultum crimen alijs reuelaretur, vt bene aduertit Innoc. li. de offic. missæ. Hoc ergo maneat pro comperto. Innocen. Sed mirum est, quam sint variæ, & discrepantes sententiæ in eo, vtrum occulto peccatori occulte petenti dandum sit sacramentum. Cum tamen, si bene considéremus nō sit cur tātopere Theologi inter se se differant. Dico igitur, quod quando consideratis omnibus pro loco, & tempore

pore, & cæteris circunstantijs secundum prudentis iudi ciũ, aliqua subsecutura infamia sit vel criminis proditio teneor dare etiam occulte petenti. Quando vero ea infamia vel proditio criminis non timetur, non teneor dare. Nec vero melius rē moralem tractabimus, quam si semper prudentiæ leges attenderimus. Probatur vero prior pars conclusionis: Quia si tunc non dem Eucharistiam, eum hominem infamo, atque eius crimen traduco: ergo teneor dare.

Probatur secunda pars: Quoniam ego scio, quod si is homo accedat ad sacramentum committit sacrilegium, & fine aliquo, vel meo vel illius detrimento cohibere illum possum ab illo facinore: ergo æquum est, vt ita faciam. Sed iam video quid desideret, & obijciat ingenium metaphysicum. Versatur, inquit prudentia circa particularia, ego vero illud inquiro. Ex natura rei, tenetur sacerdos huic occulte petenti dare, an non? Respondeo placide: nisi aliud tibi videtur, non tenetur. Declaro, quod dico. Quando occultus ille, sed sacerdoti notus peccator, non se ingerit publice communicantibus, nec corā aliquibus astantibus petit eo tempore, quo fideles tenentur communicare: sed petit occulte, tunc, inquam is nec habet ius ad petendum, nec ei irrogatur aliqua infamia: ergo non tenetur sacerdos dare. Quod non habeat ius declaro; quia illud ius nascitur ex eo, quod publice, & in foro exteriori habetur vir bonus. Petat ergo publice & in eo foro, alioqui non habet ius, nec vero irrogatur ei infamia, quia petit occulte. Verum est tamen, quod quando petit quidem sacramētum occulte, sed nō petit, vt occulte sibi detur, vult enim communicare coram populo, tunc si sacramētū negaretur diebus quibus fideles tenētur cōmunicare, sequeretur eius hominis infamia: ac proinde esset illi dandū. Et ad hoc reducitur quando petit, vt sibi detur, vt satisfaciat ecclesiæ tēpore, quo tenetur quāuis non communicet coram populo. Sed quid si sacerdos, sciat solum ex confessione peccatum hominis occulte petentis?

In hoc sit conclusio, quod in eo casu non est illi negandum sacramentum, siue occulte petat, siue publice; siue sacerdos sit curatus, siue secus. Probatur primū: Quia sacerdos ea non scit, vt homo, sed in persona Christi; & quæ per confessionem sciuntur pro igoratis habenda sunt: ergo non debet sacerdos negare sacramentum ob ea, quæ in confessione scit. Secundo probo: Quia si oppositum fieret homines exacerbarentur, & deterrerentur à confessione, sacerdotesq; viam illis munirent, vt opinarentur secretum illud non esse tam inuiolabile, & sanctum, ac debet haberi, qua nulla maior pernicies Christianæ religioni posset afferri. Est itaque ea conclusio certe vera. Verum est tamen, quod quia sermo moralis est, si ego ex confessione scirem alicuius crimen in quo perseuerat, & ille peteret à me Eucharistiam, nullo tertio præsente, tunc ego habita licentia agendi de confessione hortarer illum, vt ad se se rediret, & reuereretur Dei maiestatem, nec vellet tanto se inquinare facinore, vt immundus accederet, & inuaderet sanctissima sacramenta. Atque hoc ipsum ita facerem vt considerarem prius hominis ingenium, & conijcerem ex circunstantijs, quid nam facto v tilius esset; tacere an loqui.

Vltimo loco pro excommunicatis statuo hanc propositionem: Excommunicato occulto publice petenti hoc sacramentum, non est denegandum; publice vero denegandum est. Probatur prior pars: Quia non potest ei Eucharistia denegari, sine occulti criminis manifestatione.

Secunda vero pars probatur ex opposito. Et aduertendum est, quod quanuis canones nonnunquam arceant à sacris peculiariter nominatim excommunicatos, & percussorem clerici, non tamen inde fit consequens, vt nobis præcipiant dare Eucharistiam alijs publice excommunicatis. Posset autem quis existimare, quod etiam excommunicato occulte neganda sit Eucharistia, quia ille per ecclesiæ censuram, est priuatus iure petendi, & sumendi sacramenta.

Respon

Respondetur, quod ille publico ecclesiæ iudicio adhuc habetur innocens; & ideò nō amisit ius petendi publicè.

Aduertūt verò in hac disputatione omnes fere Theologi, pie atque sapienter, hostiam non consecratam nunquam dandā esse peccatori. Cuius ratio est manifesta; quia si adsunt alij, facit eos sacerdos idolatrare. Si verò solus adsit peccator recipiens & ignorans eam hostiam non esse consecratam, etiam ipse idolatrat. Si vero soli adsint sacerdos, & peccator, & vterq; sciat non esse consecratam hostiam, vtique peccator non petet illam, quia non est causa ob quam petat. Potissima verò ratio est, quia eiusmodi abusus vergit in detrimentum fidei sacramenti.

Aduersus hæc, quæ dicta sunt de danda Eucharistia occulto peccatori, non habeo quod obijciam, nisi duo. Primum est, ex Innocentio lib. de officio missæ. Ex duobus malis minimum est eligendum: sed minus malum est peccatori, quam infametur, quam quod sumat sacramentum indigne: ergo illud prius est eligendum. Ad hoc respondet Innocet. & S. Thom. & Gabri. lectio. 37. & Theologi communiter, quod licet peius sit peccatori occulto peccare mortaliter, quam infamari, tamen sacerdoti peius est peccare mortaliter infamando iniustè peccatorem occultum, quam quod ille peccet mortaliter: quia nullus debet peccatum mortale cōmittere, vt alium liberet à peccato. Vnde sapienter D. August. libr. quæstionum super Gen. Periculosissime, inquit, admittitur hæc compensatio, vt nos faciamus aliquid mali, ne alius grauius malum faciat.

Secundum est: Quia Matth. 7. scriptum est; Nolite sanctum dare canibus, nec mittatis margaritas vestras ante porcos: ergo non est dādum peccatori etiā occulto sanctum sacramentum. Respondetur, quod ea est sententia generalis, quæ verbum Dei, & Eucharistiam atque alia continet eiusmodi bona pretiosa, & spiritualia. In similibus autem sententijs semper præ oculis habendum est diuinum illud præceptum, quod iustum est iuste exequeris. Quocirca ipse Dominus Pharisæis nonnunquam aperiebat dictorum, & factorum suorum rationem; nonnunquam etiam velabat, atque dicebat. Sinite illos; cæci sunt, & duces cæcorum, cum tamen ipse dixerit, venisse se, vt cæcos illuminaret. Et simili ratione, quanuis sancta non sint danda canibus; si tamen homini, aut permissurus sum Eucharistiam, aut illum infamaturus permittam potius, quam infamem. Nonnunquam verò ratio temporis & personarum postulabit, vt ipsi illi occulto peccatori non dem Eucharistiam, & oppositum facere esset sanctum dare canibus. Induci etiam posset contra aliquam partem huius nostræ doctrinæ canon tertius concilij Vormatiensis, & habetur, secunda quæstione, quarta, capit. sæpe contingit. Vbi agitur de modo, quo fratres se expurgare debent à furtis. Quo loco concilium parum curare videtur de non infamando occulto peccatore, & minus consulere honori Eucharistiæ. Sed illud concilium fuit prouinciale, & est derogatus ille canon de consecratione distinctione secunda, & tribus alijs locis, & per Stephanum papam, vt asserit S. Thom. 3. parte, quæstione. 80. articulo sexto, ad tertium.

Innoc. | S. Tho. | Gabri. | D. August. | Matth. 7. | Deut. 16. | Matth. 15. | Matth. 7 | Cōc. Vorma. | S. Tho.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm hoc sacramentum dari possit hystrionibus?



IAM acriter patres antiqui in perniciosum hoc hominum genus inuehuntur, & tam seuere sacri canones in illos animaduertunt censuris ecclesiasticis, vehementer, vt suspicer turpiora esse, quæ olim in theatris agebantur, quam quæ his temporibus. Quicquid verò de hoc fit, lasciua sunt quæ modò aguntur, turpia, & obscœna, atque religioni Christianæ valde perniciosa. Ac proinde quicunque aliquid sapit in Domino, eos tenetur arbitrari publicos peccatores, reique publicæ pestem tanto grauiorem, quanto grauius est animæ vulnus, quam corporis. Vnde pro talibus eos habet concilium

Conc. Car. D. Augusti. D. Cypria. cilium Carthagin. 3. can. 35. cui subscripsit Aug. & D. Cypr. cum ab eo quidam quæsiuisset, vtrum histrionibus danda esset Eucharistia, respondet in hæc verba: Puto nec maiestati Diuinæ, nec euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor ecclesiæ tam turpi, & infami contagio fœdetur. Et habetur de consecratione dist. 2. cap. pro dilectione. Relatum autem mihi est, quod in Italia monachi cuiuscunque sint religionis non conueniũt in theatra. In Hispania vero nescio quomodo hac in parte ita obduruit nimia prælatorum patientia, & intolerabilis abusus, vt id negligatur. Prouideri autem deberet magna curatanto malo. Quanuis autem eutrapelia, & ludi, pro vt ad iustam delectationem referuntur, & liberalitatem ac suauitatem morum præ se ferunt in numero virtutum ponantur à Philosophis, quanto tamẽ grauius sanctius & verius sancti iudicant de ludis, & scænis, prout inueniuntur in consuetudine hominum. Et quia reuera quæ dicuntur, ac fiunt in theatris, sæpe mala sunt, turpia perniciosa & obscæna, iccirco iustissime illa damnant, videat qui volet D. Chrys. homil. 6. in Matt. versus finem & homil. 62. ad populum & Cypr. epistola ad Donatum D. Augustinũ. 2. de ciuitate c. 31. Quod si homines scænici etiam apud ethnicos habebantur infames, & omni honore priuabantur, vt verissime affirmat B. Aug. 2. de ciuitate c. 13. quid nos tandem Christianos facere oportet. Certè fugere ac damnare debemus in ludo & ioco, quidquid profusum, quicquid immodestum, quicquid illiberale, quicquid petulans quicquid flagitiosum quicquid obscœnum; quę omnia in officijs Tullius ipse damnabat. Inueniuntur autẽ hæc in theatris. Quod si homines scænici facetijs, & acumine dictorum, & cantus suauitate delectant, & sententijs grauibus admonent, & erudiunt, & repræsentatione antiquarum rerum, atque affectibus recreant, vtinam nunquam ista bona comœdijs miscuissent: hoc enim ideo accidit, quod malum tam per se sit debile, & miserum, vt se ipsum tueri non posit nisi iuuetur à bono. Malum enim, si perfectũ fuerit, destruit seipsum, vt ait Arist. ac proinde occulatur, sub specie boni, vt decipiat, & fallat homines incautos. Sumus enim natura vehementer propensi ad honestatem. Quãuis autem aliqua bona misceantur in his ludis, deberemus autẽ præ oculis semper habere illa præclara verba Hierony. ad Lætam; nemo ad lupanar mittit virginem suam, quanuis quædam ibi reperi possint de turpi corruptione lugentes; nemo hæredem suum latronum turbæ committit, vt discat audaciam. Nemo in perforatam intrat cymbam vt discat vitare naufragium. Nemo ergo ad theatri locum impurum, & infamem, & cõtrarium religioni, & modestiæ, & sobrietati Christianæ debet procedere, vt discat, aut gustet quæ ibi dicuntur: sunt enim mixta veneno. Iam vero illud vt in scænis vita Iob, Frãcisci, cõuersio Magdalena repræsententur, omnino est intolerabile. Cũ enim theatrorũ mos prophanus sit, minus malum est, vt si ferendus, est repræsententur prophana, sancta vero non, nisi sancte tractanda sunt. Quod si extat oraculum, vt mercedes meretricis in sacram ædem non recipiantur, quod vitam profiteatur probris plenam, & infamem, quæstus gratia; ignoro ego cur istorum quę dicuntur eleemosynæ ab eccle sijs & hospitalibus recipiantur in quibus repræsentatur. Illud tamen scio, quod nunquam eis, pecunijs res ecclesiæ aut hospitalis augebitur. Iam vero, vt theatrum, locus, scilicet, ille dæmonibus familiaris, inuisus Deo, in medio ipso corpore ecclesiæ coram altari maiori & sanctissimo sacramẽto statuatur, ille solus ferat, qui ob peccata sua nõdum nouit ac sentit, quam hæc aduersa, & pugnantia sint cum Dei sanctitate. D. Hier.

ARTICVLVS. IX.

Vtrum pollutio impediat sumptionem huius sacramenti.



IN hac quæstione, & similibus non indigemus ardua dispuatione, aut theologia difficili & impedita; sed prudentia & sobrietate

brietate Christiana. Dictat enim ipsa mens fide informata, & pura, quod si pollutio, aut voluntariè & in vigilia fuerit excitata, & commota; aut prouenerit ex cogitatione turpi, & causa, quæ fuerit peccatu mortale, omnino impedit sumptionem huius sacramenti. Si verò prouenerit ex causa, siue cogitatione, quæ fuerit peccatum veniale, non erit quidem reus corporis & sanguinis Domini qui communicauerit; sed erit culpabilis irreuerentia tunc accedere; & tantò grauior, quanto grauius fuit peccatum, ad quod pollutio est subsecuta. Si verò quis rectè & sobriè considerans, ignoret omnino, quæ culpa in eo fuerit, ex qua pollutio promanauerit, accedere quidem poterit, nec oportet vt abstineat. Si verò quid deceat, interroget quis, respondeo, decere humilis & religiosi viri puritatem, vt se se à sacris & altari contineat, ob eam fœditatem, quam pollutio secum adfert. Est tamen ea in hoc adhibenda moderatio, vt si prudenter existimemus id esse astutia Dæmonis procuratum, aut toties accidere, vt si tunc abstineremus deduceremur paulatim in prauam consuetudinem, non communicandi, vel si euenerit ea pollutio, in die festo, & quis sit curatus, vel in societate, viuat, accedendum sit tunc ad altare.

ARTICVLVS X.

Vtrum cibus, vel potus præsumptus impediat sumptionem huius sacramenti.



DVPLICI ratione potest aliquid impedire sumptionem huius sacramenti, vno modo secundum se & ex natura rei, quia pugnat cum debita eius sumptione, quale est peccatum mortale; alio modo propter prohibitionem ecclesiæ. Quo vno breuiter statuto, sit prima conclusio. Cibus & potus præsumptus nō impedit sumptionē huius sacramēti per se, & ex natura rei. Probatur: Quia quod per se, & ex natura rei est malū & illicitū, nullo modo potest esse licitū; sed accedere ad sacramētū post sumptionē cibi, & potest esse licitū, & aliquādo fuit licitum: ergo non est illicitum ex natura rei. Declaro minorem: Nam & modo potest dari, & debet sacramentum infirmis, etiam post sumptionem cibi, vt cauetur capit. presbyter, de consecratione, distinctione secunda. Presbyter, inquiunt iura, infirmum statim communicet, ne sine communione moriatur. Et præterea aliquādo apparet, quando primum discipuli acceperunt corpus, & sanguinem Domini, nō eos accepisse ieiunos. Scriptum enim est, Marci, 14. Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, & benedicens, fregit, & dedit eis, & ait; sumite, hoc est corpus meū. Et tertio id constat: Quia aliquando hæc consuetudo viguit in ecclesia Dei, vt fideles pransi accederent ad corpus Domini, saltem in die cœnæ: ergo, &c. Marc.14

Secunda conclusio: Illicitum est propter prohibitionem ecclesiæ, accedere ad sacramentum post cibum, & potum. Probatur: Quia id est prohibitum in concilio Carthag. nensi, 3. canon. 29. & Synodo. 6. Gener. canō. 29. & in Concilio Constantiensi sessione. 13. & alijs multis locis. Est verò sanctè, & prudenter facta hæc prohibitio. Primum, vt maiori puritate & deuotione fideles accederent ad hoc sacramentum, dicere enim quod in vniuersum loquendo melius esset si accederent pransi, hominis est intemperantis, & cæci. Accideret enim sæpe, quod in ecclesia Corinthiorum iam videbat Apostolus, in qua vnus esuriebat, alius autem erat ebrius, aliaque eius generis mala, & inconuenientia oriirentur tum leuiora, tum etiā grauiora: quia animale illud corpus, quod gerimus, aut male aut minus bene habet post prandium ad capessenda diuina & spiritualia. Conc. Cart. 6.Syn. Gen. Conc. Const. 1. Cor. 11

Secundo: Quia, vt ait D. August. epistola 118. Placuit Spiritui sancto, vt in honorē tanti sacramenti in os Christiani, prius Dominicum corpus intraret, quam exteri cibi. In quibus verbis aduertēdū est. D. August. tribuere Spiritui sancto eam consuetudinem, quam hæretici modo impugnāt, & abrogare contendunt. D. August.

Mm Ter

Tertio: Nam quid, obsecro, magis prudenter, & piè, aut significantius agi potest, quam quod primum omnium sumatur à nobis corpus Christi, & pacis ac charitatis sacramentum, cum scriptum sit; Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis Matthæi. 6.

Math. 6.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Quia in concilio illo Carthagin. cano. 29. iam citato, cui subscripsit D. August. excipitur dies anniuersarius cœnæ Domini ab illa prohibitione vniuersali, ne accedamus ad sacramentum post prandium: ergo saltem licet eo die sumere corpus Domini post prandium. Respondetur, quod hic canon est abrogatus canone. 29. Synodi sextæ generalis, & renouatus est canon. 50. Synodi Laodicensis, ne ea die soluatur ieiunium. Debent autem viri docti aduertere hoc loco, quantum apud viros prudentes valeat consuetudo. Videns enim Diuus Augustinus esse in vsu aliquarum ecclesiarum, eo die, quo ipsam cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri, & accipi corpus Domini, permisit hoc ei consuetudini, & respondens Ianuario epistola illa 118. Faciat, inquit, quisque quod in ea ecclesia, in quam venit, inuenerit.

Conc. Cart. D. August. 6. Syn. Gen. Syno. Laod. D. August.

Secundo: Quoniam argumenta hæc faciunt ad maiorem rei declarationem, argumētor: Quia sumptio aquę, aut alicuius cibi per modum medicinæ, & similium non soluit ecclesiæ ieiuniū. Nec verò male afficit, & disponit corpus ad spiritualia exercitia: ergo licet post hæc sumere sacramentum. Respondetur, quod duplex est ieiunium. Primum est ieiunium naturæ, quod importat priuationem cuiuscunque præassumpti per modum cibi vel potus. Aliud est ieiunium ecclesiæ institutum ad macerationem corporis. Et hoc quidem secundum non tollitur per prædicta. Frangitur verò primum. Atque primum illud ieiunij genus requiritur ad sumptionem huius sacramenti. Si verò quæras, vnde hæc ità seuere interpretemur, aut cur ità doceamus, respondetur, quod optima interpres, & magistra est ecclesia Dei, & valde sufficiens ratio ea, quæ ab eius consuetudine deducitur. Habet verò Dei ecclesia hanc consuetudinem. Et certè nisi hac ratione iam seuera, & exacta, via occluderetur sumptioni ciborum, alij aquā præsumerent, alij vinum, alij medicinales cibos in parua quātitate, alij in magna, alij cum necessitate, alij sine illa, alij deniq; ante lautè prāderent, & bene potarēt. Prudētes autē viros admonere nō est necesse, nihil obstare, si reliquię ciborū antea sumptę diei quæ manserunt inter dentes, vel aliquantulum aquæ vel vini dum ora, verbi gratia, & oculos abluimus deglutiamus. Cæterum non admodum facit ad hæc documenta varianda, à qua hora dicatur incipere dies in aliqua religione. Nam quamuis varient nationes in modo supputandi, credo tamen omnes fideles conuenire in eo, quod eo die, quo sumunt sacramentum, nihil cibi præsumpserint post mediam noctem. Si verò oppositum inueniatur standum est consuetudini eius ecclesiæ.

Solet vero dubitari, an rectè faceret sacerdos, qui propter infirmi periculum, si nulla esset hostia reseruata, quæ ei dari posset consecraret. Inuehuntur que nonnulli in Maiorem distinctione nona, quæstione tertia. Vbi ait, licere quidem, vt sacerdos clam, & sine vestibus sacerdotalibus nec missæ solennitate id faciat. Ego verò in hoc non possum omnino proferre sententiam, quia opinio Maioris videtur conformis charitati, ad quam nostra omnia referri debent. Nihilominus tamen cordatior est opposita sententia, quod id non liceat. Tum ob huius sacramenti dignitatem, quæ eo facto minui videtur: tum, quia hoc sacramentum; non est eo modo necessariū, quo baptismus, & pœnitentia. Atque hæc de hoc articulo pro instructione fidelium. Vt verò sanctissimam nostram religionē ab hereticis defendamus necessario nobis hac in parte congrediendum est cum Luthero. Is enim libro de abroganda missa priuata irridet hunc ecclesiæ morem; & ait, fore consultius, si non ieiuno stomacho, sed moderato cibo præsumpto sacramentum reciperetur.

Maior.

Pro.

1 Probatque primum exemplo Domini, qui recumbentibus, & manducantibus diſcipulis dedit corpus, & ſanguinem ſuum.
2 Secundo: Quia id admonet Paulus. 1. *1. Cor. 11.* Corinthio. 11. vt qui eſuriunt domi manducent; deinde ad ſacramenta accedant. Tertio: Quia accederet homo tunc corpore melius diſpoſitus.

In hãc impudẽtiã agã paucis: quia nõ multis opus eſt; perbreuẽq; ſermo rationẽ in hũc modũ. Eccleſia Dei habet hanc cõſuetudinem: nec vero ea conſuetudo centenaria eſt, aut tercentenaria; vt impie ſolent hæretici cauſari: ſed ab antiquis temporibus præcepta, & obſeruata, vt liquet ex *D. August.* concilijs citatis, & ex Diuo Auguſtino, epiſtola. 118. eamque conſuetudinem D. Auguſt. probat, & tribuit Spiritui ſancto. Dicat ergo nobis ipſe Lutherus, an ſibi potius, quam eccleſiæ vniuerſæ, & Auguſtino credendum putet. Et quia hæc ratio per ſe ſola ſufficiens eſt, ab alijs abſtinebo.

Ad primum Lutheri deſumptum, ex Domini facto, reſpondeo, quod ſi cum quæritur, vtrum pranſi, vel ieiuni accedere debeamus ad ſacramentum, aliquid horum diuinæ ſcripturæ autoritas præſcripſiſſet, non eſt dubitandum, quin ita facere debeamus, vt legimus. Neutrum verò *D. August.* iſtorum perſcripſit, vt docet Diuus Auguſtinus epiſtola. 118. Quem ideò nomino, ne queratur hæreticus, nos ex noſtro cerebro reſpondere, ſicut ipſe ex ſuo cerebro argumentatur. Atque addit eo loco benedictus ille Doctor populi Dei. Per vniuerſum orbẽ mos iſte ſeruatur, vt Dominicum corpus accipiatur à ieiunis. Nec enim, quia poſt cibos dedit Dominus propterea pranſi, aut cœnati fratres ad illud ſacramentum accipiendum conuenire debent, aut ſicut faciebant, quos Apoſtolus arguit, & emendat, menſis ſuis illa miſcere. Namque Saluator quo vehementius commendaret myſterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſsionem digreſſurus erat. Et ideò non præcepit, quo ordine ſumeretur, vt Apoſtolis, per quos eccleſias diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, vt poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo quod eum morem nemo variaſſet. Hactenus Auguſtinus. Et paulò inferius tractans illud Apoſtoli, Cætera cum venero diſponam, docet hunc mo- *1. Cor. 11.* rem, quem modo vniuerſa ſeruat eccleſia, ab ipſo eſſe inſtitutum. Cœnauit etiã prius Dominus, quam hoc ſacramentum inſtitueret: quia, vt ſacri Doctores dicunt, figura præcedere debuit veritatẽ: ac propterea poſt cœnam agni typici erat verus cibus, qui de cœlo deſcendit, con- *Ioan. 6.* ſecrandus, & diſtribuendus. Et hæc de primo.

Sed pro argumento ſecundo, quoniam hæretici plura ſumunt argumenta ex verbis Apoſtoli. 1. Corinthio. 11. quæ interpre- *1. Cor. 11.* tantur ad libitum, ſciendum eſt, quod de intelligentia illius capitis duæ extant maximè probabiles interpretationes. Prima eſt Græcorum dicentium, quod quanuis fideles tunc non omnia in commune cõferret manebat tamen in eis aliquod veſtigium formæ viuendi Apoſtolorum, de qua in actis, & agebantur apud eos Dominicæ cœnæ hoc modo præcipuis diebus ſiue feſtis poſt ſacrorum myſteriorũ participationem, agebantur cœnæ communes, ſiue cõuiuia parantibus illas diuitibus, ac inuitantibus pauperes, quod certe erat Chriſtianæ charitatis & religioſæ modeſtiæ argumentum. Tempore vero procedente, vt in rebus humanis ſolet accidere, ſancta illa conſuetudo negligebatur, & diuites ſolum cum ſuis epulabantur ſplendide, & pauperes ad menſam ex communi propriam iam factam, non admittebant. Ex qua nouitate alijſq; eius generis (nam nec ſe iam inuicem expectabant) oriebantur plura diſsidia, ac pauperum, & miſerorum contemptus. Hæc cum reſciuiſſet diuinus Apoſtolus fieri à Corinthijs, grauiter increpat eos illo vndecimo capite. Atque ita interpretãtur Chryſoſt. & Oechu- *D. Chryſ.* menius, & Theodoretus, & vt credo, fere *Oecume.* omnes Græci, quanuis alios non conſu- *Theodor.* luerim: quia non erat neceſſarium. Atque ex hac interpretatione certum eſt; non colligi, quod Euchariſtia ſumeretur poſt prãdium, ſed oppoſitum.

D. August. Secunda sententia est Diui Augustini. Qui ait, quod more Christi, qui agnum paschalem primum discipulis dedit, deinde suum corpus, & sanguinem, primum in ecclesia Christiani conuiuia communia faciebant, deinde ad mensam Domini accedebant. Verum cum ab eo more honestorum conuiuiorum desciuissent, eos reprehendit Apostolus, & ad eos veniens ordinauit, vt accederent ieiuni. Et nec ex hac interpretatione sequitur, quod iuxta Apostolum pransi debeamus accedere, sed quod Corinthij, bene pransi accedebant, id quod redarguit Apostolus. 1. Cor. 11. At dicit Lutherus, quod Apostolus illis verbis. Si quis esurit domi manducet, præcepit, vt domi prius comederent, deinde accederent ad sacramenta. Respondeo verò scire me, quod id dixerit Lutherus: alium verò dicentem vidi neminem. Illis si quidem verbis Apostolus videns ea dissidia, & mala, quæ ex conuiuijs habitis in ecclesia hominum vitio oriebantur, ablegat eos in proprias domos, vt ibi manducent. Non tamen præcipit, vt postea accipiant eo die corpus Domini, præsertim cum secundum Græcos prius agerentur diuina, & deinde cœnæ ac conuiuia haberentur. Quod etiam non ideò dico, nec propterea in hunc modum respondeo, quod non liceret ecclesiæ morem hunc, quem tenemus instituere, quanuis verum esset, quod Apostolus eorum hominum incipientium imperfectioni, & imbecillitati concessisset prius, vt domi manducarent, deinde corpus Domini sumerent. Nouimus enim Apostoli cœlestem prudentiam ijs ipsis Corinthijs dicentem capite 1. Cor. 3. tertio. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis. Sed re vera falsum est præcepisse Apostolum, quod prius domi manducarent, deinde accederent ad Domini mensam. At addit Lutherus, fore consultius, si fideles accedant ad sacra temperato prius cibo præsumpto, scilicet, homo modestus, & temperatus præcipit temperate comedere prius. Ità ne tales cognouisti Luthere Germanos tuos, & Flandros, vt si comedere incipiant, & bibere, id faciat, temperatè? Certe illi nisi eis Dei misericordia aliam mentem iniecerit, prius per intemperantiam morientur, quam bibant temperanter. Et quidem asserere, quod melius habeat homo ad diuina post prandium, quam ante quanuis cibis vtatur temperate, stultum est, & contra id, quod homines literis, & contemplationi dediti experiuntur. Asserere verò, consultius fore, si permitterentur aliqui vti aliquo cibo, per modum medicinæ, vt commodius sacra conficere possent, non ita absurdum est; sed habet ea inconuenientia, quæ supra afferebamus. Atque hæc de hac disputatione. Pro qua, & similibus maximè aduertendum est, id quod respondet Diuus Augustinus epistola illa. 118. obijcientibus Christi factum. D. August. Videtur autem eo loco sic fere argumentari: Si te tam mouet, quod Dominus Apostolis dederit corpus suum post cœnam, vt asseras post prandium esse distribuendum, quia ipse ità fecit, cur non asseris etiam mensis nostris ea sacramenta miscenda? Nam illa miscuit Dominus. Quod si absurdum est, sequitur ecclesiam posse de his statuere, quod vtilius fore arbitrabitur.

ARTICVLVS. XI.

Vtrum hoc sacramentum dari debeat non habentibus vsum rationis.

POTEST dici quis carere vsu rationis multis de causis. Vel quia libero ante cum vteretur arbitrio, & sui ipsius esset compos, incidit tamen in amentiam: aut quia habet lucida interualla. Aut quia à natiuitate ipsa amens fuit; aut denique quia non peruenit ad illud tempus, & ætatem, in qua homines vtuntur vsu rationis. De quibus breuiter, & quantum poterimus dilucide agemus.

De primo illo, qui infirmitate, vel casu aliquo incidit in amentiam, extant duæ sententiæ, vna Alexandri Halens. quarta parte, quæstione. 49. articulo secundo, Alex. Halés. mem-

Gabr. membro.5. & Gabrie.in quarto, distinctio ne nona, quæstione vltima circa finem, qui negant eiusmodi homini dandam esse Eucharistiam; quoniam actualē discretionem (sic enim ipsi dicunt) non habet. D.Tho. Palud. Altera est Sanct. Thom.3.parte, quæstione.80.articulo nono, & Petri de Palude, in quarto, distinctione quarta, articulo secundo, & distinctione nona, articulo tertio, quæstione quarta, & aliorum asserentium dari debere Eucharistiam ei homini, si quando erat mentis compos apparuerit in eo aliqua deuotio huius sacramenti.

Sit in hoc prima conclusio: Eiusmodi homini, de quo nobis sermo, est danda Eucharistia in fine vitæ, siue dum erat mētis compos eam expresse petierit, siue declarauerit, solum desiderium eorum, quæ cum illa iungi solent, vt confessionis, & pœnitentiæ. Probo: Nam, quanuis in hac disputatione probabiles rationes, & congruentiæ in vtranque partem afferri possint, est tamen hæc quæstio vna ex eis in quibus lucere debet reuerentia sacrorum canonum in ingenio modesto, & temperato. Atq; ego, cum rationem, & causam omnino concludentem nulla ex parte videam, sic tamen lego in concilio Carthaginensi quarto, capite.76. cui subscripsit ipsa sapientia Diui Augustini. Is qui pœnitētiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia. Et præterea idem colligitur ex concilio Toletano in canone vndecimo. Admittamus ergo nos, quod illi patres faciebant. Conc. Cart. D. Aug.

Secundo argumentor: Quia petenti baptismum in simili casu omnes Theologi fatentur cum Diuo Augustino esse dandum: ergo pari ratione in nostro casu debet dari Eucharistia. Nam, quanuis illud sacramentum sit omnino necessariū: hoc tamen erit etiam bonum, & vtile sumenti: quod si ad hoc requiritur dispositio, vtique & ad illud requiritur in adultis dispositio, & tamen præterita illa habita est sufficiens: ergo. &c. D. Aug.

Tertio argumentor: Quia hoc sacramentum eius naturæ est, vt augeat gratiam per modum habitus etiam quando nulla tunc concurrit, aut actualis dispositio, aut actualis actus elicitus à gratia; vt constat in viro religioso, qui forte mente, distractus est, dum sumit sacramentum: ergo re vera ipsa huius sacramenti natura tacitè docet recipi cum vtilitate posse, etiam ab illo, qui tunc mente alienatus est, præsumitur vero ante habuisse deuotionem. Hæc autem ita intelligenda sunt, nisi timeatur probabiliter vomitus aut irreuerentiæ periculum. Et præterea quanuis quatuor, vel quinque annis eiusmodi homo manserit amens, nō est ei dandum sacramentum, nisi in periculo mortis propter reuerentiam sacramenti.

Secunda conclusio: Habentibus lucida interualla, licitè datur sacramentum, vel dum lucet ratio, vel si tunc, dum lucebat petierunt. Hæc liquet ex dictis. Si vero quis hominem ingenio hebetem, & tardum; carentem vsu rationis appellauerit, appellabit quidem impropriè; quoniam is vtitur arbitrio libero ac proinde nō est dubiū, quin ei dari possit sacramentū. Tertia cōclusio. De eo, qui amēs à natiuitate fuit eadē ratio est, quæ de pueris: qui ij nondū ad vsum rationis peruenerūt. De pueris autē nōnulla dicēda sunt, propterea quod Bohemij asserūt hoc sacramētū pueris esse necessariū, & illis cōferendū. Et Oecolāpadius idē tenuit in libello de cęna Dñi ca.1. Et Thomas V valden. in lib. de sacramētis hūc errorē tribuit Armenis. Sit ergo prima cōclusio. Certū est, quod antiquitus in aliquibus ecclesijs priuatis dabatur infantibus & pueris Eucharistia. Id ità esse liquet ex Diuo Cypriano, sermone de lapsis, & ex Concilio Toletano.11.canon.11. & ex Diuo Augustino, libro de Ecclesiastic. dogmatibus, cap.52.tom.1. & ex D. Dionys. li.2. de Ecclesiastica Hierarchia. capit.7. Habebant autem illi patres causas quæ sequerentur, pro ratione illorū tēporum. Quia tūc tēporis partē Idolothyti in os infantiū immittebant impij, volebantque sancti Tho. Vald. D.Cyp. Cōc. Tolet. D.August. D.Dionys.

contraria ratione occurrere tanto malo. Et præterea quia infantibus augebatur gratia ex sumptione sacramenti quātum ego existimo.

Secunda conclusio: Dare hoc sacramentum pueris, nunquam illis ad salutem necessarium fuit:& contrarium dicere est error in fide. Probatur: Quia sequeretur, quod baptismus non esset illis sufficiens ad salutem, quod est contra fidem: quia baptismus tollit peccatum, & dat gratiam. Item sequeretur, quod ecclesia errauit in iis, quæ ad salutem sunt necessaria, quando præcepit, vt pueris hoc sacramentum non daretur. Sed est contra hoc argumentum. Quia Ioann. 6. dicitur, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinē, non habebitis vitam in vobis. Ex quo sic colligo: Hoc testimonium complectitur etiam pueros, vt docet Diuus Augustinus libro primo de Baptismo capit. 20. & libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, capit. 22. Et præterea illud testimonium est intelligendum de manducatione sacramentali: nam ex eo solent patres manducationem sacramentalem statuere: ergo pueris est necessariū hoc sacramentum.

Ioan. 6.

D. August.

Respondetur, quod Diuus Augustinus semper vtitur sua illa doctrina verissima, quantum ego puto, quod vnus locus scripturæ habet plures sensus, etiam literales. Ac proinde illud testimonium modò interpretatur de manducatione spirituali, modò de sacramentali. Et videns ex vna parte pueris sufficere solum baptisma ad salutem solet interpretari ea verba de mā ducatione spirituali, vt in epist. ad Bonifacium. Et considerans ex alia parte etiam pueris dari tunc solere Eucharistiam, nihil mirum si paruulis applicuerit, etiā dū interpretatur illud de manducatione sacramentali.

Tertia conclusio: Ecclesia potuit in hac re mutare veterem morem, earum ecclesiarum, de quibus supra, & re ipsa mutauit. Idque fecit prudenti consilio. Quod potuerit facere inde constat, quia pueris non erat illud sacramentum necessarium ad salutem, nec quod eis tribueretur erat ab ipso Christo statutum, sed more aliquarum ecclesiarum introductū. Quod etiā re ipsa mutauerit patet ex rei ipsius euidentia. Quod autem meritò id fecerit, probatur, tum propter periculum effusionis, atque vomitus, quæ infantibus crebrò accidunt cum sumunt aliquem cibum, tum etiam propter reuerentiam peculiariter huic sacramento debitam, quam infantes non possunt exhibere. Et certe vehementer suspicor, quod nisi ecclesiæ cura prouidisset ne infantes sumerent Eucharistiam, magnum detrimentum accepisset eius sacramenti honor. Sed quæris, an quando pueris dabatur Eucharistia, augeret eis gratiam. De quo fuit Soto cum Magistro Cano controuersia, cum ille diceret, hic negaret. Ego verò magis assentior conciui meo Soto, quod conferret gratiam. Et ratio quæ me mouet est, quia Eucharistia illis collata sine dubio est sacramentum, vt diximus supra; & illi pueri sunt membra Christi, & non ponunt obicem, & hoc sacramentum aptum natum est augere gratiam per modum habitus; nec requirit necessario dispositionem per modum actus concomitantem; ergo conferret gratiam. Vltimò si roges, quando dandum est pueris hoc sacramentum secundum præsentem ecclesiæ consuetudinem, breuis responsio est, quod quando iudicio confessoris habuerint lumen rationis confortatum, vt sufficienter discernere possint hunc cibum ab alijs. His verò, qui ab immundis spiritibus vexantur, non est negandа communio eo tempore, quo ab illis crudelissimis hostibus sinuntur, confortabitur enim spiritus hominis ad resistendum illis. Nec verò patres antiqui hominibus in eum modum afflictis Eucharistiam negauerunt, teste Cassiano.

Soto.
Cano.

Cassianus.

ARTICVLVS XII.

Vtrum expediat quotidie communicare?

Aliud iudicium est de hac quæstione, si velimus loqui absolute; aliud si sermo

mo sit ex parte ipsius sacramenti; aliud ex parte personarum; aliud denique pro ratione diuersæ consuetudinis, quam rebus tractu temporum variatis habet ecclesia Dei. Ac de his dicemus ordine suo.

D. August. De primo D. August. epistola. 118. ad Ianuarium deplorata in primis quorundam hominum ignorãtia, qui nihil rectum existimant, nisi quod ipsi faciunt, aut opinantur esse faciendum respondet in hæc verba: Dixerit aliquis non quotidie recipiendam Eucharistiã. Quæ sieris, quare? Quoniam inquit eligendi sunt dies, quibus purius homo cõuenientiusque viuit, quo ad tantum sacramentum dignius accedat. Qui enim manducauerit indigne iudiciũ sibi manducat, & bibit. Alius contra, imo inquit, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, vt medicamenta talia differenda sint authoritate antistitis, debet quisque ab altario remoueri, ad agendam pœnitentiam, & eadem authoritate reconciliari. Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitẽtiam (scilicet, quia incidit in peccatũ mortale) non vt arbitrio suo cum libet, vel auferat se communioni vel reddat. Cæterũ si peccata tanta non sunt, vt excommunicandus quisquam homo iudicetur, non se debet à medicina dominici corporis separare, rectius inter eos fortasse quisquam dirimit litem, qui monet, vt præcipuè in Christi pace permaneant: faciat autem vnusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neutro enim eorum exhonorat corpus, & sanguinem Domini, si saluberrimum sacramentum certatim honorare contendunt: nec enim litigauerunt inter se, aut quisquam eorum, se alteri præposuit Zachæus, & ille Centurio, cum alter eo rum gaudens in domum suam suscepit Dominum, & alter dixerit non sum dignus, vt intres sub tectum meum, ambo saluatorem honorificantes diuerso, & quasi contrario modo: ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Valet etiam ad hanc similitudinem, quod in primo populo vnicuique manna, secundum propriam voluntatem in ore sapiebat. Sic in ore cuiuscunq; Christiani sacramentum illud quo modo sumatur æstimandum. Nam, & ille honorando non audet quotidie sumere: & ille honorando, non audet vllo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus ille; sicut manna fastidium. Hactenus Diuus Augustinus. De primo à nobis proposito, cuius sapientiæ qui addere aliquid voluerit, timere debet, ne se se inueniat esse insipientem. De secundo scilicet, quid dicendum sit, ex parte ipsius sacramenti, breuis responsio est. Quid enim facere poterit calor, nisi calefacere? quid frigus nisi frigefacere quid cœlestis iste cibus, nisi proficere. Vtile ergo est ex parte ipsius quotidie sumere. Vnde Diuus Ambrosius libro quarto de Sacramentis, capit. sexto. Si quotienscunque effunditur sanguis Christi in remissionem peccatorum, effunditur, debeo semper accipere qui semper pecco; debeo semper habere medicinam. Et hæc de secundo.

1. Cor. 11. Luc. 19. Matth. 8. Sap. 16. D. August. D. Amb.

Tertio: Sumptionem sacramenti considerare possumus ex parte sumentis, in quo magna requiritur deuotio, & reuerentia. Ac de hoc Augustinum audiamus li. de Ecclesiast. dogmatibus c. 53. tomo. 3. dicentem; Quotidie Eucharistiam accipere, nec laudo nec vitupero. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum hortor; si tamen mens in effectu peccandi est grauari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari.

D. August.

Si tamen quarto loco præsentem statum, & consuetudinem ecclesiæ consideremus, nonnulla à nobis dicenda sunt. Illo interim præmisso, quod in hac disputatione non est nobis sermo de his, qui tenẽtur conscientia peccati mortalis, quos ab altari arcet ipse Apostolus, & sermo diuinus. 1. Corintio. 11. sed de alijs fidelibus. Sit itaque prima conclusio. Pro sacerdotibus, Generaliter & in vniuersum, loquendo bonum est, & laudabile, quod sacerdotes quotidie accedant ad altare, & cõmunicent.

1. Cor. 11.

Probatur primum, ex consuetudine ecclesiæ, quam illa modo habet in selectis membris suis. Videmus enim, quod sacerdotes religiosi, & timentes Dominũ hoc tempore, quotidie communicant.

Secundo probo: Quia cum Dominus ecclesiæ suæ temporibus diuersis diuersa auxilia, & remedia adhibeat, videtur certe misericorditer prouidisse, vt vergente iam mũdi vespere, & refrigescente charitate introduceretur in sacerdotibus consuetudo communicandi quotidie. Quo vno medio tenentur multi, & se cohibent à malis, memores, quod eo die accesserint ad altare, & quod postera sint accessuri.

Tertio probo: Quia quotidie sumere hoc sacramentum per se bonum, & laudabile est, & præterea sacerdotum vita libera est à negotijs, & occupationibus, quæ ipsos debeant arcere à sacris: ergo, &c.

Quarto: Videmus, quod sæculares modo scandalizantur cum sciunt sacerdotes non facere sacra, nec putandum est, quod insederit eis ea opinio, & scandalum obortum fuerit sine causa; ergo certe qui non frequenter accedunt ad altare mali speciem præseferunt hoc tempore. Quocirca cum spiritus sacerdotis Deum timentis, & qui non est sibi conscius criminis, ob quod ab altari sit remouendus, incipit pigritie quadam infici, & tergiuersari accedere ad altare, libẽter eum alloquar cuius dã Doctoris verbis, qui dicebat: Immunda es, ò anima, accede ad fontem totius puritatis. Esuris; accede ad panem angelorum, qui esurientes replet bonis. Deficis, in fortitudine cibi istius ambulabis, vsque ad montem Dei, & ascendes in Hierusalem cœlestem. Cæcam te fortasse, debilem, & claudam conquereris: sed memineris, quo niã tales ad cœnã magni regis inuitantur. At ægroto inquis, accipe ergo quotidie medicinam. Tristis sum lubrica, & anxia, & quatuor affectibus. Atqui panis iste sedat sæuientem membrorum legẽ, roborat, & confirmat animum, lætificat interiorem hominem. Tibi itaq; dico, accede panis est, non venenum.

Ex cancellario. citat. Gabri. lect. 82.

Secunda conclusio: Quibusdam vtile est, si se contineant à frequentatione quotidiana huius mysterij. Tam enim est variũ & multiplex hominum ingenium, vt si quidem non tam media, quam ipsum charitatis bonum, & honor Dei, & puritas mẽtis intenditur, non omnibus vna eademq; lex de mediorum vsu poni possit. Huius cõclusionis duæ præcipuæ causæ sunt. Prima quoniam sunt aliqui ita animo affecti vt vilescat eis, quod crebro vsurpant ac propterea ij debent se continere à frequenti sumptione huius sacramenti ne illis vilescat, nisi eis ex officio incumbat celebrare.

Secunda causa est: Quia cum humilitatis virtus, & vera illa ac splendida lux spiritualis, qua occulta, & inuisibilia cernuntur valde cognatæ sint ac sibi inuicem seruiant; solent aliquæ mentes purissimæ dũ hoc sacramentum intuentur, ita feriri & illustrari radijs maiestatis præsentis, vt dum se in illa luce vident, & Dei summam puritatem contemplantur, se se pollutas agnoscentes accedere nõ audeant, & eligant sistere in se tanto, altius, atque securius, quãto profundiùs se humiliauerũt, & cognouerũt exactius. Illi autẽ fælicissimi & diuinissimi spiritus, qui ad hanc perfectionẽ, & puritatem deuenerunt, nostris præceptionibus quotidie aut frequenter communicandi non tenentur, quæ pro sacerdotum cœtu latæ sunt. Nonnullaque de hoc dicemus sub finem articuli.

Ex Laur. Iustinia. tract. de humilitate.

Tertia conclusio: Seculares non debent quotidie communicare. Declaratur hoc quia propter institutum vitæ suæ, & negotia, quibus implicantur, non possunt quotidie accedere ad hoc sacramentum: cum ea deuotione, & præparatione animi, quæ necessaria est. Vellem autem, vt dominicis diebus communicarent; & alij, qui non ita sunt animo religioso, saltem festis paschalibus & præcipuis. Semper autem animaduerti prudentes homines, suspectam habere sanctitatem, quarundam mulierũ quæ quotidie sumunt hoc sacramentum ac proinde satius esset, si solis diebus dominicis illis daretur; quoniam id genus est leuissimum, & inani gloria facile capiatur, quæ ex peculiari opere, & priuato in aliquam rem studio solet excitari. Atque vti-

vtinam nostra hæc tempora non tantum huius veritatis exhiberent documentum, quantum exhibent in mulierculis frequentissime communicantibus, & habentibus reuelationes quasda.n, & fauores cœlestes in ecclesia Dei inauditos. Deberēt autem ecclesiæ viri graues aduertere indignum esse, si quod à Domino cum Petro, & Paulo, & cæteris Apostolis, ac doctoribus, & viris priscis ac heroicis qui hanc rempub. tam præclare fundatam nobis reliquerūt, & qui quo propius aberant ab ortu & diuina progenie tanto perfectius, sanctiusq; vixerunt, non est factitatum, id sibi arrogent mulierculæ, quas & propria leuitas, & dæmonis astutia decepit ac fascinauit, adeo vt quædam affirmauerit, quod Christus cum ea oraret. At verò ego cui dedit Dominus, vt aliquid in sanctis antiquis legerim, existimo, quod Christus etiam in cœlo non orat, licet interpellet præsentando vulnera & merita patri.

Sed multa sunt, quæ aduersus hanc doctrinam possent opponi, eo quod hæc disputatio prudentiam attingat, cuius leges, & rationes mirum in modum variantur rebus variatis. Primum igitur obijcio: Quia in ecclesia primitiua quotidie fideles omnes communicabant, vt constare potest euoluenti concilia, & dicta antiquorum patrum, & quidem peculiariter deminis tris, lex lata est ab Anacleto papa in hęc verba: Peracta consecratione omnes ministri cōmunicent, qui noluerint ecclesiastics carere liminibus. *Anaclet.*

Respondetur, quod in ecclesia hactenus videtur viguisse temporibus diuersis quadruplex consuetudo. Prima in ipso exordio ecclesiæ, quando ineffabili Dei bonitate, & altissimo iudicio Spiritus sancti gratia se se effundebat largius, & ardebant fide, ac charitate fideles, vt qui parati essēt quotidie oppetere mortē pro Dei, & Christi sui fide ac honore tuēdo. Et tūc fideles omnes quotidie communicabant saltem in aliquibus ecclesijs. Quod adeo verum est, vt temporibus etiam Diui Augustini essent qui contenderent, quotidie communicandum esse, vt constat ex epistola. 118. Deinde cursu temporis introductum est, vt diebus dominicis communicarēt. Quę consuetudo vigebat, vt arbitror, tempore Diui Cypriani, & paulo antiquiorum, & eam retinuisse videntur, & commendasse Diuus Ambrosius, & Diuus Augustinus. Deinde verò refrigescente magis charitate, statutum est, vt si non frequentius saltem ter in anno fideles communicarent, vt constat de consecratione distinctione secunda, cap. si non frequentius. Ac demum statutum ab ecclesia est, & præceptum, vt semel in anno fideles omnes communicent. *D. August.* *D. Ambros.* *D. August.* *c. si non frequentius.*

Secundo argumentor: Quia quotidie petimus in oratione Dominica dari nobis panem supersubstantialem, scilicet panem hunc Angelorum, vt interpretari solet D. August. Respondetur, quod ea oratione petimus dari nobis quotidie victum, & alimentum, tum spirituale, tum etiam corporale, in quantum verò ea petitio complecti potest etiam hoc sacramentum, intelligenda est de sumptione eius spirituali per fidem, & charitatem. Et præterea ecclesia quotidie sumit hoc sacramentum ore sacerdotis illud offerentis; ac proinde potest habere locum ea petitio, etiam si de sumptione sacramentali intelligatur. *Luc. 11.* *D. August.*

Tertio argumentor: Ex illis verbis D. August. iam citatis: Quotidie communicare, nec laudo, nec vitupero: ergo malè à nobis hac in parte consultum est, vt sacerdotes quidem quotidie, laici verò solis Dominicis diebus communicent. Respondetur iam à nobis assertum esse ex ipso Diuo Augustino, quod si simpliciter loquendum sit de sumptione huius sacramēti, debet vnusquisque facere quod secundum conscientiam suam piè credit esse faciendum. Considerato verò hoc tempore & ecclesiæ vsu, consuluimus nos, vt sacerdotes quotidie, laici verò Dominicis diebus communicarent, ob rationes assignatas. *D. August.*

Quarto argumentor: Beatus Hierony. affirmat, quod Marcus euangelista pollicem sibi amputasse dicitur, ne cogeretur celebrare. Beati etiam Benedictus, & Franciscus ad sacerdotium promoueri recusabant: ergo non debent sacerdotes quotidie *D. Hiero.*

celebrare. Ad hoc argumentum probe respondet Cancellarius, quod horum duorum, & similium facta sublimia, non sunt trahenda ad exemplum omnium generale, quod sequi debeamus, quoniam diuersa dona, & inspirationes sunt, spiritus Dei, qui in purissimis quibusdam mentibus, quæ accedere non audent, commendat nobis virtutem humilitatis, altitudinem mysterij, & puritatem diuinæ maiestatis. In alijs verò, quæ non audent prætermittere, lucet charitatis ardor, & deuotio, & confidentia in Christum, per quem habemus accessum in gratiam istam. Vnde D. Gregor. libro quarto Dialogorum capit. vltimo, refert de Beato Casio Narnensi episcopo, quod cum quotidie sacrificium offerre consuesceret, seque lachrymis inter ipsa sacrificiorum mysteria mactaret, man datum Domini suscepit dicentis: Operare quod operaris; non cesset pes tuus, non cesset manus tua. Natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Qui post septem annos ipso Apostolorum natalitio cum missarum solennia peregisset, exiuit è corpore.

Rom. 5.

D. Gregor.

Quinto argumentor: Nam figuratum debet correspondere figuræ; sed agnus paschalis, qui figura erat huius sacramenti, nō nisi semel in anno immolabatur: ergo hoc sacramentum non debet sumi, nisi semel in anno. Ad hoc respondeo ex Alexandro de Hales. & S. Thom. quod agnus paschalis præcipuè fuit figura huius sacramenti, quantum ad passionem Christi, quæ repræsentatur per hoc sacramentum. Et ideò semel tantum in anno immolabatur; quia Christus semel mortuus est. Sed in hoc sacramento traditur nobis memoriale passionis Christi per modum cibi, qui quotidie sumitur; & ideò quantum ad hoc significabatur per manna, quod quotidie veniebat è cœlo & manducabatur à populo. Vnde variæ fuere, & multæ figuræ huius sacramēti propter varias rationes, quæ in ipso continentur.

Exo. 12.
Alex. Halēs.
S. Tho.
1. Pet. 3.
Exod. 16

Sexto: Baptismus, qui significat mortē Domini semel tantum suscipitur: ergo & Eucharistia, per quam mortem Domini annunciamus, semel suscipi debet. Respondetur, quod baptismus est spiritualis regeneratio. Et ideò sicut homo semel carnaliter nascitur; ità debet semel spiritualiter renasci, quod fit per vnicū baptismū quæ est doctrina D. August. super illud Ioann. 3. Quomodo potest homo nasci, cum sit senex. Sed hoc sacramentum est cibus spiritualis. Vnde, sicut cibus corporalis quotidie sumitur, ità & hoc sacramentum valde vtile est, si quotidie sumatur, quantum est ex parte sua.

D. August.
Ioan. 3.

Septimo: In sacramentali manducatione est periculum, ne forte indigne accedamus: in spirituali verò nullum est periculum: ergo rarò est sumendum hoc sacramentum sacramentaliter. Respondetur, quod si quocunq; timore periculi desistē dum esset à proposito præclarissima bona, & plurimæ vtilitates perirent de rebus humanis. Præterquam quod quid obsecro periculi est si fidelis Deū timens, & pro paruitate sua incumbens bonis operibus, & recedens à malo, accedat ad hoc sacramētum? Ego certè sæpe mihi indigno peccatori vsurpo, alijsque repeto illud; Accede panis est, non venenum.

D. August.

Vltimo verò loco per extremum obijciet quis, vtile fore, si non modo semel in die; sed iterum atq; iterum rem sacram faceremus, & communicaremus de pane cœlesti, si quidem digne accipientibus augetur gratia. Sed respondetur, quod qui hæc dicunt, non meminere scriptum esse, Omnis victima sale condietur. Vbi autem ipsi legerunt, vnum & idem sacrificiū ab vno, & eodem sacerdote, vno & eodem die, atque etiam solo mane solere iterari? Præsertim cum in hoc sacramento fugendū maximè sit fastidium cibi cœlestis, aliaq; sequerentur inconuenientia, quæ referre nō est necesse.

Mar. 9.

ARTICVLVS. XIII.

An liceat omnino abstinere à susceptione huius sacramenti.



DECREVERAM certè hunc articulum prætermittere, eo quod iam à nobis de hac re disputatum est quæstione prima

prima huius tractatus, cum de necessitate huius sacramenti ageremus. Sed accidit nonnunquam, vt alicuius disputationis complementum, & quasi membrorum integritas requirat, vt repetantur quæ iam erāt disputata: igitur cum declarauerimus, quā vtile sit accedere ad hoc sacramentum, superest disputare, an liceat omnino abstinere. De quo variæ fuut scholasticorum sententiæ. Nam Alex. 4. p. q. 51. membro. 4. tenet, non extare præceptum aliquod diuinum, inferens necessitatem communicandi. Et ita tenuit D. Tho. in. 4. d. 9. ar. 1. & D. Bonau. dis. 12. art. vltimo, & Gabriel in fine lectionis. 87. in canonem, & Caiet. in eam inclinat. Sed oppositum tenuit S. Tho. 3. p. q. 80. ar. 11. & Dur. in 4. dist. 9. q. 2. & Palud. ead. dis. q. 1. Atq; hac in parte fateor me non parum quibusdam Theologis offensum, qui cum agant de re grauissima, & pure Theologa, solum nituntur friuolis quibusdam argutijs, & rationibus, quas hinc, & inde contorquēt, ex suo capite fabricatis, cum debuissent scripturarum testimonium, & sensum indagare iuxta sanctorum patrum, interpretationem.

Alex. — B. Tho. — D. Bonau. — Gabri. — Caietan. — B Tho. — Dur. — Palud.

Sit ergo conclusio: Non licet omnino ab hoc sacramento abstinere. Itaque extat præceptum diuinum de illo sumēdo. Probatur. Nam scriptum est Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: quæ verba exprimunt formam præcepti, & tamen intelliguntur de manducatione sacramentali, & de isto cibo, & potu, quem Deus nobis dat velatum sub accidentibus: ergo extat præceptum de illo sumendo. Consequentia est legitima, & maior conceditur a Theologis: minorē autem probo ex patribus. In primis patres Concilij Ephesini in eum sensum, quem requirimus, ea verba intellexere. Sic enim habetur in epistol. Cyrili; Quanuis dicat ad nos: Amen, Amen dico vobis, nisi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nō habebitis vitam in vobis: non tamen eam vt hominis vnius, ex nobis existimare debemus: sed vt vere propriam eius factam, qui propter nos filius hominis est factus. D. Hilarius. 8. de Trinitate omnia verba, quæ capite. 6. refert Ioannes de carne, & sanguine Domini ad hoc sacramentū refert. B. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus in sermone quodā cum proposuisset illa verba; Nisi manducaueritis, & c. subdit: Non sic hæc attendas velim, quasi sint nudus, & simplex panis: nudum & simplex vinum: corpus enim sunt & sanguis Christi. Diuus Laurentius Iustinianus tractat. de obedientia cap. decimoquarto. Quantacū que, inquit quis morum polleat maturitate, nihil ei prodest ad vitam, si non corporis, & sanguinis Christi veneranda mysteria sumit. Ipse nanque ait. Nisi manducaueritis carnem filij hominis; & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, adultis quippe hæc loquitur, & ratione vtentibus, & c. Idem docet D. Greg. in homilia quadam paschali, & Casiodorus in Psal. 109. Et denique omnes patres, qui ex verbis Ioan. c. 6. probant veritatem corporis, & sanguinis Domini qui sunt innumeri; illi certe omnes ea verba accipiunt de manducatione sacramentali. Atque hæc ratio adiuncta perpetuæ consuetudini, & curæ ecclesiæ, quod omnes fideles cum ad legitimam ætatem peruenerint communicent, conuincit intellectum meum. Difficile enim quis inueniet ecclesiam omni tempore, & omnibus fidelibus inuiolabiliter obseruandum aliquid præcepisse, aut habuisse in vsu, quod non sit iure diuino naturali præceptum. Quod enim quidam ieiunia, & dies festos opponunt, non obstat: quoniam hæc sunt de iure naturę, quanuis determinatio pertineat ad ecclesiam.

Ioan. 6. — Conc. Eph. — D. Cyril. — D. Hilar. — D. Cyril. — Laur. Iusti. — Ioan. 6. — D. Gregor. — Casiodoro.

Item argumentor secundo: Dñs Luc. 22. accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit discipulis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meā commemorationem: ergo est præceptum in ecclesia benedicendi frangendi, & accipiendi, ac dandi corpus Christi. Alioqui non peccarent contra istud Christi præceptum, & contra id, quod habetur Ioan. 6. Nisi manducaueritis, & c. papa & cæteri pontifices ecclesiæ, si efficerent, vt vsus

Luc. 22. — Ioan. 6.

vſus huius ſacramenti omnino ceſſaret; quod eſt vehementer falſum. Nec te fallat lector, quorundam euaſio; qui dicunt illis verbis: Hoc facite, non præcipi, vt fiat; ſed vt quando fit fiat in Christi paſſionis commemorationem. (1. Cor. 11.) Nam quanuis quando hoc fit debeat fieri in Christi cõmemorationẽ, & ideo fallere aliquem poſsit illa euaſio: ſed aliud eſt verborum Christi ſenſum intelligere, & declarare, aliud dicere id, quod alioqui verum eſt. Et nos quidem, niſi ego fallor, ſyncere & fideliſsime interpretamur ea verba; Hoc facite in meam commemorationem in hunc modum: præcipio, vt hæc faciatis in meam commemorationem. Alij vero interpretantur iſta ratione; non quidem præcipio, vt faciatis: ſed vt quando fiat fiat in meam commemorationem. Sed certe negari non poteſt, in eis verbis ineſſe præceptum, vt expoſitum, ac probatum eſt, & verba ipſa declarant.

Tertio argumentor: Nam, vt in ſuperioribus dictum eſt, & tenet communis opinio, baptiſmus & manducatio ſpiritualis Christi, claudit votũ Euchariſtiæ: ſed primũ eſt in præcepto ergo & ſecũdũ. Eſt certe conſequẽtia euidẽs, & antecedẽs receptũ. Sed diſtinguit quidã inter manducationem ſpiritualem Christi, & manducationem ſpiritualem huius ſacramenti: & reſpondet huic argumento, quod manducatio ſpiritualis huius ſacramenti claudit votum Euchariſtiæ; manducatio vero ſpiritualis Christi non item. Nam angeli manducant ſpiritualiter Christum; & nec mãducãt hoc ſacramentum ſpiritualiter, nec in ea ſua manducatione clauditur eius votum. Peccat autem hic proculdubio. Nã quãuis ex natura rei ſeparari poſsit, & ſeparetur manducatio ſpiritualis Christi à mãducatione ſpirituali huius ſacramenti, & voto ipſius, vt in angelis videmus, tamen in nobis hominibus viatoribus ipſum incorporari Christi per fidem, & charitatem eſt manducare ſpiritualiter, & Christum, & hoc ſacramentum, & habere votum ipſius, per quod ſpiritualis noſtra vita, quam incepimus, nutritur perficitur, & roboratur. Neceſſe ſi quidem eſt, vt vnumquodq; referatur ad ſuam perfectionem, quã nos aſſequimur per participationem huius ſacramenti. Itaq; quemadmodum manducare Christum, ſicut beati manducant, nõ claudit votum baptiſmi: manducare vero ſicut catechumeni manducant cum per fidem, & charitatem iuſtificantur, claudit votũ baptiſmi: ita & in propoſito dicendũ eſt. Hac autem veritate ſic expoſita, & cõprobata, licebit cuicunq; alias rationes, & congruentias adiũgere, ſi volet. Nec enim credibile eſt: Christum Dominum noſtræ ſalutis amantiſsimum tam altum ſacramẽtum, tam conueniens, tam commẽdatum, tam facile ſumptu, & quod eſſet reliquorum omnium finis; & paſsionis ſuæ memoriale perenne, & vnicum ac ſolum eccleſiæ ſacrificiũ, reliquiſſe non præceptũ. Sed pro ſecũda parte huius articuli merito quæri ſolet, an ſit aliquod tẽpus ſumẽdi hoc ſacramẽtũ iure diuino ſtatutũ ac definitũ vel omnẽ eã diſpoſitionẽ Christus Dñs eccleſiæ reliquerit. In quo dico primũ: Non eſſe veriſimile, quod ius diuinũ obligauerit ad ſumendã Euchariſtiã ſolũ ſemel in vita. Probatur: Quia natura præcepti ex eius fine æſtimanda eſt: cũ ergo finis inſtitutionis huius ſacramenti ſit nutritio vitæ ſpiritualis, & toties in hoc itinere deficiamus, toties laxetur tenor ſpiritus, & maculis aſpergatur anima poſtulat certe remedij neceſsitas, vt nõ ſemel in vita vtamur eo. Facitq; pro hac aſſertione illa frequẽtia, qua ſemper boni & iuſti viri acceſſerũt ad hoc ſacramẽtũ. Dico ſecundo, nõ extat in iure diuino, quotiẽs hoc ſacramẽtũ ſumendum in vita ſit. Probatur: Quia nec ex nouo teſtamẽto, nec ex traditione id habemus. Dico tertio: Valde probabile eſſe, quod articulus mortis ſit articulus, quo iure diuino tenemur ſumere hoc ſacramẽtũ. Probatur: Nã iuxta doctrinã D. Aug. quotiẽſcũq; aliquid ſemper in eccleſia vſurpatũ, & retẽtũ eſt, nec inuenitur quando primũ eſt ſtatutum, merito creditur ab Apoſtolis traditum, & iure diuino præceptum: ſed tale eſt, quod fideles in articulo mortis iſto ſacramento ſe muniant: ergo. &c. (D. Auguſ.) Declaro minorem: Nã in Cõc. Nicen. can. 12. habetur hæc verba: (Conc. Nic.)

De

De his verò, qui recedunt è corpore, anti-quæ legis regula obseruetur, vt necessario vitæ suæ viatico non fraudentur: ergo iam tunc erat antiqua ea consuetudo: nec inuenimus quando primum introducta est.

Secundo: In multis canonicis sanctionibus, in quibus homines ob aliqua delicta arcentur à communione, excipitur articulus mortis: ergo signum est, quod antiqui patres intellexerunt fideles teneri tunc ad illud sumendum.

Tertio: Certum est, quod ille articulus est periculosissimus, & quod in sumptione huius sacramenti est magna vis, ad ea pericula superanda, & ad assequenda æterna bona, & vitandã damnationem: ergo si quod est tempus sumendi hoc sacramẽtum, quæ multa sunt certe illud est non modo æquum, sed enam necessarium cũ sumus in eo momento, à quo æternitas dependet, & in tanto periculo versamur.

Vltimo argumento: Nam quando videmus aliquem sine hoc sacramento discedere, grauiter dolemus: & si quis negligat illud sumere morte imminente, male de illo sentimus: ergo certe ipse ecclesiæ sensus tacite declarat, teneri nos ad sumendum hoc sacramentum eo tempore.

Quarto vero loco fateor me hoc, quod tertio dixi, non ita comprehendere, vt videam esse verum, aut iudicem oppositũ non esse probabile. Et ratio est: Quia quẽ admodum aliqua concilia antiqua cum arcent à communione grauiter peccantes excipiunt mortis articulum: ita sunt alia, quæ præcipiunt etiam tunc negari cõmunionem his, qui deliquerunt, quod præcipi nullo pacto liceret, si de iure diuino tenerentur tunc fideles communicare. Præsertim, cum sæpe posset accidere vt illi morerentur multis annis post ea crimina patrata, ob quæ arcebantur. Et accedit etiam, quod probationes dicti tertij non cogunt quamuis tertia illa ratio modo inducta, vt opinor, euincit omnino, sæpe dum morimur instare articulũ necessitatis sumptionis huius sacramenti. Quoniam, vt dicebamus, si aliquod est tempus, in quo teneamur, proculdubio sæpe tenebimur in illo. Inuehuntur autem hoc loco quidam in nostram Hispanorum consuetudinem barbaram illam appellantes, & impiã, quæ obtinuit, vt morte multatis non detur hoc sacramentum. Ego autem non habeo tantas vires, vt eam possim demoliri. Habere enim eiusmodi vires est, habere rationes, & causas sufficientes condemnandi eã consuetudinem, quas tamen ego non video. Si vero quis scire velit, quid sentiam ego certe omnibus consideratis quæ rem circunstãt, quibusdam darem communionem, alijs, si nõ daretur nõ ferrem iniquè, propter reuerentiam sacramenti.

ARTICVLVS. XIIII.

Vtrum necessarium sit omnibus fidelibus sub vtraque specie communicare.


SERVANT à primis ecclesiæ tẽporibus Greci hanc consuetudinem, vt fideles omnes sub vtraque specie cõmunicent. Qua, vt credo occasione decepti quidam ex ipsis, docuerunt non licere etiam laicos sub vna specie communicare. Atque hunc eundẽ errorem Ioannes Vvicleph, Ioannes Hus, Petrus Dresensis, & Iacobellus quidam Misnensis induxerunt præcipuè in Bohemos. Hac vero tempestate Lutherus, Caluinus Bucerus, Melancthon suos Germanos, aliosque populos eodem errore turbarunt, & infecerunt. Ex quibus Lutherus tantorum malorum parens in hæc verba loquitur: dico Bohemos & Græcos in hac parte nec Hæreticos nec Schismaticos, sed Christianissimos, & euangelicissimos esse. Quos & his verbis oro, & obtestor in Domino, vt in ea sententia firmiter permaneant, cum pro se habeant, expressum textum euangelij, & longæuum apud Græcos in hunc diem seruatum Catholicum vsum ecclesiæ. Nec moueantur tyrãnide illius Romani, & Antichristi vastatorijs & impijs decretis, quibus alterã partẽ sacramenti per vim abstulit ijs, quibus Christus ipse donauit. Hactenus ille. Igitur status quæstionis inter catholicos, & Hæreticos est,

est, an licuerit ecclesiæ decernere vt laici sub vna tantum specie communicent: illudque decretum in vsum, & consuetudinem introducere. Hæretici enim id negant, & magnis clamoribus damnant. Præcipua autem illorum fundamenta sunt.

Ioan. 6. Primum: Quia Ioan. 6. scriptum est: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Habemus ergo, inquiunt textum expressum Ioannis asserentis vitã sublatam esse ab ijs, qui non fiunt participes calicis Domini, nec eius sanguinem bibunt.

1. Cor. 10 Secundo: Paulus Apostolus. 1. Cor. 10. Calix, inquit, benedictionis, cui benedicimus, nõ ne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, non nè participatio corporis Domini est? Ergo certe Apostolus ipse statuit præcepit, & introduxit in ecclesiam, vt fideles omnes, tum panis, tum etiam calicis participes fierent.

Tertio: In euangelijs habetur, quod Dominus discipulis porrigens corpus, & *Matth. 26.* sanguinem suum dixit: Hoc facite in meam commemorationem: ergo omnes tenemur corpus, & sanguinem sumere.

Luc. 22. Quarto: Sancti illi patres, & antiqui, qui cælesti luce illustrati optime intellexerũt nostræ religionis mysteria sub vtraque specie communicabant fideles omnes: ergo illud idem nobis faciendum est. Atque hæc sunt potissima hæreticorum fundamenta.

Sit prima conclusio: Tempore ecclesiæ primitiuæ, & antiquorum patrum frequẽs vsus fuit communicandi sub vtraque spe*Dionys.* cie. Probatur. Nam B. Dionysius de cœlesti Hierarchia cap. 13. de sacerdote loques expresse dicit, quod velatum panem, & *Soth. Papa.* calicem omnibus dispertit. Et Sother Papa tertius decimus à Petro præcipit, vt pœnitentes in cœna Dñi ad percipienda corporis, & sanguinis Domini sacramenta reconcilientur. Et habetur de consecratione distinct. 2. cap. in cœna. Idem constat, fuis*D. Cyp.* se in vsu temporibus. B. Cyprian. ex mira*D. Aug.* bili eius sermone de lapsis. Et D Augustinus, quando ait, Dum frangitur hostia, dũ sanguis de calice in ora fidelium funditur, &c. quæ habẽtur de cõsecratione distinct. 2. satis declarat, se eum vsum in sua ecclesia tenere. Imo & tempora ipsa Gregorij Papę eum morem retinuisse videntur cu *D. Gregor.* ipse dicat homilia quadam paschali: Quid sit sanguis agni non iam audiendo, sed bibendo didicistis. Atq; eandem consuetudinem in nostra Hispania fuisse aperte colligitur ex Concilio Toletan. 11. can. 11. Sed *Conc. Tol.* quid opus est confirmare multis ea, in quæ omnes conuenere, & quæ negat nemo?

Secunda conclusio: Etiã fuit vsus apud antiquos communicandi laicos sub vna tãtum specie. Probatur: Leo Papa huius nominis primus in quodam decreto & in ser *Leo Papa.* mone quarto de Quadragesima præcipit, vt cõmunio non fiat sub vna tantum specie, propter hæresim Manichęorum, & aliorum, qui prædicabant Christũ assumpsisse corpus phantasticum sine sanguine: & ob eam causam contendebant sumendum esse corpus sine sanguine. Item concilia antiqua nonnunquam disponunt sacerdotes grauiter delinquentes recipi ad cõmunionem laicam non sacerdotalem: cõmunio vero laica eo distingui videtur aliquibus quod esset sub vna specie: & idem docet B. Cypria. in epistola ad Antoninũ, *D. Cyp.* loquens de sacerdotibus, qui à fide defecerant. Item in historiã Triparita lib. 6. refertur quod cum puer quidam nomine Se*Eusebius.* rapionis senis qui iam morti appropin*li. 6. c. 36.* quabat, peteret à presbytero Eucharistiam presbyter illam puero tradidit, vt ad infirmum portaret: quoniam ipse propter noctis intemperiem. & suam imbecillitatem ad infirmum venire non potuit. Nec vero ibi fit sanguinis mentio. Et B. Ambrosius in oratione funebri fatris sui Satyri, refert *D. Ambros.* de illo, quod intraturus in mare, & prouidens morti, quæ tunc sæpe contingere solet, non morte metuens, sed ne vacuus mysterijs exiret e vita ab ijs quos initiatos, sacris esse cognouerat, diuinum illud fidelium sacramentum sibi dari poposcerit: non vt curiosos oculos insereret a canis: sed vt fidei suæ tali sacramento consequeretur auxilium, quodque datum sibi sacra

men

mentum ligari fecerit in orario: & orariū in collo inuoluerit: atque ita se mari commiserit. In quibus omnibus non fit mentio de sanguine: separabantur ergò tūnc illæ species procul dubio. Quod etiā refert
B.Hier. B. Hier. in epistola ad Rusticū Monachū. Refert enim Exuperiū Tolosanum Episcopum portasse corpus Domini canistro vimineo inclusum.

Tertia conclusio: Ecclesia iustis de caussis hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbauit. Si quis verò dixerit sanctam ecclesiam catholicam, nō iustis caussis, & rationibus adductam fuisse, vt laicos, atque etiam clericos non conficientes sub panis tantum modo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit. Hæc est doctrina ecclesiæ catholicæ, in Concilio Tridentino congregatæ sessione. 21. canon. 2. Et concilium Constantiense, sesion. 13. sic habet: Cum in nōnullis mundi partibus quidam temerarie asserere præsumant populum Christianū debere sacramentum Eucharistiæ sub vtraque panis specie, & vini suscipere: & non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum laicum passim communicent: hoc concilium declarat, decernit, & diffinit, quod licet in primitiua ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur à fidelibus sub vtraque specie: tamen hæc cōsuetudo ad euitandum aliqua pericula & scādala, est rationabiliter introducta, quod à conficientibus sub vtraque specie, & à laicis tantum modo sub specie panis suscipiatur; cum firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitādum, integrum Christi corpus & sanguinem, tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Idem habetur in Concilio Tridentino sessione. 21. cap. 2. Huius autem mutationis plurimas rationes, & caussas reddere ac assignare nituntur, qui his temporibus contra hæreticos disputarunt. Ex illis tamen omnibus illa est mihi longe grauissima, quam tetigit Synodus Constantiensis. Ad euitanda, inquit, pericula & scandala, quæ multa certe oriri iam cœperant, cum hæc consuetudo est introducta, & plura in dies orirentur, quæ prudens quisque apud semetipsum potest reputare. Ex eo enim quod promiscue omnes sumerent sanguinem, verteretur sæpe & accideret singultus, & vomitus & ex frequenti effusione in terram singultu & vomitu, non digne tantum illud mysterium modo à pueris modo à mulierculis & ancillis, modo ab infirmis, modò à rusticis tractaretur, cum non digne tractaretur, contemneretur, cum cōtemneretur perpauci crederent, si eius altitudinem, & maiestatem non crederemus essemus hæretici. Adiungendum vero est huic caussæ id, quod Synodus Tridentina declarat, quod attinet ad fructum; nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari qui vnam speciem solam accipiunt.

Est quidem hæc doctrina catholica. Sed quoniam hæretici hac maxime disputatione, & controuersia sibi triumphare videntur, necesse est, vt quam potuerimus accurate illis respondeamus, ne si forte, aliquando dederit eis Deus, vt velint resipiscere, auertantur ignorantia nostra. Et quanuis satisfaceremus ipsis dicentes, quod ecclesia Dei non eripit vitam his, quibus Christus ipse donauit, nec priuat calice Domini. Nam qui edit carnem Domini etiam sanguinem bibit. Quod si qui baptismum suscepit, non alienatur ab illius panis, calicisque consortio; quia in vnitate corporis Christi constitutus accedit iuxta sapiētem Augustinum; quanto minus alienabitur qui & baptismum suscepit, & manducat Dominum. Sed hæc extendamus.

Et ponendum est in primis, quod hoc sacramentum & sacramentum est, & sacrificium, atque hoc secundum, quanuis impijssime negauerit Lutherus, est tamen verissimum, vt in superioribus est comprobatū. Et quidē ratio, & perfectio huius sacrificij requirit oblationē corporis & sanguinis Domini. Et præterea si consideretur vt sacramentum, perfecta eius significatio consistit in vtraque specie. Panis enim signum est corporis: vini autem species signum est sanguinis fusi pro nobis: conficiuntque ista duo perfectam quandā significationem.

Secundo ponendum est, quod quanuis Redemptor noster sacramentum hoc in dua-

Conc. Trid.
conc. Const.
Cõc. Trid.

duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit, tamen sub altera tantum specie totus, atque integer Christus côtinetur, & sumitur, ac propterea, quod attinet ad fructum nulla gratia defraudantur ij, qui vnam speciem solam accipiunt. Nec vero dico solum non defraudari eos aliqua gratia necessaria ad salutem, vt ecclesia Dei in Synod. Tridêtina definiuit: sed etiam addo non defraudari eos aliqua gratia, quæ per sumptionem sacramenti confertur, vt ie nes longe probabilior, & verior theologorum sententia.

Cõc. Trid.

Tertio ponendum est, quod in sacra scriptura sicut in prudenti qualibet legum latione nonnunquã ponuntur præcepta rerum earum, quas necesse sit à tota vniuersitate seruari, & retineri pro ipsius bono; quanuis eiusmodi præcepta singulos quosque non obligent, quale est illud; crescite, & multiplicamini, & replete terram Gen. 9.

Gen. 9.

Quarto ponendum est, quod Dominus reliquit nobis in hoc sacramento verum corpus, & sanguinem suum sub specie panis, & vini. Ac propterea in scriptura fundanda erat fides non modo veritatis corporis, sed etiam veritatis sanguinis, iungenda que erant illa duo, vt sæpe in scriptura iũguntur, ne sanguinis fides, & varius quidẽ pro varietate temporũ sed necessarius eius vsus negligeretur, quod sine pietatis iactura fieri non posset.

Quinto ponendum est, quod quanuis Christus Dominus venerabile hoc sacramentum in panis, & vini speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit: tamen qui dixit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque; Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternũ. Et qui dixit; Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam, dixit etiam: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et denique qui dixit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, dixit nihilominus; Qui manducat hunc panem viuet in æternum.

Ioan. 6.

His præmissis, quando hæretici opponunt præceptum esse Ioan. 6. vt omnes sub vtraque specie communicent, quia scriptum est; Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis, prorsus nego id esse præceptum: quia credo cum fideli & sapiente Augustino epistola. 118. quod si dominus aliquid circa hoc præcepisset, nunquam ecclesia eum morẽ variasset. Sed dicis, Quomodo ergo scriptũ est. Nisi manducaueritis, &c? aut quid sibi volunt ista verba? Respondeo, quod quia Dominus, & corpus & sanguinẽ suum ecclesiæ suæ dereliquit. Et quia qui sumit corpus, sumit etiam sanguinem licet non sumat sub specie sanguinis, & quia quicunq; est in fide, quæ per charitatem operatur, particeps est corporis & sanguinis Christi quia vnitati corporis eius copulatur. Et quia par, & æqualis gratia côtinetur in eis & quia vtrunque requiritur ad perfectam rationem sacramenti, & sacrificij, & quia necesse est, vt vtrunque sumatur in ecclesia, ideo dictum est: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem nõ habebitis vitam in vobis. Nec oppositum dici potuit: quia periret vsus, & fides sanguinis, & tolleretur perfecta ratio sacramenti, & sacrificij. Non tamen eo ea verba tendunt, vt omnes Christi fideles præcepto Domini ad vtranque speciẽ accipiendam astringantur. Ex his vero facile respondetur ad tertiũ hæreticorum argumentum. Dominus enim consecrans panem, & vinũ in corpus, & sanguinem suum, & porrigens discipulis, & dicens: Hoc facite in meam commemorationẽ certe iniunxit eo præcepto ecclesiæ suæ, vt conficeret hæc sacramenta, & offerret purissimum hoc sacrificium, & sumeret corpus & sanguinem suum. Sed quemadmodum primum illud solis sacerdotibus conuenit: ita non est inconueniens, si sanguinis sumptio ad eos solos deuoluatur: dum tamen in ecclesia Dei nõ modo corpus sed etiam sanguis sumatur. Cæterum cum Lutherus asseruerit, omnes fideles esse sacerdotes, nil mirum, si ex eo errore deuenerit in alium, & existimauerit non li-

D. August.

Ioan. 6.

cere

cere alicui fideli communicare sub vna specie. Ad illud verò secundum ex Apostolo. 1. Corinth. 10. respondetur, ex eo loco non colligi, quod omnes Corinthij cōmunicarent sub vtraque specie. Quia tamen ego quidem existimo id tunc ab eis esse factitatum, concedo id esse ab Apostolo apud Corinthios vel introductum, vel concessum. Sed varia ratio temporū efficit, vt aliqui mores, & ritus ecclesiæ nascenti congruentes, meritò sint variati: non aliter atque Apostoli in actis habita ratione temporum præceperunt, vt ab stinerent fideles à sanguine, & suffocato: quod tamen præceptum iam inoleuit. Ad vltimum, de vsu antiquo aliquarum ecclesiarum iam diximus, & ostendimus, esse quidem eum vsum communicandi sub vtraque specie ab illis ecclesijs seruatum. Sed qui non existimauerit eodem spiritu gubernari modo ecclesiam Dei, quo tūc gubernabatur, peribit de populo Dei, & cum in eius potestate perpetuò fuerit, vt in sacramentorum dispensatione salua eorum substantia ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, & ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicauerit. Qua potestate vsum fuisse Apostolum in hoc ipso sacramento satis constat, cum ordinatis nonnullis circa eius vsum, Cætera, inquit, cum venero disponam. Cum, inquam, ecclesia Dei hanc habuerit potestatem, nemo damnare poterit præsentem eius consuetudinem, nisi qui iudicium suum totius ecclesiæ iudicio anteponat.

Margin: 1. Cor. 10. — 1. Cor. 11.

QVAESTIO NONA, DE MODO QVO CHRISTVS VSVS EST HOC SACRAMENTO QVANDO ILLVD INSTITVIT.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Christus sumpserit suum corpus & sanguinem.



Criptū est, Cœpit Iesus facere, & docere & sapiēter B. Cyprianus de baptismo Domini declarans illa verba Matth. 3. Decet nos implere omnem iustitiam; In hoc, inquit, omnem impleri iustitiam asseuerat, si doctrinam præcedat, exemplum. Igitur, cum scriptum sit in euangelijs, & apud Apostolum Paulum, quod cum Dominus discubuisset in ea nocte, qua tradebatur, accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit discipulis suis dicēs; Accipite, & comedite, hoc est corpus meū, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meā cōmemorationē. Et accipiēs calicē, gratias egit, & dedit illis dicēs: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus noui testamēti: non dubium quin ipse etiā comederet simul cū discipulis, & biberit, atq; ad id faciē dū suo exēplo omnes adhortatus fuerit. Et ità docuerūt patres antiqui D. Cypr. de sacramēto Dñici calicis. A Dño, inquit, præcipitur, & ab Apostolo eius, hoc idē cōfirmatur, vt quotiēscūq; biberimus in cōmemoratione Dñi, hoc faciamus, quod fecit, & Dñs. Et D. Chrys. interpretās illud: Hic est sanguis meus; Ipse quoq;, inquit, bibit ex eo, ne auditis illis verbis, Bibitē ex eo oēs, dicerēt; Quid igitur sanguinē bibimus & carnē comedimus? Et D. Hier. idē docet in epis. ad Leuiā. docuit & Esichius in c. 8. Leuit. & Greg. Emiss. vt refert S. Tho. in

Margin: Act. 1. — B. Cypria. — Matth. 3. — Matth. 26. — 1. Cor. 11. — B. Cyprià. — 1. Cor. 11. — D. Chrys. — D. Hiero. — Esichius. — Greg. Emis.

in capite. 22. Lucæ in catena. Docuerunt, & alij. Et quanuis norim Lutherum in libro de abrog. missa priuata, hoc negauisse, non tamen oportet semper sollicitum esse, dum hæreticus dicit contraria. Nam aliud est, in his aliquem errare, & alios decipere, quæ probet apparenter: aliud verò, nihil habere propositum, nisi oppugnare veritatem, quod fecisse videtur hoc loco Lutherus docens, quod nec Dominus sumpsit corpus suum; nec sacerdotes illud sumere debent; sed ministrare.

Sed obijcitur primo in contrarium: Quod id non habetur in euangelijs: ergo non est asserendum. Respondetur multa esse, quæ per traditionem, & doctrinam sanctorum patrum tenemus; quã uis in sacris literis expressa non sint. Quod verò ad propositum attinet, satis id in Euãgelijs declaratur. Nam dicitur, quod Matth. 26. cœnabat Dominus, tunc cum discipulis. Atque ità quando eis dedit corpus, & sanguinem vtrique comedit ipse, & bibit cum eis. Secundo argumentor: Quia Christus nec sacramentaliter solum accepit corpus suum; quia ea acceptio est imperfecta, nec spiritualiter: quia non poterat in eo augeri gratia: ergo ille non sumpsit corpus suum vllo modo. Respondetur, quod sumpsit, & sacramentaliter, & spiritualiter. Sed quemadmodum, si quis accedat ad baptismum iam iustificatus per fidem pœnitentiam, & charitatem, non quidem recipit primam gratiam, hoc tamen non prouenit ex defectu baptismi: sed ex parte subiecti: ita quod Domino gratia aucta non fuerit, non prouenit ex eo, quod ipse non manducaret sacramentaliter, & spiritualiter; sed ex eo, quod erat ipsa gratiæ plenitudo, in omnes quidem effluens, sed nihil recipiens. Itaque illa causalis posita in antecedenti, nec spiritualiter, quia non poterat in eo augeri gratia, nihil valet. Sed propter aliquorum hominum ingenium, addamus illud quod quidam obijciunt. Quando, inquiunt, comedit antequam diceret, Accipite, & comedite hoc est corpus meum, vel post; quoniam antea non consecrauerat. Respondetur breuiter, quod ea dicens, & postquam ea dixit comedebat & bibebat cum eis. Illud autem quorundam, quod posuit in disco tredecim buccellas, & tenens discum manibus dixit; Accipite & comedite, &c. frigidum est, & puerile.

ARTICVLVS. II.

Verùm Dominus dederit Iudæ corpus suum.



DISSENTIVNT DE hoc Diuus Hilarius in Matthæ. quem sequitur Innocentius, & Diuus Augustinus tractatu. 62. in Ioannem quem sequuntur communiter scholastici, Hilarius negat Dominum dedisse Iudæ corpus suum. At Augustinus affirmat. Principium verò, ex quo hæc sententiarum differentia promanauit est, quod Diuus Hilarius putat eam buccellam, quam vbi comedit Iudas, exiuit, vt habetur Ioann. 13. datam ipsi à Domino ante institutionem sacramenti: ac propterea Iudam non affuisse tunc, quando Dominus dedit discipulis corpus, & sanguinem suum. Augustinus verò existimat prius Dominum dedisse discipulis sacramenta corporis, & sanguinis sui, præsente ipso Iuda, & deinde ventum esse ad id, quod narrat Ioannes, Dominum per buccellam intinctam, quam dedit Iudæ designauisse suum proditorem, & illum exijsse foras.

D. Hilar. li. 4. myst. miss. cap. 13. D. August.

Ioan. 13.

Ioan. 13.

His præmissis dico, quod quantum ego sentio, negari non potest sententia Diui Augustini. Probatur, quia eam apertissime docet Lucas capite. 22. scribens in hæc verba: Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dices. Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemoratione. Similiter, & calice postquã cœnauit dicens: Hic calix nouũ testamẽtũ, in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa. Omni-

Luc. 22.

Omnibus autem discipulis qui mensæ ad erant, dedit corpus suum, & sanguinem *Matth. 26.* cum scriptum sit Matthæi. 26. Bibite ex *Marc. 14.* hoc omnes, & Mar. 14. Biberunt ex eo om *D. Chrysost.* nes. Secundo probatur: Nam eam sententiam tenet D. Chrysostom. homilia. 83. in Matth. D. Hieronym. in caput. 14. Mar *D. Hiero.* ci, ibi, Biberunt ex eo omnes. Et Leo in *D. Leo.* quodam sermone de passione Domini. Et *D. Remig.* Hamo. 1. Corinthio. 11. & Remigius in ca *D. Bern.* pit. 26. Matth. & D. Bernard. In eadem, inquit, mensa sunt Petrus, & Iudas. Et Hu *Hugo.* go libro secundo de Sacramentis, parte. 8. *Magist.* capit. 4. & denique Magister in quarto, distinctione. 11. Insolens: ergo erit, & temerarium à tantorum patrum sententia recedere, etiã non tam expresse ea in sacris euangelijs haberetur. Tertio probatur: Quia vt prudenter ait Diuus Thomas, tertia parte, quæstione. 81. articulo secundo, cum Christus nobis fuerit exemplum iustitiæ, non conueniebat eius Magisterio, vt Iudam occultum peccatorem sine accusatore, & euidenti probatione ab aliorũ communione separaret, ne per hoc daretur exemplum prælatis ecclesiæ similia faciendi, & ipse Iudas exasperatus inde sumeret occasionem peccãdi. Quarto: Quia decebat Dominum, vt traditori bonum pro malo redderet, & tanti mysterij participem effectum, & beneficio, ac honore cumulatum, quantum ex parte sua erat, ad se traheret, & emolliret. Atque hæc de probatione. Sed obijciamus primo lo *D. Hilar.* co rationem Hilarij. Illa est, quod Do *Matth. 26* minus Matth. 26. cum corpus & sanguinem dedisset discipulis adiecit: Non bibam à modo de hoc gemine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei. Ex quo videtur, quod illi, quibus corpus suum, & sanguinem dederat, cum eo essent iterum bibituri: sed hoc de Iuda dici non potest: ergo ille non sumpsit corpus Domini. Respondetur breuiter, quod Dominus loquebatur collegio Apostolorũ, cum quo modo est in regno Dei: quod veró Iudas damnaretur nihil eis verbis contrariatur. Secundo argumentor. Quia videtur indignum Deo, id dedisse homini, quo ipse condemnaretur: ergo non dedit proditori corpus suum. Respondetur, quod id non est indignum Deo, sed malum accipienti eius culpa, & nobis valde vtile, vt doceamur, quam sit cauendum male accipère bonum. Multum quippe interest, non quid accipiat; sed quis accipiat: nec quale sit quod datur; sed qualis sit ipse, cui datur. Nam & bona obsunt, & mala prosunt, sicut fuerint quibus dantur. Per malum enim fit bonum, dum bene accipitur malum, & per bonum fit malum, dum male accipitur bonum. Non ergo mirandum est, si datus est Iudæ panis Christi, per quem manciparetur diabolo, cum videas è contrario datum Paulo Angelum diaboli, per *2. Cor. 12.* quem perficeretur in Christo: ita & malo bonum obfuit, & bono malum pro fuit. Hæc Diuinus Augustinus. Sed in *D. August.* stas: Non ne ipse Dominus Matthæi. 7. *Matth. 7* dixit: Nolite sanctum dare canibus? *Deut. 16.* Cur ergo ipse corpus suum dedit proditori? Respondetur scriptum esse, quod iustum est iuste exequeris. Publica verò hominum iustitia postulabat, vt quandiu Iudas erat occultus peccator à cæterorum Apostolorum communione nõ expelleretur; quamuis alioqui Dominus sciret eum esse filium Sathanæ. Aduertit autem Diuus Augustinus tractatu illo *D. August.* 62. in Ioannem, quod Iudas non acce *Ioan. 13.* pit corpus Christi, quando accepit buccellam panis, intinctam; nec propterea dictum fuisse, tunc Sathanam in illum intrasse. Sed intrauit, inquit, Sathanas, vt sibi iam traditum plenius possideret: in quem prius intrauerat, vt deciperet. Nec enim non in illo erat, quando perrexit ad Iudæos, & de pretio vendendi Dominum pactus est, cum hoc apertissimè Lu *Luc. 22.* cas Euangelista testetur dicens: Intrauit autem Sathanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim; & abijt, & locutus est cum principibus sacerdotum. Ecce vbi ostenditur, quod iam intrauerat Sathanas in Iudam, & qualis ille venerit ad cœnandum.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm Chriſtus ſumpſerit, & diſcipulis dederit corpus ſuum impaſsibile.



QVIDAM conſiderantes, quod Chriſtus eſt in ſacramẽto modò impaſsibili tenuerunt, quod ipſe in cœna, quãdo diſcipulis dedit corpus ſuum manducandum, ſuſcepit impaſsibilitatem. Ex quibus eſt Hugo, vt refert Innocent. libro. 4. de myſterio miſſæ, capit. 12. Pro huius autem rei explicatione præmittendum eſt, quod aliud eſt loqui de eo, quod in ſacramento datur; aliud verò loqui de eo ratione, & conſideratione modi, quo eſt in ſacramento. Itaque aliud eſt loqui de re; aliud de modo. Hugo. Innocent.

Hoc conſtituto prima concluſio: Chriſtus in cœna dedit diſcipulis corpus ſuum paſsibile. Probatur: Nam vnum, & idem corpus Chriſti erat, quod à diſcipulis tunc in propria ſpecie videbatur, & quod ſub ſpecie ſacramenti ſumebatur; non autem erat impaſsibile, ſecundum quod in propria ſpecie videbatur: ergo nec ipſum corpus Chriſti, quod dabatur ſub ſpecie ſacramenti erat impaſsibile.

Secundo argumentor: Quia non erat neceſſarium Chriſto aſſumere tunc dotem impaſsibilitatis, vt ſe diſcipulis præberet manducandum: nec quiſquam antiquorum patrum hoc dixit, aut etiam videtur eſſe ſuſpicatus: ergo id non eſt dicendum. Declaro antecedens: Nam, vt ſe præberet eis in ſacramento, ſufficiebat, quod erat ſub ſpeciebus modo impaſsibili. Et denique hæc ſententia tenẽda eſt: quia in eam cum Innocentio loco citato, & Magiſtro, diſtinctione. 11. omnes fere ſcholaſtici conuenerunt. Secunda concluſio: Corpus Chriſti tunc licèt in ſe eſſet paſsibile; erat tamen modo impaſsibili ſub ſpecie ſacramenti. Probatur: Nam corpus ſecundum eum modum, quo eſt indiuiſibile, eſt impaſsibile, & pati non poteſt ab alio corpore: & corpus Chriſti eſt indiuiſibile, vt eſt ſub ſacramento: ergo eſt impaſsibile. Declaro maiorem: Quia quod per ſe eſt indiuiſibile: illud vt ſic nec eſt in loco, nec habet partem extra partem, nec corporeum aliquid recipere poteſt per ſe, & naturaliter loquẽdo, cum omne corporeum ſit diuiſibile. Innocent. Magiſt.

Secundo argumentor: Quia ſicut viſio requirit contactum corporis, quod videtur ad circunſtans medium viſionis: ità paſsio requirit contactum corporis, quod patitur ad ea, quæ agunt: corpus autem Chriſti, ſecundum quod eſt ſub ſacramento, non cõparatur ad locum, & ad ea, quæ circunſtãt mediantibus proprijs dimenſionibus; quibus ſolis corpora ſe tangunt: ſed mediantibus dimenſionibus ſpecierum panis, & vini, & ideò illæ ſunt quæ patiuntur, & vidẽtur non ipſum corpus Chriſti.

Sed aduerſus hæc argumentor primo: Quia verba conſecrationis non ſunt maioris virtutis modo prolata à ſacerdote, quã erant tunc, cum ab ipſo Chriſto proferebantur: ſed modò virtute eorum eſt ſub ſacramento corpus Chriſti impaſsibile: ergo & tunc erat: ergo Dominus dedit diſcipulis ſuum corpus impaſsibile. Reſpondetur, quod ex vi verborum nunquam eſt, aut fuit in hoc ſacramẽto, niſi corpus Chriſti: accidentia verò ſunt in eo per realem concomitantiam. Vnde, quia modo re ipſa corpus Domini eſt impaſsibile, etiam ſub ſacramento eſt impaſsibile: & quia tũc re ipſa erat paſsibile, ideò id etiã, quod erat ſub ſacramento erat paſsibile, cum eſſet vnum & idem corpus. Secundo: Obijci ſolet gloſſa ſuper illud Leuit. 2. Si oblatio tua fuerit de ſartagine. dicens, quod crux ſuper omnia fortis carnem Chriſti, quæ ante paſsionem, non videbatur eſui apta poſt aptam fecit: ſed Chriſtus dedit corpus ſuum vt aptum ad manducandum: ergo dedit tale, quale habuit poſt paſsionẽ, ſcilicet, immortale, & impaſsibile. Reſpondetur, quod ſi quid concluditur ex verbis illis, potius concluderetur, quod ante paſsionem Chriſtus non dedit carnem ſuam ad manducandum; quod eſt contra ſcripturam. Nec enim erat apta eſui. Dico ergo (quoniam ea verba mihi videntur vera, & grauia) quod crux Chriſti fecit eius carnem Leuit. 2.

carnem aptam manducationi. Propterea quod, quanuis institutio huius sacramenti præcesserit mortem Christi, tamen fundatur in passione Christi volentis relinquere nobis summi amoris pignora, & passionis suæ memoriale perenne, eamque passionem respicit, & repræsentat hoc sacramentum. Et ideo dicitur, quod crux Christi fecit eius carnem aptam manducationi. Et quia fideles post passionem hoc sacramentum frequentare cœperunt, nec iam illud audiebatur. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Aut illud: durus est hic sermo, & quis potest eum audire? ideirco dictum est, quod crux Christi fecit, &c. Sed durior est, & ægrè patitur interpretationem quædam alia glossa, quæ in illud Matth. 17. Et transfiguratus est ante eos, dicit de Christo, quod illud corpus, quod habuit per naturam dedit discipulis in cœna non mortale nec corruptibile. Sentit certè cum Hugone, vt videtur vel potius loquitur de modo, quo est in sacramento.

Ioann. 6.

Matth. 17.

Hugo.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrum si hoc sacramētum tempore passionis Christi esset seruatum, ibi Christus moreretur.

EFFECIT, vel Imbecillitas ingenij mei, vel aliorum in hac retractanda negligentia, vt putarem, esse aliquid in hoc articulo maiori cōsideratione dignum, quam nonnulli existiment. Recolendum igitur est in primis, quod aliud est loqui de re ipsa subiecta, & velata hoc sacramento; aliud verò loqui de modo, quo est in sacramento. Secundo aduertendum est, quod cum dicimus aliquid conuenire, vel non conuenire Christo, prout est in hoc sacramēto, illud prout est, potest dicere, vel præcisam & meram rationem subiecti recipientis, sicut aqua recipit in se calorem, vel rationem formalem, ob quam aliquid illi conuenit: sicut dicimus, quod corporibus conuenit, se contingere ratione quantitatis ac dimensionū. Tertio aduertendum est, quod dupliciter aliquid cōuenit rei, vno modo ratione sui, sicut Ignis ratione sui habet calorem: alio modo ratione alterius, sicut anima ratione corporis affligitur fame; & manus ratione liberæ voluntatis operatur liberè. Vltimo aduertendum est, quod dupliciter aliquid tribuitur, & conuenit Christo. Vno modo, prout est in se; sicut in eo est modo viuere & intelligere, & in ipso aliquando fuit dolere ac mori. Secundo modo per cōparationem ad extrinseca: velut conspui, crucifigi, flagellari, & cætera eiusmodi, quæ illi inferebantur ab extrinseco.

His constitutis sit prima propositio. Loquendo de re subiecta, & velata hoc sacramento, illi conueniunt, & quæ secundum se conueniunt, & quæ ab extrinseco inferuntur. Itaque id, quod sub sacramento latet, non modo fuit pro redemptione mundi mortuum, sed etiam cruci affixum, & flagellatum. Hæc liquet; quia est vnum, & idem corpus.

Secūda propositio. Mori, dolere, & alia eiusmodi, quæ sunt effecta eorū, quæ abextrinseco inferūtur nō cōueniūt Christo prout est in sacramento, si illud, prout dicat rationem formalem, secundum quam mori cōueniat, aut dolere. Probatur: Quia Christo, prout est in hoc sacramento, nullæ causæ possunt inferre mortem, aut dolorem: ergo nō possunt in eo esse hæc effecta mors, scilicet, aut dolor, vt illata ipsi, & cō ueniētia, secūdū quod est in sacramēto. De claro antecedēs: Quia Christus, vt est in sacramēto, nō cōparatur ad locū medijs proprijs dimēsionibus: sed medijs dimensionibus panis & vini: ergo quicquid panis, & vini dimēsiones violēter patiūtur ipse nō patitur, propter ea quæ articulo præcedēti dicebamus, cōclusione secūda. Tertia propositio: Christo cōuenit, mori, tristari, & dolere, ac cætera eiusmodi, prout est in sacramēto, si illud, prout, dicat, & signet rationē subiecti, ista recipiētis. Volo dicere, quod si illud, prout, nō accipiatur causaliter, & vt logici dicūt, reduplicatiue, sed tātū specificet, & designet subiectum recipiens, sic Christus, prout est in sacrāmēto dolere poterat, tristari & mori. Et si sacramētū in triduo mortis esset seruatū, ibi esset anima à corpore separata, & per triduū itā maneret.

Hæc conclusio colligitur ex illo principio fidei, quod verum ipsum ac reale corpus Christi est sub hoc sacramento. Si ergo moritur ibi etiam moritur: si viuit ibi viuit; si dolet ibi dolet: quia illud ipsum, quod ibi est, dolet, & est doloris capax.

Quarta propositio: Effecta eorum, quæ ab extrinseco inferuntur vt mors & dolor, quanuis sint in Christo, prout est in sacramento, non tamen ei, vt sic conueniunt, & insunt per se, sed quasi per aliud. Volo dicere, quod quia Christo, vt est in propria specie, potuit afferri mors & dolor: iccirco etiam prout est in sacramento doleret, & moreretur. Quia verò illi, prout est in sacramento immediatè, & per se, nec dolor inferri potuit, nec mors: iccirco ei prout est in sacramento immediatè & per se non conuenit mori, aut dolere: sed per aliud, scilicet, per seipsum, in quantum habet alium modum essendi, & existit in propria specie.

Quinta propositio: Corporalia, quæ conueniunt Christo per comparationem ad extrinseca, vt cædi, flagellari, conspui, crucifigi, non conueniunt ei, prout est in sacramento, quanuis illud ipsum verum corpus flagellatum sit & crucifixum. Probatur: Quia ista non possunt conuenire, nisi subiecto, quanto & diuisibili: at Christus est in sacramento modò indiuisibili: ergo vt sic non est istorum capax: ergo non conueniunt ei. Nec verò sine causa dixi corporalia: nam quæ per motum animæ inferuntur, vt inhonoratio, & irrisio, possunt conuenire Christo, prout est in sacramento etiam primo & per se. Imo verò, quæ hominum cæca miseria est, & Dei inuicta patientia, sæpe ibi inhonoratur, & irridetur. Nec vero quicquam illi maiorem iniuriam irrogant, quam sacerdotes, quando, proh dolor, indigne, & irreuerenter accedunt. Tota verò ratio dubitandi in hoc articulo est: Quia mors illata est Christo per eius passionem: sed in sacramento non potest pati: ergo nec mori. Respondetur negando consequentiam. Solum enim sequitur, quod non potest mori per passionem illatam ei, prout est in sacramento: quia tamen in propria figura, & specie occisus est & mortuus, & qui est in propria specie, est vnus, & idem cum eo, qui est in sacramento: iccirco etiam in sacramento moritur. Et hoc est, quod supra dicebamus, quod etiam mors conuenit Christo, prout est in sacramento, quasi per aliud. Atque ne immoremur conficientes argumenta, eodem modo philosophandum est de sanguine. Nunc enim quando re ipsa sanguis Christi, & corpus eius composita, & coniuncta sunt, & sanguis Christi est sub specie panis, & corpus sub specie vini ex reali concomitantia. Sed si tempore passionis Christi, quando realiter sanguis fuit separatus à corpore, fuisset hoc sacramentum consecratum, fuisset sub specie panis solum corpus, & sub specie vini solus sanguis.

QVAESTIO DECIMA, DE MINISTRO HVIVS SACRAMENTI.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm consecratio huius sacramenti sit propria sacerdotis.



SI cum catholicis solum res ageretur, facile absoluerem⁹ hãc disputationẽ, dicẽtes ꝙ vt constat lumine naturæ, eius est actus cuius est potẽtia illũ exercẽdi. Potestas vero cõficiẽdi hoc sacramẽtũ datur

datur ab Episcopis ei, quem consecrant in sacerdotem, vt liquet ex illis verbis: Accipe potestatem sacrificium offerendi, missamque celebrandi, tam pro viuis, quã pro defunctis in nomine Domini: ergo in solo sacerdote est hæc potestas: ergo ei soli cõuenit actus. Et præterea hoc declaratur: Quia hoc sacramẽtũ est tãtæ dignitatis, vt non conficiatur, nisi in persona Christi. Quicunque autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc faciat, per potestatem ab illo concessam. Sicut autem baptizato conceditur à Christo potestas sumendi hoc Eucharistiæ sacramentum: ita sacerdoti cùm ordinatur confertur potestas hoc sacramentum cõsecrandi in persona Christi: ergo soli sacerdoti conuenit hoc sacramentum consecrare. Si verò istorum, quæ docemus auctoritas quæritur, in qua fundentur, ea est nõ vnius aut alterius patris antiqui: sed ecclesię vniuersę: à sęculo enim nõ est auditum, quod non sacerdotes consecrarent. Sed nec hæc tam clara veritas, & peruetusto vniuersalis ecclesiæ vsu recepta effugere potuit hæreticorum calumniam. Eã enim oppugnãt primum Vvicleph, dein de Lutherus. Quasi ex obliquo tamen. Fatentur enim & ipsi, quod soli sacerdotes possunt sacra peragere, & conficere corpus Christi; sed affirmãt omnes vtriusque sexus fideles esse sacerdotes. Verba Lutheri libro de captiuitate Babylonica sunt. Agnoscant quicunque se Christianũ esse cognouerint, omnes nos æqualiter esse sacerdotes. Videte quam ille his verbis concitaret populi, & mulierecularum leuitatem. Addit autem Lutherus, licere nemini vti ea potestate, nisi per consensum communitatis; quia quod est omnium cõmuniter, nullus singulariter potest vsurpare, nisi vocetur. Itaque iuxta sententiam Lutheri non tribuit communitas sacerdoti, potestatem conficiendi: quia efficeretur, non omnes esse sacerdotes: si quidem non omnibus tribuit eam potestatem. Sed sentit Lutherus, quod populi consensus est conditio, sine qua nemo legitime vtatur ea potestate: cum tamen omnes Christiani, eam acceperint per baptismum, & fidem. Existimo vero astutum illum, & callidum hæreticum, se in hunc modum declarauisse, vt euaderet quocunque modo posset apertissimum argumentum, quod fieri posse videbat, ex scriptis omnium, qui hactenus in ecclesia scripserunt. Constat siquidem ex eis, quod non omnes fideles erant aut appellabantur, aut fungebantur officio sacerdotum, sed aliqui peculiares. Nec vero minus aliquid tentant isti filij diaboli, quam euertere etiam ea, quæ sunt semper ab initio ecclesiæ, omnium patrum & conciliorum, & nunquam interrupto vsu recepta, & comprobata. Sed videamus in primis, quæ sint, quæ adferunt hæretici pro sua sententia.

Primum est illud. 1. Petri. 2. vos estis genus electum, regale sacerdotium, & illud Ioannis in Apocalypsi. Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes. His vero nos respondemus, non ex nostro cerebro scripturam interpretantes, sed ex sanctissimis, & diuinissimis patribus, quod quia fideles, vt ipsa ecclesia Petra docet illo eodem capite ædificantur domus spiritualis in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum. Et quia corpora eorum templum sunt Spiritus sancti, in quorum mente ipse habitat per continuam, & dulcem memoriam, & amorem; & quia semper Dei imaginem circunferunt & quia Deo dedicati sunt, & eius serui, cui seruire, regnare est; & quia omnia, quæ in mundo sunt, sub pedibus habent; & sese efferunt in cœlestia, & quia regum maxime propria est ingenuitas, & libertas, & vere liberi sunt, quos filius liberauit: & denique quia Christus in suis vere regnat, estque summus eorũ sacerdos: ideo ipsi dicuntur eius regnũ & sacerdotium. Cuius locutionis simile est illud Exodi. 19. Eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Et hunc quidem locum, secundum has rationes, aut aliquam earum interpretantur Clemens Alexandrinus, Didymus, August. Ambrosius, Beda, Haimo, & alij in illud Apoc. 1. Regnum, & sacerdotes. Et deniq; sancti patres quo-

1. Pet. 2.
Apoc. 1.
1. Pet. 2
Ioan. 8.
Exod. 19.
Clem. Alex.
Didim.
Aug.
Ambr.

quorum neminem hæretici commemorarunt quia nullum fautorem habebant, quod si ex eo testimonio impudentissimè colligerent hæretici omnes fideles vere habere regiam potestatem, qua frõte audent dicere esse veros sacerdotes sicut enim dicti sunt regale sacerdotium di ci etiã potuerunt sacerdotale regnum. Intelligitur ergo id translatiuè & metaphoricè ob rationes assignatas.

Secundo loco obijciũt: Quia potissimũ, & proprium munus sacerdotum, est docere verbum Dei, iuxta illud Malachiæ secundo. Labia sacerdotis custodiũt sciẽtiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est. At munus docendi verbum Dei, ad omnes promiscue spectat; siue laici sint siue mulieres, de omnibus enim loquebatur Paulus. 2. Cor. 3. dicens: Qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu, & B. Petrus, ad omnes in Christo credentes dicebat, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum: ergo omnes fideles sunt sacerdotes. Hæc Hæretici. Respondemus catholici, falsum esse in primis proprium munus sacerdotis esse docere verbũ Dei, sed propriũ munus sacerdotis, & quó sacerdos est, est offerre sacrificium Deo, id quod, & vsu gentium omnium, ac rerũ publicarum, & testimonijs veteris, & noui testamenti, & ratione ipsa nominis comprobatur, iuxta illud Hebr. 5. Omnis nanque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quę sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Et Gen. c. 18. reddens scriptura causam, cur Melchisedech rex Salem offerret panem, & vinum, ait; Erat enim sacerdos Dei altissimi. Et in libris Moysis innumera sunt testimonia, quibus sacerdoti tribuitur sacrificare, orare pro populo, sacros ritus, & ceremonias peragere. Quapropter ca. 1. Tim. 5. refert Paulus, esse tunc presbyteros, qui non incumbebant doctrinæ, & verbo Dei. Ait enim: Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt, maxime, qui laborant verbo & doctrina: non ergo omnes in eo laborabant. Ex aduerso scimus complures prophetarum populo Iudæorum prædicasse, eorumque Doctores fuisse; qui tamen non erant ex tribu Aaron, Ac proinde non poterant esse sacerdotes. Modo ad testimonium Malachiæ, & similia dicimus, alia esse, quæ decent sacerdotem: alia, quæ ei necessaria sunt, vt sacerdos sit, & quibus cõstituitur sacerdos. Decet quidem sacerdote sciẽtia legis Dei pollere, cuius minister est, quem præcipue colit, apud quem intercedit; quis hoc neget? Non tamẽ quia docet, iccirco sacerdos est, sed quia offert sacrificia. Aliud enim est Doctoris, ac magistri munus, aliud sacerdotis. Munus enim Doctoris assignat Propheta Esai. c. 30. dicens: Oculi tui videbunt præceptorem tuum; & aures tuæ audient verba post tergum monentis. Hæc est via, ambulate in ea. Officium autem sacerdotis declarat Apostolus ad Heb. 8. dicens: Omnis pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur. Et cap. 7. declarãs munera, quæ apud Deum obeat pontifex noster Christus Iesus, ei tribuit, quod accedat per semetipsum ad Deum, quod semper viuat ad interpellãdum pro nobis; quod non habeat necessitatem prius pro suis delictis offerre deinde pro populi. Hoc enim fecit semel se offerendo Dominus noster Iesus Christus. Ex his liquet, quod si rationem sacerdotis, & Doctoris consideremus, non eo sacerdos, quo Doctor, nec eo Doctor, quo sacerdos. Decet tamen sacerdotem Doctorem esse, & prædicare populis sanctissima verba: non aliter atque non eo sapiẽs quisquã & omni virtutum genere ornatus est, quo homo est, decet tamen hominem, sapientem, & studiosum esse. Sed addebat hæreticus secundo loco, quod docere, & prædicare pertineat promiscue ad omnes, concessumque esse etiam mulieribus lege diuina eo munere fungi. Quod tamen est vehementer falsum, cũ 1. Cor. 4. dicatur: Mulieres in ecclesijs taceant. Et 2. Tim. 2. Docere autem mulieri, non permitto. Et in Conc. Cartag. 4. c. 99. cauetur, ne mulier, quantumuis docta & sancta viros in conuentu docere præsumat

Marginal notes: Malach. 2. — 2. Cor. 3. — 1. Pet. 2. — Hebr. 5. — Gen. 18. — 1. Tim. 5. — Esai. 30. — Heb. 8. — Heb. 7. — 1. Cor. 4. — 2. Tim. 2. — Conc. Cart.

sumat. Asserere verò Beatum Paulum omnibus fidelibus hanc dignitatem concessisse prædicandi verbum Dei, cum ait 2. Corinthio. 3. [2. Cor. 3.] Qui idoneos nos fecit, &c. vehementer etiam est falsum. Loquitur enim Apostolus peculiariter de ministris, & prædicatoribus euangelij, quos cum cõtulisset cum ministris veteris testamenti, & ostendisset nos esse digniores omnia Dei gratiæ tribuens, ac referens ait, id esse ex Deo, qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Ita Oechumenius, & Theodoretus. [Oecumen. Theodor.] Satisque id liquet ex ipso textu. Nec minus falsò hæretici interpretantur illud Petri cap. 2. [1. Pet. 2.] Vt virtutes annuncietis eius, qui vos vocauit in admirabile lume suũ. Hoc enim ideò dictum est, quod omnes, qui vident opera bona virtutem, & sanctitatem seruorum Dei in ipsis glorificant patrem cœlestem. Iuxta illud: Sic luceat lux vestra coram hominibus, [Matth. 5.] vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. [1. Petr. 2.] Vnde & ipse Petrus eodem cap. dixit, vt ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum. Ita antiqui Doctores hunc locum interpretabantur, [Oechumen.] vt videre licet apud Oechumenium. Cuius verba sunt per opera vestra in luce facta cæteris hominibus annunciate virtutes ipsius. Et præterea non dubiũ, quin omnes iusti, & serui Dei mutuis collocutionibus semper enarrent Dei mirabilia, iuxta illud Isai. 43. Populum istũ formaui mihi, laudem meam narrabit. Quis tamen inferat quod omnes sunt sacerdotes, nisi hæreticus?

Sed si quidem incidimus iam in hanc disputationem, & compulsi sumus in hoc articulo disputare, verùm omnes Christiani sint sacerdotes æquum est, vt explosoq; & labefactato hæreticorum errore ostendamus, & comprobemus catholicam veritatem, quòd non omnes Christiani sint sacerdotes. Hoc igitur constat in primis ex scriptura. Ad Titum enim cap. 1. dicit Apostolus: [Tit. 1.] Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Et 1. Timoth. 4. [1. Tim. 4.] Noli negligere gratiam, quæ data est tibi, cum impositione manuum presbyterij. Et 2. Timot. 1. [2. Tim. 1.] resuscita gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Et Act. 14. [Actor. 14.] Paulus, & Barnabas constituerunt per singulas ecclesias presbyteros. Et deniq; Apostoli omnes cum iam ante sacramenti Eucharistiæ institutionem Christiani essent, facti tamen sunt sacerdotes in cœna noctis extremæ, quando Dominus illud instituit. Non igitur quicunque Christianus sacerdos est. Deinde vbi est illud Hebræ. 5. [Hebr. 5.] Nec quisquam sibi sumit honorem sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron? igitur nec omnes sunt sacerdotes, nec hęc dignitas à plebe mandatur, vt aliqui hæretici modo dicunt: non enim sacerdotij nostri ratio de terra conficta est, aut popularis, aut volgi suffragijs comparata; sed de cœlo ducta, & delapsa, vt satis comprobant testimonia, quæ adduximus. Vnde concilium Laodicenum graue in primis, & antiquum cap. 13. [Conc. Laod.] Non est, inquit, concedendum populis electionem facere eorum, qui altaris ministerio sunt applicandi.

Secundo loco, si ex concilijs hoc idem probare voluerimus, tot sunt testimonia, vt nulla ratione quis ea sufficiat commemorare. Constat igitur hæc veritas ex canon. 2. & 3. & 5. & 6. & 7. & 8. & 9. Apostolorum, & multis alijs eorum canonibus. Et peculiariter canone secundo dicitur, quod presbyter ordinetur ab vno Episcopo. Estque receptus hic canon cum alijs ab vno ex illis quatuor concilijs generalibus, quæ venerabatur etiam ipse Lutherus, scilicet, à Constantinopolitano, sexto. Et in concilio Carthagin. 4. cap. 3. [Conc. Cart.] ponitur modus, quo presbyter ab episcopo debet ordinari. Et eadem veritas ex multis alijs constat capitulis conciliorum Carthaginensium, quibus subscripsit Augustinus, [D. August.] & quæ auctoritate ecclesiæ confirmata sunt. Sed hæretici nec ecclesiæ Dei fide, nec Augustini, quæ vna est sequuntur. Idem habetur in quodam decreto concilij Lateranensis, [Conc. Late.] & in concilio Remensi, capite secundo, [Conc. Rem.] & in Toletano primo, [Conc. Tole.] & Hispalensi secundo. Atq; non est necesse enumerare concilia; in quibus non modo sa-

cerdotes, sed etiam omnes cæterorum ordinum clerici distinguantur à laicis.

Conc. Hisp. D. Dionys. D. Ignatius Tertio loco constat antiquos omnes patres à Dionysio ipso cap. 1. de cœlesti hierarchia, & Ignatio in epistola ad Antiochenos distinxisse sacerdotes ab alijs. Ne verò quis respondere possit, distingui quidē eos, sed ob eam rationem, quod ipsis à tota communitate iniunctum erat munus agendi sacra, & propterea peculiariter dicebantur sacerdotes, non quod alioqui omnes fideles non sint sacerdotes. Ne igitur quis sacrilegè, & blasphemè sine vllo prorsus fundamento hac ratione putet, se interpretari posse sensum antiquorum patrum

D. Cypria. legat Cypria. lib. 3. epist. 9. ad Rogatianum vbi docet à Domino institutos esse, alios sacerdotes, alios diaconos, & quod diaconi essent inferiores sacerdotibus: non ergo

Tertul. omnes sunt sacerdotes. Legat & Tertullianum, qui libro de præscriptionibus hæreticorum, eorum mores describens ait: Ordinationes eorum temerariæ, leues inconstantes: nunc Neophitos collocant, nunc sæculo obstrictos: nunc apostatas nostros, vt gloria eos obligent: quia veritate non possunt nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, vbi ipsum esse illic promereri est. Itaque alius hodie episcopus, cras alius, hodie diaconus, qui cras lector, hodie presbyter qui cras laicus; nā & laicis sacerdotalia munera iniungunt. Hæc Tertullianus. Qui certè, vt videtis, describit rempublicam eorum, qui laicis sacra mandant, & etiam adimunt prohibito, & dixit proprium id esse hæreticorum.

Conc. Cart. Quarto loco sumi potest ratio ex vsu & consuetudine rerum omnium publicarum, apud quas nunquam, aut introductū est aut permissum, vt omnes promiscue essent sacerdotes: sed deligebantur ad id

D. August. munus aptissimi quique, erantque in magno honore apud populum. Constat hoc de AEgyptijs, Græcis, Romanis, Hebręis, vt habetur pluribus locis veteris testamēti. Quæ ergo dementia est asserere in Christi populo omnes esse sacerdotes.

Conc. Lat. Conc. Rom. Conc. Tol. Vltima ratio sumi potest ex Euangelici sacerdotis præstantia & dignitate. Nam quantò lex noua præstat veteri, tantò & sacerdotium sacerdotio, & sacerdos præstat sacerdoti, iuxta doctrinam Apostoli: sed non omnes admittebantur in lege veteri, vt essent sacerdotes: ergo nec omnes fideles sunt sacerdotes legis nouæ. Secundo, & maxime huius sacerdotij dignitas ostenditur ab altitudine effectus: siquidē sacerdos consecrat verum corpus, & sanguinem Domini, quod non modo in sacerdotibus aliorum temporum, legum, & nationum est inauditum; sed nec mente quidem concipi potuit: ergo ad tam altum diuinum & supernaturalem effectum, nō dubium, quin excellens diuina & supernaturalis potestas requiratur: ergo nec decens est, vt quilibet habeat eam potestatem, nec eam Deus omnibus dedit, nec cōmunitas sacerdotem nouæ legis potest instituere; ei ve sacerdotiū demandare: quia non potest tribuere id quod supernaturale est. Sed iam video quæ sit intentio, & finis hæreticorum, nimirum, vt simplicem plebem demulceant, & authoritatem ecclesiastici sacerdotij labefactent. Icircò caupones, fabreferrarios, bubulcos, & muliercu las ipsas dicunt esse sacerdotes.

Ochinus.

ARTICVLVS. II.

Verum plures sacerdotes possint eandem hostiam consecrare.



NA quæstio est, verùm liceat sacerdotibus, vt nonnunquam plures proferant verba consecrationis ad vnam hostiam consecrandā. Et alia, vtrum omnes tunc re ipsa, & de facto consecrent, vel vnus tantum, vel nullus. De primo sensu sit prima conclusio: Licet proculdubio sacerdotibus id facere in aliquibus casibus, vt cum cōsecrantur episcopi, & cum ordinantur sacerdotes. Pro-

Thom. batur: Quia hæc est consuetudo ecclesiæ Romanæ, & perantiqua, & in re grauissima, & maximi momenti, qualis est ordinatio sacerdotum, & confectio corporis Christi: ergo non modo id licet, verum

Tit. 4. etiam valde temerarium est eam consuetudinem improbare. Pro secundo sensu, quando

quando plures intendunt hostiam eandē consecrare, fit.

Secunda conclusio: Quod vere tunc ea hostia consecratur. Constat hoc: quia adest sacerdos, imo plures sacerdotes; adest materia, forma, & intentio: ergo ad sunt omnia necessaria: ergo fit consecratio.

Tertia conclusio: Si accideret, quod omnes illi sacerdotes simul finirent verba cōsecrationis, omnes consecrarent. Probatur: Quia ea hostia verè consecratur, & in hoc casu non est maior ratio de vno sacerdote, quam de alio: siquidem in omnibus est potestas, & intentio, & formæ prolatio: ergo ab omnibus consecratur.

Quarta conclusio. Quando vnus eorū, verbi gratia episcopus, antecessit in prolatione formæ, ille solus re ipsa consecrauit hostiam: Probatur: Nam legitima intētio celebrantis est, & esse debet, vt effectus cōsequatur per prolationem formæ, secundum eam rationem, & modum, quo de lege ille effectus natus est consequi: sed de lege vltimum esse prolationis verborum, est primum esse corporis consecrati: ergo in illo instanti est consecrata illa hostia: sed in eo instanti nondum secundi protulerant formam, vt supponimus: ergo non consecrarūt: ergo solus primus consecrauit affuit siquidem in eo potestas, forma, materia, & intentio.

Quinta conclusio: Grauis est, & verisimilis quorundam sententia, qui dicunt, quod omnes sacerdotes tunc conficiunt corpus Domini, quamuis non simul proferant verba, physicè loquendo. Hæc est opinio vt quidam putant Innocentij & S. Tho. Et probatur: Quia omnes illi sacerdotes referunt suam intentionem, ad vnum instans, ad illud scilicet, quo episcopus consecrat: ergo omnes consecrant. Declaratur antecedens: Quia omnes curant vna voce, & quam immediate, atq; exacte possint, episcopum sequi.

Secundo probatur. Quia verba consecrationis non sunt agentia naturalia, aut operantia ex necessitate naturæ; sed sunt eleuata à Deo ad effectum supernaturalē pro sua voluntate: ergo pro vt conuenit vtilitati ecclesiæ: sed tunc conuenit, vt omnes sacerdotes consecrent, qui eodem tempore, moraliter loquendo, protulerūt formam: ergo omnes consecrant. Itaque dicit hæc sententia, quod verba consecrationis non semper habent eam vim, vt in primo instanti physico prolationis verborum incipiat esse corpus Christi: sed habēt eā vim, vt postquā prolata sunt vel immediate vel indiuisibiliter moraliter loquēdo habeāt effectū. Si quis vero quærat, vtra harū opinionū mihi verior esse videatur, respondeo, q̃ illa prior firmior est. Probatur: Quia Deus cum sit supra omnem locum, non indiget loco vt sit: ergo quia est supra omne tempus non indiget tempore vt operetur, ergo operatur in instanti: ergo in primo instanti prolationis verborum factus est effectus nec enim necesse est, vt aliud instans expectemus.

Secundo argumentor: Quia quando vnus solus sacerdos consecrat, vltimum instans prolationis formæ, vltimum inquam, physice loquendo, est primum instans esse corporis Christi: ergo id ipsum fit quando multi celebrant simul. Vnde enim habemus, quod varietur lex in his casibus, nisi quia id nos fingimus. Sed dicet aliquis; Necesse est, vt varietur lex, quando plures simul celebrant, ne si qui antecessit solus consecrauerit cæteri sint sacrilegi intendentes consecrare, & inducentes formam, vbi deest materia. Respōdeo vero, quod non sunt sacrilegi, nec peccant: propterea quod de esse tunc illis materiam, est, per accidens, & præter intentionem eorum, ipsi enim intendunt simul cum episcopo consecrare. Accidit vero vt dum vnus simul profert verba, & cōsecrat alius paululum moretur, & non cōcret. Itaque no reiteratur consecratio, quia omnes se referunt ad idem instans, vt dicunt Innocentius, & S. Thom. quamuis re ipsa oppositum accidat. Et ex his liquet solutio perplexitatis aliquorum, ob quam in tam varias sententias scinduntur, vt quidam dicant, quod sacerdotes alij ab episcopo tunc non intendunt consecrare, alij, quod virtus verborum manet in aere suspen- *Innocent. S. Thom.*

pensa quoad vsque omnes sacerdotes simul concurrant: alij quod intendunt consecrare sub conditione, si episcopus non consecrauerit, alij quod debent suspendere omnem actum, & nec habere intentionem consecrandi nec non consecrandi. Et denique mille figmenta confingunt, in quæ solemus homines deuenire ob imbecillitatem ingenij, qui nescimus soluere aliquas rationes. Sequitur secundo ex his, non recte sentire eos: qui dicunt, esse abolendum hunc morem, vt sacerdotes dicant simul cũ episcopo verba consecrationis. Si enim concelebrant, non est cur non dicant verba consecrationis, nisi nos velimus fingere inconuenientia.

Dur. dist. 13

Sed vrgeamus hæc argumentis. Et primum probo, quod semper omnes sacerdotes, qui ordinantur, consecrent; quia sicut Apostoli omnes simul cum Christo cœnauerunt: ità noui ordinati episcopo concelebrant: ergo omnes consecrant. Negatur consequentia, quia & ipsi apostoli, quamuis concœnauerunt cum Christo, non tamen concelebrarunt, aut consecrarũt, sed sumpserunt corpus Domini, quod & faciunt noui ordinati: sumunt enim omnes corpus Domini.

Secundo probo, quod nullus consecret præter episcopum, nam noui ordinati silẽtio prætereunt verba consecrationis, & instruuntur, vt ità faciant: ergo non consecrant. Respondeo quod vtrunque est vehementer falsum. Imo & dicunt ea verba & instruuntur vt ita faciant, & id dicunt intentione consecrandi. Quod probo, quia in Pontificali Romano præcipitur episcopo, vt proferat illa verba altè, & morose, vt noui sacerdotes possint illum audire, & dicentem sequi. Esset autem valde indeces & alienum à maiestate sacramentorum nouæ legis, si legitimi ministri proferant verba formarum, quibus ista sacramenta conficiuntur sine intentione conficiendi, & id maxime in actione ecclesiastica, & publicæ celebrationis.

Tertio argumentor: Quia vnus effectus non potest totaliter dependere à pluribus causis, sed quilibet sacerdos per se habet potestatem consecrandi: ergo non consecrant omnes hostiam eandem. Respondetur breuiter, quod ille effectus licet intensiue possit fieri; & dependere ab vno solo, extensiue tamen potest fieri & dependere à pluribus; & id modo reipsa factum est. Nec est modo tempus disputandi longius cum sophistis de mirabilibus, quæ ipsi colligunt ex isto principio, nihil potest totaliter dependere à pluribus causis. Solum oro, mihi vt concedat misericors Dominus, & pius ità scire omnia, quæ scire oportet, atque noui, quod si vna sola causa est potens per se inducere aliquem effectum, & plures eiusmodi causæ simul concurrant, multo inducent eum certius, & infallibilius.

Quarto argumentor: Quia frustra fiunt per plura quæ possunt fieri per pauciora, in sacramentis autem nihil debet esse superfluum, ergo non possunt plures vnam & eandem hostiam consecrare, cum vnus sufficiat.

Respondetur, quod aliud est institutum esse & ordinatum à natura, quod vnus, & idem effectus in vniuersum dependeat à pluribus, qui posset fieri per pauciora. Aliud vero, quod si tempus, & ratio postulauerit, vt plura agentia concurrant, non possint concurrere. Primum istorũ videtur alienum esse à Dei sapientia. Et in hoc sensu intelligitur illud, frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora. At vero quamuis natura ipsa rei non postulauerit plures causas ad vnum effectum, solent tamen plures concurrere: nec debuerunt priuari sua vi, & facultate ad producendum effectum. Sicut quamuis vnus homo possit per se mouere lapidem ad vnum passum poterunt etiam plures simul concurrere & commouere. Atque ita in proposito nos dicimus effectum, de quo nobis sermo non dependere à pluribus sacerdotibus ex natura rei. Si tamen ratio ecclesiastici ordinis, tempus & occasio postulauerit, vt plures concurrant; non ideo, non consequetur effectus, imo infallibilius consequetur.

In fine vero huius articuli duo placuit aduertere. Primum, quod quamuis ego non sim ex eorum numero, qui omnino addicti sunt dictis vnius, aut alterius doctoris; [Aug.] quia noui cum sapiente Augustino, quod fides est supra rationem; ratio vero supra omnem hominem, existimo vero sententiam, quam sequitur S. Thomas [S.Tho.] non esse illam, quam sui discipuli putant, & quam nos explicuimus cõclusione quinta huius articuli & minus probauimus. Quoniam aliud est dicere, non reiteratur consecratio, quia omnes sacerdotes dirigunt suam intentionem ad vnum instans; aliud verò dicere, quod omnes sacerdotes tunc reipsa consecrant. Primum dixit S. Thomas, non secundum. Et quidem ego ipse qui assero quod si quidam ex ipsis præcedant in prolatione verborum, quod illi soli reipsa consecrant etiam affirmo, quod non reiteratur consecratio à secundis, quia omnes dirigunt suam intentionem ad idem instans. Secundo aduertendum est, quod si tam sint aliqui sacerdotes stulti, & irreuerenter tractantes quæ Dei sunt, vt inter eos conueniat, quod vnus consecret vnã partem hostiæ alter aliam; tunc si quilibet intendat consecrare medietatem hostiæ non signando illam, nihil faceret, quia non est potior ratio de vna parte, quam de altera, & non cõsecrat ambas: ergo nec vnam. Præter quam, quod illud pronomen, hoc, determinat ac designat materiam. Si vero illi designarent, quam vnusquisque eorũ partem consecrare vellet, teneret consecratio. Sed qui ita res has tractant, & mali homines sunt, & stulti, & sacrilegi.

ARTICVLVS. III.

Vtrũ ad solos sacerdotes pertineat hoc sacramentum populo ministrare.

N hoc sit prima propositio. Dispensatio huius sacramenti ex officio non conuenit, nisi presbytero. Huius verò propositionis plures rationes possunt afferri. Prima, quia sacerdos repræsentat Christum, [1.Tim.2.] qui est mediator Dei & hominum: dispensatio vero huius sacramenti est ad vniendum nos Deo, & perficiendum in diuinis: ergo soli sacerdoti, qui est mediator inter Deum, & homines, conuenit ex officio hoc sacramentum dispensare. Secundo: Quia Dominus ipse & consecrauit suum corpus, & alijs sumendum dedit: ergo, ità debet facere sacerdos, qui repræsentat Christum. Tertio: Quia ob reuerentiam huius sacramenti sancte & pie institutum est, vt à nulla re contingatur, nisi consecrata, vnde & corporalia, & calix consecrantur, ergo debet esse & manus illud tangens consecrata, ergo soli sacerdotes, &c. Quarto id probatur ex consuetudine & definitione ecclesiæ. Et consuetudo quidem liquet; definitiones autem habentur in decretis distinctione secunda capite, peruenit. Vbi dicitur. Peruenit ad notitiam nostrã, quod quidam presbyteri laico, aut fœminæ corpus Domini tradunt, ad deferendum infirmis. Et interdicit textus ne id vlterius fiat, sed presbyter per semetipsum infirmis cõmunicet. Et distinctione. 23. dicitur, quod non oportet diaconum dare panem, idest corpus Christi, si ergo id diacono prohibetur, quanto magis laicis, & inferioribus ministris celebritur esse prohibitum? Id quod etiam constat ex c. omnis vtriusque sexus de pœnitentijs, & remission.

Secunda propositio, Diaconis licet ministrare sanguinem Domini, idque ita solet fieri in ecclesia. Hoc etiam liquet ex cõsuetudine ecclesiæ. Huius vero consuetudinis hæc congruentia assignari potest, quod diaconus est propinquus ordini sacerdotali, ergo æquum est, vt aliquid participet de eius officio, semper enim supremũ inferioris, tangit infimum superioris, ergo quãuis nõ dispẽset corpus; poterit tñ sanguinẽ ministrare. Quod nõ ideo dicitur, quod sanguinis nõ sit summa maiestas, & altitudo, sicut & corporis, sed propterea quod quãdo ministratur nõ tãgitur sicut corpus poterit ergo diaconus illum ministrare. Et quidem quam antiqua sit hæc consuetudo constat ex sanctissimo Diacono Laurẽtio, qui fatebatur se sanguinem ministrare [B.Lauren.] populo. Et ex B. Cypriano, sermone de [B.Cypr.] lapsis, ibi, calicem Diaconus offerre præsen-

ſentibus cæpit. Et ex conſuetudine à ſummis pontificibus obſeruati: qui dum communicant extra altare, quod fit in miſsis ſolennibus, diaconus portat, & miniſtrat ei ſanguinem in calice. Sed dubitari poſſet in hac diſputatione vtrum ſit de iure diuino, quod ſolus ſacerdos miniſtret hoc ſacramentum; itaque non eſt ſermo de conficiendo ſacramento, ſed de miniſtrando. Ad quod reſpondeo, legiſſe me apud quẽdam ſcholaſticum, quod id ſit de iure diuino. Quod colligebat inde, quod in cœna Dominus dederit diſcipulis ſuum corpus. Sed eadem ratione colligere potuiſſet, eſſe de iure diuino, quod ſolus ſacerdos miniſtret ſanguinem; quia Dñs dedit diſcipulis ſanguinem ſuum. Imo ſi quæ tunc facta ſunt de iure diuino ſunt, eſſent etiam de iure diuino, quod pranſi ſumeremus ſacramentum: quia illud dedit Dominus Apoſtolis iam cænatis. Dico ergo videri mihi, quod id non ſit de iure diuino. Et ratio quę me mouet ad hoc aſſerendum eſt. Primum: Quia qui dicit, quod aliquid eſt de iure diuino debet id oſtendere, & comprobare, ego vero non inuenio, qua ratione id probẽ; & ideo id non aſſero. Secundo etiam aſſero oppoſitum. Quia antiquitus certum eſt, quod in aliquibus eccleſijs erat de more vt laici ſuis manibus ſumerent corpus Domini de manu ſacerdotis, vt colligitur ex verbis Ambroſij in Theodoſium Imperatorem: cur igitur dicemus eſſe de iure diuino, ne liceat diacono deferre in pyxide, aut vaſe corpus Dñi, & illud miniſtrare? Tertio moueor. Quia Ricardus S. Thomas & Duran. & ſcholaſtici communiter docent, quod diaconus vel iubente epiſcopo, aut presbytero, vel presbytero abſente, poteſt vrgente neceſſitate miniſtrare hoc ſacramentum, ergo hoc facere non eſt contra ius diuinum. Et quidem Durandus. diſtinctione decimatertia, quæſtione quarta, libri quarti fatetur ſæpe ſe vidiſſe, quod in miſsis, in quibus diaconi cardinales communicant ipſo papa corpus Domini miniſtrante, poſtea vnus de diaconis cardinalibus manibus proprijs accipiebat corpus Chriſti, & dabat clericis capellæ papæ, quamuis eſſent præſentes presbyteri cardinales, & multi prælati, ergo non eſt credendum id fieri contra ius diuinum denique in concilio Niceno. c. 14. non inhibetur diaconis diſpenſatio huius ſacramenti: imo vero conceditur illis, quod ipſi ſibi ſumant: imo vero, vt refert Rufinus lib. primo hiſtoriæ eccleſiaſticæ c. 6. in Canone. 20. illorum canonum concilij Niceni, qui deſiderantur, habebatur, quod ſi presbyter eſſet abſens, liceret diaconibus adminiſtrare hoc ſacramentum populo: ergo non eſt de iure diuino, quod ſolus ſacerdos adminiſtret. Quæret etiam aliquis, quid ſit faciendum laico: cui non licet tangere corpus Domini, ſi inueniat illud loco indecenti iacere vt in media arena, aut luto? Reſpondent cõmuniter ſcholaſtici, quod debet illud accipere reuerenter, & deferre presbytero. Ego vero conſiderans tremendum illud exemplum, & ſupplicium Ozæ quamque iuſtum ſit, vt diuina tractemus ſumma reuerentia conſulerem ei, vt ſi facile accerſire poſſet presbyterum, qui leuaret ſanctũ Domini corpus ita faceret, ſin minus cum timore, & tremore reuerẽter leuaret, ac deferret presbytero.

1. Cor. 11. — D. Amb. — Ricar. Durand. S. Tho. d. 13. ar. 4. q. 2. Dur. ead. — Durand. — 2. Reg. 6.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum ſacerdos conſecrans teneatur ſumere hoc ſacramentum.



RESPONDEO dicendũ quod vt ait D. Auguſt. 10. de Ciuita. c. 19. dum ſacrificamus non alteri viſibile ſacrificium offerendum eſſe nouimus, quam illi, cuius in cordibus noſtris inuiſibile ſacrificium nos ipſi eſſe debemus: itaque ſacrificium exterius ſignum eſt interioris. Et cum eccleſia non habeat, niſi vnum hoc mirabile, & ſacroſanctum ſacrificium, debet qui illud offert, oſtendere nõ modo alios, pro quibus ſacrificat; ſed ſe etiam in primis interius & exterius ſacrificare. Hoc verò oſtẽdit per hoc, quod participat ſacrificio. Per hoc verò, quod ſacerdos ſacrificium populo diſpenſat, oſtendit ſe eſſe diſpenſatorem diuinorum, quorum ipſe primum debet

D. Aug.

debet esse particeps, vt ait Dionysius li. de cœlesti Hierarchia. Vnde hæc consuetudo perpetuo seruata est in ecclesia Dei. Id quod colligitur & ex Dionysio lib. citato. c. tertio, & ex missa ordinata à Iacobo, & ex missa Clementis, & ex missa Basilij, atque perpetuā hanc consuetudinem declarabat concilium Toletanum primum, quando dixit: Modis omnibus tenendum est, vt quotienscunque sacrificans corpus Christi, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altari immolat, totiens corporis & sanguinis Christi participem se præbeat. Præterea, si legatur non modo ritus, & ceremoniæ sacrificiorum veteris legis, sed etiam gentium omnium semper consumebatur sacrificium, ergo id debet facere sacerdos. Insuper Dominus noster Iesus Christus, cuius personam sustinet sacerdos sumpsit corpus, & sanguinem suū: ergo sacerdos debet id facere. Deinde certum est, quod gratissimum Deo sacrificiū est, quo se ipse offerens ex animo, & voluntate offert, itaque quantum fieri potest offerens sit ipsum sacrificium. At vero sacerdos, cum sumit hoc sacramentum, mirabili quodam vinculo, & vnione efficitur vnum cum re oblata, ergo id debet sumere sacerdos. Vltimo cū scriptum sit; Si offeratis cæcum ad immolandum nonne malum est & si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? Sequitur sacrificium offerri debere secundum rationē integri atque perfecti. Hoc vero sacrificiū est repræsentatiuum mortis, & sepulturæ Christi, & perficitur hæc repræsentatio quādo sacerdos sumit corpus & sanguinē: ergo debet ea sumere. Sed obijcit contra hæc Lutherus, quod natura sacrificij est, si sit perfectum holocaustum, vt totū Deo relinquatur, atque adeo igne cōcremetur: si vero sit victima pars relinquitur Deo igne cremata, partem sumebat sacerdos. Sacerdotes autem nostri, inquit totum ab sumunt, & Deo nihil relinquunt. Sed rogo hereticum, vtrum ē duobus nos facere velit, vt non sumamus corpus Domini vel (si fas est, vt etiam proferatur, & recitetur tanta blasphemia) vt igne crememus. Si vt non sumamus, obstat scriptura dicēs. Accipite: & manducate, obedire autem oportet Deo magis, quam hominibus. Si, vt igne crememus, ita ne hæretice tanto odio & tam sathanico diuina prosequeris, vt etiam corpus Domini affirmes esse comburendum? Secundo obijcitur: Quia in sacrificium holocausti, quod erat perfectum, igne totum absumebatur ex præcepto Domini: ergo falsum est, quod sacrificans debet esse particeps sacrificij, sicut catholici dicunt. Respondetur, quod aliud est sacrificantem non participare sacrificio aliud nō participare tali sacrificio: nā hoc secundum inuenitur statutū in lege Moysi: primum vero est contra ipsam legem in qua qui altari seruiebant de altario participabant. In eo vero, quod sacrificium totum holocausti igne absumebatur, significabat lex, quod debeamus nihil nobis amoris, & cupiditatis relinquere, totique ardere igne intelligibili, atque in Dei ineffabilem incorporeumque complexum magno desiderio ferri, vt dicebat Iudæus ipse Philo. lib. de victimis. Tertio loco sumi posset argumentum ex alijs sacramentis nouæ legis quorum qui conficit nō est sēe particeps. Sed id non est ad rem, quia illa non sunt sacrificia. Atque hæc de hoc articulo. Solent tamen aliqui casus accidere, in quibus non est necesse, vt sacerdos sumat corpus Domini, vt quando apparet in specie carnis. Si tamen expectato aliquo tempore se reducat in speciem panis, sicut cuidam religioso, & sancto monacho his tēporibus accidebat, debet tunc illud sumere. Secundus casus est quando deprehenditur esse venenum in aliqua earum specierum, tunc enim non debet sumi; nec vult Deus, vt sacramentum vitæ vertatur in mortem. Sed si fuerit, verbi gratia, sanguis infectus veneno, præparetur calix ex alio vino, & consecretur, si nōdum sumpta est hostia: si vero sumpta est apponatur hostia etiam consecranda cum vino, & recitentur verba consecrationis & perficiatur sacrificium. Dicunt vero doctores cōmuniter, quod si post consecrationem recordatur quis, se non esse ieiunum, aut esse excommunicatum, aut irregularem debet nihilominus sumere hoc sacramentū. Id

Marginalia (left): D. Iacob. — D. Clemen. — D. Basil. — Conc. Tol.

Marginalia (right): 1. Cor. 11. — 1. Cor. 10. — Leuit. 6. — Philo. — B. Ioan. de Sahegun Augustinianus.

Id quod colligitur ex.c.relatum,de consecratione d. secunda.nec vero tunc efficitur irregularis. Quod intelligo nisi sit obliuio valde crassa. Nam tunc dici ei sacerdoti posset,quod sibi imputet incidisse in eam perplexitatē,vt nec posit non consummare sacrificium, nec non subire censuræ seueritatem.

ARTICVLVS. V.

Vtrum malus sacerdos Eucharistiam consecrare possit.



ETVS error est hæreticorum asserere,in prauis ministris non esse potestatem cōficiendi,aut ministrandi sacramenta Dei,imo vero nec vllam omnino auctoritatem & iurisdictionem in eo residere,qui malus sit. In quā, vt credo,sententiam deuenerunt non modo ex superbia,& aliis peccatis;verum etiā ex impatientia malorum, quæ videbant; non aduertentes,quod consideratio custodiendæ pacis refrænat in bonis seueritatē disciplinæ, quousque sine vulnere schismatis possit aliquid ecclesiastico iudicio vindicari ad salubrem correctionem hominum. Dicendum vero est cum D. Aug. quod Spiritus sanctus in ecclesiæ præposito, vel ministro sic in est, vt si fictus nō est operetur per eum spiritus sanctus, tum ad eius mercedem in salutem sempiternam tum ad regenerationem vel ædificationē eorum,qui per eum siue cōsecrantur,siue euangelizantur. Si autem fictus est,quoniā verissime scriptum est;Spiritus sanctus disciplinę effugiet fictum, deest quidem saluti eius, aufertque se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, ministerium tamen eius non deserit, quo per eum salutē operatur aliorum. Atque idem author in lib.de corpore Domini intra ecclesiam (inquit) catholicam in mysterio corporis, & sanguinis Domini; Nihil à bono maius; nihil à malo minus perficitur sacerdote: quia non in merito consecrantis,sed in verbo perficitur creatoris & virtute spiritus sancti. Quocirca Apostolus sæpe & cōfidenter se appellat ministrū Christi. Sic,inquit, nos existimet homo vt ministros Christi. Et tamen eodem loco,c.quarto episto. primæ ad Corinthios subdit:Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum: erat ergo certus se esse ministrum Christi, & incertus vtrum esset iustus siue hoc in persona illius intelligamus siue potius ex natura rei. Fieri ergo potest vt sit minister quis & non iustus. Quod & ad excellentiam Christi pertinet, cui si cut vero Deo seruiunt non solum bona, sed etiam mala,quæ per ipsius prouidentiam in eiusdem gloriam ordinantur. Præterea videmus,quod sacerdotes recedentes ab ecclesia,si reuertantur, nec rebaptizantur,nec ordināntur iterū,quāuis ad mitātur ad suos gradus manet ergo in eis & baptismus,& potestas consecradi. Tertio. Si mali ministri non haberent potestatem conficiendi, & administrandi sacramenta dici non potest, quanta esset in ecclesia Dei confusio, & turbatio,nemo enim sciret, si baptizatus sit an nō:si adoret corpus Dñi: an potius idololatret. Plura dicerē nisi hæc disputatio ita esset huius loci, quod magis proprie pertineat ad alium. Definitur autem hæc catholica veritas, & damnatur error contrarius in concilio Cōstantiensi sessione octaua, & septima in concilio Tridentino sessio.7. sub Paulo.3. can.10. vbi dicitur,Si quis dixerit ministrū in peccato mortali existētē, modo omnia essentialia,quæ ad sacramentum conficiē dum, aut conferendum pertinent seruauerit,non conficere, aut conferre sacramentum,anathema sit. Sed aduersus hæc multa obiecerunt antiquitus Donatus, & eius discipuli,& postea Vvaldenses,& Ioānes Vvicleph, & Ioannes Hus, quorum est error supra citatus. Et in primis. Certū est,inquiunt,quod malorum sacrificia dicūtur in scriptura esse polluta,eaque Deus respuit, & odio habet iuxta illud Isai.1. Ne offeratis vltra sacrificium, incensum abominatio est mihi:Et Malach. secundo dicitur,Maledicā benedictionibus vestris: non igitur consecratur à malis hoc sacramentum. Respondetur, quod vt ait D. Aug.lib.secundo cōtra epist. Parmeniani cap.

D. August.

Ibid.

1.Cor.4.

conc.Const.
conc.Trid.

Esai.1.

Mala.2.

D. August.

ca.13.constat sacramentorum sanctitatem etiam in peruersis, & malis hominibus inpollutam atque inuiolabilem permanere. Dicuntur verò ea mali polluere; quia quantum in ipsis est, ità faciunt: cum tamen ea impolluta permaneant. Nam & de spiritu qui nullo modo extingui potest dictum 1.Th.5. est: Spiritum nolite extinguere, id est; nolite sic agere, vt, quantum in vobis est, conemini spiritum extinguere. Et nomen Dei nullo modo pollui potest, & tamen scriptum est, Filius & Pater intrabant ad Amos.2. vnam puellam, vt polluerent nomen Dei sui. Sacramenta ergo indigne quidem ab istis tractantur, & ipsi quantum in eis est polluunt quæ sancta sunt, grauiterque offendunt Deum, quando offerunt sacrificium. Manet tamen in sacramentis sanctitas, & habent ea, quæ mali ministri faciant efficaciam à Christo in cuius persona sacra dantur, & conficiuntur. Et secundum hanc rationem intelligere debemus multa, quæ à Gregorio, Hieronymo, Cypriano, Leone, alijsque patribus in scelera tos ministros dicuntur. Secundo putant hæretici, se omnem in vniuersum potestatem malis detrahere hoc argumento: Omnis potestas à Domino Deo est: sed Deus sua dona non præstat peccatoribus, & sceleratis: ergo illi nullam habent potestatem. Respondetur, quod hoc argumento declaratur non modo ignorantia, sed etiam impietas hæreticorum: nam Matt.5. Deus, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos, & nobis præcipit, vt inimicis benefaciamus, nonne ipse benefaciet. Benefacit vtique munificus Deus omnibus & sæpe malis dona confert. Vnde Cayphas cum esset pontifex anni illius prophetauit Ioann.11. & Iudas malus fuit, & Ioan.11. Apostolus fuit, & Hierem.27. Nabuchodonosor, & filius eius, & filius filij reges Hier.27. à Deo pronunciantur: cum tamen non dubium, quod sæpe contra Deum peccauerint. Subijciuntur tamen eis ibi gentes Num.23. omnes, & Balaam donum prophetiæ habebat, & malus erat. Et deniq; Iob.c.14. dicit, Deus regnare facit hominè hypocritam propter peccata populi. Iob.14.

Tertio argumentor: Gelasius papa, & Gelasius. habetur. 1. quæstione prima, cap. sacrosancta ait: Sacrosancta religio, quæ catholicam continet disciplinam, tantam sibi reuerentiam, vendicat, vt ad eam quilibet, nisi pura conscientia, non audeat peruenire. Nam quomodo ad diuini mysterij cõsecrationem cœlestis spiritus inuocatus adueniet, si sacerdos, & qui eum adesse precatur criminosis plenus actionibus reprobetur? Respondetur, aliud esse loqui de eo, quod Gelasius ibi docere intendit, aliud de ratione, quam adfert. Intendit docere, quòd minister impurus non debet ad hoc sacramentum accedere, & hoc est verissimum. Rationem verò reddidit verbis difficilibus, & quæ durè patiantur interpretationem. Existimo verò cum Sancto Thoma solum voluisse significa- S.Tho. re, quod non adueniet spiritus ex merito sacerdotis. Aduenit tamen virtute Christi, cuius verba profert sacerdos, vel non adueniet spiritus ad hoc, vt sacerdos per illud diuinum mysterium sanctificetur: nec propitius alijs erit Dominus, quando talis minister sacrificat propter intercessionem ipsius.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm fructuosior sit missa boni sacerdotis, quam mali?



SVPPONENDVM est in primis, quod nomine missæ significamus non modo sacrificium, quod offertur, sed etiam orationes vocales, & mentales, quæ dicuntur pro viuis, & defunctis. Imo verò nomine ipso sacrificij missæ, non solum, & nuda clauditur consecratio, & immolatio, sed & preces, & orationes, ea forma & ritu, quem ecclesia instituit: quanuis hæc non sint de essentia sacrificij, sicut prima. Secundo loco aduertẽdũ est, quod sacerdos in missa cõsecrat nomine Christi, & offert etiã sacrificiũ, atq; orat nomine ecclesiæ, cuius minister est. Sed nihilominus peculiaris hic homo est qui orat & offert nũc bona mẽ-

te, & puritate, nunc impura. Ac proinde potest cōsiderari missa & ex parte rei oblatæ, atque ecclesiæ, cuius nomine offerimus & oramus, & etiam ex parte offerentis huius, & orantis.

His præmissis est prima conclusio: Missa boni, & mali sacerdotis ex parte rei oblatæ, & etiam in quantum offerunt ij sacerdotes, & orant nomine ecclesiæ, æqualem fructum, & valorem habet. Hæc liquet: Quia quod ab vtroque offertur est idem Christus, & id cuius nomine offerunt illi, & orant, est eadem ecclesia: ergo ex parte rei oblatæ, & ecclesiæ, ac Christi cuius nomine offertur idem est valor. Et hoc est quod ait Grego. in registro: Heu in quam magnum laqueum incidunt qui diuina & occulta mysteria plus ab alijs sanctificata posse fieri credunt, cum vnus idemq; Spiritus sanctus ea mysteria occulte atque inuisibiliter operando sanctificet.

Secunda conclusio: Si missa consideretur ex parte, & deuotione sacerdotis orantis, fructuosior est missa melioris, quam minus boni, aut mali. Probatur: Nam missam dici nomine ecclesiæ non tollit peculiarem deuotionem, & actum meritorium dicentis: sed vbi est maior deuotio, & meritum est maior fructus, & valor, faciliusq; impetramus à Deo quæ volumus: ergo si consideretur missa ex parte & deuotione sacerdotis, fructuosior erit, quæ fuerit melioris. Vnde in decretis 1. quæstione. 1. dicitur, quod quāto sacerdotes fuerint digniores, tantò facilius in necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur.

Tertia conclusio: Absolutè loquendo, hoc est, consideratis omnibus, quæ in sunt rei, fructuosior est missa boni sacerdotis, quam mali. Hæc etiam liquet: Quia quanuis ex parte rei oblatæ, & ex parte ecclesiæ offerentis, cuius sacerdos minister est, idem sit valor vtriusque missæ, tamen ex affectu & deuotione sacerdotis orantis, & offerentis tantum interest inter illas, vt scriptum sit, quod Deus orationes iustorum exaudiet, & illæ penetrant nubes. Erit verò execrabilis oratio eius, qui declinat aures suas, ne audiat legem.

Prou. 15. Eccles. 35. Prou. 28.

Sed aduersus hæc obijcitur primo: Quia si ex puritate, & deuotione dicentis missam aliquis alteri fructus redundat: ergo ex eius malitia redundabit aliquod nocumentum, quod est inconueniens. Respōdetur negando cōsequentiam: Nam quia bonum est diffusiuum sui, & omnia corporis Christi membra charitatis vinculo copulata sunt, iccircò bonum vnius prodest alijs: malum verò priuatum vnius non potest alteri nocere, nisi per ipsius cōsensum. Et hoc ipsum etiam accidit extra missæ sacrificium. Certum est enim, quod oratio deprecantis Dominum pro me, est mihi vtilis, & prodest, illius vero peccatum nemini nocet, nisi ipsi. Secundo argumentor. Nam esto, quod orationes missæ ex parte, & deuotione orantis sint maioris fructus, oblatio vero, quia fit nomine ecclesiæ, non poterit esse fructuosior ex parte offerentis sacerdotis, quantumuis ille sanctus sit. Respondetur, quod quemadmodum orationes dicuntur nomine ecclesiæ ex qua parte tam boni ministri, quam mali oratio fructuosa est, hoc tamen non tollit, quin ex deuotione & sanctitate sacerdotis orantis fructuosior sit oratio iusti, quam peccatoris: ita quanuis oblatio fiat nomine ecclesiæ, tamen considerata deuotione, & sanctitate sacerdotis offerentis, fructuosior est eius oblatio, non ex parte rei oblatæ, nec ex parte ecclesiæ, cuius nomine offertur, sed ex parte sacerdotis. Quod declaro: Nam oblatio ipsa facta à sacerdote religioso, & sancto est actus liber, & bonus, & meritorius: ergo negari non potest, quin ex parte ipsius sit fructuosior, quam oblatio impij sacerdotis: quia omne bonum est fructuosum, malum verò sterile. Et non dubium, quin Dominus mihi benefaciat, si quis purè, & deuotè offerat pro me sacrosanctum illud sacrificium, benefaciat, inquam, magis, quam si obtulisset indigne. Hic si quis quærat, vtrum si quidem oblatio fit nomine ecclesiæ, sit etiam ex ea parte eo acceptabilior, & gratior, quo plures homines iusti & grati Deo fuerint in ea: respōdeo, q mihi ita videtur, & ita visum est Gabrieli, & alijs. Nec verò id potest negari. Nam si ex maiore sanctitate sacerdotis

Gabr. lec. 26 in can.

tis

ris orantis redundat maior fructus: ergo ex maiore sanctitate ecclesiæ, cuius nomine oramus, redundabit maior fructus. Sed est aduertēdum, quod cum ecclesia Dei semper fuerit vna, & sacerdos offerat, & oret nomine totius, & integræ ecclesiæ, parua fieri videtur accretio, vel decretio ex eo, quod vno anno sint plures iusti quā alio. Hæc enim non possunt habere magnum momentum comparatione totius corporis ecclesiæ, quæ, & militat, & militauit in terris. Nomine enim ipsius offertur, quod magnā cōfidentiam debet dare ministro.

ARTICVLVS. VII.

Vtrum hæretici schismatici degradati, & excōmunicati possint consecrare.

D. Aug. Respondeo, quod de his habemus doctrinam Augustini lōgamque disputationem in libro secundo contra epistolam Parmeniani, vbi benedictus ille Doctor populi Dei ostendit, & comprobat multis; quod in illis, de quibus nobis sermo, manet potestas ordinis. Nos verò pro resolutione scholastica perstringemus nō nulla per breuiter. Prima ratio eaque euidens apud catholicos sumitur ab effectu, & consuetudine ecclesiæ. Videmus enim quod Apostatæ à fide, si reuertantur non rebaptizantur; & inde vere colligimus, quod manet in eis baptismus. Sed videmus etiam, quod illi, de quibus nobis sermo, licet admittantur ad exercitium suorum ordinum non reordinantur: ergo mā sit in eis potestas ordinis. Secunda: Quia potestas consecrandi pertinet ad characterem sacerdotalis ordinis: character autem quilibet, quia cum quadam consecratione datur, indelebilis est: potestas ergo ordinis indelebilis est: ergo eam retinent etiā hæretici, & degradati; quia consecrationes rerū perpetuæ sunt, & reiterari non possunt. Et hoc est quod libro citato. ait Augustinus, vtrunq;, scilicet, baptismus, & ordo sacramentum est, & quadam consecratione vtrunq; homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoq; non licet à catholicis ea iterari. Sed est aduertēdum cum eodem sancto Doctore in eodem libro, quod aliud est aliquid omnino nō habere; aliud non recte habere: & similiter aliud est; omnino non dare, aliud non recte dare. Illi igitur, qui intra ecclesiam con- D. August. stituti receperunt potestatem consecrandi Eucharistiam rectè illam susceperunt: non tamen rectè ea vtuntur, si postea per hæresim aut schisma, aut excommunicationem ab ecclesia separentur. Qui autem sic separati ordinantur, nec rectè accipiunt & habent, nec rectè vtuntur ea potestate: habent tamen illam. Vnde cum redeunt ad vnitatem ecclesiæ non reordinantur.

Sed aduersus hæc argumentor primo: Ex capit. quod quidam. 1. quæstione. 1. vbi dicitur, quod inter potestatem dandi baptismum, & ius consecrandi Dominicum corpus, & largiendi sacros ordines, plurimum differt. Suspenso enim vel deposito sacerdote nulla ei relinquitur potestas sacrificandi. Ad hoc dico, quod ea verba sunt quorundam, qui ea opponebant Augustino, quibus in ipso textu respondetur, aliud esse potestatem, aliud executionem potestatis. Recedentes verò ab integritate fidei potestatem acceptam sacramento tenus retinent, sed effectu & exercitio suæ potestatis penitus priuantur. Secundo obijcio ex illo eod. cap. quia eo loco dicitur, quod qui in schismate vel hæresi positi sacros ordines suscipiunt carent etiam potestate consecrandi id, quod textus ipse nititur probare ex concilio Chalcedonensi, & ex Innocentio. Respōdetur, quod cer- Conc. Chal. Innocent. te Gratianus ibi inclinat in eam sententiā: sed tandem incidit in id, quod verum est dicens: Posset generaliter dici sacramenta quæ apud hæreticos non aliter, quā in ecclesia Dei celebrātur, vera & rata esse quātum ad se, falsa verò & inania quātum ad effectum, & in his, à quibus male tractantur, & in his, à quibus male suscipiuntur. Tertio loco peculiariter in degradatos arguitur: Quia degradatio, vt nomen sonat, est deturbatio à gradu, ordine, & potestate, alioqui nihil inter degradatum ipsum, & excōmunicatū interesset, si vterq; priuatur executione solū nō potestate.

Respondetur, quod quia qui degradantur priuantur in perpetuum executione ordinis, iccircò ei pœnæ atque censuræ tam seuerum, & graue nomen impositum est, excommunicati verò non priuantur nisi ad tempus. Ex quibus liquet, quod degradati, & potestatem retinent, & differunt ab excommunicatis. Quando verò ab aliquibus patribus, aut concilijs, aut pontificibus assertum esse inueniatur, quod apud hæreticos solum baptisma ratum esse permittitur, sicut dicebat Innocentius, intelligere debemus hoc ideo dici, quod baptismus licitus sit illis in casu necessitatis; in nullo verò casu possunt licitè Eucharistiã consecrare. Vltimo argumẽto: Quia orationes, quas hæreticus in missa dicit, nullius sunt efficaciæ: ergo eius etiam consecratio nullius est efficaciæ, itaque re ipsa non conficit corpus Christi. Respondetur negando consequentiam: Quia sacerdos in consecratione loquitur in persona Christi, cuius vicem gerit per potestatem ordinis: & quia potestatem ordinis non amisit consecrat verũ corpus, & sanguinem Domini. Sed quia in orationibus, loquitur in persona ecclesiæ, à cuius vnitate est separatus: iccirco eius orationes non habent efficaciam.

Innocent.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrum si hæretici, schismatici, & degradati consecrent, missamq; dicant re ipsa, ea sit alicuius fructus.

PRæmittere debemus, vt procedamus dilucide, quod istorum missa considerari potest, vel ex parte ipsius sacramenti, corporisque Christi vere confecti, vel ex parte ecclesię, vel ex parte ipsius consecrãtis, vel etiam ex parte petẽtis, vt is missam diceret. Secundo aduertendum est, quod posset quis petere ab hæretico, vt missam diceret aut per ignorantiã, aut sciẽs, quod hæreticus esset: posset que fieri vt hæreticus ipse sua sponte sacra faceret, & offerret: atque item fieri posset, vt quis ab eo sacramentum acciperet. His positis dico primum, quod si quis ab hæretico per ignorantiam acciperet corpus Domini, conferretur ei gratia. Probatur: Quia hæreticus habet potestatem consecrandi, & intendit facere quod facit ecclesia, vt supponimus: ergo verè consecrat, & dat verum corpus Domini: nulla ergo restat causa cur negemus conferri tunc gratiam ei, qui per ignorantiam accipit ab hæretico. Dico secundo, quod si quis bona fide, & per ignorantiam dat hæretico eleemosynam, aut alioqui petit, vt missam dicat, percipit eum fructum, quem pius ille actus, & affectio meretur. Hæc liquet: Quia ille affectus bonus est: & qui id petebat ignorabat indignitatem sacerdotis. Dico tertio: Quod si quis petat ab hæretico, vt dicat missam, sciens eum esse hæreticum, aut ab eo accipiat sacramentum, peccat grauiter. Probatur, quia postulat, & quantum in se est efficit, vt sacramenta Dei manibus, ac corde impio indignè tractentur, & ministrentur. Accipere verò communionem ab hæretico in articulo mortis dicunt quidam licere, vt habetur ex Diuo Augustino. 24. quæstione. 1. canon. si quem forte. Sed ibi nihil minus dicitur. Et oppositum colligi potest ex capit. cœpit Ermig. & cap. subdiaconus eadem causa, & quæstione.

Dico quarto, quod si quis per ignorantiam petat ab hæretico, vt dicat missam, aut ille sponte id faciat, offeratque, verbi gratia pro rege, illæ eius orationes, & oblatio nullius sunt fructus, nihilque merentur his, pro quibus fiunt. Itaque non est sermo de veritate corporis Domini confecti, nec de effectu corporis Domini sumpti: sed de illis hæretici orationibus, & oblatione. Probatur: Quia ea oblatio, & orationes, vel essent alicuius fructus, & meriti ex deuotione offerentis. Et hoc non: quia est hæreticus. Aut ex parte ecclesiæ, sub cuius nomine, & persona offertur. Et hoc etiam est falsum: Quia qui non est minister ecclesiæ non offert in persona ecclesiæ: at hæreticus non est minister ecclesiæ, imo est ab ea præcisus: ergo

go non offert in persona ecclesiæ. Aut ex parte petentis missam. Et hoc non: Quia, qui petijt præter petendi meritum, & bonum affectum, de quo iam diximus, nihil potest percipere ex missa, nisi medio ministro ecclesiæ, aut media sumptione sacramenti, & in hoc casu desoit minister ecclesiæ. Et non est sermo de sumptione sacramenti, sed de oblatione consecrantis. Cæterum aduersus hæc argumentor primo: Quia consecratio Eucharistiæ fit nomine ecclesiæ, & tamen habet effectum in hæretico: ergo & oblatio, & orationes, quæ fiunt nomine ecclesiæ habebunt effectum in hæretico. Respondetur, quod antecedens est falsum: Consecratio enim nō
1.Cor.11. fit, nisi nomine eius, qui accipiens panem in sanctas ac venerabiles manus suas dixit: Hoc est corpus meum, & fecit quod dixit, & præcepit, vt id faceremus in eius commemorationem. Sed torqueo argumentum vice versa: Oblatio fit nomine Christi, & ecclesiæ: ergo & consecratio: sed consecratio habet suum effectum: ergo & oblatio. Respondetur, quod quia sacerdos sustinet personam Christi, qui se
Hebr.5. ipsum cum clamore valido, & lachrymis obtulit Patri, & nos offerimus Deo, ac præsentamus Christum ipsum, per quem habemus accessum ad Deum. Iccircò oblatio
Roman.5. fit non solum nomine ecclesiæ, sed nomine etiam Christi. Itaque totum ecclesiæ corpus ex capite Christo constans, & membris offert Deo illam sacratissimam hostiam. At verò consecratio nec fit nisi nomine Christi, nec esset alicuius valoris, si fieret alio nomine. Illius enim nomine
Math.26. solum fit consecratio de quo & cuius virtute illa verificantur: Hoc est corpus meū. Tertio argumentor: Quia orationes sacerdotis mali sunt fructuosæ, vt fiunt nomine ecclesiæ, vt supra dicebamus: ergo, & hæretici. Respondetur, quod nomine mali sacerdotis eum intelligebamus, qui & fidem retinet, & non est præcisus à ministerio ecclesiæ: quanuis alioqui auatus esset vel adulter. At vero hæreticus est præcisus à ministerio, & vnitate ecclesiæ: & iccirco non accepiantur eius preces nomine ecclesiæ.

ARTICVLVS IX.

Verum liceat ab hæretico, vel excōmunicato communionem recipere aut audire missam.

RESPONDEO: Indignū esse, si catholicus in rebus, quæ ad religionem pertinent, & præcipuè in re tam graui, atq; sacrificium, vtatur eius ministerio qui non est minister ecclesiæ, sed hostis, & nec charitatem habens nec etiam veram, & catholicam fidem retinens, qualis est hæreticus. Et ideò ab hæretico non licet audire missam, nec communionem recipere, vt habetur. 24. q. 1. can. si quis dederit. Et quidem, si id fieret tum per se esset indignū, tum vergeret ille hæreticorum fauor, & cum eis cōmunicatio in magnum ecclesiæ detrimentum. Et hæc de hæreticis. De excōmunicatis dico, quod quanuis secundum antiqua iura prohibitum esset, audire missam eorum, aut ab eis accipere cōmunionē, vt. 11. q. 1. c. superueniendo, & cap. vltimo de cohabitatione clericorū, & mulierū. Tamen in concilio Cōstantiensi, & Basiliensi decretū est, vt excōmunicatos vitare nō teneamur, nisi sint, vel nominatim excōmunicati pro quocunq; crimine vel notorij percussores clericorum. Censentur vero nominatim excōmunicati, qui de hæresi schismate, aut apostasia condemnati sunt, vel quando hæc nulla possunt tergiuersatione celari, quia sunt apertissima. Itē illi, qui vel nomine proprio, vel nomine dignitatis, propter quamcunq; causam iustā excommunicantur. In quo aduertendum est, quod aliud est esse aliquem publicū excommunicatum, aliud, esse excommunicatum nominatim. Concilia enim loquūtur de nominatim excōmunicatis: quo circa non sunt extendenda ad publicos excōmunicatos quales sint, verbi gratia incendiarij. Et ratio huius est; quia hæc istorum conciliorum decreta facta sunt ad pacandas fidelium conscientias. Tam autem est varium, & inconstans vulgus, vt sæpe homines timoratæ conscien-

Conc. Const. conc. Basil.

conſcientiæ dubitarent, an hic, vel ille eſſent publici excommunicati. Nomine igitur excommunicati nominatim, non debet intelligi publicus excommunicatus, quia id eſt contra intentum conciliorum. Et hæc de hoc articulo. Intelligenda vero ſunt de iure poſitiuo: alioqui quando excommunicatu audacia fouetur communicatione, & cõſortio noſtro, & quando prudenter ab eo timere debeo aliquod contagium, & quando ex familiaritate mea cũ illo alij ſcandalizantur, iure ipſo diuino, & naturali teneor vitare. Veh enim eſt ei, qui fouet, & conſentit peccanti, & qui im-
pijs amicitia iungitur, & qui ſcandalizat
2. Paral. 19. fratrem ſuum. Quæ vero de excommuni-
Matth. 18. catis diximus intelligantur etiam de ſuſpẽ-
ſis, & ſimilibus.

ARTICVLVS. X.

Vtrùm liceat ſacerdoti omnino ceſſare à conſecratione Euchariſtiæ.



VI Prudenter mores hominum, & acta conſiderant, vident ab eis fieri multa, quæ in quibuſdam ſunt grauiſsima peccata, in alijs minus grauia, in alijs nulla, ſed potius bona opera. Quæ ratio & cauſa Deo fuit reſeruandi omnia ſuo tribunali, ſi quidem ab hominibus exactè diſcerni, & iudicari non poſſunt. Ac propterea ego certè vehementer doleo cum video ſæpe ſummiſtas ità de actibus humanis in genere iudicare, vt interim non admoneant, ea, quæ affirmant, ita variari pro ratione finis ac intentionis, loci, temporis, conſuetudinis, & perſonarum, vt id, quod in vno eſt bonum opus in alio ſit ſcelus atque flagitium. Huius verò generis eſt diſputatio præſens. Nam non facile inueniet quis, quod ex natura rei loquendo ceſſare ſacerdotem à conſecrando ſit graue peccatum. Vnde mira eſt inter Doctores ſententia-
S. Tho. rum varietas. S. Thom. putat eſſe. m. Ale-
Alexan. xand. Halenſ. & Caietan. exiſtimant eſſe
Caiet.
Syluest. d. 13 veniale. Syluest. dubitat, quid iſtorum ve-
Ricar. rum ſit ver. Euchariſtia primo. §. 7. Ricar-
Durand. dus, & Durandus affirmant eſſe graue peccatum. Quid autem mihi hac in parte dicendum eſſe videatur, explicabo ſequentibus.

Prima propoſitio: Sacerdos, qui hiſce temporibus non celebrat, aut ſolum celebrat bis aut ter in anno, eſt homo vitæ perditæ, & ſceleratæ. Idque in vniuerſum loquendo, dummodo memores ſimus, quod eſt ſermo moralis. Probatur: Nam videmus, quod ſacerdotes timoratæ conſcientiæ, & religioſi frequenter accedunt ad altare, & ex aduerſo etiam nouimus, quod qui nunquam aut rariſsimè celebrant, ideò altare refugiunt, quia iacent in perpetuo concubinatu alio ve ſimili crimine, & vitio, & cum remanſerit in eis fidei radius, nolunt manibus, & labijs impuris tractare ſacramenta Dei, ſæpeque id faciunt, etiam ex faſtidio rerum diuinarum, & lamentabili quadam ſpiritus pigritia. Et prætereà cum celebrare ſit optimus actus facilis, honorabilis etiam apud ſeculares, cumque ſit proprius ſacerdotis, & eius ſaluti ſpiritualí, & corporali maximè vtilis, cum nullum adſerat temporale detrimentum, quid reſtat, quod dicamus, niſi eum, qui non celebrat, hoc ideò facere, quia reclamante conſcientia fugit altare. Vnde populus male ſentit de eiuſmodi hominibus, atque hac in parte ſanè illud locum habet, vox populi vox Dei. At rogas ex natura rei quantum, quale ve peccatum ſit, ſacerdotem non celebrare, & vtrum ſit peccatum. Reſpondetur propoſitione ſecunda, ſi non celebrare nudaretur omni alio malo eſſet peccatum veniale, & id quidem graue. Quod eſſet peccatum probo: Quia cùm potentia ſit propter actum indecens eſt, & indignum, ſi is, qui potentiam habet nunquam exeat in actum; ſed ſacerdos habet poteſtatem conſecrandi: ergo indecens eſt, & alienum ab eo, quod rei natura poſtulat, quod eam non exerceat. Quod verò non ſit peccatum mortale declaro; Quia per hoc homo non ſe priuat aliquo neceſſario ad ſalutem, nec facit aliquid oppoſitum virtuti neceſſariæ. Et denique quod id ſit graue

graue peccatum liquet ex ipsius materia, & quia homo se priuat per illud magnò emolumento spirituali. Tertia propositio: Quanuis sacerdotem non celebrare secundum se, & nudatum omni circunstantia indecens sit, & alienum à ratione, & signum sit hominis vitæ perditæ, & sceleratæ, in vniuersum loquendo, posset tamen id reperiri in viro sanctissimo. Probatur: Nam inter id, quod fit ex instinctu, & motione Spiritus sancti, & quod fit ex propria voluntate atque malitia, tantum

Hier. 7. & 9. interest, vt cum Dominus Hier. 7. & 19. loquens de parentibus, qui filios occidebãt, dixerit, quæ non præcepi, nec locutus sum nec ascenderunt in cor meum. Ipse tamen

Gene. 22. præcepit Abrahæ, vt filium immolaret: quanto igitur potiori ratione credendum est, accidere posse aliquem hominem etiã sanctissimum, & purissimum ductum spiritu Dei non accedere ad altare, nec tractare manibus suis sacramenta diuinissima ob eam, quæ humilitas appellatur; atque vt per eum Deus nobis omnibus ostenderet, & intimaret, qua reuerentia, & puritate sacrificare debeamus? Et quidem refert Durandus in

Duran. quarto, distinctione decimatertia, quæstione secunda, sanctum quendam hominem ex patribus sacerdos cum esset noluisse vnquam facere sacra. Itaque id, quod secundum se sumptum indecens esset, posset ità honestari aliqua causa, vt caderet in virum perfectæ, & cumulatæ virtutis. Sed qui hoc dico, etiam illud adiungo, nimis magnam futuram esse eius hominis sanctitatem, in quo non esset reprehendendum, quod nunquam, aut rarissimè consecraret. Generaliter enim loquendo habet locum in his prima

Matth. 7. conclusio; nec ducuntur spiritu Dei, sed spiritu Diaboli. Et quidem à fructibus eorum cognoscemus eos. Nam qui talia agunt, dum adolescentiores sunt, & iuuenes non tam ætate, quam mente, formosi, & elegantes videri volunt, & perditos quosque sæculi adolescentes superant studio omnis voluptatis aucupandæ. Cum verò parum ætate processerint, tunc verò stolidiores facti, & mágis obesi, quam mulæ, quibus supergrediuntur, hoc vno ministerio seruiunt ecclesiæ Dei, quod ipsius, & pauperum bona bene consumunt. Epulantur enim quotidiè splendidè, se seque implent atque refarciunt. Deinde lasciuiunt in stratis suis. Et talis est, vt in plurimum, eorum vita, qui cum sacerdotes sint, nunquam tamen, aut rarò consecrarunt.

Quarta propositio: Non possumus certo statuere, & determinare numerum eorum dierum, quibus sacerdos tenetur accedere ad altare: sed id prudentum arbitrio relinquendum est. Videtur autem mihi, quod his temporibus in quibus est consuetudo frequens quotidie celebrandi, debet religiosus quisque, & cordatus sacerdos saltem diebus Dominicis, & festis, vel omnibus, vel præcipuis celebrare, nisi velit, & sibi ipsi esse detrimento, & alijs scandalo.

Elucidabuntur verò hæc ijs, quæ in contrarium obijciemus. Et primo argumentor: Quia qui aliorum curam habet tenetur alijs ministrare: sed multi sacerdotes sunt curati: ergo tenentur ministrare, & conficere hunc cibum saluus. Respondetur, quod nobis in articulo sermo fuit de sacerdote, in eo, quod sacerdos: si vero fuerit curatus bene procedit ratio. Secundo: Nullus tenetur facere quod sibi non licet; alioqui esset perplexus: sed sacerdoti peccatori, vel excommunicato, vel suspenso, & eiusmodi alijs non licet consecrare: ergo non tenentur. Ad hoc pro excommunicatis, & suspensis, & alijs eius generis respondetur, quod si sacerdos fuerit priuatus per sententiam ecclesiæ executione ordinis, vel omnino, vel ad tempus determinatum, nullam tunc habet obligationem consecrandi Eucharistiam, quia redditus est impotens ad offerendum. Pro sacerdote verò peccatore, qui priuatus non est executione ordinis, dicendum est, quod tenetur consecrare: nec tamen est perplexus; quia potest ac debet poenitere.

Tertio argumentor: Nam quilibet sacerdos, sicut habet potestatem consecrandi, ita & absoluendi, & baptizandi, atque exequendi multa alia, quæ pertinent ad sacramenta, sed ad hæc non omnes sacerdotes tenētur, ergo nec ad primū illud. Respondetur negando consequentiam: quia potestas absoluendi, & exequendi ea quæ in argumento tanguntur pertinet ad corpus Christi mysticum, atque vsum fidelium, respectu cuius corporis sacerdos non potest vti sua potestate, nisi super ipsum habeat iurisdictionē: nec tenetur alijs ministrare, nisi eorum curam susceperit, eique incumbat ex officio, & quia non omnibus sacerdotibus data est ea iurisdictio, & impositum hoc munus; iccirco non omnes tenentur ad illud. Actus autem consecrandi non respicit, nisi corpus Christi verū, respectu cuius sacerdos nō interdictus potest actu exercere suam potestatem consecrando Eucharistiam, & offerendo sacrificium Deo. Et non modo potest, sed etiam debet, ac tenetur id facere ex ordine suscepto. Debet autem, & tenetur modo, & ratione iam dicta.

Quarto argumentor: Ex illo præcepto Domini, Hoc facite in meam commemorationem: ergo omnes tenentur celebrare. Sed Respondetur, quod illud præceptum datur ecclesiæ. Esto vero, quod peculiariter respiciat sacerdotes debet intelligi proportionaliter ad eos descendere ita vt quamuis qui curam habent animarū teneantur eo sub pœna peccati mortalis non tamen omnes sacerdotes eo modo tenentur. Matth. 26

Quinto posset fieri argumentum de his qui arripiuntur à dęmone vel de epilepticis, hoc est, laborantibus morbo comitiali quem Hispani appellant, gota coral, & Itali mal caduco; alijsque infirmis, qui aut sensu, ac mente priuantur, aut in terram eliduntur, quibus prohibitum est consecrare: vt constat ex cap. communiter 33 distinctione. & cap. ex literis. 7. quæstione secunda. Respondetur, quod quantum colligitur ex iuribus citatis, & ex ca nuper. 7. quæstione secunda, alijsque locis Iuris Canonici, arrepti à dæmone non possunt celebrare, & postquam ab eo liberati fuerint, debent per integrum annum abstinere, vt magis constet eos liberatos esse. Et prętere a epileptici, siue qui laborant morbo caduco arceantur à sacris, & generaliter qui morbi magnitudine, vique correpti sæpe cadunt in terram ac priuantur sensu, quicunque ille morbus sit, non debent celebrare, & illi etiam, qui raro cadunt, si ita illiduntur in terram, vt edant voces confusas, & inconditas, talis arcetur ab altari, in illo cap. nuper. quia potest haberi magna suspicio, quod arripitur à dęmone. Qui autem cadunt rarius celebrare possunt cum sacerdote socio. Pro lepro sis dico, quod publice nō permittūtur celebrare, possunt autem celebrare occulte. Quod si aliquid oppositum his, quæ diximus, de infirmis, qui arcentur, in aliquo iure, inueniri videatur, attendamus in alijs locis iuris auferri ab eis eam licentiam.

Vltimo loco aliquis eruditus lectione antiquorum sanctorū, & historiarum nascentis ecclesiæ opponet fortasse nonnullos viros sanctos, qui noluerunt celebrare qualis fuit ille, de quo mentionem facit Durandus. Sed iam diximus, quod ab hominibus sublimis, & heroicæ virtutis Durand. fiunt nonnunquam quædam spiritu Dei quæ alij faciunt ex propria malitia, atque ita pollent & bene, & male fieri. Aduertendum vero, quod quamuis loquendo ex natura rei, non peccaret mortaliter sacerdos qui nunquam celebraret, tenetur tamen præcepto sumēdi Eucharistiam tēpore quo reliqui fideles tenentur.

QVAESTIO VNDECIMA, DE SACRIFICIO MISSAE EIVSQVE RITV.

ARTICVLVS. I.

Vtrum missa sit à Christo instituta.



RIA Faciam in hoc articulo. Nam declarabo primum, secundum quam rationem missa instituta sit à Christo Domino. Secundo, secundum quam sit instituta ab ecclesia. Tertio propter hæreticorum instantiam ostendam, quam sit antiquum, & peruetustum etiam nomen missæ. Oportet vero præmittere, quod missa accipi potest, & pro consecratione Eucharistiæ, eiusque sumptione, quæ sunt ipsi essentialia. Secundo etiam accipitur, vt complectitur totum illum decursum ceremoniarũ, qui consecrationem Eucharistiæ antecedit, & sequitur, verbi gratia, quod præmittitur cõfessio, incipitur ab Antiphona quæ dicitur introitus, repetitur illud Kyrie eleison, &c.

Hoc constituto sit prima conclusio: Accipiendo vocabulum missæ pro consecratione & sumptione Eucharistiæ, de fide est, quod sit à Christo Domino instituta. Probatur: quia Lucæ. 22. postquam Dominus consecrauit corpus suum, & dedit discipulis manducandum, adiecit: Hoc facite in meam commemorationem, vnde D. Martialis vnus est septuaginta Domini discipulis in epist. ad Burdegalenses capit. 3. ait: Quod autem Iudæi per inuidiam immolauerunt putantes se nomen eius à terra abolere, nos causa salutis nostræ in ara sanctificata proponimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam & mortem effugandam: hoc enim Dominus noster iussit nos agere in sui commemorationem. Luc. 22.

Secunda conclusio: Certum est, quod multa ex his, quæ consecrationem antecedunt, & subsequuntur, sunt ab ecclesia procedente tempore statuta. Ac proinde sumendo missam secundo modo nõ omnia, quæ eo nomine significantur, sunt à Christo instituta. Hæc liquet: Quia Gregorius papa huius nominis primus instituit, vt cantaretur primum ea Antiphona, quæ dicitur introitus, & deinde vt diceretur Kyrie eleison, Christe eleison, ea ratione, & modo, quo dicitur. Et ante ipsum Gregorium Thelesphorus papa & martyr præceperat cantari Hymnum illum Angelicum, Gloria in excelsis Deo: & alia similiter procedente tempore statuta sunt. Gregor. Thelesph.

Tertia conclusio: Absolutè loquendo, impie dicitur, quod institutio missæ non habet fundamentum in euangelio. Probatur: Quia fides catholica est, quod Dominus disposuit, & ordinauit ea, quæ in missa principalia, & essentialia sunt, vt modo diximus: ergo dici non potest, quod institutio missæ non habeat fundamentum in euangelio. Et præterea quando sacerdos aliquem baptizat verè dicere potest, se facere, quæ Christus instituit, quanuis adhibeat aliquas ceremonias, quas ecclesia statuit: ergo pari ratione sacerdos dum celebrat, missamque dicit, ea quidem facit, quæ Christus instituit, quanuis vtatur ecclesiæ ceremonijs. Tertio probatur: Nã propter has, vt credo, causas damnatus est in concilio Constantiensi articulus quin- Conc. Const.

Oo 5 tus

tus Vvicleph, qui sic habebat: Nō est fundatum in euangelio, quod Christus missam ordinauit. Atque quod spectat ad resolutionem scholasticam hæc sufficiant, pro primo & secundo, eorum, quæ proposui. Quia vero hæretici nostri temporis secuti Vviclephum, missam appellant rem papisticam, & recentem, atque humanis inuētionibus illatam ecclesiæ, ostendam tertio loco quam sit non modo res, sed etiam nomen antiquum. Clemens papa huius nominis primus, discipulus Apostoli Petri in epistola tertia præcipit presbyteris, & alijs clericis, vt nihil absque proprij episcopi licentia agant, nec missas, sine eius iussu celebrent. Et eodem loco admonet clericos, ne alijs locis sacrificent, & missas celebrent, nisi in his, in quibus episcopus iusserit. Item Alexander primus sextus à B. Petro in epistola prima ad omnes fideles ait, in sacramētorum oblationibus quæ inter missarum solemnia Domino offeruntur, &c. Et ante mille & quadringentos annos Telesphorus papa & martyr in epistola ad omnes Christi fideles, Missarum, inquit, celebrationes ante horā diei tertiam minime sunt celebrandæ, quia & eadem hora Dominus crucifixus est, & Spiritus sanctus super Apostolos descendisse legitur. Ab episcopis autem idem angelicus hymnus pro tēpore & loco in missarum solennijs celebrandus est, & recitandus solenniter. Hæc Telesphorus. Abdias episcopus Babyloniæ ab Apostolis ordinatus qui se Christū in carne vidisse testatur li. septimo apostolicæ historię vbi narrat gesta Matthæi apostoli, & euangelistæ, cum retulisset Matthæum publice orasse Deum pro Iphigenia filia Eglippi regis AEthiopum, quam Hirtacus regni successor sibi in coniugem copulare volebat, quanuis illa Virginitatem Deo vouisset, hæc addit. Cumque respondissent, Amen, & mysteria Domini essent celebrata, & missam suscepisset omnis ecclesia retinuit se vt iuxta altare, vbi corpus ab eo fuerat Christi confectum, illic martyrium subiret. Igitur non modo res, sed ipsum etiam Missæ nomen est perantiquum.

Clemens.

Alex.

Telesph.

Adde.

Abdias.

ARTICVLVS. II.

Vtrum in missa offeratur sacrificium.



LVTHERVS, Caluinus Melancthon, Vvitembergenses cæterique duces hæreticorum huius ætatis ita in Dei ecclesiam conspirarunt, vt illam non modo ornamentis suis spolient, sed etiam vnicum illud & præstantissimum, quod habet sacrificium corporis & sanguinis Domini auferre moliantur. Si quis vero eorum omnium scripta & verba legat attentè (si tamen ea, vel legi possunt vel audiri à viro religioso, & pio) nihil inueniet in eis veri, aut boni, nisi quod bene maledicunt. Et dum in sacram veritatem impudentissime conuitia iactant, ac maledictis, & blasphemijs insectantur, illud blasphemandi munus obeunt eloquēter. Nos vero qui à sapientibus edocti sumus, musas esse syrenibus præferendas, nudam ipsam veritatem, & synceram ostendemus, ac de more nostro locis theologicis comprobabimus. Sciendum ergo est, quod vt ait Plato in Dialogo de sancto, quemadmodum orare Deum est aliquid ab ipso petere, ita & sacrificare Deo est aliquid ipsi (de eius quidem donis) dare, & offerre. Quod vero illud animatum sit & mactetur non est de ratione sacrificij. Vnde gentilium sacrificatores antiqui non animalia, sed herbas primum, deinde flores, & arbores sacrificabant: Quia vero aromata sæpe adhibebantur, & incendebatur etiam sacrificium, iccirco sacrificia Græcis, θυσίαι dicuntur & quia temporis successu homines frugibus terræ relictis cōmuni gentium more ad sacrificium adhibuerunt animalia, inde factum est, vt victima & sacrificium pro eodem nōnunquam accipiatur; cum tamen reuera ratio sacrificij nō requirat vt mactetur, vel immoletur animal. Existimo vero requiri, vt aliquid fiat circa rē quam offerimus quod & vsu ac consuetudine gentium & nominis ipsius significationem possem cōprobare. Atque

Pythag.

Philo.

Plato.

Aſque in eam ſacrificij ſignificationem quam adduximus ex Platone, non philoſophi modo, ſed & catholici, & hæretici & apoſtatæ conuenerunt, vt liquet ex D. Auguſtino. 10. de Ciuitate cap. ſexto & ex Porphirio ſecundo libro de ſacrificijs, & ex Caluino in illa ſua inſtitutione Chriſtianæ religionis cap. decimo octauo, vbi fatetur ſacrificium complecti quicquid omnino Deo offertur. Secundo aduertendum eſt, quod ſacrificium offertur Deo, vt illum veneremur, vt ei gratiam referamus, vt ab ipſo & impetremus bona & liberemur à malis. Tertio aduertendũ eſt, quod ſacrificium ſolet accipi, & pro re ipſa oblata, dicimus enim, quod quis obtulit ſacrificium: & pro ipſa rei oblatione. Eo quod quando bona & pura mente Deo aliquid offerimus, & ſacrificamus, ea oblatio eſt gratiſsimum ſacrificium. Quocirca quando ſacrificans ea peregit, quæ facienda erant dicere ſolemus, peractum eſſe ſacrificium, hoc eſt peractum eſſe, & ad finem deductã actionẽ ſacrificãdi. Qui vero ampliorem de ſacrificij ratione ſermonem deſiderauerit, legat articulum ſextum, quæſtionis. 24. ſupra. Ex his autem quæ diximus, nonnulla efficiuntur, quæ rem magis declarant. Efficitur enim ex eis ſacrificium eſſe partem quandam, & ſpeciem operis ſacri, nec enim omne opus ſacrum eſt ſacrificium. Quocirca ea vox non poteſt extendi ad omnes cæremonias & actus religionis. Septem enim ſacramenta agnoſcit eccleſia, ſeptem ſacrificia non agnoſcit. Et in ſacrificio propriæ dicto oportet eſſe hoſtiam, quæ Deo immoletur oportet & eſſe oblationem. Non tamen in quocunque opere ſacro inuenitur hoſtia & oblatio: quæ enim hoſtia eſt aut oblatio quando ſacerdos abſoluit aliquem? Ex his veritatem catholicam quod in miſſa vere, & proprie offeratur ſacrificium, oſtendo in hunc modum. Nos ſacratum panem, & vinum hoc eſt, corpus, & ſanguinem Domini offerimus Deo, quibuſdam circa illa religioſe ac rite peractis, eaque offerimus, vt Deum veneremur; vt ei immortalem gratiam referamus; vt ab ipſo per eam ſacratiſsimam hoſtiam impetremus bona, & liberemur à malis. His autem, quæ diximus, vera & perfecta ſacrificij, ratio continetur: ergo vere tunc ſacrificamus. Secundo certum eſt, quod præter ſacrificia laudis, gratiarũ actionis, iuſtitiæ, & bonę ac ſtudioſæ vitę quæ ab initio mũdi in omni natione, & ætate iuſtis communia fuere, præter hæc, inquam, nulla reſpublica fuit tam male fundata, nulla gens tã barbara, & inculta, quæ peculiare aliquod ſacrificium & rationem venerandi, atque placandi Deum vel Deos ſuos non haberet in quod conueniret, & quo ſuam religionem manifeſtaret & tueretur. Vnde Ariſtoteles c. 2. Rhetoricæ ad Alexandrum exemplum ponens argumentandi à iuſto, & honeſto illud petit à ſacrificijs docens iuſtũ eſſe apud oẽs, vt ſacrificia fiant, & patrio more fiant, idque dicit & omnia vaticinia iuſsiſſe hominibus, & primos vrbium conditores eis tradidiſſe. At in nouo teſtamento, & eccleſia Dei, ſi corpus & ſanguis Domini, quæ offerimus in miſſa non ſit ſacrificium nullum omnino reſtat quod ſit huius reipublicæ ac populi Dei peculiare ſacrificium: ergo vere id, quod in miſſa offertur, eſt vnicum eccleſiæ, & peculiare ſacrificium. Tertio iuxta doctrinam Apoſtoli hæc tria ſe conſequuntur, & neceſſario quodã vinculo continentur, lex ſacerdotiũ, ſacrificiũ. Scriptũ ſi quidẽ eſt: Tranſlato ſacerdotio neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat, ad Heb. 7. & capite quinto & octauo, munus ſacerdotis eſſe dicitur hoſtias offerre, ſi ergo eccleſia ac populus Dei habet legem, habet ergo ſacerdotium, ergo habet & ſacrificium. Sacerdos enim ad hoc inſtituitur, vt offerat ſacrificium. Sed reſpondent aduerſarij, fideles omnes eſſe ſacerdotes, ac proinde eccleſiã Dei præter cõmunia illa ſacrificia bonę mẽtis, laudis, miſericordię, & iuſtitię nõ habere peculiare aliquod ſacrificiũ, quia nec habet peculiares ſacerdotes. Maneat ergo inter nos & hæreticos hoc in cauſa tã eſſe verũ apud nos eſſe peculiare aliquod ſacrificium, & illud in miſſa offerri, atque verum eſt ſartores, cerdones, caupones, garrulas anus, & mulierculas, quibus iſti placere ſtudent; & deniq; vulgus illud miſerum,

D. Auguſtin.

Ariſt.

Hebr. 7.

ſerum, quod grauiſsime deceperunt, non eſſe ſacerdotes, hoc inquam, in hac cauſa maneat. Quarto oſtendo manifeſte hanc, quam nos defendimus eſſe doctrinam, & D. August. fidem ſanctorum. D. Aug. lib. 16. de Ciuitate. cap. 22. loquens de Melchiſedech. Ibi, inquit primum apparuit ſacrificium, quod nunc à Chriſtianis offertur toto orbe terrarum. Et lib. 10 de Ciuit. c. 20. loquens de illo ſacrificio, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui in forma Dei ſacrificium accipit, obtulit in forma ſerui Deo patri in cruce, addit. Cuius rei ſacramentum quotidianum eſſe voluit eccleſiæ ſacrificium; cum ipſius corporis ipſe ſit caput, & ipſius capitis ipſa ſit corpus, tã ipſa per ipſum, quã D. Chryſ. ipſe per ipſam ſueuus offerri. D. Chryſ. in ritu miſſæ ſic habet: Propter inenarrabilem & infinitam tuam benignitatem citra conuerſionẽ, & commutationem homo factus es, & noſter ſacerdos appellatus, & huius miniſtratorij & incruenti ſacrificij conſecrationem nobis tradidiſti, tanquam D. Amb. Dominus omnium. D. Ambroſius, in præfatione, miſſæ cœnæ Domini, Aut, quid inquit, ſperare de tua miſericordia poſſumus qui tantum munus accepimus, vt talem tibi hoſtiam offerre mereremur, corpus ſcilicet, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti qui formam ſacrificij perennis inſtituens hoſtiam ſe primus obtu-Nazianz. lit, & primus docuit offerri? D. Gregor. Nazianzenus, in carmine ad epiſcopos, & ſacrum clerum, exordium ſumens à ſacerdotum munere proprio, & dignitate in primis verbis exclamat; O qui ſacra Deo offertis ſine ſanguine myſtæ in quorum manibus diuinum plaſma tenetur. Et D. B. Cypria. Cyprianus ad Cæcilium ait: Quia paſsionis mentionem in ſacrificijs omnibus facimus, paſsio eſt enim Domini ſacrificium quod offerimus, nihil aliud quam quod ille fecit facere debemus. Et quia ſanctorũ teſtimonia longum eſt enumerare idem B. Dioni. inuenietis apud D. Dionyſium lib. de ecD. Ignat. cleſiaſt. Hierarchia c. tertio, Ignatium in D. Athan. epiſtola ad Smirnenſes apud Athana-Gregor. ſium in libr. quæſtionum ad Antiochum. Greg. lib. quarto Dialogorum cap. 58. Damaſcenum lib. quarto fidei c. 14. Hieronymum ad Edibiam quæſtio. 2. atque ad hos patres ſanctiſsimos & integerrimos, quorum doctrina, & ſanctitate eccleſiæ reſpublica ſtabilita eſt, & perſeuerat, vocamus hæreticos, non ad ſuos illos Lutherum, Caluinum, Bozerum, Melãcthonem. At reſpondet Caluinus, Euchariſtiam ideo à patribus vocari ſacrificium, quia eſt exemplar, & imago ſacrificij. Cæterum hæretice imbecilliſsime, imago hæc, & exemplar ſacrificij in cruce oblati pro nobis; ſacrificium eſt; itaque quando in miſſa paſsionẽ Domini referimus, & repræſentamus; & offerimus Deo corpus, & ſanguinem filij ſui, vere & proprie ſacrificamus; nihil enim quod ad ſacrificij rationem, & naturam ſpectat, poteris proferre, quod non inueniatur in hoc noſtro ſacrificio, vt ſupra oſtendimus. Quocirca ille, quem non negabis ſapientem eſſe, & vere fidelem Au-D. August. guſtinum catholice atque ſapienter, vtrũque coniunxit; vidit enim exemplar illud ac ſacramentum paſsionis Chriſti æterni Dei, eſſe etiam ſacrificium. Et ideo dixit loco citato, cuius rei ſacramentum, quotidianum eſſe voluit eccleſiæ ſacrificium. Quod ſi ſacrificia omnia veteris legis, atque naturæ ſigna fuerunt, eius ſacrificij, quo Chriſtus in cruce ſe obtulit patri, vt eo loco docet Auguſtinus, quis eſt tam ignarus, qui neget in miſſa offerri ſacrificiũ, propterea quod paſsionem Domini repræſentamus? Quinto loco quoniam hæretici ſummorũ pontificum nomine offenduntur, efficiamus, vt ab ipſis pro iniurijs in eos illatis, doctrinæ veritatem pretioſam certe ſupellectilem reportent. Hanc ergo veritatem docuerunt in primis illis temporibus naſcentis eccleſiæ Anacletus in epi-B. Anacle. ſtola prima vbi docet, quid ſeruare debeãt ſacerdotes, quando Domino ſacrificant. Alexander in epiſtola ad omnes orthodo-Alexan. xos, In ſacrificio; inquit miſſarum panis tantum, & vinum aqua permixtum offeratur. Idẽ docuit Clemens, Euſebius, Iulius, D. Clemen. Fælix, & alij, qui citantur diſtinctio. 1. & Iulius. ſecunda de conſecratione. At ſexto loco Felix. veniamus ad Concilia. Antiquum illud & grauiſsimum concilium Nicenum pri-Conc. Nice. mum, cano. 14. prohibens ne diaconi cor-

pus

pus Christi tradant presbyteris, hæc dicit: Nec regula, nec consuetudo tradit, vt ij, qui offerendi sacrificij non habent potestatem his, qui offerunt corpus Christi porrigăt. Cōcilium Toletanū primū capite quinto præcipit, vt omnes clerici veniant ad sacrificium. Eodem nomine illud appellat concilium Trullanum & Bracharense tertium cap. primo Antissiodorense & Florentinum in decreto vnionis Armenorum, & Constantiense multaque alia. Ac deniq; in concilio Tridentino, catholica hæc veritas diffinita est his verbis: Si quis dixerit in missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam Christum nobis ad manducandum dare, anathema sit. Atque de hoc sacrificio loquebatur Malachias cap. primo dicens: Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituū, & munus non suscipiam de manu vestra ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Et Daniel cap. 12. illud appellat iuge sacrificium, & Acto. 13. vbi dicitur ministrantibus autem illis Domino Græce hebetur sacrificantibus. Hoc que ipsum portenderunt in primis illis tēporibus, & significarūt sacrificiū Melchisedech, & agnus paschalis.

conc. Tolet. *conc. Trulla* *conc. Bracha* *conc. Anti.* *conc. Flor.* *conc. Trid.* *Malach. 1.* *Dan. 12.* *Act. 13.* *Gene. 14.* *Exo. 16.*

His dictis veniamus, ad ea, quæ hæretici obijciunt, & putāt sufficere vt à sanctis patribus, & ecclesiæ sensu discedant. In primis ante dicūt Lutherus & Caluinus non vere, & propriè appellari posse sacrificiū id quod est donum potius, & signum sacrificij. Cōficiamus autem scholasticorum gratia rationem in hunc modum. Signum sacrificij non est sacrificium si quidem nec signum hominis est homo: at Eucharistia est signum sacrificij, quod Christus obtulit in cruce, ergo non est sacrificium. Item sacrificium habet rationē dati, Deo enim illud tribuimus, & offerimus: Eucharistia vero habet rationem accepti, est enim beneficium, & gratia nobis collata ergo nō est sacrificiū. Respōdetur breuiter; quod si ratio argumentandi hæreticorum aliquid valeret, efficeretur vtique sacrificia veteris legis non esse sacrificia; si quidem & Christi passionem præsignabāt, & fiebant de Dei donis ac datis. Nos vero dicimus, quod alia quidem est ratio signi, alia sacrificij; ac proinde non eo sacrificium quo signum & sacramentum. Sed accidit nonnunquam aliquid & signū esse: quia aliquid repræsentat; & sacrificiū esse, quia Deo offertur: sicut non eo lapis quo signum. Verum euenit nonnūquam vt lapis ipse sit signum. Et quanuis signum hominis, non sit homo; quia non cadit in illud ratio hominis, signum tamen rei, est res quia cadit in illud ratio rei: ergo quando dicit hæreticus: Signum sacrificij non est sacrificiū, si sensus esset, quod non eo sacrificium, quo signum, verum esset. Quia vero ille significare vult, quod idem non possit esse simul, & sacrificium & signum siue sacramentum, negandum est, quod assumit; quia est falsum. Id si quidē quod agitur in missa, & signum est, quia repræsentat Christi passionem, & sacrificiū est, quia offertur Deo. Illud vero obiectū à Luthero de ratione diuersa dati, & accepti; est etiam multò leuius, & magis ridiculum. Vnde enim Deo cunctorum sacrificium offerremus, nisi de eius donis ac datis, quanuis diuersa sit ratio, dati & accepti. Secundo obijcit Caluinus illud Hebræorum septimo. Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, &c. Quo loco Paulus sacerdotium veteris testamenti à sacerdotio noui distinguit, quod in illo plures fuerint sacerdotes, eo quod morte prohiberentur permanere, & indigerent successoribus, in nouo vero vnicus sit sacerdos semper viuēs ad interpellandum pro nobis, nec indigēs successore. Nulli ergo sunt modo sacerdotes, qui offerant sacrificium vere & proprie. Respondetur esse verissimum, quod in veteri lege multi fuerint sacerdotes, noster vero sacerdos sit vnus, qui vna sola oblatione præstitit quod illi multis præstare non potuerunt, nempe remissionem peccatorum. Id vero quo modo intelligēdum sit accipite. Inter veteres sacerdotes nemo fuit cuius cæteri vicarij essent: nec enim posteriores prioris alicuius gerebant vices: sed vnusquisque suo, non alterius nomine

Hebr. 7.

mine offerebat. Et præterea plures ac differentes immolabant hostias, & icirco plures illi sacerdotes erant, plures & oblationes. At in lege noua, sacerdos, qui Deum sanguine suo placauit, & reconciliauit mūdo, vnus est Christus, qui vnica sua oblatione hoc totum effecit. Nos vero sumus non successores illius, sed ministri per ipsum, eiusque nomine consecrantes, & offerentes. Sicut enim vnus Christus est iustitia nostra, & sanctificatio nostra, & sanctorum sanctus, non tamē sanctificat nos sine nobis, sed cooperante nostro libero arbitrio per gratiam ipsius, ita ipse quidē est sacerdos noster vnicus, qui & offert se ipsum per nos tanquam per ministros, & nos offerimus per ipsum, tanquam per caput, & principem, nomineque eius, qui nos recōciliauit Deo & dedit accessum ad patrem. Atque hæc est expressa doctrina D. Aug. loco citato libri decimi de Ciuitate Dei. cap. 20. Vbi loquens de Christo & ecclesia; Cum ipsius, inquit corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quam ipse per ipsam suetus est offerri. Attendissent autem hæretici, nisi cæci omnino, & furentes essent, quod quemadmodum vnus est pontifex, & sacerdos noster: ita vnus est dux, vnus doctor, & præceptor, vnus sacramentorum bonorūq; omniū spiritualiū effector & collator. Scriptū enim est, dedi eum ducem ac præceptorem gentibus. Quid ergo Paulus prædicator gētium? quid Apollo? quid Cephas. Respondeat Paulus, ministri eius cui credidimus. Itaque catholice & firmissime credimus, vnicum esse pontificem nostrum, & sacerdotem, qui cum clamore valido, & lachrymis se ipsum offerens exauditus est pro sua reuerentia, atque assistit vultui Dei pro nobis. Nos tamen sumus ministri eius, quia vult, vt nos ipsum per ipsum offeramus patri, sicut, quanuis sit sanctificatio nostra, voluit, vt nos per ipsum eiusque gratiam sanctè viueremus & pie. Nec vero nos plures ac differentes hostias offerimus: sed semper vnam, & eandem patri proponimus, quam obtulit Dominus noster Iesus Christus. Tertio argumentantur ex illo Heb. 10. Voluntarie

i.Cor.1. Dan.9. conc. Trid. D.Aug. Esai.55. i.Cor.3. Heb.5. i.Cor.1. Hebr.10.

enim peccantibus nobis post agnitionem veritatis, nulla iam relinquitur hostia pro peccato: ergo nos non offerimus hostiam pro peccato. Respondetur, quod, siue ille locus intelligatur de oblatione, qua Christus semetipsum obtulit in cruce, siue de baptismate, quod appellat apostolus hostiam pro peccato, nihil habet consequens illa ratio. Et quidem si baptismate intelligatur, id liquet, quoniam non est secundū baptisma. Si vero intelligatur de morte Christi, sensus est; Cauete vehementer ab eo, vt persistatis in peccato, & mortem Christi ac oblationem, quam fecit pro vobis digne æstimate, eiusque remedio vtimini ad vestram salutem, quoniam nulla alia relinquitur hostia pro peccato: Christus enim iam non moritur, mors illi vltra nō dominabitur. Habet itaque se Paulus eo loco, atque bonus medicus, qui vnico, & salutari adhibito medicamento ægrum perterrefaceret dicens: Vtere isto remedio: nullum enim aliud est, quo sanari possis. Inde vero certum est non effici, quod nobis non liceat, corpus & sanguinē Dn̄i offerre in sacrificium. Prima interpretatio est OEchumenij, & Chrysostomi. Ratio vero eius interpretationis est, quoniam hostia, quæ dicebatur pro peccato homines in lege purificabantur, & quia mundantur per baptismum: ideo alludens apostolus ad legem veterem, baptismum appellat, hostiā pro peccato. Secunda vero interpretatio accepta est ex Theodoreto, & mihi videtur propria, & germana. Qui enim eam abijcit hostiam, quam Christus obtulit in cruce, qua tandem iustificabitur? Quarto obijciunt, quod necesse sit animal, quod offertur mactari, & occidi, vt cōstet ratio sacrificij: ergo aut iterū atq; iterum occidendus est Christus, aut nos non habemus sacrificium, quod offeramus. Respondetur quod hæretici, & assumunt hac in parte falsum, & male colligunt. Nec enim est de ratione sacrificij, quod si offertur animal, illud mactetur, sed quod offeratur Deo, & aliquid fiat circa ipsum. Vnde etiam in ipsa lege veteri habentur hæc verba de hirco illo, quem appellant emissarium: Postquam emūdauerit

Roman.6. OEcum. D.Chrys. Leuit.4. Theod. Hebr.9. Ibid.9.

rit sacerdos sanctuarium, & tabernaculum & altare, tunc offerat hircum viuentem, & posita vtraque manu super caput eius confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta, atque peccata eorum, quæ imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum in desertum. Quamuis autem animal in omni sacrificio legis veteris esset occidendum, quid prohiberet nos ex institutione diuina offerre corpus illud ipsum, quod tam dira sustinuit pro nobis, & sanguinem eius effusum facta repræsentatione mortis illius, quæ repræsentatiue eo ipso, quod repræsentatio est non postulat, quod re ipsa effundatur animalis sanguis, & cruor, sed quod significetur effundi? Certe hoc nihil prohibet & nos ita facimus. Est enim nostra oblatio vera oblatio, & verũ sacrificiũ, nõ autem vera effusio sanguinis aut vera mactatio; sed vera repræsentatio mortis Dñi nostri Iesu Christi cuius corpus, & sanguinem offerimus, facta commemoratione, & repræsentatione mortis eius. Igitur quamuis omne animal, quod offertur in sacrificium solere occidi, qui tamen offerimus eum qui pro nobis mortuus & occisus est, non necesse habemus, vt iterum moriatur. Quinto. Qui intrat, inquiunt, in sancta, & offert in sanguine alieno, non est sacerdos legis nouæ, qui per proprium sanguinem introiuit in sancta, sed legis veteris: at nos offerimus in sanguine alieno: ergo si quid sumus sacerdotes sumus legales. Responde-
Hebr. 9. tur, quod eo in loco Apostolus comparabat sacerdotes veteris legis, qui offerebant in sanguine alieno cum Christo qui per proprium sanguinem nos redemit, & intro duxit in cælestia, & sacerdotes legis nouæ offerunt nomine Christi, qui proprio sanguine nos redemit. Et præterea ille sanguis noster est, quia pro nobis ille fudit sanguinem suum, ac propterea nõ placamus Deum in sanguine alieno, sed in sanguine filij Dei, qui datus est nobis, sicut dicit
Esai. 9. scriptura. Et inde etiam est quod quamuis sacerdotes, qui offerunt alioqui mali homines sint, nihil tamen detrahunt de oblationis, & sacrificij sanctitate & effectu. Sexto dicunt Caluinus & OEcolampadius, nos quando indesinenter offerimus pugnare cum Apostolo ad Heb. 9. dicente de Christo, nec vt sæpe offerat semetipsum. Heb. 9.
Sed respondetur hæc omnia leuia esse, & inania. Quis enim neget, Christum semel pro peccatis mortuum esse? Nos vero eius mortis commemorationem facimus, ex eius præcepto & per ipsum proponimus, 1. Pet. 3.
& offerimus Deo eandem hostiam. Sed iam ea referam, quibus illi vehementer exultant: Si Christus hanc hostiam obtulit, si vnica oblatione cõsummauit in æternum sanctificatos, si semper assistit vultui Dei pro nobis, quid nos eandem quotidie frustra & in cassum repetimus hostiam? Hæc illi. Quicunque vero pie & cum timore Dei in sancta ecclesia seruit, videt illos tunc errare intolerabilius, cum magis exultant, & sibi triumphasse videntur, colligunt enim non licere nobis incruentam exhibere Deo sacrificij seruitutẽ, eo quod ille sanguinem in cruce fudit pro nobis, & vnica oblatione consummauit in æternũ sanctificatos, eosque perfecte redemit. Quod idem est ac si diceret quis; Christus sanctificauit nos igitur nos non sumus sancti, Christus lauit nos à peccatis, & emundauit nos à delictis nostris, non ergo iubeat Apostolus, vt emundemus nos ab omni inquinamento carnis, Christus consummauit in æternũ sanctificatos; non ergo ipsi perficiamus sanctificationem nostram in timore Dei. Quod idem Apostolus dixit, Christus iustificauit nos: factus est enim nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio, igitur nos non audiamus illud ne verearis semper iustificari, non baptizemur, non doleamus de peccatis, non credamus. Nulla sit nobis ratio misericordiæ non charitatis, non humilitatis, non pœnitentiæ cura, quonia Deus iustificauit nos. Et deniq; Christus orauit pro nobis, nõ oremus Christus ieiunauit nõ ieiunem?: Christus lacrymatus est, non ploremus: Christus passus est pro nobis, non simul patiamur. Auertat Deus tam inanem sacrilegamque dementiam. Nos dicimus, quod Christus passus pro nobis est nobis relinquens exemplum, vt sequ[illegible]r vestigia eius. Dicimus, quod si cõplantati facti fuerimus
Apoc. 1.
2. Cor. 7.
Heb. 10.
1. Cor. 1.
Eccles. 8.
Matt. 4.
1. Pet. 2.
Rom. 6.

rimus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. Affirmamus, quod ſanctificauit nos, vt ſanctè viuamus. Emundauit nos à delictis, vt nos ipſi emũdemus. Multa dira ſuſtinuit, vt nos ſuſtineamus. Ieiunauit, vt ieiunemus, orauit pro nobis, vt nos per ipſum pro nobis oremus, eiuſque, & orationem & lachrymas, & ieiunia, & tormenta Deo proponamus. Et tandem obtulit ſemetipſum pro nobis, vt nos Patri ſempiterno, & nos ipſos, & ipſum per ipſum offeramus. Vt ergo intra limites ſcholæ, quibus nonnunquam teneor inuitus, me ipſe contineam, dico ad hæreticos, quod aliquam cauſam eſſe vniuerſalem, ſufficientemque, & perfectam ordine ſuo non tollit cooperationem, & effectum rerum inferiorum: imo vero ea ponit, & ſtatuit, quantum eſt in ipſa. Ac proinde Chriſtum nos emundaſſe à delictis, vt ſufficientiſsimam, & perfectiſsimam cauſam non efficit, ne nos ipſi emundemus. Illum nos docuiſſe, non prohibet, ne alios doceamus. Orauiſſe pro nobis, nõ tollit, vt oremus. Sacrificaſſe nõ tollit vt ſacrificemus. Sed potius ea ipſe in nobis efficit, poſtulat, & requirit. Et quẽadmodũ, quod Chriſti oratio perfectiſſima fuerit, nõ tollit, quin oremus, imo vero ideo ipſe orauit, vt nos & oraremus cõfidenter, & aſſequeremur per ipſum, quod oramus: ita ſe ipſum obtulit, vt nos ipſos, & ipſum per ipſum offerremus Deo & eum promereremur. Itaque cauſa vniuerſalis, & perfecta ordine ſuo, non tollit cooperationem inferiorum; ſed eis multum perfectionis confert, efficiens, vt cooperentur. Vnde Paulus, Dei, inquit, cooperatores ſumus. Et tertia Ioannis. Vt ſimus cooperatores veritatis. Et Dionyſius. Omnium, inquit diuiniſsimum eſt Dei cooperatorem fieri. Et iterum Paulus; Miniſtri ſumus eius cui credidiſtis. Arbitror. ergo, ꝙ quia Chriſtus vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos, aſſecutus eſt à Deo, vt nos ipſum per ipſum offerremus, hoc enim ad perfectam noſtram ſanctitatem & iuſtitiam pertinebat. Et proculdubio non fuiſſet eius oratio, & oblatio, ita perfecta, niſi nobis tribuiſſet, & orare & offerre per ipſum. Octauo loco opponunt illud Apoſtoli Hebræorum decimo. Vbi autem horum, ideſt, peccatorum, remiſsio iam non eſt oblatio pro peccato: ergo nos nõ poſſumus offerre. Reſpõdetur, nos aſſerere cũ Apoſtolo ꝙ cũ Dominus vnica ſua oblatione, quã in cruce fecit, peccata noſtra ſuſtulerit, non neceſſaria eſt alia eiuſmodi oblatio, nec vt ipſe, aut alius iterum pro nobis moriatur. Sed quemadmodum, quia illa hoſtia manet in conſpectu, & acceptatione Dei, remittuntur nobis peccata per pœnitentiam, & per baptiſmum: ità poſſumus etiam nos offerre pro peccato, non virtute alterius oblationis, ſed illius, quam Chriſtus fecit in cruce. Itaque ſicut qui baptizatur efficit, vt virtute mortis Chriſti deleantur ſua peccata, & alioqui non delerentur, quia non eſſet particeps redemptionis, & mortis Chriſti: ita ſacerdos offert, vt participet fructum eius hoſtiæ, quam obtulit Chriſtus, & non offert aliam hoſtiam, ſed eandem. Atque ne ſit neceſſe iſta repetere, dico eſſe euidens, & certiſsimum, quod Apoſtolus in hoc, & ſimilibus teſtimonijs loquitur de morte Chriſti, & oblatione, quam fecit in cruce: & quia ea fuit ſufficientiſsima ad noſtra peccata delenda, dicit, quod non eſt alia oblatio aut ſanguis. At vero ſanctiſsima illa, & ſufficientiſſima hoſtia nihil nobis proderit, niſi eius participes ſimus. Eam autem participamus, quando in baptiſmate commorimur Chriſto, quando per pœnitentiam reſipiſcentes carnem noſtram crucifigimus cum vitijs & concupiſcentijs noſtris; quando oramus; quando damus eleemoſynam; quando paſsionem, & merita, noſque ipſos proponimus, & offerimus Deo; quando deniquedignam Deo exhibemus ſeruitutem, quæ fide, ſpe, & charitate, omnique opere bono continetur: quorum vnum eſt ipſi creatori, & benefactori noſtro offerre ſacrificium. Et quanuis Chriſti oblatio perfectiſsima fuerit ad delenda peccata noſtra ſufficientiſsime, nec ad id indigeat alia poſteriore

Heb. 13. 1. Ioan. 1. Matth. 4. Ioan. 17. Heb. 5. D. Dion. 1. Cor. 3.

riore, iuxta doctrinam Apostoli, debemus autem nos eius participes esse, quod facimus ex præcepto Domini, eius passionem commemorantes, & referentes.

Nono: Aut Christus, inquiunt, in cœna obtulit corpus, & sanguinem suum, aut non obtulit. Si non obtulit, nec nos offerre debemus. optima enim missa erit, quæ primam illam fuerit imitata. Si autem obtulit: ergo iam ante passionem erat facta remissio peccati. Respondetur, quod obtulit, vt superius ex patribus probatum est. Non tamen fuit tunc consummata redemptio. Propterea quod, quemadmodum, quilibet alius Christi actus, laborque susceptus pro nobis erat infiniti valoris, essetque per se solum sufficiens ad redemptionem; ea tamen fuit Dei bonitas, & tam copiosa eius redemptio, vt labores immensos, & anxietates pro nobis susceptas effusione sanguinis sui, & morte cumularet: itá actus instituendi hoc sacrificium, infiniti quidem meriti, & valoris fuit; sed & ei, & cæteris omnibus Dei largitas adiecit mortem, & sanguinem suum, quo redemptio fuit consummata.

Decimo ait Lutherus; Eucharistia testamentum est, iuxta illud Lucæ. 22. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine: ergo est opus testatoris, & non hæredis: at sacrificium est opus nostrum: ergo Eucharistia non est sacrificium. Respondetur, quod cum testamentum teste Vlpiano lege. 1. ff. de testamentis. Sit nostræ voluntatis iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri voluit; & Eucharistia non sit sententia, sed Christi corpus ac sanguis, certum est, quod non est testamentum. Item quamuis Osiander, & Buzerus Lutherum suum defendentes, dicant Eucharistiam esse promissionem remissionis peccatorum, quæ idem, quod sententia, valet; nam Christus dixit; Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum; ineptissime tamen concluditur ex eo, quod Dominus quando confecit Eucharistiam, promiserit, se sanguinem suum effusurum propter delenda peccata, Eucharistiam esse promissionem remissionis. Statque firmum illud, quod corpus, & sanguis Christi non est promissio, nisi accipere velis promissionem pro re promissa. Secundum quam rationem, si accipiatur, nihil ratio concludit hæreticorum. quia dicemus nos, quod hæredum est vti re promissa, & data à testatore. Vt igitur ad testimonium Lucæ explicandum veniamus, dicimus, quod eius sensum, & verba Matthæus, & Marcus interpretantur, qui sic habent: Hic est calix sanguinis mei noui testamenti, hoc est, noui fœderis cum hominibus firmati, & stabiliti. *Matth. 26* *Marc. 14.* Retulit si quidem Christus latenter ea verba ad illa verba Moysis. Exod. 24. quando filij Israel fœdus cum Deo percutientes, sanxerunt inter se se, populum Dei legem seruaturum; Deum verò terrã eis daturum vberrimam, semperq; futurũ auxilio. *Exod. 24.* Quod fœdus pristino more mactatis victimis ictum est, quarum sanguine Moyses populum aspersit dicens: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dñs vobiscum super cunctis sermonibus his. Id est: Hoc effuso sanguine, hisce de rebus, fœdus inter vos, & Deũ ictũ est. At verò fœdus, quod non Moyse, sed Christo interueniẽte, Deus cũ ecclesia fecit, nõ hostijs mactatis, nec vitulorũ effuso cruore sancitũ est: sed sanguine Christi. Et hoc est quod ait Dñs: Hic est calix sanguinis mei noui testamenti, qui pro vobis effundetur. Id est, eo sanguine, qui hoc calice continetur, nouum cum hominibus fœdus firmabitur. Itaque testamentum vocat Christus id, quod Moyses fœdus appellauit. Et hæc est expressa interpretatio Apostoli ad Hebræos capite nono. vbi referens illa verba Moysis Exod. 24. Hic est sanguis fœderis, ait, Hic est sanguis testamenti. *Hebræ. 9.* *Exod. 24.* Comparansque toto illo capite vnum fœdus cum alio, vtrunque vocat testamentum.

Vndecimo loco addamus rationem illam, quam aduersarij iactant ita esse firmam, & certam, vt aduersus omnes portas inferi subsistere queat.

ducatur iustitia sempiterna: quibus duobus omnis mali depulsio, atque omnis veri boni adeptio continetur. Ad hunc verò finem cum omnia tendant, alia tamen aliter operantur. Et generaliter quidem, vt verissimè, & catholicè docet in Enchiridione Diuus Augustinus, (D. August.) fide, spe, & charitate rectè viuimus, ac sanctè, & pure colimus Deum. Per baptismum ex mortuis viuificamur & regeneramur in spem viuam vitæ æternæ. Per pœnitentiam ex iniustis, efficimur iusti, & ex lapsu reparamur. Hoc verò sacrificium in his, qui capaces sunt gratiam tuetur, & auget, & est satisfactorium pro pœnis, abstergit rubiginem venialium peccatorum. Et quia offertur pro malis omnibus depellendis, & assequendis bonis, modo impetramus, vt aliquibus etiam ipsa gratia, qua ex iniustis fiunt iusti, conferatur, modo non impetramus, modo obtinemus salutem corporis eius, pro quo offertur, liberationem ab angustia, & alia eiusmodi: modo verò non obtinemus pro incomprehensibili, & ineffabili ratione iudiciorum Dei, quæ viles, & ignorantes hominum animæ assequi non præsumant. Itaque hoc sacrificium in remissionem offertur culpæ & pœnæ. Item, & pro assequenda salute mentis, & corporis, & denique pro his omnibus, quæ in genere commemorauimus. Nam singillatim bona, quæ inde proueniunt nulla oratio complecti posset. Atque ad hunc finem omnia sacramenta, & bona omnia, quæ Deus nobis dedit, tendunt, & conducunt, suo tamen gradu, modo, & ordine: adeò, vt sacrificij ipsius oblatio, de quo nobis sermo quædam efficiat ex vi ipsius operis, quæ primo loco retulimus, alia verò, per eam. nonnunquam impetremus, nonnunquam vero non impetremus. Addunt hæretici, quod Dominus in vltima cœna non se obtulit Patri: ergo nec nos in missa offerimus sacrificium. Ad hoc negatur antecedens; nec illud hæretici probare poterunt. Vnde Concilium Tridentinum, Sessione vigesimasecunda, capite primo, oppositum asseruit his verbis: Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum Dominus noster declarans, corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, &c.

Vltimo vero argumento vult Lutherus euertere quæ modo diximus. Sed quia disputatio plus nimio in longum protracta certè grauat ingenium, atque sermonis, & articuli fine reficitur lector, non aliter atque viator hospitio, quæ restant dicenda, in duos alios articulos diuidamus.

ARTICVLVS. III.

Vtrum missa oblata pro pluribus tantum prosit singulis, ac si pro vno solum offerretur ac pluries offerretur?



ALIO Quodam argumento volebat Lutherus non modo euertere quæ supra diceбamus; sed etiam omnino obruere, atque delere vsum huius sacrificij, affirmans esse non modo superuacaneum, sed etiam extremæ omnino ignorantiæ pro vno, & eodem pluries offerre cum res oblata sit infiniti valoris. Et quando respondetur fructum hostiæ infinitè limitari ex sacerdote offerente, refellitur id à Lutheranis multiplici variaque ratione. Primum, quia infinitæ rei pretium non minuitur siue à paupere detur, siue à diuite, centum, scilicet, aurei centum valent, à quocunque offerantur. Imo quo is, qui offert pauperior est eo oblatio maiori habetur in pretio si res oblata magna sit. Secundo: Quia sacramentorum fructus non limitatur à ministro: ergo nec sacrificij. Tertio: Quia quamuis sacerdos offerens sit in peccato mortali, sacrificium tamen prodest ei, pro quo offertur: non ergo huius sacrificij virtus accipit terminum à sacerdote offerente.

Quarto: Sacrificium altaris à Christo summo

summo sacerdote, nunc etiam patri pro nobis offertur: ab illo ergo habet infinitum valorem. Antecedens liquet ex illo: Semper viuens ad interpellandum pro nobis. Et ex Concilio Lateranensi in capite.firmiter. de summa Trinitate, & fide catholica. Dicitur, quod in sancta ecclesia idem est sacerdos, & sacrificium, loquebatur autem sine dubio, de sacrificio altaris. Hocque ipsum, & Græci in canone suo circa finem, & Diuus Ambrosius, libro primo officiorum, capit. 48. manifeste testantur.

Hebræ. 7. Cōc. Later. D. Ambros.

In hoc articulo multiplici opus est distinctione, vt res inuoluta & varijs hominum opinionibus obscurata, intelligi, & videri possit. Constituo igitur, quod nobis non est sermo de Eucharistia, vt est sacramentum, sed vt est sacrificium, ponendum est in primis, quod hoc sacrificium considerari potest, & ex parte operis operantis, & ex parte operis operati. Rursus ex parte operis operati considerari potest, dupliciter, aut secundum seipsum, aut secundum quod illud ipsum sacrificium applicatur huic. Secundo aduertendum est, quod quemadmodum vis, & potentia causæ vniuersalis est generalis, & indeterminata, determinatur verò per causas particulares, & inferiores, siue ministrantes, non aliter atque virtus solis per ignem generat ignem, & per hominem hominem, & imperatoris authoritas, ac potestas alia facit per prætores, alia per proconsules, alia per duces: ità virtus passionis Christi illimitata cum sit secundum se & infinita, alia facit per vnum sacramentum, alia per aliud, alia per huius orationem, deuotionem, & fidem, alia per illius. Determinatur autem effectus huius sacrificij in hoc, aut illo homine per deuotionem eius, pro quo offertur, & cui à sacerdote applicatur. Ita que ad determinatum hunc effectum immensæ virtutis illius hostiæ concurrit intentio sacerdotis huic applicantis, & eius, cui applicatur deuotio. Tertio aduertendum est, quod in sacerdote ipso potest considerari illud bonum, quod ipsi prouenit, cum sacrificat ex opere operato, & potest considerari eius sanctitas, & deuotio, qua confidenter offerre vult pro aliquo, & impetrare quod desiderat. Vltimo supponendum est, quod cum hoc sacrificium sit impetratorium, meritorium, & satisfactorium, possumus hæc effecta, aut aliquod eorum considerare, tum ex opere ipso operato, tum ex parte operantis; & tum secundum meritum de condigno, tum ex congruentia, siue decentia quadam, quod appellant meritum de congruo.

His positis sit prima conclusio: Si consideretur hoc sacrificium ex parte rei oblatæ secundum se, eius vis, dignitas, & potestas est infinita, itaque est impetratiuum, meritorium, & satisfactorium in finitè. Probatur: Quia res oblata est ipse Christus, qui acceptior multo est, & gratior Deo, quam omnes simul peccatores sint odio habiti, & exosi: ergo hoc sacrificium ex parte rei oblatæ operisque operati secundum se habet certè rationem infinitam grati, & accepti. Atque secundum hanc considerationem, hoc sacrificium nullum habet particularem effectum in quocumque hominum; sed in ordine ad Deum habet esse gratum, & acceptum. Atque hoc probo: Quia cum ex parte rei oblatæ, atque operis operati secundum se infinitum, quid sit, & indeterminatum, non esset potior ratio, cur hanc, quam illam gratiæ, & satisfactionis quantitatem daret. Nomine verò operis operati rem ipsam effectam per verba consecrationis, & oblatam designaui.

Secunda conclusio: Si consideretur hoc sacrificium, vt applicatum huic, vel alteri sic effectus eius est finitus, iuxta quantitatem deuotionis offerentium, id est, eorum, pro quibus offertur. Probatur: Quia quando virtus alicuius causæ vniuersalis, & indeterminatæ participatur ab inferioribus, participatur pro modo eorum, & secundum quantitatem dispositionis, quæ inuenitur in eis ad recipiēdum influxum causæ. Sol enim magis calefacit per maiorē ignē, & per vberiorē terram

terram plura, & vberiora producit. Et præterea probatur: Quia cum id quod omnes offerimus in hoc sacrificio idem omnino sit; itaque in hoc nulla est differentia, & finite ac limitate eius gratiam participemus, non alia ratione pensari potest participationis diuersitas, & magnitudo, quam ex deuotione offerentis, siue eius pro quo offertur. Quod vero pro diuersa deuotione fit etiam diuersa, & maior, siue minor acceptatio, id liquet ex illa vidua, quæ Lucæ vigesimoprimo, & Marci duodecimo, duo minuta misit in Gazophilatium: cuius tamen oblatio pluris habita est iuxta Domini sententiam, quam aliorum, qui plura & pretiosiora miserunt. Efficitur autem ex hac conclusione, vt pro ratione suæ deuotionis quisque iuuetur hoc sacrificio, nec quantitas eius fructus minuatur, ex eo, quod pro pluribus offertur, offerunt ve plures. Et ratio est; Quia cum res oblata sit infinita omnes ex ea possunt indesinenter haurire pro ratione suæ capacitatis, & deuotionis absque alicuius detrimento.

Luc. 21. Marc. 12

Tertia conclusio: Si ea satisfactionis quantitas, quæ obuenit sacerdoti ex sacrificio oblato, applicetur alijs ab ipso sacerdote, quo in plures ea diuisa, & partita fuerit, erit minor. Probatur: Quia ea satisfactionis quantitas, quæ obueniebat sacerdoti, finita est: ergo quo in plures diuisa fuerit, eo minor erit.

Quarta conclusio: Si loquamur de huius sacrificij oblatione ex parte operis operantis, non dubium, quin magis prosit ei, pro quo orat, & offert, qui sanctior est, & magis prosit, quo sacerdos deuotius, & sæpius orat, & offert, & quod fieri possit vt sacerdos ei, pro quo offert, & orat obtineat atque assequatur quodcunque petierit. Id quod intelligendum est ex decentia quadam. Hæc quarta conclusio, & verissima est, & habet firmum fundamentum. Est vero fundamentum ineffabilis, immensa, & incomprehensibilis Dei bonitas in suos, qui ità se pro altissima sua benignitate demittit, vt miseros nos, viles, & abiectos, qui luteas domos habitamus, puluerem ipsum, & cinerem amicos vocet, & habeat, qua nulla maior dignitas mente capi, aut comprehendi potest. Fons verò, vnde bona omnia promanant, est cum benigno Deo familiaritas. Hic si quæras, vtrum tantum valeat hæc huius sancti viri oratio vnicuique eorum, pro quibus offertur, quanuis multi sint, tantumque fructum recipiat vnusquisque, quantum vnus solus, si pro illo orauisset, respondeo, quibusdam doctis quos legi, ità videri. Et ratio illorum est; Quia cum oratio fidei, & misericordiæ Dei innitatur, & nec fides de vno petito minuat fidem de alio obtinendo, nec liberalitas diuina erga hunc minuatur, ex eo quod alteri largiatur, effici inde dicunt, vt nemo ex illis omnibus priuetur tanto fructu, quantum vnus solus perciperet, si pro illo solum orauisset. His accedit, quod oratio, quo generalior est, & fusa pro pluribus, eo videtur ex maiore charitate processisse, & gratior esse. Cæterum aut imbecillitas intellectus mei, quæ magna est deficit in hoc, aut illi authores hac in parte falluntur. Sequeretur enim tam esse frequens, atque morale virum sanctum impetrare à Deo, resurrectionem, aut sanitatem, aut gratiam centum simul hominibus, atque vni, quod est falsum. Debuissent ergo considerare, quod quanuis oratio viri iusti sit gratissimum Deo sacrificium, tamen in omni sacrificio iuxta diuinum præceptum sal debet adhiberi. Declarat autem, & ostendit recta ratio, estque positum in hominum consuetudine, solere aliquem veniam à principe, vel iudice impetrare vni, qui pro multis non impetrasset, non quod princeps, aut iudex clemens non sit, sed quod hic, qui petit, tantum audere non debuisset; nec enim omnia possumus omnes, & virtus magnanimi est se ipsum ità metiri, vt intra suos se limites contineat. Arbitror ergo, quod quanuis alicuius Moysis, vel Abrahami tanta sit gratia, vt impetret etiam pro multis simul, id-

que sæpe sæpius: tamen sunt multi viri iusti, quorum gratia ac merita habent proportionem ad impetrandum à Deo ex decentia quadam salutem corporis, vel animæ alicuius, aut liberationem à quacunque afflictione, qui id ipsum pro pluribus simul non impetrassent, sicut apud principes vel iudices humanos solet accidere. Et ad rationes illorum, auctorum dico, quod virum iustum solere impetrare pro vno, & non pro multis simul non prouenit, ex defectu largitatis Dei, nec ex eo, quod quando petimus pro vno necesse sit minui fidem, & confidentiam impetrandi pro multis, nec quod oratio pro multis ex se minus perfecta sit, sed prouenit ex eo, quod sæpe vir aliquis iustus sua gratia habet proportionem impetrandi pro vno. Decensque proinde est, vt bonus, & munificus Deus id illi concedat: non autem habet proportionem nec prudenter is confidere posset Deum ei concessurum salutem, aut vitam plurimorum, non quod eius misericordia non sit immensa: sed quia illa gratia est supra captum, & proportionem huius subiecti: vna si quidem gratia, & amicitia est maior, & arctior altera.

Quinta conclusio: Quando quis habet solum eam gratiam, & deuotionem actualem, vel habitualem, quæ requiritur, vt particeps sit communicationis bonorum ecclesiæ, & applicatur ei fructus huius sacrificij ex opere operato, tunc certus aliquis vnus & determinatus fructus prouenit ei & cæteris, qui similiter affecti sunt. Hæc non video, qua ratione negetur. Quia cum ipsi eodem modo dispositi sint, & causa sit eadem, & applicata eodem modo, non est cur non habeat eundem in illis effectum. Quanuis autem hæc conclusio vera, & euidens mihi esse videatur, necesse tamen est, vt eam declaremus, & tractemus presius. Pro quo sciendum est primo, quod in hoc sacrificio coincidunt offerentes, & hi pro quibus offertur. Offert enim sacerdos, & ministri, & astantes missæ, & qui ad eam eleemosynam dederunt; & qui desiderarunt, vt offerretur illud sacrificium, & denique omnes fideles, nam sacerdos nomine ecclesiæ offert. Et quemadmodum isti omnes offerunt: ità & pro illis omnibus offertur. Secundo sciendum est, quod licet vnus, & idem sit offerens, & pro quo offertur, tamen ratione distinguitur: nam offerens, vt sic est agens: is vero, pro quo offertur, recipiens. Agens autem sacrificium, siue sacrificans percipit fructum pro quantitate deuotionis, qua offert hostiam talem & tantam: is vero, pro quo offertur, recipit fructum pro dispositione, quam habet ad recipiendum, quæ tum peculiari deuotione tum fide, spe, & charitate continetur. Vbi ergo æqualis in aliquibus deuotio fuerit offerendi, vel æqualis dispositio ad recipiendum fructum, non dubium, quin illi æqualiter iuuabuntur hoc sacrificio. Et cum certum sit, quod iuuantur, concedendum est consequenter, quod peculiaris aliquis fructus, certusque, & determinatus illis proueniat, quo & satisfaciunt pro culpis, & conseruantur in bono, & liberantur à malo. Idque ex opere ipso operato, hoc est, ex oblatione illius sacratissimæ hostiæ, etiam à malo sacerdote, pro ratione tamen deuotionis, & dispositionis vniuscuiusque eorum, pro quibus offertur, & qui offerunt.

Pro solutione verò eorum, quæ supra obijciebamus, præmittendum, seu potius repetendum est ex dictis; quod hostia illa sacratissima, & infiniti valoris, nobis est data, & proposita, vt indesinenter bona inde hauriamus. Id verò facimus varijs, & innumeris rationibus. Haurimus per fidem spem & charitatem, per orationē bonaque opera, & aliter quidem per baptismum, aliter per pœnitentiam, aliter quia offerimus patri, & præsentamus eam hostiam aliter, quia pro nobis offertur. Et in his omnibus cùm hostia infinita sit, finitum tamen, & limitatū est, quod nos inde semper haurimus. Hoc fundamento iacto nulla omnino est difficultas in respōdēdo argumētis. Præsertim si illud adiunxerimus, ꝙ quando ea

hostia pro nobis offertur, ibi sunt duo, res scilicet, oblata, & actio offerentis. Et quanuis quando eam obtulit Christus ipse, & res oblata & actio offerentis esset infinitæ dignitatis, tamen quando nos offerimus actio offerentis est finiti valoris, & pretij. Dico ergo his præmissis ad primum, quod non est superuacaneum, sed vtile valde, & necessarium, quod sæpe sacerdotes offerant Deo hanc incruentam sacrificij seruitutem; propterea quod licet res oblata infinita sit, oblatio tamen ipsa est finiti meriti, & valoris. Sicut quando diligimus Deum res dilecta est infinita; amor verò noster finitus. Et sicut bonum est, vt semper amemus: ità etiam bonum est, vt indesinenter colamus Deum, & offeramus. Ad secundum dico, quod pretium quidem rei datæ non minuitur, siue à paupere detur, siue à diuite, sed posset aliter vnus dare aliter alius. Et Christus quidem dedit illud pretium fundendo suum proprium sanguinem pro nobis; nos vero damus offerendo sanguinem alterius. Et ille quidem obtulit ea actione, quæ infiniti valoris, & dignitatis est: nos verò non item. Atque hinc fit, quod fructus redundans ex oblatione Christi infinitus sit quoad sufficientiam: fructus verò quem nos inde participamus, quando sacerdos offert, sit finitus. Itaque fructus redundat in nos, non pro quantitate dignitatis Christi, sed secundum hoc, quod est sacerdotem præsentare, & offerre Christum, qui Christus est infinitus; sed sacerdotem offerre Christum non est quid infinitum; sicut Deus est infinitus: sed hominem videre Deum est infinitum. Ad tertium concedo, quod huius sacrificij fructus, quando pro nobis offertur, non limitatur à sacerdote. Sed debemus intelligere, quod quemadmodum paruulis baptizatis per intentionem ministri applicatur sanguis Christi, & confertur certus gradus gratiæ, non quem ministri sanctitas præfiniuit, sed quem præscribere voluit Christus: nam quotus gradus ille sit, nobis ignotum est, sic ijs, pro quibus sacrificium offertur, eodem modo dispositis ad recipiendum fructum, certus fructus, & remissionis pœnæ, & aliorum plurium bonorum correspondet, quem nos ignoramus, Christus autem sua voluntate præstituit. Et per hoc patet responsio ad illud de malo sacerdote offerente, quod argumentum suo ordine sequebatur. Ad vltimum dico, quod oblatio, qua Christus Dominus modo in cœlis se præsentat patri, offert, & interpellat pro nobis, est certe infinitæ dignitatis, quoad sufficientiam: sed nostra vniuscuiusque oblatio per ipsum est finiti, & limitati fructus, atque valoris. Quemadmodum enim in rebus naturalibus, atque in moralibus etiam causis, & agentibus videmus, quod inferior causa agit quidem virtute superioris, sed si adæquati effectus vtriusque causæ comparentur, multò inferior est is, qui procedit à causa inferiori: ità & in nostro proposito sacerdos offert quidem, placatque Deum virtute, & nomine Christi, sed limitatum, & finitum fructum haurit, & applicat sibi ac nobis ex immenso valore, & dignitate oblationis Christi. Et hæc de his, quæ principio articuli proposuimus. Sed si placet, alia & nos addamus argumenta. Primum, quia quando quis offert suum sanguinem, ità placat Deum, vt remittatur ei tota pœna: ergo multò potiori ratione id efficiet offerens sanguinem Christi. Respondetur negando consequentiam. Nam quando quis proprium sanguinem offert ratione cruenta, hoc est, fundendo re ipsa sanguinem, & vitam pro Christo, non potest is actus ob sui difficultatem procedere, nisi ex ingenti fide, & perfecta ac ardenti charitate: ac proinde remittitur ei tota pœna, & multa etiam alia bona consequitur: at verò in eo qui Deo proponit, & offert sanguinem Christi non est necesse inueniri ardentem illam charitatem, imo nec charitatem, & idcirco vt in plurimum non remittitur tota pœna debita offerenti hoc sacrificium: tanta verò eius charitas esse posset

vt remitteretur; Si autem cætera sint paria. Et quemadmodum quis Deo proponit, & offert vitam, & merita Christi, sua etiam merita vitamque proponeret; is nõ modo non tantum placaret Deum, sua proponendo, quantum ea quæ Christi sunt, sed ridiculus etiam toti cælo videretur. Est itaque longe dispar ratio antecedentis, & consequentis propositi. Secundo argumentor: Quia si pro ratione deuotionis offerentium percipitur fructus huius sacrificij, non maiorem fructum percipiet sacerdos, quam acolytus, aut diaconus, quam quilibet alius audientium missam. Quod tamẽ videtur non esse æquum. Respondetur quod quia actus non modo ex obiecto, & intensione; sed etiam ex modo pensatur. Et in hoc casu quamuis sit par, & æqualis deuotio, est tamen in modo offerendi differentia: idcirco non est æqua participatio, sed quo causa adiutrix, atque inferior nobiliori ministerio sub seruit principali, eo & coniunctior esse videtur, & magis participat; vt sacerdos magis quam Diaconus, & qui erogat ad sacrificium eleemosynam magis quam acolytus vel auditor. Tertio argumentor: Quia si fructus, qui percipitur ex opere operato in hoc sacrificio: non ideo minuitur, quia illud offertur pro pluribus liceret vtique sacerdoti à pluribus stipendium accipere, vna sola missa dicta, nullũ siquidem defraudat fructu debito. Ad hoc dico, quod si duo fideles sacerdoti conferant eleemosynam, qui pro illis offerat sacrificium isque offerat pro vtroque proculdubio prior non percipiet minorem inde vtilitatem, quam si posterior nullus accessisset. Quemadmodum, si existens quis iuxta crucẽ obtulisset patri sanguinẽ Christi, nihil maius, nec minus cõsequeretur, si quam plurimi atque innumerabiles tunc adfuissent, qui eundem sanguinem offerrent; eadem quippe hostia in cruce & in altari est, tametsi ibi patens, hic in mysterio abscondita. Non tamen sacerdos mercedem quamlibet accipere à multis potest pro vna hostia, sed quæ sufficiat, vt de altari ad sobrietatem comedat. Non enim sanguinis Christi fructum meritumque vendit, sed efficit sibi debitum, vt siquidem altari deseruit, edat de altari. Itaque non posse accipere à multis eleemosynã pro vna missa, non prouenit inde, quod si offerat pro illis, aliquis eorũ priuetur fructu sacrificij: sed quia nõ potest sacrificiũ, & sacramentum bonitatis, & charitatis Dei vertere in auaritiæ argumentum, debetque ita seruire in ministerio suo, vt inde sumat quæ sufficiant ad sobrium victum, & temperatum qui si ei deficiat, posset certe pro duobus, aut pluribus celebrare. Et hæc de hoc articulo.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrum sacrificium missæ prosit, & offeratur non modo pro viuis, sed etiam pro defunctis, in remissionẽ peccatorum.



VANTVM ex aliquorũ relatione cognoui, nonnulli Lutherani euicti & superati rationibus, ac argumẽtis: quæ articulo secundo formauimus, pro asserẽda catholica veritate, fatentur in missa offerri sacrificum. Sed in eo persistunt, vt negent relictam nobis esse hostiam pro peccatis. Itaque sacrificium laudis, & gratiarum actionis pro immẽsis Dei beneficijs, fit vtique, inquiunt, in ecclesia, quod vero illud offeratur pro peccatis ferre non possunt. Nec vero mirum, si qui se sanctos & iustos profitentur, eo solum, quod confidunt, sibi factam esse per Christum remissionem omnium peccatorum; nullũ sacrificium agnoscant pro delictis, sed pro falsa & mani iustitia, multo magis inanes falsas, & ingratas gratias agant.

Sit igitur in hoc conclusio: Quod ecclesia in missa offert sacrificium, non modo pro gratiarum actione, sed etiam in remissionem peccatorum, tam pro viuis, quam pro defunctis. Probatur in primis ex natura ipsius sacrificij, quod vt supra diximus, offertur, non modo ad Deum honorandum, sed etiam ad ipsum placandum nobis, vt condonet & remittat

pecca

peccata: ergo si quidem in nobis, quandiu in hac vita viuimus, tot sunt offensæ, atque peccata, non dubium, quin pro illorum remissione offeramus. Secundo probatur: Nam Apostolus ad Hebræos quinto, loquens, non solum de sacerdotibus legalibus, sed de omnibus docet, quod omnis sacerdos constituitur, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis: ergo aut in nobis non est sacerdotium aut sacerdotes offerunt etiam pro peccatis. Tertio probatur: Nam Christus Dominus hoc sacrificium instituens, & præcipiens, vt quæ ipse faciebat, nos faceremus in eius commemorationem, scripta nobis dedit hæc verba per Euangelistam Matthæum capite 26. Hic est sanguis meus noui testamẽti, qui pro vobis effundetur in remissionẽ peccatorum: nos ergo & possumus, & debemus offerre sanguinem illum in remissionem peccati. Et sicut quamuis ille gratias egit patri debemus nos gratias agere; ità quamuis ipse obtulit in remissionẽ peccati debemus & nos offerre. Quarto: Fide tenemus pœnam aliquam solere manere remissa culpa. ergo quemadmodum pro eius remissione possumus nostras afflictiones ieiunia, vigilias, sanguinem, & labores offerre, possumus offerre etiam sanguinem Christi, qui datus est nobis. Sed, vt nullus relinquatur homini fideli ambigendi locus, veniamus, ad patres, à quorum fide hæretici defecerunt. D. August. libro de Hæresibus capit. 53. referens dogmata hæretica cuiusdam Aerij dicit inter alia, eum asseruisse, non oportere orare, vel offerre pro mortuis oblationem. Et in Enchiridione ad Laurentium, capite. 109. Nec negandum est, inquit, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificium, mediatoris offertur. Et Paulo inferius capit. 110. Cum ergo, inquit, sacrificia, siue altaris, siue quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis, & si nulla sunt adiumẽta mortuorũ, qualescũq; viuorũ cõsolationes sunt.

Hebr. 5.

Matth. 26

D. August.

Et eadem est doctrina ipsius D. Aug. li. nono confes. cap. 11. & 28. & libro primo, de Anima, & eius orig. cap. nono, & libro de cura pro mortuis gerenda, capit. 1. vbi rem hanc confirmat duobus firmissimis testimonijs. Quorum primum sumit ex Scriptura: secundum ex auctoritate ecclesiæ. Verba Augustini sunt: In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed, & si nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parua esset vniuersæ ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret authoritas, vbi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Et D. Chrysostom. homilia. 69. ad populum Antiochenum, Non temere, inquit, ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim inde multum eis posse contingere lucrum. Diuus Basilius in sua liturgia siue missa, Memento, ait, Domine omnium dormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ, & refrigera eos, vbi visitat lux vultus tui. Et libro quæstionum ad Antiochum, quæstione. 34. Gregorius Theologus ad Cæsareum fratrem; de matre sua Dionysius de cœlesti Hierarchia, capit. 7. Tertullianus, & Gregorius Nissenus referente concilio Coloniensi. Idem docuit D. Ambros. in epistola ad Faustinum D. Cyprian. libro primo, epistol. 9. Diuus Grego. quarto Dialogorum cap. 55. Diuus Epiphanius, commemorans hæresim Aerij illius, de quo nobis sermo Theophylactus in illud Lucæ duodecimo capite, eum timete. Et denique, ne molestissimus referendo testimonia, quæ plurima certe possemus commemorare, Alexander primus in epistola ad omnes Orthodoxos, & Iulius de consecratione dist. 2. c. cũ omne crimẽ, asseruerunt, crimina, atque peccata his sacrificijs deleri. Atque distincta hæc veritas in concilio Cambrensi, Florentino, Trullano, & Tridentino. Ex quibus Florentinum hæc ait: Si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, ante quam dignis pœnitentiæ

D. August.

2. Mach. 12.

D. Chrysost.

D Basil.

D. Amb.

D. Cypria.

D Gregor.

D. Epipha.

Theophyl.

Alex. &

Iulius.

conc. Camb.

conc. Florẽ.

conc. Trull.

conc. Trid.

fructibus satisfecerint, eorum animas pœnis purgatorijs purgari definimus, &, vt à pœnis huiusmodi releuentur prodesse eis viuorum fidelium suffragia, missarum, scilicet, sacrificia, orationes & eleemosynas, & alia pietatis officia. Igitur, quicquid hæretici dicant, quicunque catholice sentit magnifice Deo gratias agit: quod cum in multis peccemus, & offendamus omnes, dedit nobis ac reliquit gratissimā hostiam, quam proponamus, & offeramus oculis maiestatis eius, in remissionē peccatorū. Hæretici autem dum contra hæc obijciunt, toti sunt in eo, vt destruant illud fundamentum, quod nos adduximus tertio loco, ex capite. 26. Matthæi. Matth. 26 Aiūt enim ea verba Christi, in remissionē peccatorum vsurpari, dicique à nobis recitatiue, vel vt dicunt, materialiter, non assertiue seu significatiue. Dicendum vero est, quod siue sit vera sententia Innocentij Innoc. asserentis proferri ea verba recitatiue, siue aliorum dicentium, proferri assertiue; semper manet, & quod consecrat sacerdos, & quod eis verbis innuitur hoc sacrificium offerri posse pro delictis, atque peccatis.

ARTICVLVS. V.

Verum conuenienter sit determinatum tempus celebrationis.

MVLTA sunt, quæ in celebratione considerari possunt, tempus, locus, orationes, ac verba, variæ sacerdotis actiones, & ceremoniæ; de quibus omnibus suo ordine dicemus. Quod vero attinet ad quæstionem propositam, dico conuenienter institutum esse, & quod quotidie celebretur, ac offeratur hoc sacrificium & quod id solenniter fiat ab hora tertia, hoc est, nona diei, iuxta modum vsitatum computandi, vsque ad nonam, quæ incipit ab hora duodecima, & finitur hora tertia vesperi. Et ratio est: Quia cum quotidie peccemus, & hoc sacrificium pro peccatis nostris offeratur, quotidie debemus offerre. Et præterea cum in eo repræsentetur passio Christi, & ea inceperit hora tertia, quando Iudæorum linguis Dominus cruci affixus est, & finita fuerit hora nona quando expirauit, conuenienter institutum est, vt solennis missæ celebratio ab hora tertia vsq; ad nonam fiat. Et hæc de hoc articulo dixisse sufficiat, nam efficient argumenta, vt amplius declarentur.

Arguitur ergo primo: Nam hoc sacramentum est repræsentatiuum Dominicæ passionis, sed commemoratio Dominicæ passionis fit semel in anno: ergo non debemus celebrare missam, nisi semel in anno. Respondetur, quod passio Christi recolitur ab ecclesia, & secundum, quod in ipso capite nostro re ipsa facta fuit. Et hoc fit semel in anno: quia semel passus est Dominus, & secūdū quod nos eius fructū participamus. Et hoc fit quotidie, quia quotidie illa indigemus. Secūdo argumentor: Quia si hoc ita esset, deberet vtiq; vnus sacerdos pluries celebrare, quo pluries participaremus Christi passionem. Respondetur, prudenter constitutum esse ab Alexandro, Alexan. alijsque pontificibus, vt vnus sacerdos semel tantum celebret, tum, quia valde esset optabile, & fœlix si quis semel digne celebraret, vt habetur de consecratione distinctione secunda. capite. sufficit, & de c. sufficit. celebratione missarum. capite. cōsuluisti. c. consuluisti & capite. te referente. tum secundo vt vel c. te referente sic repræsentetur passio Christi; quæ vna fuit. Cæterum ab hac regula generali excipiunt canonistæ multos casus. Primus in natiuitate Christi, in cuius festiuitate, licet ter celebrare, vt constat ex iure, & consuetudine. Secundo pro necessitate infirmorum petentium viaticum: si non est Eucharistia in pyxide reseruata, licebit iterum celebrare vt consecretur. Tertio si sacerdos habeat duas ecclesias commendatas. Addit Panormitanus id licere prop Panorm. ter aduentum alicuius viri insignis, quem nō deceret missam non audiuisse. Et id cō probat argumento capit. primi de celebratione missarum multiplicantque alios casus Raimundus, & Hostiensis, vt ad se Raim. peliendum defunctum, & pro necessitate Hostien. nuptiarum, quando ex vna parte tempus

labe

laberetur, & ex alia, (quod laudabile eſt) peteretur ſacerdotis benedictio; & ſi dicenda eſſet vna miſſa de feſto alia de ieiunio; aliaque dicunt, & imaginantur ſimilia. Dicendum vero eſt, quod ex omnibus duo caſus ſunt cõtinui, & vſitati in eccleſia: primus in die natiuitatis: ſecundus, quando ſacerdos habet plures parochias commendatas, generaliter autem tunc licet quando neceſsitas occurrerit pluries celebrandi. quæ neceſsitas arbitrio boni viri iudicãda eſt. Et ita colligitur ex capite conſuluiſti de celebratione miſſarum. Aduertit autem Paludanus id nunquam licere, vt fiat,

Palud. niſi à ſacerdote ieiuno: & prætérea non licere pluries celebrare, quam bis. Ex his autem duobus quæ Paludanus dixit, primum quidem eſt verum, ſecundum autem ſimile videtur falſo. Tertio obijcio: Nam cum hoc ſacramentum ſit commemoratiuum Dñicæ paſsionis, & cõmemoratio paſsionis non fiat in die natalis Domini; ſed feria ſexta in paraſceue, inconueniẽter videtur ſtatutũ, quod in die natalis ter celebretur, in die vero paraſceues intermittatur. Reſpondetur, quod quia in feria ſexta ante paſcha recolitur paſsio Chriſti, ſecundum quod in capite noſtro geſta eſt, & adueniente veritate ceſſat figura, & ratio poſtulat, vt repræſentatio rei eam referat, quam propriſsime fieri poſsit. Icciro, non decet, vt in die illa, qua paſsio Chriſti realiter geſta recolitur, in ſacramento, & figura celebretur. Ne vero eccleſia priuetur eo die fructu paſsionis, corpus Chriſti conſecratum die præcedenti reſeruatur offerendum, & ſumendum in illo die. Non autem reſeruatur ſanguis, tum propter periculum, ne aceſcat: tum, quia ſanguis expreſsiori ratione eſt imago Dominicæ paſſionis. Celebrantur vero ter miſſarum ſolennia in die natiuitatis, propter ſummam diei ſolennitatem, & ad ſignificandam triplicem Chriſti natiuitatem; æternam ex patre, temporalem ex matre, & ſpiritualẽ in cordibus noſtris per gratiã Spiritus ſancti. Et quidem eo die icciro miſſa cãtatur noctu cum Angelorum hymno, & lætitia magna, quod nocte ortus ſit Dominus. Congruentiæ vero aliæ, quas quidam adferunt applicantes vnam miſſam vni natiuitati, alteram alteri, non omnino quadrant, nec ſibi ipſis valde conuenientes ſunt. Nam ſi tu volueris primam miſſam æternæ natiuitati accõmodare, quod dicatur in introitu, Filius meus es tu, ego hodie genui te: dicere poterit alter. Imo vero accõmodanda eſt temporali, quia principalior pars eſt euãgeliũ, quã introitus: & ibi agitur de temporali. Et ſecundo quia ea miſſa cantatur noctu, & Dominus nocte natus eſt. Et tertio quia illud. Ego hodie genui te, poteſt optime intelligi de generatione tẽporali. Et quarto deniq; quia antea quam talis introitus caneretur, celebrabatur in eccleſia ea miſſa, ad ſignificandam temporalem Chriſti natiuitatẽ. Quarto argumentor: Chriſtus Dominus expirauit feria ſexta ad horam nonam, veſperi ſcilicet; inconuenienter igitur eccleſia cõdit, ac reſeruat vnam hoſtiam in die cœnę vſque ad feriam ſextam in effigiem ſepulchri, recondens illam in monumento. Reſpondetur, quod in feria illa ſexta concurrunt duo. Primum, quod corpus Domini non eſt conſecrandum ob rationem iam dictam, & ſecundum, quod eſt ſignificandum ſepeliri. Quia ergo non eſt conſecrandum eo die, icciro reſeruatur ex die præcedenti, & quia eſt ſignificanda eius ſepultura, icciro ea hoſtia ſeruatur in monumento. Hic quis mihi obijciat; quod ea ipſa hoſtia ante educatur, ex eo loco, & conſumatur, quam Dominus expiraſſet, aut conſtitutus eſſet in monumẽto, non ergo per eam ceremoniam ſignificatur ſepultura Chriſti; ſi quis inquam hæc obijciat, non faciet prudenter. Debuiſſet enim conſiderare, quod in hiſce rebus non obſeruatur tempus, quo res facta eſt ad viuum. Si quidem Dominus veſperi hora tertia expirauit nec potuit, niſi valde ſero ſepeliri. Eccleſia vero hæc omnia refert, ac repræſentat ea hora, & parte diei, qua commodius, & deuotius fideles hæc poſſunt celebrare, ſcilicet; mane ab hora octaua, vſque ad duodecimam: antiquitus vero magiſtero celebrabantur omnia iſta. Quinto argumentor: Nam feria ſexta in paraſceue per immiſſionem particulæ hoſtiæ

stiæ in calicem consecratur vinum in sanguinem vt quidam dicunt: ergo posset etiam tunc confici corpus Christi. Respondetur quod quamuis id aliqui dicant, non tamen est verum. Nec enim fieri potest consecratio, nisi per verba consecrationis, nec eo die consecratur sanguis, ne celebretur sub sacramento, quod realiter gestum recolitur. Peccaretque grauiter sacerdos, qui eo die celebraret contra semper receptum & sanctissimum ecclesiæ ritum. Feria vero quinta, & sabbato sancto posset quis celebrare ex cõsensu prælati: si quidẽ ecclesia solẽniter celebrat: Obtinuit verò laudabilis consuetudo, vt vna tantum missa his diebus celebretur, cui omnes assistant. Sexto argumentor: Quia, si prudenter determinatum est celebrationis tempus, & decretum, vt vnoquoque die hoc sacrificium offeratur, tenebitur ergo quilibet sacerdos quotidie celebrare, quod est falsum. Respondetur aliud esse decernere, vt in ecclesia quotidie offeratur patri pro nobis hæc hostia; si quidem quotidie peccamus: aliud vero decernere, vt id fiat ab vnoquoque sacerdote, primum sanxit ecclesia, non secundum. Itaque in ecclesijs cathedralibus collegialibus, & conuentualibus quotidie debet missa conuentualis celebrari; & id tenentur curare prælati sub reatu peccati mortalis, & parochi tenẽtur celebrare diebus festis quibus parœciani tenẽtur audire missam. Et quãuis in illis ecclesijs, de quibus modo dicebamus, necesse non sit quotidie vnã missam celebrare de festo vel feria, altetam pro defunctis, reprehendunt tamen iura, & merito negligentiam celebrandi pro defunctis. Et iccirco curare debent prælati, vt etiam pro defunctis celebretur, eorumque prudentiæ, & pietati relinquitur quotiens id, & quomodo agendum sit. Simplices autem sacerdotes non tenentur quotidie, celebrare, vt supra est disputatum. Septimo argumentor: Quia hoc sacrificium peragitur ab hora tertia, vsque ad nonam: quia est commemoratiuum Dominicæ passionis, quæ eo tempore acta est: ergo non licebit vel nocte vel hora prima diei celebrare. Respondetur, quod quanuis quoad missam solennem regulariter obseruetur, vt dicatur tempore, de quo in argumento; missæ vero priuatæ non possent dici eo solo tempore; & receptum est vsu communi, vt dici possint ab aurora vsque ad horam duodecimam diei, hoc est meridiem, quia vero hac in parte nõnulla solent accidere, de quibus aliqui dubitabũt, dico primum, quod religiosi ex priuilegijs sibi concessis, possunt celebrare etiam ante lucem, & post meridiem, maxime cum iter agunt. De quo vide in compendio priuilegiorum, verbo, missa quoad tempus folio. 119. Dico secundo, quod in nocte natiuitatis omnibus licet dicere primam missam ante lucem; & religiosis ex suis priuilegijs licet dicere noctu, etiam secundam, & tertiam missam. Cæteris autem omnibus sacerdotibus negat id licere Syluester verb. missa primo. §. sexto & summa Angelica etiam in verb. missa. §. 4. Ego vero existimo eo die cuilibet sacerdoti licere tres missas priuatas noctu dicere. Nam in cap. nocte sancta. de consecratione. distinctione. 1. vbi conceditur sacerdotibus facultas celebrandi noctu in die natalis Domini non dicitur, vt vnam tantum missam noctu celebrent, sed vniuersaliter dicitur, quod eo die missas celebrent noctu. Dico tertio, quod alijs diebus causa non vrgente esset peccatum nõ leue noctu celebrare. Dixi vero causa non vrgente: quia si immineat necessitas id videtur esse concessum in cap. necesse. de consecratione. distinctione. 1. Octauo argumẽtor: Quia, si recte assignatum est tempus celebrationis missarum, cum tempus, quo in ecclesijs dicantur horæ matutinæ, ante cedat missam, sequi videtur, quod non liceat dicere missam ante recitatas matutinas. Vnde & quidam dicunt id esse peccatum mortale. Respondetur decere quidem, vt vnusquisque, & matutinum officium, & etiam primam recitet ante quã dicat missam. Et ita facere solent viri religiosi. Asserere vero quod si rationabilis causa eueniat, ob quam quis celebret non recitatis matutinis id facere sit peccatum mortale, mihi videtur esse hominum non considerantium, quam sint hæc omnia ad cha

Syluester.

c. nocte san.

c. necesse.

charitatis finem referenda, ad quem facit perparum, quod adueniente, verbi gratia, hora septima diei, in qua licet, & recitare matutinas, & dicere missã, prius dicã missam, & deinde recitem. Dicendũ ergo est, quod ratione consuetudinis ecclesiæ recitandi matutinum ante missam, aliquod peccatum esset, sine causa eum ordinem peruertere. Vrgente vero causa nullum esset peccatum id facere. Loquor autem de personis priuatis, non de ecclesijs cathedralibus, aut conuentualibus, quæ certe tenentur eum ordinem retinere. Quanuis aliqui canonistæ certe rigide, & aspere teneãt oppositam sententiam: proculdubio tamen hac in parte non sunt audiendi. Primum; quia si quis primam recitet ante matutinas certe nõ ob id peccat mortaliter: ergo nec si celebret ante matutinas. Secũdo: Quia, vt modo tangebamus, si mihi licet sine peccato mortali hora octaua diei recitare matutinas non obstante cõsuetudine ecclesiæ recitandi illas noctu, cur erit peccatum mortale hora septima dixisse missam? Certe ego nullam video fuisse causam illis canonistis, tam seuere sentiendi. Vltimo argumentor: Nam in celebratione huius sacramenti, ecclesia debet seruare institutionem Christi: sed Christus consecrauit in nocte vltimæ cœnæ: ergo nos deberemus eo tempore celebrare. Respõdetur, quod hac de re superius est contra hæreticos disputatum nec enim nos tenemur in consecratione huius sacramenti seruare eas circunstantias, quas Dominus seruauit, vt late docet B. Augustin. in epistola. 118. Quod igitur ad circunstantiã temporis facit, decuit Christum celebrare, & instituere hoc sacramentum post agnum typicum, qui erat eius figura. Vnde quia agnus post solis occasum comedebatur, & Dominus post cœnam consecraturus erat corpus veri agni, iccirco nocte consecrauit. Et quidem nocte vltima atque postremo articulo suæ conuersationis cum hominibus, quo illud charitatis sacramẽtũ altius imprimeret in corda discipulorum omniũque fidelium, nos vero tunc debemus celebrare, quando aptius passio Christi repræsentetur, & nos sumus melius dispositi ad recipiendum passionis fructum. Et ideo cõuenienter est institutum, vt hoc sacrificium mane maximeque ab hora tertia vsque ad nonam peragatur.

D. August.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm hoc sacrificium offerri debeat in domo sacra, debeantq; ad id ædificari templa.



FVIT OLIM QVIdam Eustachius, de quo in Concilio Cangrensi, reprehendens, quod templa sanctorum nomine consecrarentur. Cuius errorẽ iã diu sepultũ lõgo post tẽpore, & suscitauerunt, & auxerunt Vvaldenses, qui templa omnia quacunque ratione, & modo dicata essent, irridebant, affirmantes templum Dei late patentis ipsum esse mundum, & coarctare eius maiestatem qui ecclesias, monasteria, oratoria que construunt, tanquam propitior in eis diuina maiestas inueniatur. Nec suffecerat hæreticis errare contra fidem ecclesiæ, nisi ore blasphemo, & impio suam sententiam ita declararent, vt dicerent ecclesiam consecratam non plus valere ad orandum, quam stabulum porcorum. His enim ipsis tam obscœnis verbis se explicãt post Vvaldenses, Pseudoapostoli, & denique hæretici tẽporum ipsorũ vel non admittunt templa vel eorum omnem apparatum & ornatum reprehendunt. Nos vero quid de his secundum doctrinam catholicam sentiendum sit, sequentibus propositionibus explicabimus.

Prima propositio: Templum erigere, & dedicare Deo ex natura rei est bonũ opus atque laudabile. Probatur: Nam euidenter constat ex scriptura, quod Deus voluit atque mandauit sibi ædificari templum, & placuit ei, quod magnifice exornaretur: & id non curantes reprehendit Aggęi cap. primo dicens: Nunquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus vestris laqueatis & domus ista deserta? Et inferius: Ascendite in montem; portate ligna; & ædificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glo

Aggæus

rifica

rificabor dicit Dominus. Hæc propositio est certa apud omnes: & in eam, quod attinet ad testamentum vetus con ueniunt hæretici. Sed homines valde spirituales affirmant hæc ita fieri decuisse pro illo populo rudi, qui ex sensibilibus manuducedus erat ad intelligibilia, tẽpore vero legis spiritus, & gratiæ id non licere; debent si quidem veri adoratores adorare in spiritu, & veritate.

Sit in hoc secunda conclusio. Pie, & prudenter in ecclesia Dei erigũtur templa in quæ fideles ad orandum, & audiendum verbum Dei, officiaque diuina, & sumendam Eucharistiam conueniant. De hac est inter nos, & hæreticos tota quæstio. Et iccirco firmis illam rationibus ostendemus. Et primum quoniam iuxta scripturam in ore duorum, aut trium testium stat omne verbum, tres locupletissimos testes pro hac veritate D.Greg. afferamus. Diuus Gregorius Nazianzenus de laude Gorgoniæ eam commendat, quod templa Dei muneribus exornauerit. Et oratione prima in Iulianum inuehitur in impium illum hominem, quod templa Dei compilauerit, & ad Helennium refert, fuisse quendam monachum, qui annos integros in templo stans, puras ad Deum manus expanderit, nec (quod vix inquit cuiquam fidem facturum est, vel tantillum ob dormierit: sed viui lapidis instar Christo defixus steterit) erant ergo templa in ecclesia tempore Nazianzeni, & male diripiebantur; & pie exornabantur. Ea D.August. dem veritas constat ex Diuo Augustino libro vigesimo, contra Faustum capite vigesimoprimo, & libro de ecclesiasticis dogmatibus capite. 73. & ex Diuo D.Chrys. Chrysostomo, homilia. 66. ad populum Antiochenum. Quibus, si placet poteris addere Basilium in martyrem Gordium, deplorantem, quod impijs manibus domus orationis tunc diriperentur. Hic certe hæretici, quid hiscere possint non habent. Nam euidenter constat apud patres hunc vsum fuisse, vt templa ædificarentur Deo, & fideles ad ecclesias conuenirent. Vnde primis illis ac florentibus ecclesiæ temporibus Imperator Constantinus authore. Beatissimo Syluestro papa iussit ædificari templa in omni ditione imperij Romani: & ipse plures Basilicas construxit quas muneribus exornauit. Et in concilio Gangrensi capite quinto legitur: Si quis dicit, domum Dei contemptibilem esse debere, & congregationes, quæ in ea fiunt, anathema sit.

Secundo loco radicem, & fundamentum huius veritatis ostendo hac ratione: Tres considerari possunt, & reuera sunt, vel fuere status naturæ humanæ. Primus ante aduentum Christi. Secundus ab aduentu Christi vsque ad finem sæculi. Tertius status gloriæ. Et primus quidem totus fuit in vmbra; & ob eam causam comparatur nocti, iuxta illud Romanorum tertio. Nox præcessit; dies autem appropinquauit, plenusque erat varijs ritibus ac ceremonijs. Romano. 3.

Secundus vero status post aduentum Christi partim continet veritatem, iam olim promissam; partim etiam habet expectationem futurorum bonorum, admixtionemque malorum, & ignorantiæ. Quocirca quadam ex parte vmbratilis est. Et ideo ecclesia in canticis comparatur auroræ, in qua tenebræ admiscentur luci. Et de hoc statu dicitur, quod non deficiet, donec perueniat ad lucidum diem. Ac propterea ecclesia appellatur aurora consurgens, atque tendens ad meridiem. Vltimus autem status est gloriæ, qui omni vmbra caret, & ex consequenti omni vmbrarum significatione. Quocirca diuina illa aquila, & euangelica Apocalypsi vigesimo primo Hierusalem cœlestem, Apoc. 21. atque gloriosam, contemplans, & oculis perlustrans omnia, Et templum, inquit, non vidi in ea; & ciuitas non eget sole nec luna. Nam claritas Dei illuminauit eam & lucerna eius est agnus, quando ergo terrenis domus nostra dissoluta fuerit, & in gressi fuerimus ciuitatẽ illam constructam auro mundo, & lapidibus pretiosis, tunc vero fugatis omnibus vmbris tollatur templum, & nullæ fine

cere

ceremoniæ, sitque nostra omnis vita vere
fœlix, atque beata, defixos esse, & teneri
pulchritudine Dei, & absorberi torrēte vo
luptatis eius. Quandiu autem in hac vita
sumus, quoniam rebus sensibilibus vehe
menter afficimur, & mouemur, necessaria
sunt sacra templa, ceremoniæ, & rerum
diuinarum ornatus, quo noster excitetur
animus, & deuotio. Tertia ratio sumi po
test ex his, quæ in fine secundæ tangeba
mus. Cum enim in hac vita corruptibili,
& animali corpore circundati vehemen
ter afficiamur rebus sensibilibus, non
dubium, quin quando in ecclesiam con
uenimus tum repræsentatione ipsa rerum
sacrarum, quæ per imagines fit, & altaria
& templi formam, tum cantibus hym-
norum, atque psalmorum, celebratione
D. August. sacrificij, & ceremonijs moueatur animus
in cœlestia. Vnde D. August. 10. lib. con
fess. cap. 33. cum commemorasset factum
D. Atha. D. Athanasij, qui in sua ecclesia Alexandri
na ita faciebat pronunciari psalmos, vt le
gi potius, quam cantari viderentur, subdit:
Verum tamē cum reminiscor lachrymas
meas, quas fudi ad cantus ecclesiæ tuæ in
primordijs recuperatæ fidei meæ, & nunc
ipso cōmoueor non cantu, sed rebus, quæ
cantantur, cum liquida voce, & conuenié
tissima modulatione cantantur magnam
instituti huius vtilitatem rursus agnosco.
Quarto argumentor: Nam si Dominus
voluit magnificentissimum ædificari tem
plum, in quo arca testamenti seruaretur,
quanto magis dignum & æquum est, ædi
ficari templa, vbi sanctissima Eucharistia
quam decenter fieri possit seruetur, & ho
noretur. Quinto id ipsum confirmo ex cō
suetudine gentium; iureque ipso naturæ.
Vt enim nulla fuit vnquam tam barbara
natio, quæ non Deum, aut Deos fuisse pu
taret: ita nulla vnquam fuit, quæ templa,
aut aliqua loca non præscriberet, quibus
eos precaretur; votaq; eis, & sacrificia per
solueret. Quantis enim templis, aris, & lu
cis nō Græci, & Latini solū, sed & AEgyp
tij & Sydonij, & Scythę, & Indi, & Barbari
quicunque abundauerint, solus ignorat,
qui eorum historias non legit. Quod si vr
bes omnes atq; respublicæ curiam habēt
locaque designata, in quibus de his, quæ
ad republicā pertinēt, cōsultēt, magis cer
te erit rationi cōsentaneū, designare, & sa
crare loca, in quibus cōueniāt ad peragēda
diuina, orandumque, & placandum Deū
à quo omnia in homines bona promanār.
Vnde & ipse Plato, qui in sua illa republi
ca à priuatis omnibus simulacra remouit
designari voluit locum communem, in
quo reponerentur. Et quidem ex prima
epistola Pauli ad Corinth. cap. 11. possumus 1. Cor. 11.
intelligere etiam tunc sacratam fuisse illā
ædem in qua Eucharistia Christianis diui
debatur. Ait enim eos reprehendens. Nū
quid domos non habetis ad manducandū
& bibendum, aut ecclesiam Dei contem
nitis? Et Eusebius lib. secundo ecclesiasti Eusebius.
cæ Historiæ capit. 17. scripta reliquit Phi Philo.
lonis verba de vsu, & consuetudine Chri
stianorum, quæ sic habent: Est autem in
singulis locis consecrata orationis domus,
quæ, σεμνεῖον, hoc est honestorum viro
rum conuentus dicitur, in quo loco sece
dentes honestæ, & castæ vitæ mysteria ce
lebrant. Vixit autem Philo ipsis Aposto
lorum temporibus.

Sunt vero multa, quę heretici opponūt.
Primum illud Ioan. quarto. mulier crede Ioan. 4.
mihi, quia venit hora, quando nec in mon
te hoc, neque in Hierosolymis adorabitis
patrem. Vos adoratis quod nescitis? nos
adoramus quod scimus: quia salus ex Iu
dæis est sed venit hora, & nunc est quan
do veri adoratores adorabunt patrem in
spiritu, & veritate. Nam & pater tales
quærit, qui adorent eum. Non ergo licet
templa construere. Respondetur, quod Iu
daismus totus erat in vmbris, & ceremo
nijs, literaque præceptorum extrinsecus
insonantium. Cultores autem euangeli-
ci, oportet, vt adorent patrem in spiritu,
qui opponitur literæ legalibusque cere-
monijs, & veritate, quę opponitur vmbrę.
Ille itaque Deum euangelicè colit, qui ve
re ac recte de illo sentiens per fidem omnē
suam spem, & amorem in eum collocat,
qui curat ei semper puram exhibere men
tem, & desiderat seruire corde magno, &
animo volenti. Et pater tales quærit, qui
adorent eum, leuantes in omni loco pias
manus

est nomē meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à vijs suis pessimis, ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco illo orauerit. Si hæc inquam de illo templo scripta sunt, & non est minoris, sed maioris sanctitatis templum nostrum, nun est cur negandum sit, peculiari aliqua ratione ibi assistere Deum, & propitium fieri peccatis nostris, & exaudire orationes. Si autem hæc, quæ Theologicè diximus metaphysicè quis velit vrgere, & interroget, quid habet omnino templum postquam consecratum est, aut quid denique est illud, quo dicitur esse sanctum, qua ve ratione Deus ei loco assistet, peculiariter, is quicunque sit, debet intelligere, quod etiam apud suos metaphysicus res non vno solum modo, & ratione, sed varijs atque diuersis esse dicuntur. Aliter enim ego dico esse corporeus nimirum, quia corporis naturam habeo, qua consto; & aliter esse sub tempore, aut vestitus, aut locatus, aut redemptus, aut honoratus ab alio non propter aliquam naturam aut absolutam qualitatem existentem in me: sed, quia aliqua ratione me habeo ad aliud, vel illud se habet ad me. Quo vno constituo, scilicet, quod modus essendi etiā realis, varius tamē est, & diuersus dicēdum est, quod templa aliquid reale habent præter alia loca eo ipso, quod sunt cō secrata, & consecrationes quidem ecclesiasticæ non sunt opera tantum humana.

Sed intelligendum est, quod quemadmodum sacramenta habent efficaciam ex sacerdotio Christi, à quo sunt instituta: ita sacerdotium illud participatum in ministris efficaciam præbet consecrationibus, quæ ab ipsis fiunt: ità quod quemadmodum Christus, baptismum suscipiēs in Iordane, omnium vbiq; terrarum fontes, & gurgites consecrauit habilesque reddidit ad baptismum: ita ex sacerdotio Christi diffuso, & participato in nobis templa, cæteræque res consecratæ vere manent, sacrata, & dicata Deo, & habilia ad excitandam in nobis reuerentiam, & deuotionem recteque intelliguntur sancti angeli peculiariter assistere eis locis, & fugari inde dæmones, atque Deum vti templo tanquam instrumento ad excitandam in nobis sui memoriam, reuerentiam, & deuotionem, commouereque nos vt oremus, quæ ipse largissima manu concedit. Quæ cum fiunt tunc reducitur ad actum, & complementum id, quod erat effectus consecrationis; nimirum virtus illa, quasi habitualis templi ad ritè diuina omnia peragenda. Et quia Deus in templis peculiari hac ratione nos ducit ad se, & benefacit ijs, qui pura mente ipsum orant in templo, ideircò intelligitur eo in loco peculiariter assistere.

Vltimo loco quidam ex aduersarijs mitius, & temperatius loquentes. Qua re, inquiunt, excusare possimus tot estulos sumptus in templis, & aris fabricandis cum tot pauperes fame conficiantur? Quid tot candelabra, tot cruces, tot calices, tot statuæ aureæ, & argenteæ sibi volunt? Respondeo, quod nos cum sanctissimo Ambrosio docemus, atque sentimus, & piè ac sanctè ornari templa his, quæ com memorauimus, & multò sanctius ea frangi, & effundi in cibos pauperum, quando id necessitas postulauerit. Quod si non faciunt ecclesiarum præpositi, id certe ad veritatem dogmatis non pertinet, nec ea est veritatis culpa, sed hominum ignorantium, quam sint omnia ad charitatem Dei, & proximi referenda: ex qua vniuersa lex pendet, & prophetæ. Prætextu verò pauperum, & eleemosynæ velle omnia diuini cultus ornamenta demoliri, nihil est aliud, quam eum Diaboli filium imitari, qui dicebat; Vt quid perditio hæc? Potuit enim vnguentum istud venundari multò, & dari pauperibus. 12. q.2. c. aurum.

Pij autem homines, & sapientes illud semper audiunt; Oportet hæc facere, & illa non omittere. Matth. 26.

(;)

ARTICVLVS. VII.

Vtrum non modo domus, in qua offertur hoc sacrificium, sed altare, & vasa, & linteamina, cæteraq; eiusmodi debeant esse consecrata.



Espondeo dicendum, quod siue in hoc sacrificio, ac sacramento consideretur summa reuerentia, quæ illi debetur, in quo Christi corpus, & sanguis vere continetur, siue consideretur effectus huius sacrificij, & sacramenti, qui est sanctificatio nostra, debet ob vtranq; causam esse puritas, & consecratio, non solum in ministro, sed in cęteris etiam, quæ illud attingunt. Sed cōtra hæc argumentor primo: Hoc sacrificium est repræsentatiuum Dñicę passionis, sed Christus nō est passus in domo, sed extra portā ciuitatis, iuxta illud Hebr. vltimo Iesus, vt sanctificaret per suū sanguinē populū, extra portā passus est: ergo videtur, quod hoc sacramentū nō debeat celebrari in domo, sed magis sub diuo. Respōdetur, quod, vt constat ex Leuit. ca. 16. & ex epist. ad Hebræos ca. 13. Quorū animaliū infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem horum corpora cremātur extra castra propter quod Dñs cum pro peccatis nostris offerretur extra portā passus est, non solum ad implendam illam figuram, sed etiam, quia moriebatur pro peccatis totius mundi, & non solū Iudæorum: & ideò passus est extra ciuitatem, sub cęlo, quo mūdus vniuersus cōtinetur, quia mūdi redemptor erat. Istæ verò rationes militant pro sacrificio cruento, quod obtulit Dominus, non autem pro incruento, quod nos offerimus. Hoc enim rectè offertur in ecclesia tum ob alias causas, tū vt significetur, quod intra ecclesiam offertur verum sacrificium, & non extra illam. Verum est tamē quod quia nos sub lege gratiæ, Dei gratia viuentes non sumus alligati vmbris, & significationibus, quæ sunt propriè Iudæorum possumus ex rationabili causa, extra domum cōsecratam siue templum celebrare. Vnde in capit. concedimus. de consecratione, distinctione. 1. conceditur in itinere positis, si ecclesia defuerit, sub diuo, seu in tentorio, si tabula altaris consecrata, cæteraque sacra ministeria ad id officium pertinentia ad fuerint missarum solennia celebrare.

Hebr. vlti.

Leuit. 16.
Hebr. 13

Secundo argumentor: Quia altari res cum sit inanimata nulla sanctitas potest accrescere, frustra ergo est illud consecrare. De hoc argumento iam diximus, quæ necessaria videbantur articulo præcedenti. Quanuis enim ecclesia, altare, atque similia non sint susceptiua gratiæ, proculdubio tamen assequuntur aliquam virtutem quando sanctificantur, iuxta illud secundo Machab. tertio. Verè Dei virtus quædam est in loco: nam ipse qui habet in cœlis habitationem visitator, & adiutor est loci illius. Inter alia vero iustissima ratione consecratur altare, quod magis e propinquo se habet ad sacrificium, quam ecclesia, & repræsentat iuxta sententiam Bedæ libro. 6. super Lucam, capite. 7. sepulchrum Christi, iuxta Diuum Thomam, ipsum Christum, iuxta alios verò, quibus assentior, significat beatum illud lignum, & sacrosanctum, cuius brachijs sæcli pependit pretium. Nam quemadmodum Christus in cruce pendens se obtulit patri: ita à nobis super aram consecratur, & offertur, & sumitur. Nec huic sententiæ obstat, quod altaria fiant ex lapidibus, non ex lignis. Nam proportio, & analogia requisita solum consistit in eo, quod quemadmodum Dñs in cruce est immolatus: ità & nos super altare offerimus, & immolamus. Quocirca etiam existimo altaria templi veteris significauisse crucem. Fiūt verò modo ex lapidibus propter firmitatem, & durationem. Postquam autem hæc semel consecrata fuerint, admonet concilium Nicenum, non debere iterum consecrari, nisi aut igne exusta, aut sanguinis effusione, aut cuiuscunque semine polluta fuerint. Tunc enim loci sanctitas postulat, vt iterum consecretur, & operatio inimici, atque immunditiės pellatur. Aduertendum verò, quod qui non habent veram fidem, non possunt ecclesiam consecrare. Et quidem altaris palla candelabrum,

2. Mach. 3.

Beda.

brum, & velum, atque ſimilia ſi fuerint vetuſtate attrita, ſunt comburenda, & cineres eorum in baptiſterium debent inferri, aut in parietem, vel foſſas pauimentorum iaci, & includi, ne introeuntium pedibus inquinentur. Et ligna eccleſiæ conſecratæ non debent ad aliud opus conferri, niſi vel alterius eccleſiæ, vel monaſterij, vel omnino comburantur, quia in laicorum opera non debent admitti. De quibus omnibus, Vide de conſecratione. diſtinctione. 1. Tertio argumentor: Quia
Luc. 22 nec Dominus Luc. 22. nec Apoſtoli, Acto
Act. 2. rum. 2. in domibus ſacris cõſecrarunt: ergo nec nos id facere debemus. Reſpondetur, quod Dominus ipſe verba, quibus cõſecraremus, ac formam nobis dedit, vſum autem, & modum celebrandi nobis reliquit. Quocirca eccleſia ſucceſſu temporis multa pie, & prudenter circa modum celebrãdi diſpoſuit. Ex eo vero, quod Dominus non conſecrauit in domo conſecrata diſcimus nos, non id ad conſecrationem eſſe neceſſariũ, nec quicquam aliud; quod officiat eccleſiæ conſuetudini inde poteſt inferri. Quicquid autem ſit de tempore, quo primum Apoſtoli eccleſiam conſecrarunt, credendum tamen omnino eſt, eos antequam è vita decederent, baſilicas aliqua vel loca conſecrauiſſe, & eum morem ab ipſis in nos dimanaſſe. Vnde quæ fuerit illorum temporibus miſſarum ſolẽnitas, & eccleſiæ veneratio colligere poſſumus ex canon. 10. Apoſtolorum. In quo
can. 10. ap. ſic habetur: Omnes fideles, qui conueniunt in ſolennibus ſacris ad eccleſiã, ſcripturas Apoſtolorum, & Euangelium audiant. Qui autem non perſeuerauerint in oratione, vſque dum miſſa peragitur, nec ſanctam communionem percipiunt, velut inquietudines eccleſiæ mouentes conuenit communione priuari. Quarto argumentor: Nam veritas debet reſpondere figuræ: ſed in veteri teſtamento altare non fiebat de lapidibus ſectis, vt conſtat Exod.
Exod. 20. 20. & Exodi. 27. præcipitur fieri aliud al-
Exod. 27. tare de lignis ſetin, vel litis ære, vel auro: ergo inconuenienter eccleſia vtitur altaribus lapideis. Reſpondetur, quod in hoc reſpondet veritas figuræ, quod illis ſacrificijs, & altaribus, & ſacerdotibus ſucceſſit Chriſtus Dominus, qui ſe ipſum obtulit ſacrificium patri in ara crucis, & nos eũdem in altari offerimus. Quod verò modo fiat altare de ligno, aut lapidibus, hoc vel illo modo compoſitis, id non facit ad implendas illas figuras: ſed fit ex lapide ob congruentiam eius materiæ, ad durationem, & firmitatem altarium. Olim verò præceptum eſt fieri altare quoddam de lapidibus inſectis, & vt oſtenderet Deus, quam amet ſimplicem cultum, & ad remouendam idololatriam, & ad differentiam pulchritudinis alterius altaris, quod intra ſancta ſanctorum ex auro ſtructum erat, vbi thymiamata incendebantur, & ſignificabatur, quam Deus æſtimet ſacrificium laudis, & bonæ mentis, aliaſque ob cauſas, quæ non eſt neceſſe modo, vt perſequamur. Quinto argumentor: Nam calix cum patena repræſentat ſepulchrum Chriſti, quod fuit excisſum in petra: ergo deberet fieri ex petra. Reſpondetur, quod quicquid calix, & patena ſignificent de quo ſuo loco Deo dante dicemus, prudenter tamen ſtatutum eſt ab eccleſia, vt calix ac patena fiant ex auro, vel ex argento, vel ex ſtanno, ex alijs vero materijs non fiat ob aliqua inconuenientia. Si enim calix eſſet ex vitro, eſſet facile fragilis: ſi ex ligno, vel lapide eſſet poroſus, ſi ex ære, vel aurichalco, æruginem crearet, & poſſet prouocare vomitum.

Sexto argumentor: Panni ſerici ſunt precioſiores alijs: ergo ſicut calix fit de auro: ita pallæ altaris deberent fieri de ſe- Syluest. pp.
rico. Ad hoc reſpondet Syluester Papa in epiſtola quadam his verbis: Conſulto omnium ſtatuimus, vt ſacrificium altaris non in ſerico panno, aut intincto quiſquam celebrare præſumat: ſed in panno lineo ab epiſcopo conſecrato, ſicut corpus Chriſti in ſindone linea, & munda ſepultum fuit. Et quidem cum non modo ſine periculo, ſed etiam commodè vti poſsimus panno lineo in ſacrificio peragendo, & id expreſsius repræſentet id, quod circa mortem Domini actum eſt, ſi quidem eius corpus fuit inuolutum in ſindone munda, conuenien

ter obseruatur ab ecclesia, vt pallæ fiant ex lino. Septimo argumentor: Nam nec ministri, nec calicis, nec aliorum similiũ consecrationes recolit ecclesia: ergo nec deberet recolere ecclesiæ, vel altaris consecrationem. Respondetur, quod minister tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo, est ipse Christus, cuius non vnum solum; sed plura festa recolimus: Dedicationes verò ecclesiæ, & altaris recoluntur: quia ista duo habent se tanquam totum, vel pars maior, & magis exposita, ac necessaria, & semper visitata eorum, quæ inter inanimata consecrantur: & iccirco eorum dedicatio & consecratio celebratur. Cointelligitur tamen celebrari consecratio cæterorum omnium, quæ ad sacrificium peragendum requiruntur, & consecrantur. Aduertendum est etiam vltimo loco, quod quanuis ecclesia, cui relicta est dispositio circa debitum, & congruentem modum celebrandi, multa requirat, si tamen sacerdos verba consecrationis proferat super materia debita, cum intentione consecrandi absque omnibus prædictis, scilicet, domo, altari, calice, & corporali consecratis cæterisque eiusmodi per ecclesiam constitutis, consecrat quidem corpus Christi, peccat tamen grauiter peccato sacrilegij, ritum ecclesiæ non seruans. Et hæc de isto mirabili sacramento, dante Domino, si quid boni diximus.

Hebr. 8.

INCIPIT TRACTATUS DE RITU MISSAE.

NIhil est homine iusto, & sapiente dignius, si Dei minister ac sacerdos effectus sit, quam ritus ceremonias, rationemque omnem sacrificij callere ac penetrare, quo & suum munus obire digne possit, & cuilibet poscenti causam, & rationem reddere eorum, quæ in celebratione missæ peraguntur. Ac propterea decreui labore meo aliorum laborem leuare, & perstringere, quam breuiter fieri posset, quæ hac de re scitu necessaria esse videbantur.

Cap. I. De sacerdotis ingressu ad sacrarium, & vestimentorum ratione.


AGnoscat sacerdos, atq; consideret sacrariũ ingrediẽs, quod personam sustineat sanctorũ Christi Iesu, qui est minister tabernaculi veri, atq; ita se cõparet grauitate, humilitate, modestia, silẽtio, & præcipuè bona mẽte, ac puritate, astare vt possit spiritu, maiestati, & pulchritudini Dei, cui assistunt Cherubin, & Seraphin, cui ministrant Angeli, cui Sol & Luna deseruiunt; stellæ autem luxerunt ei cum iocunditate, qui fecit illas: vocatæ sunt & respõdent adsumus. Atq; ista considerans, amictu, hoc est, velamento tenui, & infirmo, candido tamen caput operiat, significans, quod Verbũ ad nos descendens, sub fragili carne, sed mũda se abscõdit, ac suã diuinitatẽ, quasi obtexit, quã Christi caput appellat Apostolus dicens: Caput Christi Deus. Alba verò, quã superinduit, vestimentũ, scilicet, lõgũ, & lineũ, & clausum vndiq;, significat Christi integerrimã, & sanctissimã conuersatiõnẽ. Cingulũ autẽ, quo lumbos præcingit, cõgruè iuxta scripturæ phrasim designat, non modo Christi puritatem, cœlos excedentem, sed etiam quam debeat ipse sacerdos castitatis, & continentiæ gloria fulgere, & sibi

Baruch. 3.

1. Cor. 2.

sibi ab omni voluptate temperare. Deinde, vt strenuus miles, manui sinistræ ad apiet manipulum, qua si præliaturus cum inuisibilibus hostibus & inuaturus ac securus ducem suum, qui Sathanam principê huius mũdi deturbabit è regno. Quoniam nõ est nobis colluctatio aduersus carnê & sanguine, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Adiunctę vero fimbriæ manipulo, admonêt, quam debeamus in hac bona militia vsque ad finem perseuerare, & bellum cum hoste gerere inexorabile. Stola autem, & defluens vsque ad pedes, & in crucis formam composita, significat, quod Dominus noster Iesus Christus portauerit semper crucem suam, & factus fuerit obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, & quod nos debeamus illũ sequi, crucis mortificationem in corpore, nostro circunferentes. Casula denique superinduta, ecclesiam, hoc est, corpus Christi designat, quæ fide & charitate continetur. Propter extensionê autem manuum sacerdotis ad vtrunque latus, casula in duas partes quasi diuiditur: cum tamen illæ vnitæ maneâtin capite: quoniam per Christi passionem duæ partes ecclesiæ in vnum coniunguntur; quarum anterior pars, quæ minor est, ecclesiam designat, quæ præcessit Christi passionê incipientem ab Abel iusto. Pars autem posterior refert eam ecclesiam, populumque fidelem, qui post eandem Christi passionem, ex omni tribu & lingua, & populo, & natione collectus est.

Ioan. 12. *Ephes. 6.* *Phil. 2.* *Apoc. 5.*

Caput. II. De priori parte missæ vsque ad epistolam.

Præcedũt ceroferarij luminaribus accêsis, hilaritate ipsa, & splêdore lucis significâtes gaudiũ, quod effulsit toti mũdo, aduêtu, & natiuitate Saluatoris. Sequitur subdiaconus, idest, lex non sine causa portans euangeliorum librum: quoniam euangelium in lege, sicut veritas in vmbra continetur. Subsequitur diaconus, hoc est, euangelium, tempore quidem lege posterius; sed dignitate prius. Quæ ambo Dei verbum secundum ordinatissimam distributionem temporum, attulit mundo, & ad suum honorem ac gloriam ordinauit. Vltimus aduenit, altare que medius sacerdos, tanquam Christus complens, atque perficiens ordinem ministrorum, Dominus ipse & ministret. Atque in primis sacerdos cum ministris peccatorum confessione inuicem facta, abstergere curant peccata, quæ naturali fragilitate, & quotidiana infirmitate contrahimus. Accedensque sacerdos & astans altari, illud osculatur, in deuotionis, & reuerentiæ signum. Locis enim ad quæ vehementer afficimur, & quæ veneramur, solemus oscula figere, ex dulci memoria, ac recordatione, & veneratione profecta. Quia vero qui spiritu ascendit, & altar vultui Dei, cum illo munificentissimo rege (quæ eius bonitas immensa est) colloquia miscens: nunc laude Dei vitur; nunc cognitione, & confessione miseriæ suæ Dei misericordiam mouet nũc oratione aliquid petit, atque hæc varie miscet, pro vt Spiritus sanctus afflauerit. Inde est, quod sacerdos incipit quidem aliquid in introitu, quod ad Dei laudem spectet: postea suam & populi miseriam proponit, petitque misericordiam dicendo ter, Kyrieeleison, Domine miserere, Christeeleison, Christe miserere, Kyrieeleison, Domine miserere; qui tres ternarij Patri filioque & Spiritui sancto apiantur ordine suo. Deinde laudem rephcat intonans, Gloria in excelsis Deo. Quæ verba ecclesia accepit ab Angelis, & adijciens nõnulla hymnum laudis compleuit: vt quia communis est laudandi, ac lætandi ratio Angelis, & hominibus, sit & communis cantus, & verba. Postremo autem adijcit sacerdos orationem deprecans Deum omnipotentem, vt nobis bona conferat, & auertat mala, idque per Dominum nostrum Iesum Christum qui est filius dilectionis, & per quê accepimus gratiã pro gratia. Quecunque enim Deus diligit per Christũ diligit, & cuicunque dat gratia, ac beneficia per Christũ dat gratia & beneficia. Accedens, si alicuius mise-

Luc. 2. *Ioan. 1.*

retur,& eum liberat à malis, per Christũ miseretur,& liberat à malis, per quem placuit reconciliari, omnia pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt. In his verò omnibus de quibus sermo habitus est alijsque multis sacerdos Chorum concinentem adiuuantem, & respondentem habet eo, quod populus fidelis vna cum sacerdote, & per sacerdotem sacrificat.

Caput. III. De his, quæ à lection ecpistolæ vsque ad Canonem fiunt.



ECTIO Epistolæ vox est legis, ac præcursoris præcurrẽtis,& suos auditores destinantis, ac transmittentis ad Christum. Quantò verò præstantius sit Euangelium lege significamus, sedentes dum legitur epistola. Cũ tamẽ surgamus,& erecti ac discooperto capite stemus ad Euangelium, non autem hæreat quis considerans,quod sæpe epistola sumitur ex nouo testamento. Quoniam cum omnia hæc ad finem charitatis referri debeant, ea leguntur in epistola,quæ ad eum finem videntur esse magis congruentia. Descendit autem sacerdos ab altari, & sedet in loco presbyterij, dum epistola legitur, vt vera humilitate demonstret, se esse vnum de populo egentem doctrina, ac gratia Dei, & imitetur eum, qui inter turbas accedens ad Ioannem dicebat, decet nos implere omnem iustitiam. Quoniam autem lege, & prædicatione Ioannis disponimur ad iustitiam, & ad lamenta prouocamur; iccircò gradualis cantus succedit tristis, & grauis, ob quam causam diebus lætis, & significantibus statum gloriæ, à paschate, scilicet, vsque ad Pentecosten, non dicitur graduale. Quod si nominis rationem consideres illud videtur esse deductum à gradibus procedentium de virtute in virtutem. Quoniam autem lugentibus ore Dei promissa est consolatio,& hilaritas spiritus, plena quidem in futuro, sed in præsenti degustata: iccircò post graduale triste, scilicet, carmen, & lugubre, subsequitur alleluia, qua voce

Matth.3.

Matth.5.

æterni gaudij plenitudo, & cœlestium spirituum officium designatur. Illi enim pulchritudine Dei capti, & absorpti eum laudant indesinenter. Alleluia verò lauda te Deum interpretatur: ac propterea bis, & iterum, atque iterum repetitur. A septuagesima verò vsq; ad pascha, quoniam illi dies sunt luctus, atque pœnitentiæ suspendimus lætitiæ cantum non aliter, atq; illi, qui pressi captiuitate Babylonis organis ad salices suspensis, dicebant; Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Et dicitur in ecclesia tractus, qui & verbis, & peculiari modulatione vocis triste quid sonat pro pœnitentibus. Ad euangelium autem omnes ob reuerẽtiam assurgimus,& subdiaconus, ac ceroferarij cum luminaribus astant. Quoniam euangelij veritas,& lux patefacit, & illustrat vmbras legis, illuminatque sedentes in tenebris, & vmbra mortis. Diaconus autem stola indutus, quæ ab humero pendens, & circa lumbos stricta, atque eos comple xa robur animi simul, & castitatem designat, accepta benedictione, qua si licentia, & gratia ad promulgandum euangelium: est enim præco verbi Dei, in primis salutationem præmittit, quo auditorum animos attẽtos reddat, atq; beneuolos, dicẽs: Dominus vobiscum, hoc est, Deus adaperiat cor vestrum in lege sua,& det vobis, vt credatis in eum, captiuãtes intellectum in obsequium Christi. Illi verò erecti corpore, animo attenti,& capite discooperto, salutationem reddunt dicentes: Et cum spiritu tuo, id est, tuam etiam ipse mẽtem illuminet ac foueat, tecũ sit dignè, vt possis tuum obire munus, ad tuam, & nostrũ omnium salutem. Rursum ille in summa proponens,& declarans quid annunciaturus sit, Sequentia, inquit, sancti euangelij. Quo audito cum ingenti gaudio illi respõdent. Gloria tibi Domine, quoniam, vt habetur Actorum. 13. gentes audientes sibi verbum salutis à Deo esse destinatum, glorificabant Deum; & crediderũt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Et quidem Diaconus antequam verba legat euangelij crucẽ in litera ipsa euangelij format manu. Quoniã nõ humanæ sapiẽtiæ

2. Mach. 2. Cor. 10.

Actor. 13.

verba est allaturus: sed annũciaturus Christum & hunc crucifixum Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam nobis vero Dei virtutem, & Dei sapientiam. Statimque frontem, proprium os & pectus consignat, publice eodem crucis signo, facto ipso contestans atque declarans, se crucem Christi, non erubescere, sed palam potius velle gestare, atq; euangelij doctrinã corde credere, fateri ore, & opere ipso perficere, nihilq; habere, aut maius aut pretiosius, quã credere Deo & seruire corde magno, ac animo volẽti Dño Deo nostro. Et ideo præcipuis partibus crucem apponit, & eam quasi toto pectore amplectitur illa sese armans, & muniens, aduersus tela omnia, & insidias inimici, atque accingens ad præliandum cũ hostibus inuisibilibus. Vertit vero se, & euangelium legit cõtra Aquilonem regionem, scilicet, frigidam, & arefacientem, atque siccantem bonarum arborum & terræ virtutem, ne fructus fundere, ac ferre possint. Et quia qui dixit: Similis ero altissimo, sedem suam posuit in Aquilone, & iuxta scripturam malum visum est ab Aquilone; iccirco diaconus contra eam regionem legit Euangelium, significans, quod verbum Dei pugnet aduersus spiritus malignos, & potestates tenebrarum harum, principemque huius mundi eijciat foras, ac destruat omnem altitudinem extollentem se aduersus Deum. Quod autem perlecto, & audito euangelio, sacerdos, atq; diaconus oblatum librum à subdiacono exosculantur, gratiarum actionis, deuotionis, & reuerentiæ signum est. Deinde vero, quia nos per euangelij prædicationem fidem accepimus, & vera religio, ac sacrificiũ innituur veræ fidei, eamque supponit, ob vtranque causam congruentissime in sacrificio missæ post lectionem Euangelij canitur symbolum fidei, inchoante sacerdote, ob suũ munus, & dignitatem, ac choro prosequente. Est autem sacratæ fidei confessio, quæ symbolo continetur hostia laudis ac ceptissima Deo in odorem suauitatis.

Ephes. 6.

Caput. IIII. Continens ea, quæ ab offertorio vsque canonem aguntur.


VM sacrificium præparatur eiusque materia proponitur, atque offertur communi, & munificẽtissimo omnium Patri Deo cantatur à choro Antiphona, quæ propterea offertorium appellatur. Parata vero iam sunt aut tunc præparantur elementa panis, & vini, in quibus obseruatur iuxta ritum diuinissimorum patrum, vt & aqua misceatur vino, & id fiat perexigua quãtitate, eo quod de latere Christi pẽdentis in cruce, & sanguis, & aqua exiuerunt. Et per aquam significantur populi, qui Christo adhærent, & incorporantur. Sunt vero populi comparatione Dei, quasi aquæ gutta, dicente scriptura; Omnes gentes, quasi stilla situlæ, & quasi non sint sic sunt coram eo. Quando autem supra ea, quæ obtulimus, thus adolemus, significamus, desiderare nos, vt sicut illud sursus ascendit, sic ascendant orationes nostræ, & acceptum sit sacrificiũ in cõspectu Dei. Et quemadmodum tenues quidam vapores, maxime aurora, & vesperi videntur ab hoc mundo inferiori ad Dei maiestatẽ, & altitudinem ascendere, & offerri in gratiarum actionem: ita cum incenso arborum, montium, fluuiorum, mariũ, camporum, vbique terrarum ascendat oratio nostra. Quanuis autem sacerdos se ante accessum ad altare examinauerit, ne in eam sententiam incidat, Qui manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit; lauat tamen manus post præparationem, & oblationem hostiæ; significans, quam debeat maculas omnes abstergere, qui accedit ad tam alta sacramenta. In eo vero, quod postea deprecationes quædam, & orationes dicuntur secrete, putant quidam ecclesiastici innui tempus illud, quo post suscitationem Lazari, sciens Dominus, quod Iudæi illum quærebant interficere, iam nõ palam ambulabat; sed abijt in ciuitatem Ephrem, & ibi morabatur cũ discipulis suis & silentium etiam, quod eo breui tempore habetur in choro, significationem habet illorum, qui non audebant palam loqui de Christo ob metum Iudæorum, qui dederant mandatum, vt si quis eum confiteretur extra synagogam. Can-

ticum vero qui dicitur præfatio simul & est vox laudis qua erigimus in Deum, alto enim & excelso animo esse, atque habere sursum cor, optimum est, sed ad Dominum. Et præterea pronunciario illa, & clara intonatio vocis significare potest, apertum, & vltimum regressum, & aduentum Domini in Hierusalem. De quo scriptum est, quod Iesus ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus. Ille vero hymnus, Sanctus Sanctus, &c. nos transmittit ad diem sequentem, de quo ibi hæc scripta sunt. In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent, quia Iesus venit Hierosolymam acceperunt ramos palmarum & processerunt obuiam ei, & clamabant: O sana, benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel. Hunc ergo sanctum & solennem palmarum diem, atque aduentum Domini in Hierusalem, vox ista laudis nobis reducit in memoriam. Ioan.12. Matth.21.

Capit. V. De his, quæ fiunt ab initio Canonis, vsque ad illud, communicantes, &c.



AB initio Canonis vsque ad consumptionem sacrificij repræsentatur, quam expresse id fieri potest, passio Christi. Ac proinde institutum est, vt ceremoniarum multitudine euitata solo signo crucis vtamur, quo sic mens facilius possit, & fortius intendere passionis mysterijs. Decreui autem deinceps non modo ritus, & ceremonias, sed & verba canonis, quæ lõge grauissima sunt interpretari perbreuiter. *Te igitur clementissime pater, per Iesum Christum filium tuum*, non potuit ad impetrãdum ea quæ sunt salutis, quicquam aliud tam efficax interponi. Imo vero nihil est quod habeat ad eum finem efficaciam, nisi eam fortiatur à Christo, & per Christũ. Scriptum enim est; Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oportea nos saluos fieri. Et illud: Amen, amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo. Hoc faciam, vt glorificetur pater in filio. Supplices rogamus, ac petimus Acto.4. Ioan.14.

vt & humilias, & confidentia ostendatur. Petimus autem clementissime pater, *vti accepta, idest grata, siue placita habeas, & benedicas* multiplicando gratiã, & conuertendo in corpus, & sanguinem filij tui, *hæc dona quæ tibi donamus, vel potius hæc dona, quæ à te accepimus vel hæc eadẽ munera, quæ tibi offerimus. Tua enim sunt omnia, & quæ de manu*, tua accepimus, reddimus tibi, hęc sancta sacrificia, illibata. Sancta quidẽ quia dicata tibi: illibata vero, quia immaculata, integra, incorrupta, & intacta, in primis quæ tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica, pro omnibus in vna vera fide participãtibus. Vbi aduertendum est, quod quia sacerdos agit in persona totius ecclesiæ, iccirco primum non pro se ipso, sed pro omnibus in vniuersum orat: deinde, & pro patribus ecclesiæ præcipuis iuxta formam illam B. Pauli. 1. Tim. 2. Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt. Est vero duplex potestas, spiritualis, & temporalis, & vtraque à Deo: quia omnis potestas à Domino Deo est. Quia vero spiritualis est multo præstantior, iccirco ponitur primo loco. Et rogamus ac offerimus pro papa, qui sic dictus videtur, quasi pater patrum, & episcopo nostro & rege, & omnibus orthodoxis, idest, recte in fide sentientibus, & cultoribus eiusdẽ catholicæ & Apostolicæ fidei hoc est, suã fidem, re ipsa, & factis declarãtibus ac venerantibus. Sacerdos autem dũ osculum imprimit altari, & ter signat offerenda, quando dicit; Hæc dona, hæc munera hæc sancta sacrificia, significat deuotionem, qua Christus se obtulit passioni; & quod ea Domini passio à Patre, filio, & Spiritu sancto ordinata sit. Et de patre quidẽ scriptum est, Romanorũ octauo. Proprio filio suo non pepercit Deus; sed pro nobis omnibus tradidit illum. Et filius de se ipso dicebat Ioan. 10. Animam meam pono pro ouibus meis. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso. Et denique de Spiritu sancto scriptum est ad Hæbreos, cap. 9. Per Spiritum sanctum semet ipsum obtulit Deo patri immaculatum. 1. Paral. 29. 1. Tim. 2. Rom. 8. Ioan. 10. Hebr. 9.

Con-

Consignatur autem his tribus crucibus tota oblatio; quia Christus, & in corpore, quod panis species repræsentat, & vsque ad sanguinis effusionem passus est: nec fuit ex illis, de quibus dicitur. Non dum vsque ad sanguinē restitistis; sed vitam ipsam effudit. Oratione autem generaliter præmissa pro omnibus, orat deinde sacerdos, & Deo commendat peculiariter eos, ad quos secundum rectæ rationis, & charitatis leges peculiariter affectus est, dicens: *Memento Dñe famulorū famularūq; tuarum.* Deinde & pro omnibus circunstantibus. Dicitur autem. Pro quibus *tibi offerimus, vel, qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis*; propterea quod nō modo sacerdos, sed & ministri, & circunstantes, & dantes eleemosynas, & petentes, vt pro ipsis offeratur, & vt breuiter dicam, populus vniuersus offert, atque sacrificat medio sacerdote. Dicuntur vero offerre pro se suisque omnibus: quia non modo pro æterna salute animarum suarum: sed pro bonis omnibus assequendis, etiam temporalibus: & pro malis, ac afflictionibus depellendis offerri potest: & offertur hoc sacrificium. Quocirca placuit ea, quæ hac particula breuissime contenta sunt ex missa sanctissimi Basilij, extendere, & ampliare. Promptuaria, inquit, eorum adimple omni bono, coniuges eorum in pace, & concordia conserua: paruulos enutri: iuuētutem baiula: senectutem contine: pusillanimes consolare: dispersos congrega, errātes reuoca, & coaduna sanctæ tuæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ, energumenos à spiritibus immundis libera: nauigantibus connauiga: iter agentibus comitera: viduis patrocinare: orphanos protege: captiuos libera: infirmos sana; qui in ergastulis & in metallis atque exilijs & amara seruitute, seu in quacumque tribulatione, & angustia siue anxietate sunt releua. Memēto Domine, & omnium petentium magnam misericordiam tuam, & omnium amantium nos, & odientium & postulantium nos indignos orare pro illis, & omnis populi tui memento Domine Deus noster & super omnes effunde diuitem misericordiam tuam: omnibus retribuens quæ ad salutem sunt postulationes: & quorum nos memoriam non fecimus, aut per ignorantiam, aut per obliuionem, seu propter multitudinem nominum, ipse memento Deus, qui scis vnius cuiusque ætatem, & appellationem: qui scis vnumquenque de ventre matris suæ. Tu es enim Domine auxilium inauxiliatorum: spes desperatorum, laborantium salus, nauigantium portus, languentium medicus. Ipse omnibus omnia sis, qui scis vnumquenque, & postulationem eius, domū, & necessitatem eius, & erue Domine ciuitatem hanc; & omnem ciuitatem, & regionem à fame, pestilentia, terræmotu demersione, igne gladio, incursu alienigenarum, & ciuili bello.

Caput. VI. De his, quæ dicuntur ac fiūt ab illis verbis: Communicantes, &c. vsque ad consecrationem eleuationem corporis, & sanguinis Domini.



Voniam quamuis sancti regnent cum Deo nos autem in prælio vitæ huius cum hoste pugnemus: tamen vnius & eiusdem Domini serui sumus, & eorum bonorum, quæ illi iam in pace possident nos spem, & pignus habemus: iccirco vere illis dicimur esse communicantes. Vt autem ad eorum virtutem imitandam, & gloriam assequendam accendamur æquū est, vt ipsorum memoriam faciamus. *Et in primis gloriosæ, semperque Virginis Mariæ genitricis Dei, & Domini nostri Iesu Christi & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli*, quorum vnus cruce alter ense triūphauit, Andreæ summa lætitia aspicientis; & salutantis crucem, cui figendus erat; Iacobi, dicti maioris, qui vt strenuus Christi miles se se in medios hostes proijciens primus omnium interfectus est, Ioānis valde dilecti, & in hac vita mortali agentis vitam cœlestem Thomę telis confossi, Iacobi minoris sanctissimi viri, multa & dira tormenta perpessi, plura autem pati desiderantis, Philippi, & cruci affixi, & lapidibus obruti; Bartholomæi, qui pro Hierusalem cœlesti vsque ad mortem depugnauit, & pellem ipsam reliquit, Matthæi ad aras occisi, Simo

nis

tris,& Thadæi, Lini Clementis, Xisti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chrysogoni,& aliorum innumerabiliū sanctorum, qui pro Christo pro virtute,& regno Dei decertantes, & occumbentes rectissime sibi visi sunt rerum omnium potiri, quique nobis propositi sunt, vt dum eorum virtutē veneramur, vna cum illis ab hac vita mortalem vitam transeamus:& si quidem mori omnino necesse est, moriamur vt viuamus. Soli vero martyres hoc loco recensentur, tum, quoniam in eis imago, ac repræsentatio mortis Christi lucet expressius; tum etiam, quia fortasse, quando hæc canonis pars ordinata est, non erat ecclesiæ de more alios præter martyres celebrare. Quia vero sancti nostri intercessores sunt apud Deum dicitur. Quorum meritis precibusque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, hoc est, nostri ministrantium tibi sed & cunctę familiæ tuæ, id est, propriæ nostræ congregationis,& cunctæ etiam ecclesiæ. Nam & populus rem sacram audiens,& vniuersa etiam ecclesia offert per sacerdotē, quæ sumus Domine, vt placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi,& in electorum tuorum iubeas grege numerari per Christum Dominum nostrum. *Sequitur: Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæ sumus, benedictam, &c.* Atque hæc verba dicens sacerdos quinquies signat oblationem, significare volens, quæ acta sunt à die palmarum vsque ad tempus passionis, & mortis Domini, quando mysteria omnia sunt cōsummata, inter iacent enim quinque dies. Nec vero apponitur sexta alia crux, vt innuatur debere nos requiescere in memoria,& confidentia passionis Christi & meritorum eius, sicut in vniuersali, & sufficiētissima causa nostræ salutis. Nec vero mirum alicui videri debet, si à rememoratione diei palmarum vsq; ad diem parasceue transeamus, quintę interim feriæ, & mysteriorū eius memoria prætermissa. Et ratio est, quia totus hic actus,& ritus ac celebratio missæ est repræsentatio, & cōmemoratio eius noctis, in qua sanctissimum hoc sacramētū institutū est, tāquā passionis Dñi memoriale perenne. Et iccirco non necesse fuit peculiariter in hac, vel illa parte missæ significare, quæ in tota missa repræsentantur. Dicitur ergo: Quam oblationē tu Deus in omnibus, quę sumus: *benedictā*, id est, qua per gratiā tua benedicamur: *Ascriptā*, qua ascribamur in cœlum: *Ratam*, qua firmiter Christo adhæreamus. Rationabilē per quā à bestiali sensu exuamur, & mortificantes mēbra nostra nos ipsos Deo offeramus; *Acceptabilem*, per quam ipsi accepti simus, facere digneris. Hoc autem assequemur, si nobis fiat corpus, & sanguis Dñi nostri Iesu Christi. Possunt, ac debent fortasse hęc omnia Christo applicari, cuius corpus, & sanguis dicitur hostia benedicta; quia in eo erat gratiæ plenitudo ascripta, quia illa sanctissima humanitas erat assumpta à Deo, rata quia non transitoria, sicut veteres oblationes transierunt,& tanquam vmbræ cesserunt veritati, rationabilis, ad distinctionem veterum hostiarum, quæ erant irrationales, tauri, scilicet,& vituli, acceptabilis, ad differentiam etiam earū oblationum, de quibus scriptum est: Sacrificiū & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi, holocausta & pro peccato nō postulasti. Qui vero desiderant, vt talis hostia illis fiat, nihil desiderant aliud, quam vt fiat corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi, in quam hostiam illa omnia conuenerunt. Augus.

Capit. VII. De his, quæ fiunt ac dicuntur in consecratione corporis, & sanguinis Domini.



Qui pridie, quam pateretur, accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas. *Vt tu etiam debeas libera conscientia dicere, Manus meę, nec muneribus corruptæ, nec innocenti sanguine pollutę sunt, noxam aut iniuriā intulerūt nemini: nulli turpi rei prębuere ministeriū, sed ijs quæ decent viros sanctos, & probos. Et eleuatis oculis in cœlum, vt sacerdotis etiam spiritus eo dirigatur, quo oculi tendunt, & à terra in cœlum emicet, sumptisque alis petat subli

sublimia, cupidus assistendi cum angelis, & archangelis Deo, imperatori cunctorum; cuius inexpugnabile regnum iuste moderatur vniuersa, & cui seruire regnare est. Eleuatis igitur oculis ad te Deũ patrẽ *suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis dicens. Accipite, & comedite ex eo omnes: hoc est enim corpus meũ.* Idest, hoc quod videtis, & vobis panis apparet, quod contentum est his speciebus, vere est corpus meum. Vel, Hoc est corpus meum, idest, Corpus meum est hoc: ita, vt sumatur adiectiuè. His dictis sacerdos summa, qua potest, reuerentia primũ quidem se inclinat ac genua flectit, deinde eleuat corpus Domini in altum omnibus aspiciendum, & adorandum proponens, atque significans, quomodo cruci affixus Dominus fuerit, & exaltatus à terra. Vt ru consideres eum, vt suppliciorum victorem, eleuatis manibus triumphantem de Amalech, & quasi sanctificantem de excello plebem, & eleuatum in sublimi; ac quasi cœlo proximum, superioribus inferentem consummati agonis vexillum, & Ex Cypr. inferioribus erigentem scalam in patrios cursum, ita stabilem & firmam, vt si eam fortiter complexi fuerimus, nulla inimico Ex Aug. rum violentia, nulla mundi huius tempestate, & fluctibus, aut auelli inde, aut commoueri possimus. *Simili modo postea quam cœnatum est, accipiens & hunc praeclarum calicem in sanctas, ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis dicẽs accipite, & bibite ex eo omnes: hic est enim calix sanguinis mei, noui, & aeterni testamenti, mysteriũ fidei: qui pro nobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quæ omnia verba altissima, atque grauissima, vtrum sint de essentia formæ vel illa solum: Hic est calix sanguinis mei, alio est in loco disputatum. Est vero sensus: Hic est calix sanguinis mei, hoc est; Hic est sanguis meus, qui dura, & acerba passione expressus effundetur pro vobis. Sequitur: *Noui, & aeterni testamenti.* Quibus verbis significatur is effectus sanguinis Christi, qui est lex gratiæ, vel nouum testamentum. Dicitur autem lex gratiæ nouum testamẽtum, quia innouat hominem expulso vetere Adam: & quia cõiungit sæculis æternis, vbi erunt cœli noui & terra noua, iuxta Ioannem in Apocalypsi. Dicitur etiã, nouum, respectu veteris, quod huius institutione euacuatum est: iuxta illud Apostoli ad Hebr. octauo. Hebr. 8. Dicendo nouum inueterauit, quod erat prius. Quod autem antiquatur, & senescit prope interitum est; in cuius signum in morte Christi velum templi scissum est. Quasi reclusa iam essent, & aperta mysteria legis veritate patefacta. Dicitur etiam hoc testamentum, siue pactum nouum: quia non corporalia, vt olim in lege: sed spiritualia: non transitoria, sed æterna promissa sunt. De quibus bonis scriptum est Hebr. 9. Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius Hebr. 9. tabernaculum non manu factum, idest nõ huius creationis, nec per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. Dicitur præterea æternum. Quoniam, vt docet Apostolus Hebr. 9. vbi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatũ est: alio Hebr. 9. qui nondum valet, dum viuit, qui testatus est. Vnde nec primum quidem, quod erat figura posterioris, sine sanguine dedicatũ est. Est ergo hoc testamentum æternum quia sanguine testatoris, & morte constabilitum, & confirmatum est: nec vero vlla ratione reuocari potest. Sequitur. *Mysterium fidei.* Dicitur autem ille sanguis, mysterium fidei: quia passio, & mors Christi fuit sacratissimum secretum velatum, & absconditum sub figuris veteris testamẽti, præcognitum à patribus, tanquam mysterium redẽptionis generis humani. Vel secundo dicitur, mysterium fidei, propterea quod sanguinem Christi sub eis speciebus contineri sola fide cognosci potest. Estq; opus valde mirabile inter sacra mysteria, & mirabilia fidei. Itaque & baptismus & Eucharistia dicuntur sacramentũ vel mysterium fidei: baptismus quidem: quia est fidei professio: Eucharistia vero propter peculiarem sui admirabilitatem, & latentem rationem ac altitudinem. *Subditur: Qui pro nobis, & pro multis effũdetur.* Pro vobis discipulis, & pro multis alijs Iu

dæis

dæis atque gentilibus qui sunt electi vel pro vobis Iudæis,& pro multis gentilibus qui sunt de numero electorum. Secundũ quam expositionem illud, Pro vobis, & pro multis,refertur ad solos electos. Quia vero Dominus non solum mortuus est pro peccatis electorum,sed etiam pro peccatis totius mundi,iuxta illud.1. Ioan.c.2.
1.Ioan.2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris nõ pro nostris autem tantum , sed etiam pro totius mundi:iccirco, si quis hoc loco nomine multorum omnes homines intellexerit,intelliget profecto id,quod est verissimum. Deus enim pro omnibus mortuus est.Quanuis complurimi(quæ hominum cæcitas,& plusquam lamentabilis ignorantia est)malint in captiuitate dæmonis detineri,& æternæ mortis, ac ignis vinculis cum spiritibus damnatis,alligari,quã veram libertatem, & redemptionis beneficium,& Dei regnum obtinere: pro quibus gratis Christus mortuus est. Cum autem audis:Effundetur , subsiste , obsecro, parumper vir fidelis. Considera Dei bonitatem , & misericordiam incredibilem. Quanuis enim vel gutta sanguinis tam pretiosi sufficiens fuisset, pro totius mun-
Bernar. Anselmus. di redemptione,vt affirmant sancti Dei homines, voluit tamen Christus,largiter suũ sanguinem fundere , vt dilectionis suæ in nos magnitudinem ostenderet , & omni ratione deuinctos redderet ad se amandũ.
Sap.1. Cætera quidem omnia Deus in pondere fecit,numero,atque mensura. In effusione vero sanguinis sui hũc sibi modũ statuit, vt nullũ modũ teneret,sed verteret,ac effũderet pro nobis totũ sine põdere,sine numero, sine mensura: vt in eam misericordiæ magnitudinem intuentes supereffluẽtem etiam præmij mensuram,& immensum gloriæ pondus speraremus: si ei velimus adhærere per fidem,& amorem,purè,ac sanctè seruientes Deo, & Patri, qui talem ac tantum nobis dedit redemptorẽ; ex cuius corpore toto passionis tempore continuo sanguis fundebatur, ac fons ille totius bonitatis misericordiam iugiter & largiter promanabat. Additur vero postremo,in quem finem sanguis ille fusus est. *In remissionem peccatorum.* Sanguis enim filij eius emundat nos ab omni peccato, ait S.
Ioannes. Et ad Coloss. primo dicitur: In 1.Ioan.1.
quo habemus redemptionem per sangui- Col.1.
nem crucis eius,& remissionem peccatorum. Dum autem sacerdos calicem eleuat illa Domini verba refert: *hæc quotiescunque feceritis,in mei memoriam facietis.* Quę magis opportuno tempore dici non potuerunt, quam dum significatur eleuatio Domini in cruce.

Caput.VIII. Ab illis verbis; Vnde & memores Domine vsque ad illud, memento, &c.



Nde & memores *Domine nos serui tui,* id est, ministri altaris:sed & plebs tua sancta, idest, ecclesia Dei generaliter , ac peculiariter populus qui astat,& pro quo offertur sacrificium: Christi filij tui, Dñi nostri tam beatæ passionis:nec non,& ab inferis resurrectionis, sed & in cœlos gloriosæ ascensionis *offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis , ac datis hostiam puram,hostiam sanctam hostiam immaculatam,panem sanctum uitæ æternæ,& calicem salutis perpetuæ,* idest, vitam ac salutem æternam, & perpetuam asserentes. Hæc vel iccircò dicũtur offerri de Dei donis,ac datis,quod ipsa Dei dona, ac data sint. Vel certe ideo, quod corpus,& sanguis Domini ex Dei donis,pane,& vino, sint effecta. Format vero sacerdos ista dicens, crucem quinquies, vt quinarius ille numerus quinque Domini vulnera significet ,quæ suscepit in cruce, duo, scilicet, in manibus, duo in pedibus, vnũ in latere. Supraque propitio,ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel,& sacrificiũ patriarchę nostri Abrahę & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctũ sacrificiũ, immaculatã hostiã. Nõ petimus vt hostia ipsa secundũ se grata, & accepta sit, qua nihil gratius, & acceptius offerri Deo potest: sed, vt nostra ipsorũ oblatio grata,& accepta sit, ac placeat in oculis altissimi, sicut ei placuit oblatio sancti & sinceri Abel, quem signo dato exaudiuit de cœlo

cœlo, & fidelis Patriarchę Abrahę, in quo omnes pietatis affectus Dñi iubentis impe rio pietas paterna neglexit, nec horruit na ti fundere sanguinem nec intremuit ad vo cem, nec stupefactus tali præcepto est, sed ebibens dolorẽ immensum, & castè ac sin cere obediens Deo, vnigenitũ offerebat, in quo acceperat repromissiones. Atq; itẽ tertio cõmemoratur sacrificiũ sacerdotis Melchisedech, qui tãtus fuit apud Deũ, vt maior quã Abrahã dici mereretur. Fit verò mentio sacrificiorũ legis naturæ, nõ ve teris, propterea quod lex naturę modo etiã manet, lex autẽ vetus per passionẽ, quam in missa referimus, est euacuata. *Supplices te rogamus, omnipotens Deus.* Iube hæc perferri per manus sancti angeli tui, in sublime altare tuum, in conspectu diuinæ maiestatis tuæ, vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij corpus, & sanguinẽ sumpserimus. Hæc dicens sacerdos, cor pus & sanguinem non modo verbis, sed & facto designat, crucem formans primũ super corpus, deinde super sanguinem, po stremò vero loco declarans, ex corpore, & sanguine Dñi, verã vitam in nos redunda re, seipsum munit sacerdos signo crucis, di cens: Omni benedictione, & gratia replea mur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Cap. IX. Ab illis verbis, Memẽto etiã Domine famulorum.



Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dorm. ũt in somno pacis. Hic sacerdos paululum subsistens, ac requiescens, & quantum in ipso fuerit in altissimam men tis sedem se se recipiens, iustẽ, & religiosè orat peculiariter pro defunctis, pro quibus orare ad eum attinet, iuxta charitatis, & rationis regulas, & generaliter etiã orat pro omnibus, quod & à sanctissimis ac diuinis simis ecclesię patribus acceptum est, & ab eisdem cum omni cura factitatum, & in li bris Machabæorum vir fortissimus Iudas collatione facta, duodecim millia drach- 2. Mac. 12.

mas argenti misit Hierosolymam, iustẽ, & religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis. Ipsis Domine, & omni bus in Christo quiescentibus locum refrigerij lucis, & pacis, vt indulgeas deprecamur, per eundem Christum Dominum nostrum, Amen. Nobis quoq; peccatoribus famulis tuis. Hæc dicens sacerdos, & tundit pectus, & eleuat vocem, & facto ip so ac vocis qualitate declarat quanto affectu ab omnipotenti & munificentissimo Deo, misericordiam petere debeamus, quem sæpe offendimus, & in quem misere ingrati sumus, cum ab illo omnino pen deamus. Atque, vt quidam existimant, etiam hoc loco significatur illa latronis fi des ingens, atque mirabilis, qua in cruce pendens, conuersus ad Dominum ac men te radijs cœlestibus illustratus, dicebat, Domine memento mei dum veneris in regnum tuum. *De multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam, & societatem donare,* digneris cum tuis sanctis Apostolis: & Martyribus, cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Fœlicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia, & omnibus sanctis tuis, intra quorum nos consortiũ non æstimator meriti (quia si iniquitates obseruaueris Domine Domi ne quis sustinebit?) Sed veniæ quæsumus largitor admitte per Christum Dominum nostrum. Per sapienter hoc loco viris annumeratæ sunt illæ fœminæ, quæ pro Chri sto vsq; ad mortem strenue decertarunt, vt consideremus; quoniam vnus viri, & mulieris creator est, vna Dei imago, in vtro q;, vna lex, vna promissio, vna resurrectio pro viro Deus homo factus est, & etiam pro muliere. Nec minus fœmineum genus capax virtutis est, quam virile. Nec sine causa non sola caro accepta à Deo est, ad formandam mulierem, sed os ex ossibus viri, vt firmũ illud, & forte, atq; virile, laborisq; patiens pro seruiendo Deo, quod in viris solet reperiri, etiam fœminis tribui debeat. Nec enim ipsæ minore virtute sunt. Siquidem, quamuis nec

Psal. 129.

Basilius pro martyre Iulitta.

clypeum arripiant, nec lanceam manu te neant, aut norint in equum insilire, solent tamen exercere alia multò maiora, & gloriosiora certamina, quæ non firmitate corporis, sed gratia Dei, & voluntate animi superantur. Ac proinde non est cur fœminis corporis infirmitas, & teneritudo obijciatur. Nam quando Deus ipse ad arma vocat, & in nobis pugnat, impletur illud Ioelis: Infirmus dicat. Quia potens ego sum. Et illud Apostoli: Virtus in infirmitate perficitur. Et iterum cum infirmor tunc potens sum. Petimus ergo hoc in loco parem, & societatem cum præclarissimis viris, & fœminis eorum omnium, qui vnquam in mundo fuere, idque in regno Dei, qua nulla maior gloria excogitari potest. *Per quem hæc omnia, Dñe, semper bona creas, sanctificas, viuificas, benedicis, & præstas nobis. Per ipsum, & cum ipso, & in ipso, est tibi Deo Patri, Omnipotenti in vnitate spiritus sancti omnis honor, & gloria, per omnia secula seculorum. Amen.* Dum hæc dicuntur, primum quidem fiunt tres cruces, super ipsam hostiam, & calicem, ad significandas tres illas horas, quibus Dominus cruci affixus, vixit. Intelligitur enim eius in cruce passio, & affixio durauisse ab hora prima vesperi, vsque ad tertiam, in qua emisit spiritum, hoc est, per integrum spatium horæ nonæ, secundum rationem supputandi Hebræorum. Deinde verò sacerdos discooperiens calicem, & manu tenens sacratissimam hostiam, ter, qui numerus perfectus est, format crucem super calicem, dicens: *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso*; aptissimis verbis, & ratione declaras eius, qui pro nobis passus est, dignitatem, æqualitatem cum patre, & omnipotentiam, à quo & per quem & nobis, & toti mundo omnia bona promanarunt, à primo vsque ad vltimum. Et iccirco aliæ duæ cruces ducuntur à labio calicis, vsque ad sacerdotis pectus significantes aquam, & sanguinem quæ in remissionē, & ablutionē peccatorū nostrorum effluxerunt à latere Dñi in cruce pendentis, interea verò calix discooperius est, vt illud intelligamus, & meminerimus, quod Christo moriente propalata iam sit sanctorum via, aditusq; pateat in sanctorum, hoc est in cœlorū regnum per sanguinem eius. Ac propterea illo expirante velum templi scissum est. Quod autem dum hæc dicimus, hostiam super calicem ponimus, & peculiari reuerentia nonquidem eleuamus, sed manifestamus populo, deinde demittimus, ponimus in corporali, & calicem operimus, mihi videtur significare illud instans, quod cum magna reuerentia debemus recolere, quo Dñs de cruce depositus, & sepultus est.

Ioel. 3. 70
2. Cor. 12.

Caput. X. Ab oratione, Pater noster, vsque ad illa verba, Agnus Dei.



Ratias agentes Deo, & Patri, qui talem, ac tantum nobis dedit Redemptorem præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione eiusdem Dei, ac Domini nostri Iesu Christi formati, audemus dicere confidenter quæ alioqui proferre nemo esset ausus. *Pater noster qui es in cælis.* Quis enim nostrum Deum illum conditorem, seruatorem, ac moderatorem vniuersi, Patris nomine compellare, & honorificentissimum filij Dei nomen, quo nec Angelos suos dignatus est Deus, vendicare auderet, nisi ille iussisset? Dicimus ergo, Pater, non tam, quod pater sit ratione creationis secundum id, quod dictum est, Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te & fecit & creauit te? Sed magis ratione adoptionis, qua nos misericorditer in filio suo renatos in tanti nominis honorem adoptauit, & potestatem dedit, vt quotquot eum receperunt filij Dei fierent, credentes in nomine eius, & ex Deo, per gratiam geniti. Serui peccati eramus infœlicissime geniti, ex Adam. Sathanæ filij eramus, eius instinctu ad omne malum sollicitabamur. Sed ille cum adhuc inimici essemus nostri misertus, per vnigenitum filium suum Iesum, nos exemit à seruitute peccati, à Patre diabolo emancipauit, liberauit à morte perpetua, ab hæreditate ignis æterni in æternam gloriam vindicauit, ac per fidem, & baptismum, & gratiam suam in consortium nominis, & hæreditatis filij sui adoptare dignatus est, & facere,

Angel.
Deut. 32
Rom. 8.
Ioan. 1.
Rom. 6.
Ephes. 2

facere, hæredes quidem Dei, fratres au-
tem, & cohæredes Christi. Et ne quid dif-
Rom.8. fideremus eius erga nos pietati pignus
quoddam suæ in nos charitatis cœlitus
immisit spiritum filij sui clamantem, ab-
Ioan.1. ba Pater. Dicendo ergo, pater, in primis
Tit.2. gratias agimus Deo, quod gratuita adop-
Roma.6. tione facti sumus filij Dei: profitemurque
nos renunciasse patri diabolo, & omni-
1.Pet.3. bus operibus eius, & solum eum, qui in
cœlis est patrem habere cœpisse. Vnus
est enim pater noster, qui est in cœlis. Ex-
citatur in nobis mutuæ charitatis affectus,
vt qui vnum, & eundem patrem habea-
Malac.1. mus. Admonemur maxime honorare
Deum: ipse enim ait: Si ego pater, vbi est
honor meus? Accenditur, & inardescit in
nobis charitas. Quid enim charius debet
esse filijs, quam pater? Quædam etiam
impetrandi sancta præsumptio, & humi-
lis, ac iusta confidentia innascitur cordi.
Quid enim non dabit Deus Pater noster
Luc.11. filijs petentibus, quibus dedit ante, vt fi-
lij essent, & quibus ipse dicebat? Si vos
cum sitis mali nostis bona data dare filijs
vestris, quanto magis pater vester cœle-
stis dabit spiritum bonum petentibus se?
Et qui proprio filio suo non pepercit, sed
pro nobis omnibus tradidit illum, quomo
do non etiam cum illo omnia nobis do-
nauit? Ergo, si quidem patrem habemus
cœlestem, sapiamus cœlestia; quasi filij
Cypr. Dei viuamus, pudeat à tanto parente de
generare, & quod ore dicimus, quando pa
trem appellamus puritate, ac sanctitate vi
Chrysost. tæ, & opere ipso comprobemus. Quan-
do verò non solum dicere docemur, pa-
ter, sed etiam noster, eo precandi modo,
Christus suorum discordias, & inimicitias
interimit; superbiam retundit, & humana
rum rerum inæqualitatem ad concor-
diam, & æqualitatem, & charitatem re-
ducit. Non enim conuenit, vt fratres am-
bitione, odio, liuore, contentione inter se
se dissideant. Vnde cum dicimus, noster
fraternæ pietatis, charitatis, & humilitatis
Malac.2. admonemur, iuxta illud Malach. secun-
do. Nunquid non pater est vnus omnium
nostrum? Nunquid non Deus vnus crea-
uit nos. Quare ergo despicit vnusquisque
fratrem suum? Nemo igitur alium sper-
nat. Sed quando in proximo considerauе-
rit, quæ ad communem naturam attinet,
dicat cum Iob: Nonne, & illum, qui me Iob.31.
operatus est, & formauit in vulua vnus?
Si verò gratiam respexerit, meminerit;
quod ex Deo omnes nati sumus, & edocti
dicere: *Pater noster qui es in cœlis.* Non quod
non sit in terris, & vbique cum scrip- Ioan.1
tũ sit: Cęlu & terrã ego impleo. Sed quod
eius diuinitas, maiestas; & gloria magis
resplendeat in cœlestibus. Qui autem fa-
tetur, se patrem habere in cœlis, cuius in
expugnabile regnum iuste moderatur
vniuersa, is se totum Dei protectioni com
mittit, certus sibi nullam posse nocere
creaturam, quem tuetur, atque defendit
omnipotentia creatoris. Et præterea his
verbis docemur, discernere patrem cœ-
lestem à terreno, quem in mundo habe-
mus. Terrenus enim, peculiarisque pa-
rens multis rationibus egens est, & imbe-
cillis: qui, si quid aduersi accidat, succur-
rere nobis non potest, nec sibi, nec cer-
tum habemus, quandiu maneat is pater;
vt qui mortis imperio subditur. Atque
ideò in eum spem nostram collocare nec
possumus, nec debemus. Vnde illi per Esa
iam dicebant: Abraham reliquit nos, &
Israel ignorauit nos; tu pater noster, & Esai.63.
Deus noster. Et in hanc sententiam dixit
Dominus: Nolite vobis vocare patrem su
per terram. At quum patrẽ cœlestẽ appel
lamus, patrem agnoscimus longè melio- Matth.23.
rẽ, & præstãtiorem omnipotentẽ, benefi-
centissimũ & immortalẽ, omnia prouidẽ
tem, atq; eo ipso fatemur iustum, & æquũ
esse ipsi fidere, & præ eo cætera contẽne-
re. Insuper his verbis incitamur ad recolẽ
dũ, vnde simus delapsi, nempe, è cœlo, &
gratia Dei, quã in paradiso acceperamus, &
quo rursus, tãquã ad destinatũ locũ autho
re tanto parente redituri sumus. Vnde cũ Boetius.
quidã à terris mente, & spiritu euolasset, in
suetũ miratus lumen Olympi, & per cœ
lorum pulchritudinem oculos exten-
dens, Hæc, inquit, memini, patria est
mihi, hinc ortus sum; hic sistam gradum.
Sanctificetur nomen tuum. Nomen quidem
Dei semper est sanctum: sed petimus, vt

sanctificetur in nobis, hoc est, vt nos sancti efficiamur, & in ea sanctitate perseuerantes, Deum glorificemus, quæ est vera gloria nostra. *Adueniat regnum tuum.* Qui se Christo consecrauit renunciauit mundo: & ideo non iam terrena, sed cœlestia regna desiderat. Veniet autem regnum eius, etiam si nolimus. Et ideò optare, & orare, vt veniat regnum eius, nihil est aliud, quā optare ab eo, vt cum definito tempore venerit, dignos nos faciat regno suo, ne forte, quod absit, veniat & non nobis veniat. Veniet siquidem his, quibus dicet: Venite benedicti patris mei: percipite regnum. Non veniet autem ijs, quorum auribus terribile illud insonuerit: Abite maledicti in ignem æternum: Veh autem nobis, qui cum regnū Dei venire quotidie petamus, quando euocat nos Deus, & accersit de mundo isto, non modo non libentissime amplectimur; sed obnitimur & reluctamur, & peruicacium more seruorum, ad conspectum Dñi cum tristitia, & mærore perducimur, exeuntes hinc necessitatis vinculo non obsequio, ac desiderio voluntatis. Et volumus ab eo præmijs cœlestibus honorari, ad quem venimus inuiti. Quid precibus frequenter iteratis rogamus, & poscimus, vt acceleret dies regni, si maiora desideria, & vota potiora sunt seruire hic mūdo, & premi multitudine malorum in hac lachrymarum valle, quam regnare cum Christo? Deberemus autē fratres præ oculis habere, scriptum esse: Nolite diligere mundum, nec ea, quæ in mundo sunt. Et iterum: Si quis diligit mundum, non est dilectio patris in illo. Et tertio: Adulteri nescitis, quia amicitia huius mūdi inimica est Dei, & quicunq; voluerit amicus esse mūdi huius, inimicus Dei constituitur? Petimus ergo, vt adueniat regnum Dei, id est, vt veniat tempus, quo sit terra cœlum, vita Deus, tempus æternitas. Patria requies, diuitiæ sanctitas, salus immortalitas, pax pulchritudo, honor æqualitas angelorum Deus omnia in omnibus, in illa regione viuentium, vbi Deus pascit suos veritate puritate, æternitate. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.* Scriptum est. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Stabilitas in fide, cōfidentia in spe, ardor, alacritas, & dulcedo in charitate, humilitas in conuersatione, misericordia in operibus, in moribus disciplina, cum omnibus pacem tenere, iniuriam facere non nosse, & illam vlcisci, putare scelus, atque flagitium, benefacere ijs à quibus per nefas oppugnamur, seruire Deo corde magno, & animo volenti: & quando de eius nomine ac honore certamen est, exhibere in sermone constātiam in persecutione, & cruciatu fiduciam, in morte patientiam, ac fortitudinē, hoc demum est voluntatē Dei adimplere, quam qui facit manet in æternum. Fieri etiam petimus voluntatē Dei in cœlo, & in terra. Nam cum corpus è terra, & spiritū possideamus è cœlo, ip si terra, & cœlum sumus. Ac fit & impletur Dei voluntas in cœlo, quando illud in nobis experimur. Condelector legi Dei secundū interiorem hominē. Oramus autem, vt ea voluntas fiat in terra, de qua scriptū est: Sentio aliā legem in mebris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati. Exultet ergo in te, seruiatque tibi cor, ac mens, & caro nostra: fiatq; benignissime Dñe, volūtas tua, sicut in cœlo & in terra. Seruiunt tibi angeli in cœlo, nos serulamus tibi in terra. Nō te illi offendūt in cœlo, nō te nos offendamus in terra. Deniq; faciunt illi tuā volūtatē; faciamus & nos. Si quis autē bene cōsideret, facile videbit, tribus his primis petitionibus, nihil nos aliud, quā verā iustitiā, gratiā, & sanctitatē postulare. Qui certe semper esse debet nostrarū omniū orationū quas fundimus, inter medios fluctus vitæ huius optatissimus finis, quo adepto cætera omnia pro nihilo ducenda sunt. Sequūtur verò modo quatuor aliæ petitiones. Prima: *Panē nostrū quotidianū da nobis hodie.* Lucet hoc loco sobrietas, moderatio, & confidentia Christiana. Fidelibus si quidē suis dicebat Dñs: Nolite soliciti esse in crastinum, crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua. Merito ergo Christi discipulus victum sibi in diem postulat, qui de crastino cogitare prohibetur. His etiam verbis, & Eucharistiam, quam quotidie spiritu saltem manducare debemus, & ver-

Marginal notes: August. Matth. 25. — Cypria. — 1. Ioan. 2. — Iacob. 4. — Rom. 7 — Matth. 6

& verbum Dei, quo mentes nutriuntur, & saturantur, intelligi debere sancti Dei homines scripserunt. Vnde Dominus dicebat: Operamini cibum qui nō perit: sed qui permanet in vitam æternam. Et declarans, quis esset ille cibus, ait; Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Post subsidium cibi petitur & venia delicti, vt qui à Deo pascitur, & in Deo viuat. Nec præsenti solū & tēporali vitæ, sed multo magis cōsulat sempiternæ ad quam peruenire potest, si ipsi peccata donētur. Donabuntur autem, si vnusquisque remiserit fratri ex corde suo. Non est enim ea eleemosyna solum, quam de pecunia proferimus: sed illa lōge gratissima, qua iniurias ex corde remittimus. Fecit vero Deus nobiscum pactum firmum, & stabile, vt qui vult dicere efficaciter. Dimitte nobis debita nostra, dicat & ipse veraciter: sicut & nos dimittimus debitori-

Aug. bus nostris. Quod si hoc posterius, aut nō dicit, aut dicit fallaciter, illud certè, quod prius est dixit inaniter. Veniæ igitur fons emanat à pectore supplicantis, & quicquid ò homo, effuderis in alterum, ad te refluet

Chris. & quantum alteri condonaueris, tantum tibi indulsisse putato. Sed parum omnino est, quod dixi: & iccirco ego me reprehendo. Nam, o Deus meus, & totius misericordiæ fons, ò fœlicissime, acta mecum commutatio. Remito fratri parua mala, quæ commisit in me, & tu remittis mihi magna, & innumera mala, quæ commisi

Aug. in te. At nihil magis dignum tua magnificentia, & gloria, quam si me liberes, & educas ab abysso malorum; atque conferas ingentia bona, eo quod ego puluis & cinis, dante te, feci quoddam bonum. Nō ergo, ò Christi cultores, & serui, vindictam quęramus. Nam si quæreret illam Deus à nobis, vbinam remaneremus. *Et ne nos inducas in tentationem.* Hoc est, ne permittas nos succumbere tētationi, & da vt semper peccatum caueamus. Sed libera nos à malo. Hoc dum dicimus, comprehendimus ad-

Ioan. 8. Ex Aug. & Tho. uersa omnia, quæ contra nos molitur inimicus: à quibus vere liberi erimus: si nos filius liberauerit. Si quis autem rectè consi derare velit, inueniet hac oratione non solum omnia, quæ recte petere, & desiderare possumus: sed etiam eo ordine, quo desideranda sunt contineri. Primum enim cadit in desiderio nostro finis; deinde ea, quæ sunt ad finem. Finis autem noster Deus est, in quem tendit affectus dupliciter: vno modo pro vt volumus gloriam Dei, alio modo, secundum quod volumus frui gloria eius. Quorum primum pertinet ad dilectionem Dei: qua Deum in se ipso diligimus: secundum vero pertinet ad dilectionem, qua diligimus nos in Deo. Et ideò prima petitio est: sanctificetur nomen tuum; per quam petimus gloriam Dei. Secunda vero est. Adueniat regnum tuum, per quam ad gloriam Dei, eiusque regnum peruenire, postulamus. Ad finem autem prædictum nos ordinat aliquid dupliciter, vno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem bonum, quod est vtile in finem. Est autem aliquid vtile in finē beatitudinis dupliciter. Vno modo directe, & principaliter. Et hoc est meritum, quo per gratiam Dei beatitudinem meremur obediendo Deo. Et quantum ad hoc ponitur: Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Alio modo instrumentaliter, & quasi coadiuans, & requisitum. Et ad hoc pertinet quod dicitur: Panem nostrum quotidianum; siue per panē intelligantur ea, quæ victui sunt necessaria, siue etiam intelligatur panis sacramentalis, cuius vsus quotidianus proficit homini. Intelliguntur vero per panē bona temporalia necessaria, & per Eucharistiam cætera sacramenta, & auxilia supernaturalia: quoniā & panis est pręcipuus, ac maxime necessarius cibus, & Eucharistia est præcipuū sacramentū. Tria autē sunt, quæ nos à beatitudine abducunt. Primo quidē peccatū. Quoniā qui peccant mortaliter regnū Dei non possidebunt. Et ad hoc, vt liberemur à peccatis, & Deus misericorditer illa nobis indulgeat, pertinet quod dicitur; Dimitte nobis debita nostra. Secundo tentatio, vnde cunque orta sit, qua diuertimur & impedimur ab obseruantia diuinæ legis, & voluntatis, & in medio itinere ac cursu vitæ huius se quasi scandalum interponit, vt

offendentes cadamus. Et ad hoc spectat, quod additur: Et ne nos inducas in tentationem: idest, ne permittas, vt à tentatione vincamur: sed fac in ea prouentum, vt possimus sustinere. Orationē vero cōplemus dicentes; Sed libera nos à malo. Quæ petitio differt à priori in eo, ꝙ in priori à malo culpę; in hac vero à malo præsentis, & futurę pęnę petimus liberari. Dico autē breuius, ꝙ cū propositū hominis, omnisq; legis, atq; naturæ sit, prosequi bonum, fugere vero malum, quibus duobus omnis iustitia continetur, primum omnium se offert vltimus finis secundum se, Deusque ipse propter se ipsum honorandus, & diligendus. Et propterea primo dicere docemur: Sanctificetur nomen tuum. Secundo ipse Deus, vt finis noster bonum que summe delectabile, quo fruemur. Et ideo secundo dicimus: Adueniat regnum tuum. Post finem vero postulare, ac exequi debemus media. Et ideo addimus. Fiat voluntas tua. Medium siquidem ad assequendum regnū cœlorū est, facere Dei voluntatem, eiusque legem adimplere. Post spiritualia vero bona, quæ priora, & potiora sunt, sequitur temporalium postulatio: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quæ tam temperate, & sobrie proponitur, vt habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. De cęteris cura erit Deo, si ad eius honorem & gloriam conueniens fuerit, vt illa habeamus. Secunda vero iustitiæ, bonique omnis pars est, fugere malum. Et quia præcipuum malum est peccatum, dicimus: Dimitte nobis debita nostra. Et ne post dimissa peccata in ea relabamur, addimus: Et ne nos inducas in tentationem. Ac tandem, vt misericordia Dei, & bonitas nos liberet ab omnibus malis, siue præsentia sint, siue futura, siue temporalia, siue æterna, siue culpæ, siue pęnæ claudimus orationem dicentes: Libera nos à malo. Qua particula malorum vniuersitas comprehenditur, sine aliquo termino: nam & malum de se infinitum est. Liquet ergo manifeste hac oratione omnia; quæ recte peti possunt comprehendi ordine suo, siue sint bona spiritualia, & temporalia, siue depulsio quorumcunq; malorum. Concedat autē vtrunque nobis Dominus. Amen. Illud vero, quod dum hæc oratio diuina cantatur, nuda patena in altum erecta tenetur à diacono, significat mysterium crucis tam manifestum mundo, & patefactum, per quod liberati sumus à malo, & accessum habemus ad patrem, & pax terris reddita est. Vnde sacerdos hæc omnia postulans in nobis habere effectum, patenam accipiens, & crucis signo se muniens, ipsumque crucis Mysterium exosculans ait: *Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris, & intercedente beata, & gloriosa semper Virgine Deigenitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro & Paulo atque Andrea, & omnibus sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adiuti, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, filium tuum, qui tecum uiuit, & regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.* Et quidem ante eleuationē corporis, & sanguinis Domini, sublevata in altum patena, & cooperta, hoc idē crucis mysterium, sed velatū adhuc portendebat. Cæterum dum sacerdos recitat illa verba Per eundem, &c. tenens hostiam manu, frangit eam super calicem in tres partes, circa quas diuersæ erant antiquitus ceremoniæ. Nā vna earum seruabatur vsque ad finem missæ. Et iccirco diuersa à doctoribus hoc loco dicuntur. Dicendum vero est, quod prima pars & maior significat eos, qui cum Christo iam in cœlo regnant, secunda eos qui in purgatorio, securi quidem de sua beatitudine, adhuc detinentur. Tertia vero & in calicē missa eos repræsentat, qui in hac vita pugnant. Itaque hæc est diuisio figuralis corporis mystici, si tamen ad verum ipsum Domini corpus referatur, significat primum quidē quanta fuerit, & quam dira Dn̄i passio, & sanctissimi illius corporis maceratio. Deinde vero significatur, ꝙ quæ in Christo principaliora erāt, suppositū scilicet & anima liberа iniurijs mortis permāserūt. Corpus autē hoc est inferior pars, sepultū est, & ideo inijcitur in calicē, quasi in sepulcrū & operitur, deniq; quādo sacerdos ter format crucē cū particula super calicē dicēs: *Pax Dn̄i sit semper nobiscū*, significat ꝙ tāto redēptionis nostrę peracto mysterio tranquilla

vera

vera, & perfecta Domini pax debet in nobis regnare, quæ tribus partibus continetur, pace cum Deo, pace nobiscum, pace cum proximo. Dicit vero sacerdos particulam iniiciens in calicem, Hæc commistio, & consecratio, corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.

Caput. XI. Continet quæ dicuntur, ac fiunt ab illis verbis, agnus Dei, vsque ad finem.

IN reliqua parte missæ totus est sacerdos in eo, vt quantum fieri possit pure, sancte, humiliter & deuote sumat corpus Christi. Et primo quidem peculiariter se conuertens ad maiestatem Domini præsentem suppliciter misericordiam petit, semel iterum, & tertio, dicens, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis.* In quo apte passionem ipsam proponit, cum appellat agnũ tollentem peccata mundi. Deinde iunctis manibus, & se inclinans tribus deuotissimis orationibus, enixe postulat à saluatore cunctorum per præsens illud corpus & sanguinem eius, vt ecclesiam pacificare & coadunare dignetur, & sacerdoti ipsi sanctitatem, & puritatem infundat, ne immũdus accedat, & faciat perceptionem sacramenti, nõ in mortem, sed in vitã prouenire. Et iterum genu flectens, & dicens: panem cœlestem accipiam, & nomen Domini inuocabo & se præmuniens humili, & fideli Centurionis confessione ac se signans cum hostia super patena accipit Domini corpus. Qua nulla Dei magis admiranda dignatio & hominis maior dignitas mẽte fingi, vel excogitari potest. Suscipiens ergo corpore ac mente Deum, quiescens aliquantulum sacerdos, atque intra penetralia spiritus se se recipiens consideratione tam ineffabilis beneficij, discooperiens deinde calicẽ, & genuflectẽs dicit deuotissima illa verba: *Quid retribuã Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.* Vere qui dedit nobis Christum, dedit omnia bona, qui est fons bonorum, & per quem, cum quo, & in quo sunt omnia bona. Quando autem sanguinem sumpturus ait sacerdos: Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo, laudans inuocabo dominum, & ab inimicis meis saluus ero. Ac se signat calice, & adiicit: sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen. Debet certè recordari lateris Christi lancea perfossi pro nobis, & accedere tanquam ad sanguinem inde profluentem, totaq; mente illum ebibere in remissionẽ suorũ peccatorũ. Hausto igitur cœlesti, & dominico sanguine, omnibusque rite peractis, orat sacerdos primum secrete pro se ipso, deinde publice pro toto populo petens, vt sacrificium acceptum Deo sit, & prosit nobis in salutem, & remedium sempiternum. Quando autem liber deuoluitur ad locum epistolæ, fortasse significatur Iudæos aliquando suscepturos euangelium, verbumque Dei, quod repulerũt. De quo est insignis prophetia apud Osea. Orationes autem istæ in principio missæ in medio, & in fine fiunt: quoniam eo numero ternario semper significatur perfectio, & quia in omni re perfecta principium, & finis coniunguntur. Oblatione ergo facta, & peracto sacrificio, diaconus dimittit populum dicens: Ite missa est. Inclinat se tunc sacerdos ante medium altaris, & dicit: *Placeat tibi sancta Trinitas obsequium seruitutis meæ, & præsta, vt hoc sacrificium, quod oculis maiestatis tuæ indignus obtuli, tibi sit acceptabile mihique & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile per Christum Dominum nostrum. Amen.* Deinde benedicit populum *Benedicat uos pater & filius & Spiritus sanctus.* Legit euangelium secundum Ioannem, & discedit ab altari, Reuerso autẽ in sacrarium, & nudato sacratis illis vestibus ea in illo remanere debet motum, & vultus cõpositio, grauitas, suauitas, venustas, vt clare videatur adfuisse aliquando Dei maiestati inter Cherubin, & Seraphin, inter Dñationes, & Thronos, atque lucere, & resplẽdere in eo cœlestis illius curiæ politia. Si enim facies Moysis ita micauit, vt non possent filij Israel intendere in eum propter gloriam vultus eius, considerare debemus, qua debeat puritate nitere qui inter

æthe-

ætheteas Angelorum pulchritudines, astitit patri, offerens ipsi eius vnigenitum, & eundem intra viscera sumens ac tenens. Appareat ergo, & versetur inter homines, qualis Deum portans in corpore suo.

Laus Deo.



SALMANTICAE.

Ex officina Michaelis Serrani de Vargas,
M. D. LXXXIX.



Tabula.

PRIMVS LIBER

DE INCARNATIONE CONtinet vigintiseptem Quæstiones.

¶ Artic. 2.

Tabula.

Quæst.10.

Queſtio vigeſimaquarta. De ſacerdotio Chriſti, continet. 6. Art. pag. 282.

Quæſtio vigeſimaquinta. De eo an adoptio conueniat Chriſto continet. 4. Art. pag. 296.

Quæſtio vigeſimaſexta, De eo quod Chriſtus dicitur Dei & hominum mediator. 3. Articu. continet, pa. 309.

Quæſtio vigeſimaſeptima. De adoratione Chriſti, continet. 12. Articul. pag. 319.

LIBER SECVNDVS

DE EVCHARISTIAE SACRAMENTO, continet Quæſtiones. 11.

Quæſtio prima. De Sacramento Euchariſtiæ, continet. 7. Articul. pagina. 356.

Quæſt. 2. De materia huius ſacramẽti continet. 10. Art. p. 378.

Quæſt. 3. De exiſtentia & veritate corporis Chriſti in hoc ſacramento, continet 13. Artic. pag. 404.

Art. 2.

Quæstio quarta. De modo quo existit Christus in hoc sacramento continet. 9. Art. pa. 445.

Quæstio quinta. De accidentibus in hoc sacramento continet. 7. Art. pag. 472.

Quæstio sexta. De forma huius sacramenti. continet. 5. Articulos pagina. 489.

Quæstio septima. De effectibus huius sacramenti continet. 7. articulos. pag. 507.

Quæstio octaua. De vsu, & sumptione huius sacramenti continet 14. Art. pag. 527.

 spirituali-

Quæstio nona. De modo quo Christus vsus est hoc sacramēto quā do illud instituit continet 4. Art.pag.563.

Quæstio decima, De ministro huius sacramenti continet, 10. Ar. pa. 568.

Quæstio vndecima. De sacrificio missæ eiusq; ritu continet 7. Ar. p. 584.

Tractatus de Ritu missæ continet.11.capita.

Index Rerum quæ his duobus libris continentur.

Solet studiosis displicere vehementer, quod sæpe inuēta in tabula aliqua notatione, in textu tamen corporeq; libri nihil fere aliud inueniāt, quā quod in tabula repererāt. Ac proinde decreui nō reducere ad indicē nisi ea quæ insigniora videbātur. Et quidē primus numerus designat folium, litera vero. A. vel B. columnam primam vel secundam.

A.

alopta-

Tabula.

Tabula.

Opera-

Reli-

S.

Sub

T.

V.

Z.

SCRIPTVRAE INDEX.

Quam hæc quæ fauore Dei scripsimus resperſa ſint, & comprobata ſcripturæ teſtimonijs lector ipſe iudicet, quia vero quando in corpore libri nihil aliud inuenimus quam nuda ſcripturę verba, quę in tabula repereramus, ægrè id ferimus, nec ſine cauſa exiſtimamus eum indicem potius ad oſtentationem, quam ad vtilitatem eſſe comparatum: iccirco ego ea ſola notaui teſtimonia, quæ accuratius elaborata videbantur.

Finis.

